BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
13 E
31

F. 303

Conuentus Cremonæ.
Usui Fris Io. Stephani Chidale Emptis V. Ispetia Carmelitæ

138 I

HIERARC-
HIAE ECCLESIA-
STICAE ASSERTIO LIBRIS
SEX COMPREHENSA,

ITEM,

Componendorum diſsidiorum & ſarciendæ in re-
ligione concordiæ ratio,

AVTHORE

ALBERTO PIGHIO CAMPENSE, DIVI
Ioannis Vltraiectenſis Præpoſito.

Omnia demum ab ipſo authore ſub mortem diligenter recognita, nouaq; acceßione paßim locupletata: & nunc accuratiore diligentia, quam hactenus vnquam, typis excuſa.

Vna cum Indice rerum præcipuarum locupletiſsimo.

Argumenta ſingulorum librorum verſa pagina demonſtrabit.

Bibliotheca S. Mariæ Transpontinæ



COLONIAE AGRIPPINAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno M. D. LXXII.

13. E. 31

Liber primus ante omnia demonſtrationis eorum, quæ ad fidem religionemq; noſtram pertinent, certa principia ſtatuit. Inſuper & methodum explicat, qua vt in omni exorta quæſtione facilè inuenitur orthodoxa veritas, ita omnis hæreſis efficaciter conuincitur.

Secundus demonſtrat, in quo vnitas conſiſtat eccleſiæ, palam faciens eos, qui ab eadem ſe ſeypararint ac ſeparent. Eius quoque ordinem ſacrum, gradusq́ue & ſingulorum munia, hæreticorum in his omnibus errores impios ſecundum explicatam methodum obiter iugulans.

Tertius vnitatem Præſidis aſſerit in hierarchia eccleſiaſtica, Petrũ eius caput conſtitutum à Chriſto demonſtrans, & ſucceſſores ipſius Romanos pontifices.

Quartus authoritatem eccleſiaſticę hierarchiæ pręſidis, & ſingularem prærogatiuam apoſtolicæ cathedræ luculenter adſtruit.

Quintus cõtrouerſias omnes inter regnum & ſacerdotiũ, quibus aliquot ſeculis grauiter exagitata eſt eccleſia, complectitur. Et Marſilij illius Patauini aduerſus authoritatẽ eccleſiaſticam in ſuo, quem inſcribit, defenſorio pacis, retundit calumnias.

Sextus vniuerſam Eccleſiaſticorum Conciliorum cauſam ex certis illis noſtræ fidei principijs ita deducit & abſoluit, vt omnẽ eorundem varietatem, omnem modum, formam, authoritatem, quæ ſit, & vnde pendeat, quiuis clarè poſsit ac certò intelligere.

BEATISS. IN CHRISTO PATRI PAVLO ECCLESIASTICAE HIERARCHIAE PRAESIDI EIVS NOminis III. Albertus Pighius Campenſis S. D.

VT non video pater beatiſsime, cui pio Chriſtianoque viro lachrymas extorquere non debeat ea, quæ nunc cernitur, Chriſtianæ eccleſiæ tot ſchiſmatibus laceræ, tot hæreſibus ac impietatibus fœdæ contaminatæq́;, miſeranda ſane deplorandáque facies: ita nulli ceſſandum cenſeo (qui tamen vere Chriſtianus haberi velit) quo minus in tanto religionis noſtræ diſcrimine pro ſua quiſq; virili eidem ſuccurrere debeat, quandoquidem is iure meritoq́; reprehenditur, velut ciuis non bonus & deſertor patriæ ſalutisq́; publicæ, qui in publico euidentiq́; eius periculo, non ſolum ſua, ſed & ſeipſum eidē impendere dubitat. Quare cum tanti huius mali eam mihi viderer cauſam videre, quæ vna fere fuit omnis humanæ ſocietatis exitium, nempe diſciplinæ publicæ diſſolutum vigorem, quam tot ſeculis apoſtolorū miniſterio conſtituta à Chriſto eccleſiaſtica illa hierarchia continuit in eccleſia, continuo enim vt eandem nunc tandem prophanis quorundā impijsq́; diſputationibus oppugnari, improbis calumnijs, detractionibus, mendacijs, famoſisq́; libellis apud imperitam multitudinem talibus facile applaudentem traduci, & deſpectam vilemq́; fieri, inſuper ſecularium aliquot principum irreligioſa tyrannide opprimi, noſtrorū deniq; præſulum (pudet dicere) improba nimis inconſultaq́; ambitione confundi, perturbari, certatimq́; ab omnibus coniuncta velut manu euerti cōſpeximus (adeo nemo ſui iam memor eſt ordinis, gradus & officij, quod in Chriſti eccleſia obtinet) quę non olim dānata impietas ab inferis reuocata eſt? quæ non derepente monſtra ꝓdierunt iam olim iugulata illo beatiſſimi Petri gladio? vt nuſquā ſubſtitit perfractis repagulis effuſa ſemel impietas, ſed noui ſemper cōminiſcitur aliquid, ſemperq́; ſeipſam vincere certat. Cum, inquam, tanti eius mali, quam diximus, cauſam mihi viderer intelligere, meditabar & ego aduerſus hæc aliquid conferre in publicū. Sed grauidum parturientemq́; neſcio quid animum diu retinuit ac retardauit aliorum nonnullorum certatim ſcribentium multitudo ac diligentia, vtq́; diu dubitarem, num locus aliquis hac in re noſtro foret officio, effecit, quippe qui alioqui mallem deliteſcere, ſi licuiſſet ſalua ratione officij, quod Chriſtianus Chriſtiano nomi

ni religioni & eccleſiæ debeo, atque vni mihi notus mecum viuere, hanc palmam & gloriam libenter conceſſurus alijs, quàm me præcipitare in neceſsitatem, quotidie in totius orbis conſpectu aduerſus hæc monſtra plane tartarea, & quæ plus quàm ferina rabie in caulas dominicas nunc paſsim deſæuiunt, cruentis monomachijs publice decertandi, id quod ſemel in aciem progreſſus (vt pugna pugnam laceſsit, & velut anſa anſam trahit) omnino deuitare non poteſt. Sed cum illorum ſtudia, tametſi pia & erudita, nõ admodum profeciſſe cernerem, cauſam ſollicite perquirenti ipſa medendi methodus à medicorum principe Galeno doctiſsime tradita mihi ſuggerere viſa eſt. Niſi enim, cum multi vnà morbi graſſantur in corpus, diligens nobis ineatur ratio, cui primum & cui ſecundo loco ac deinceps occurramus, ſed vt quiſque forte ſeſe obtulerit, illi quamuis cõgruo alioqui pharmaco ſtudeamus mederi, præpoſtere videlicet curationem aggredientes (id quod hactenus à pleriſque mihi factum videtur) vſque adeo non proficimus, vt morborum vires plerunq; etiam valde augeamus. Viſum itaq; mihi eſt ipſam nobis crediti talenti rationem exigere, vt poſt habita vitæ ſtudiorumque noſtrorum quiete, non ſolum quicquid dominus nobis conferre dignatus eſt, ſed etiã noſipſos Chriſtiano impenderemus nomini, & pro dignitate, autoritate & ſalute Chriſti eccleſiæ. In qua cum vniuerſa hæc mala inde mihi viderentur originem trahere, quod hi omnium, qui vnquam fuerunt, hęreticorum peſtilentiſsimi, ipſum vniuerſæ religionis noſtrę firmamentum, columnam ac robur labefactare aggreſsi ſunt, ipſam videlicet autoritatem traditionis eccleſiaſticæ, vniuerſam quoque eius hierarchiam è medio tollentes (qua vna ab initio vſque nunc conſeruata eſt in eccleſia Chriſti vnitas religionis & fidei, cõſeruatus vigor diſciplinæ eccleſiaſticæ, & ſine qua prorſus non poſsit ſubſiſtere, multo ſane minus, quàm abſq; ordine & ſuis magiſtratibus vna quælibet communitas aut humana ſocietas) vnã quoq; ſcripturam, quamuis contra ſcripturam, omnium controuerſiarum & exortarum quæſtionum facientes iudicem, quam quiſque eorum pro ſuo captu & arbitrio intelligens, ſuæ impietati, quãuis inuitam reluctantemq;, famulari cogit, nullo alteri cedẽte, aut cuiuſquam hominis autoritati iudicioue in his ſubeſſe volente, vnde tot iam inter ſe pugnantes hæreſes exortæ ſunt, vt dinumerari vix poſsint, nec vllum modũ ac finem, niſi opportune occurratur, impietas inueniet. Huic tam fœcundæ malorum omnium radici ſecurim in primis admouere viſum eſt. Ad hanc funditus euellendam putauimus ante omnia neceſſarium, vt eccleſiaſticæ traditionis nihilo minorem, ne dicam multo etiam ampliorem efficacio-

remq́;, quàm ſcripturarum autoritatē exiſtere, clariſsimis rationibus demonſtraremus. Et niſi hac admiſſa, aut etiā ſcripturis præmiſſa, ne illarum quidem autoritatem ſatis ſibi conſtare, vt quæ vniuerſa inde dependeat. Hanc ipſam præterea ſolam eſſe certam & inflexibilem rectæ intelligentiæ ſcripturarū amuſsim, qua illis nō adhibita, velut plumbeam quandam regulam omni figuræ, ita omni errori eaſdem haud difficulter accommodari poſſe, nec errantem illis aliter facile cōuinci. Proinde patres illos noſtros ſanctiſsimos, ſapientiſsimosq́; viros hoc ipſum iam olim prudenter intellexiſſe, perniciofam videlicet ſine ea exiſtimantes omnē de ſcripturis conflictationem cum hæreticis, & diligenter vitandam orthodoxis, illud ipſum haud obſcure docente Apoſtolo, qui corripi eos vult, non diſputatione coargui, & acquieſcere nolētes, velut plane deploratos, atq; etiā contagione noxios deuitari. Deniq; oſtendimus, noſtris quoq; temporibus diſputationes conflictationesq́; cum hæreticis habitas nullum alium fructum peperiſſe, ſeu ad nihil aliud profeciſſe, quàm quod male cōſopitas ſub cineribus hęreticę prauitatis ſcintillas euentilando excitarunt in apertum hoc grauiſsimumq́; orbis incendium. Ad hæc methodum quandā explicamus, qua vt in quacunq; exorta ſuper rebus fidei controuerſa quæſtione, quæ ſit orthodoxa veritas, facile diſcernitur: ita omnes omnium ſeculorum hęreſes, etiam quæ adhuc in futurum exoriri poterunt, efficaciter cōuincuntur. Cuius methodi vim & efficaciam, velut in exemplis quibuſdam in re tam neceſſaria exercitatum lectorem reddere cupientes, in decē ſubiectis quæſtionibus oſtendimus, quibus maximam partem complectimur controuerſiarū, quibus nunc miſere exagitatur eccleſia, eandem fidem, quæ nunc eſt apoſtolicæ ſedis & noſtra, ab initio quoq; omnibus cōtinuo ſeculis vſq; nunc fuiſſe toto orbe catholicæ eccleſiæ & orthodoxorum omnium, demōſtrantes per ſingulas. Et hęc fere libro primo abſoluimus. Ex his inſuper iam iactis velut certiſsimis indubitatiſq́ue noſtræ fidei, religionisq́; fundamentis ac principijs, ſacræ, inquā, ſcripturæ, eccleſiaſticæ quoq; traditionis autoritate, totius ab initio catholicæ eccleſiæ cōſenſu, recognitione & fide cōſona, demonſtrauimus primum, in quo cōſiſtat eccleſiæ vnitas, vt clariſsime intelligi poſsit, quinam ab ea ſe ſepararint ac ſeparēt. Eius quoque ordinem ſacrum, gradusq́; & ſingulorū munia, hæreticorum in his omnibus prophanas nouitates & errores impios, diligēter, quamuis obiter, iugulantes ſecūdum explicatam antea methodū. Deinde & hierarchiam aſſerimus eccleſiæ, Chriſto autore, atq; in eadem beatiſsimi Petri, vt eius præſidis & ſanctitatis tuæ, quæ illi ſucceſsit in autoritate & officio, cathedræq́; apoſtolicæ principa-

lem autoritatem & prærogatiuam ſingularem. Quę vna ſi reſtitu-
ta eſſet ſecundum annos priſtinos, & agnoſceretur, ſicut neceſſa-
rio debet, à Chriſtifidelibus, vniuerſam hãc malorum colluuiem,
denſiſsimasq́; errorum nebulas, quæ nunc faciem occuparunt ec-
cleſiæ, vno velut flatu ac ſpiritu diſsipatas derepente videremus.
Et hæc tribus deinceps libris copioſe (ni fallor) luculenterq́; atq; ex
ordine exequimur. Conſequenti loco controuerſias omnes inter
regnũ & ſacerdotium, hoc eſt, autoritatem ſecularem & eccleſia-
ſticam, quæ aliquot iam ſeculis grauiſsimis tragœdijs exagitarunt
eccleſiam, ita explicamus, atque ad ipſam lucem certiſsimorum il-
lorum noſtræ fidei principiorum exigimus & abſoluimus, vt nihil
dubitem lectorem, quantumuis alioqui parum fauentem dignita-
ti eccleſiaſticæ, modo veritati faueat, facile intellecturum in ſingu
lis, quæ ſit veritatis cauſa & victoria. In quo argumento velut anta-
goniſten quendam delegimus Marſilium Patauinum, quo nemo
omnium acrior & infeſtior fuit hoſtis autoritatis eccleſiaſticæ, ne-
mo cauſam ſecularis aduerſus eandẽ autoritatis egit vehementius,
copioſius atque etiam ingenioſius, eo quod hunc ſtudioſe legi &
magni fieri cernerem à pleriſque, qui principibus ſecularibus ad-
ſunt à conſilijs. Ex eodem quoq; magnam peſtilentiſsimi erroris
partẽ ſuxiſſe Lutherum cum ſuis, qui abrogata ſemel omni auto-
ritate ſedis apoſtolicæ, omni forma conſtitutæ à Chriſto atque ha-
ctenus in eccleſia obſeruatæ hierarchię eccleſiaſticæ, ſecedentes ab
vnitate catholicæ eccleſiæ, nouas prodigioſasq́; ad prophaniſsimi
illius hominis præſcriptum ſine Chriſto conãtur eccleſias facere,
idq́ue præter omne etiam priorum hæreticorum exemplum. Scri-
pſit autem ille ante annos circiter ducentos in gratiam Ludouici
Bauari, qui excommunicatus à Ioanne vigeſimo ſecũdo, aliquan-
to poſt creſcentibus & contumacia & exceſsibus, per Clementem
ſextum priuatus fuit regno & imperio. Poſtremo eccleſiaſticorum
conciliorum cauſam, tractatam equidem à pleriſq; magni nomi-
nis viris à tempore Conſtantienſis Baſilienſisq́; conciliorum, nam
antea non magna de illis in eccleſia cõcertatio fuerat, ſed à nemine
(quantum mihi quidem videtur) imo neq; ab omnibus in vniuer-
ſum, abſolutam pro dignitate & merito, ita explicamus à capite
(quod dici ſolet) ad calcem ex illis certiſsimis noſtræ fidei princi-
pijs deducentes omnia, vt omnem earundem varietatem, omnem
modum, formam, autoritatem, quæ ſit & vnde pendeat, quiuis cla
re poſsit ac certo intelligere. Ne tamẽ, ſi forte & ego huic tali, tãto-
q́ue argumento, quod ſex his libris complexi ſumus, non per o-
mnia ſatisfecerim, apud rigidos cenſores omni venia aut excuſati-
one indignus iudicer, cogor hic dicere, quod alioqui, tametſi hic
publi-

publicum ſit, maluiſſem præterire ſilentio, ante hoc bienniũ, pro Chriſti nominis gloria, & eccleſiaſticæ hierarchiæ dignitate atque authoritate aſſerenda, magno hæc confidentiq; animo ac indefeſſo labore aggreſſos, antiqui illius hoſtis machinationibus, tãtis nos derepente tribulationibus perſequutionibusq; implicitos, vt eius temporis ferè dimidium coacti ſimus procul domo & familiaribus libris peregre agere, diſcurrere per curias, & aduerſus eaſdẽ ſurdas aures obtundere. Nec ferè domi interim quietius vllum tempus contigit, ſed tot ſemper difficultatibus inuoluti diſtentiq; fuimus, vt non vnum hominem hæc prorſus occupare potuiſſent, imò obruere, atque adeò ſibi eripere. Quæ tamen vniuerſa ita nihil nos abſterruerunt aut remorata ſunt à cœpto ſemel opere, vt eo etiam plus incitarint eidem pertinaciter inſiſtere, quò ſtudioſiùs ab illo proſequendo & abſoluendo me cernerẽ impediri: videlicet coniecturam hinc faciens, & ſpem magnam concipiens, vtilitatem aliquam allaturũ eccleſię, quod ille omnis boni hoſtis tanto conamine ſatageret ſeu niteretur impedire. Itaque ſeu domi, ſeu peregre, omni contra conatu & ſtudio ſemel cœptum vrgere non deſtiti, & à me ipſo conſtitutum velut penſum quotidianum exigere, donec ipſum qualitercunque abſoluerim: præſertim cùm ad hoc ipſum me incitaret ab ineunte ſtatim pontificatu ſanctitatis tuæ primùm ſpes certa, deinde & promiſsio publica celebrandi vniuerſalis concilij, totiuſque orbis expectatio: poſtremò eiuſdem indictio, quod anteuertere harum lucubrationum noſtrarum editione modis omnibus cupiebam, ita mihi perſuadens requirere vtilitatem publicam. Qua etiam ratione ignoſcere debent cenſores ſeueriuſculi, ſi non prorſus tales fuerint quales fortè exigerẽt. Quas haud dubiè abſolutiores accepiſſent, ſi abſoluere eas licuiſſet per otium quietemq; animi, & tempus opportunius: ſed præcipitationis huius noſtræ iuſtas, ni fallimur, excuſationes has æqui boniq́ue conſulent. Dictionis verò neglectum cultum non admodum deprecabor. Eſt enim plane effuſa atq; extemporanea. Nec dicam, quamuis fortè poſſem, argumentum ipſum haud ferè ſplendorem admittere, quod alienis ſubinde verbis, & multorũ teſtimonijs neceſſario peragẽdum fuerat, in quibus mutari quicquam vetat religio. Alioqui in ea ſemper fuiſſe me fateor ſententia, veritatis inueſtigatricem orationẽ magis luculentam ſimplicitatem, q̃ ſtudioſe ſeu ambitioſe quæſitum cultum, fucumq; rhetoricum poſtulare. Eam igitur ſi præſtitimus, eſt vnde gaudeamus. Sin minùs, nihil dubito lectorem æquum, quicquid hac in parte deſiderari poſsit, facilè condonaturum: præſertim vbi ad difficultates ſuprà memoratas, neceſſariamq́ue editionis præcipitationem reſpicere voluerit,

erit, ſecumq́ue reputare nos in his magis vtilitatem publicam, quàm noſtram gloriam quæſiuiſſe. Hos igitur eccleſiaſticæ noſtræ hierarchiæ libros cùm temporis eliceret atque euocaret opportunitas, nec domi ſuaderet premi & contineri diutiùs, præſertim ad editionē eorundem ſtimulātibus doctiſsimis quibuſdam nec minùs pijs hominibus, ſanctitati tuæ dicādos cēſuimus, vt eius authoritate exeuntes in publicum, vniuerſo orbi rationem redderent, quàm iniquè, quàm impiè, quantaq́; totius eccleſiæ, imò religionis Chriſtianæ iactura hierarchiam eandem labefactare atq; euertere noſtri temporis hæretici aggreſsi ſint, quô tibi, eandem totis viribus reſtituenti (vnde vniuerſæ eccleſiæ ſua ſalus, vnitas & ſynceritas fidei & religionis, publicæq́; diſciplinæ vigor dependet) omnes quoq; pijs votis ſtudijsq́; faueant, & pro ſuo quiſq; modulo alacriter ſuccurrant, opemq́; ferāt. Quāquam quid alioqui iuſtius aut conſequentius eſſe poterat, quàm vt eccleſiaſticæ hierarchiæ defenſio ſummo eccleſiæ militantis hierarchæ dicaretur? vt interim taceā, quicquid tandē à nobis tale ſeu huius generis ederetur, non alium, quàm patronum benefactoremq́; ſuū debuiſſe agnoſcere aut requirere: præſertim cùm is vltro obtigerit, cuius eſt inter mortales ſumma ſacroſanctaq́; authoritas. Quam ſanè authoritatem non verebor ne cui parum candido maleuoloq́; lectori in hoc opere aſſentationis ſtudio immodicè alicubi extuliſſe videar. Dedi enim operam, vt res ipſa nos poſſet ab ea ſuſpicione liberare. Et alioqui nihil vnquam ingenio noſtro magis contrarium fuit, quàm priuati gratia commodi, vel ſummis principibus turpiter aſſentari. Nec quicquam antiquius, quàm veritatem agnitam, nullius vultum reſpiciēdo, ingenuè libereq́; profiteri, iuxta illam Ariſtotelis ſententiam: Amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas. Tu igitur beatiſsime pater, quam nos oratione defendimus, hierarchiæ eccleſiaſticæ dignitatem authoritatemq́; perge re ipſa aſſerere, & iactatam diu grauiterq́; quaſſatam B. Petri nauiculam, cui te Chriſtus rectorem præfecit, magno indefeſſoq́; animo in optatum portum dirigere. Non dormitabit neq; dormiet peruigil ille Iſraelis cuſtos, ſed laborantibus vobis, piorum precibus excitatus, aderit etiā, quando videbitur obruta fluctibus, quando humanitus deſperata videbuntur omnia, vel quarta ipſa obſcuræ noctis vigilia. Fidelis eſt, nec mentiri poterit, qui Petro nunquā præualituras aduerſus eandem inferorum portas promiſit. Quem oramus, vt tuam ſanctitatem nobis & eccleſiæ ſuæ diu ſeruet incolumem, eiuſq́; ſalutares conatus feliciter prouehat. Coloniæ, ferijs beati Gregorij Papæ. Anno à nato ſaluatore M. D. XXXVIII.

INDEX SENTENTIARVM

RERVMQVE PRAECIPVE INSIGNIVM HISCE DE SACRA ECCLESIAE HIERARCHIA

LIBRIS SEX CONTENTARVM.

A.

ABſoluere licite Ro.pont.ſubditos à iuramentis fidelitatis. 386.b
abſoluit Iulius papa damnatos epiſcopos à cõcilio hereticorum,& ſingulis reſtituit proprias eccleſias. 268.c
abſolutionis obtinendæ gratia rex media hyeme contendit in Italiam. 302.a
acta apoſtolorum vix operum vnius Pauli commentaria ſunt, quanto minus cæterorum omnium apoſtolorum geſta. 182.a
aduentus redemptoris noſtri modus myſterio conueniens. 305.d
actuum veteris teſt.cum actibus noui, aptiſſima collatio & correſpondentia. 169.c
Aërij hæreſis aſſerentis non eſſe diſcrimen ſimplicis ſacerdotis & pontificis. 134.b
Agapeti ad Petrum Hieroſolymitanum epiſcopum epiſtola, 277.d
Agapetus Ro. pontifex Seuerum Antiochenum epiſcopum vna cum Zoaro monacho anathemati ſubiectos abiecit de eccleſia. 271.a
Agatho ſcribit ad Conſtantinum & auguſtos. 455.a
agathonis autoritate celebrata VI.ſynodus. 310.c
agathonis ſentẽtia de ſede apoſtolica, Catholica Chriſti eccleſia,& vniuerſalibus ſynodis. 420.d
agathonis ſententia ſubſcripſiſſe concilium. 456.a
ambitus epiſcoporum Conſtantinopolitanorũ. 444.b
Ambroſij & Auguſtini & Chryſoſtomi aſſertiones conſonæ, quod datæ ſunt Petro claues eccleſiæ & regni cœlorum & non ſolum promiſſa à Chriſto 176.d.177.a b c d.178.a
Ambroſij libertas erga Theodoſium. 299.b
Anacleti tempore qua fuerit eccleſiaſtica hierarchiæ facies & autoritas. 255.c
anacleti teſtimonium de ordine eccleſiaſtico ab apoſtolorum temporibus incepto. 143.d
Anaſtaſius fulmine ictus perijt. 279.d
Angliæ regnum tranſijſſe in ius clientela Romanæ eccleſiæ. 37.d
angliæ regnum vectigale & tributarium Rom.eccleſiæ. 378.b
apoſtolica autoritas, eſt regula orthodoxæ fidei. 233.b
apoſtolica doctrina qua amuſſi diſcerni debeat, à falſa, notha & ſubdititia. 14.d
apoſtolicæ ſedis iudiciorum inflexibilis æquitas. 272.c
apoſt.ſedis autoritate ſola conſeruatam eſſe vnitatẽ, ordinẽ, diſciplinæ vigorem, & fidei ſynceritatem. 461.b
apoſtolicæ ſedis autoritas. 268.c
apoſtolicam & diſcipulorum autoritatem fuiſſe differentem. 13.b
apoſt.ſedes cur dicitur catholica. 234.b
apoſtolica ſedes magiſtra rectæ fidei. 237.c.241.b
apoſtolica ſedes probatur catholica, teſtimonio Lucij papæ. 234.b
apoſt. omnium autoritatem eſſe æqualem, non conſequi ex his verbis Chriſti: Euntes in mundum,&c. 173.a
apoſtolum omnes ordines eccleſiaſticos ſub diaconi & epiſcopi vocabulis comprehendiſſe. 138.d
appellationes ad ſedem apoſtolicam deferẽdas. 426.c
appellationes eccleſiaſticarum cauſarum ex toto orbe ad ſedem apoſtol.referendas. 230.d.256.c.259.c
aqua benedicta vetuſtiſſ.vſus. 79.c
Arrianorum perfidia, toto Oriente exuſta fuiſſe exemplaria authentica Niceni concilij. 425.b
Arithpertus Longobardorum rex quæ donauerit Ro. eccleſiæ. 390.b
Athanaſij Alexandrinæque ſynodi teſtimonium, quod omnes grauiores cauſæ ad ſedem apoſtolicam referendæ ſint. 428.a
athanaſius & Paulus ad literas Iulij ſuas receperunt eccleſ. 269.d
Auguſtinus petram eccleſiæ perperam Chriſtum non Petrum expoſuit. 164.a
auguſtin.varius & inconſtans in ſcripturarum expoſitione. 163.a
autoritas eccleſiaſtica cur nunc languidior ſit. 303.d
autoritas eccleſiaſtica nobis notior, quàm ſcripturarum. 16.c
autoritas in terris ſuprema cuinam obedientiam debeat. 323.d
autoritas iudiciaria eccleſiæ quæ. 212.b
autoritas Petri, vniuerſalis eccleſiæ, & generalium conciliorum quæ. 407.d
autoritatis Romani põtificis ortus & progreſſus quis. 336.a
autoritas ſcripturarum vnde apud nos conſtet. 7.d
autoritas ſedis apoſtolicæ quàm ſit neceſſaria. 274.a
autoritas ſedis apoſtolicæ vt à toto orbe recognita fuerit. 279.a
autoritas vnius Ro.pontificis vt orthodoxis venerabilior,

**

lior, & hoſtibus orthodoxæ fidei formidabilior fuerit, quàm omnium conciliorũ autoritas. 287.a
autoritatem concilij Niceni dependiſſe ab autoritate Romanæ eccleſiæ. 349.c
autoritatem multorum æqualem aut parem eſſe, bipartito poteſt intelligi. 176.a
autoritatem Petri maiorem eſſe, quàm eccleſiaſticæ congregationis. 415.a
autoritatem ſacerdotalem diuinitus conferri. 339.a
autoritatis coactiuæ varij modi qui ſint. 320.a
autoritatis eccleſiaſticæ coactiuæ efficacia ſuper Chriſtianos reges & principes. 299.d

B.

Baptiſma paruulorũ quomodo credendum. 46.c
baptizati ſacro oleo cur inunguntur. 80.a
bella inter membra vnius corporis vnde. 387.d
bellorum inter Chriſtianos cauſa quæ ſit. 357.a
Benedictus quintus in locum Ioannis mortui à Romanis eligitur. 361.a

C.

Canones ſacri ſolam ſedem apoſtolicam ad iudicium vocari non ſinunt. 278.a
canonica ſcriptura veteris teſtamenti. 8.c
canon Niceni concilij: Non licere præter ſententiam Ro. pontificis celebrari concilia, nec damnari epiſcopos. 268.a
canon Niceni cõcilij, quo ſe tuebatur Neſtorius. 426.d
cantus eccleſiaſtici exordium, & antiquitas. 78.c
caput eccleſiæ conſulendum eſt in omni controuerſia. 224.c
caput vniuerſalis eccleſiæ Petrum conſtitutum eſſe à Chriſto. 408.a
Carolo conceſſum ius tam ordinandi ſedem apoſtolicam, quàm inueſtiendi epiſcopos. 359.b
Carolus Magnus funditus extirpauit ex Italia Longobardicum regnum. 391.c
cathedra apoſtolica & præſidis eius indefectibilis fidei priuilegio ſuffulta autoritas. 407.d
cathedra Petri autoritas vnamquamque ſynodum ſua autoritate confirmat. 419.d
cathedræ apoſtolicæ priuilegiũ & cõmendatio. 220.d
cathedram apoſtolicam & eius præſides neceſſario fulciri indefectibilis fidei priuilegio. 399.b
catholicus verus quis. 35 a
cauſæ maiores vt ſint reſeruatæ cathedræ Petri. 319.c
cauſas eccleſiaſticas grauiores ab initio ad ſedis apoſtolicæ iudicium relatas. 421.b
Celeſtini papæ autoritas in Epheſino I. concilio. 439.b
celeſtinus Cyrillo ſuas vices commiſit in concilio. 435.d
cenſurarum eccleſiaſticarum quàm ſit horribilis pœna. 299.a
Chalcedonen. concilij teſtimonium, quod Rom. pontifex ſit caput vniuerſalis eccleſiæ. 409.a
chalcedonenſis ſynodus qualem recognouerit Leonem Rom. pontificem. 409.d
chriſma ſacrum ab apoſtolis inſtitutum. 128.a
chriſmatis ſacri efficacia quæ ſit. 129.b
Chriſti incarnatione humana mortalitas ad immortalitatem conſcendit. 64.b
chriſti oratio (ſcilicet Ne fides Petri deficeret) quo tendat. 240.c
chriſtum etiam vt hominem fuiſſe regem regum, & dominum dominantium, nec vllius iuriſdictioni ſubfuiſſe legitime. 307.c
chriſtus ad quid in mundum venerit. 305.d
chriſtus cur aufugerit quando volebant eum conſtituere regem. 308.a
chriſtus cur nauim Petri relictis cæteris ſcandat. 226.d
chriſtus cur recuſarit eſſe iudex inter fratres ſuper partienda hæreditate. 308.c
chriſtus in duobus naturis vnus operator. 252.b
chriſtus in nouiſſima cœna an ſe ſacrificauerit. 108.b
chriſtus nobis dedit claritatem quam ipſe accepit à patre, vt vnum ſimus cum ipſo, ſicut ipſe cum patre. 64 a
chriſtus per ſpiritum ſanctum membris influit. 86.d
chriſtus quomodo dicat euchariſtiam ſuam carnem. 68.b
chriſtus quomodo inſufflando dederit ſpiritum ſanctum. 115.d
chriſtus trifariam ſe obtulit. 108.b
Chryſoſtomi quædam verba quomodo ſane intelligenda ſint. 310.a
Claues regni cœlorum primo datas Petro, non eccleſiæ. 416.a
claues regni cœlorum quid denotent. 176.c
claues regni cœlorum ſoli Petro datæ ſunt, non omnibus apoſtolis. 178.c.222.c
Clemens Moguntinum archiepiſcopum exuit dignitate. 377.a
collatio actuum veteris teſtamenti cum nouo de eccleſia. 160.d
concertationis ſuper iure inueſtiturarum finis. 365.c
Concilia epiſcopalia ordinaria bina quotannis per ſingulas prouincias celebranda. 263.b
concilia celebranda non ſunt abſque conſenſu pontificis Rom. aut epiſcopi damnandi. 230.c
concilia nihil poſſe niſi in negocijs ad quæ conuocata ſunt. 445.a
concilia rectæ rationis inuentum. 394.c
concilia ſine autoritate capitis cuiuſmodi deſtituantur priuilegio. 254.b

concilia vniuerſalia non eſſe ex ſe regulam inobliqua-bilem, imò alia tali opus habere. 419.a
concilia vniuerſalia nō niſi apoſtolica autoritate conuocanda eſſe. 432.b
concilia vt ſe habeant ad ſupremam in ecc. autoritatem, & ſua cuiuſque diſtincta officia. 394.d
concilij Lateranenſis definitio. 47.c
concilij Nicæni cauſa quæ fuerit. 348.d
cōcilij primi & apoſtolici forma & occaſio quæ. 395.b
conciliorum actionem multo magis quā conuocationē dependere ab autoritate ſedis apoſtolicæ. 437.d
conciliorum eccleſiaſticorum origo quæ, & quidē in vniuerſum ex propria ſua ratione cōueniat. 393.b
conciliorū eccleſiaſticorum tria genera quæ. 400.c
conciliorum opus proprium quod. 394.c
conciliorum prouincialium autoritas quid requirat. 431.c
conciliorum prouincialium autoritatem excedentia quæ. 431.d
conciliorum vniuerſalium autoritas quanta. 424.d
conciliorum vniuerſalium autoritas quæ, qualis & quanta. 433.a
conciliorum vniuerſalium fructus & vtilitates 401.d
concilium hæreticorum tandem acta ſua retuliſſe ad apoſtolicæ ſedis iudicium. 265.d
concilium vniuerſale an repræſentet vniuerſalem eccleſiam. 413.d
concordiæ & vnitatis reparandæ & conſeruandæ in eccleſia ratio vnica. 388.b
confeſſio clancularia exacta & vſitata eſt ab initio eccleſiæ. 624.a
confeſſio clancularia ab antiquis pontificibus quod ſit ordinata. 126.d
confeſſio clara ſacrificij noſtri. 106.a.110.a
confeſſio Epheſinæ ſynodi de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia. 67.a
confeſſio fidei catholicæ eccleſiæ quæ. 228.c
confeſſio hæreticorum de Romana eccleſia. 266.d
confeſſio Neſtorij de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia. 67.d
confeſſionem clanculariam non inoleuiſſe ſolum poſt ſchiſma Nouatianorum. 625.d
confeſſionem clanculariam reuocatam in eccleſiam à Chryſoſtomo. 127.b
confeſſio vt ſit ſacramentum neceſſitatis. 118.c
confirmare acta definitioneſque ſynodales ad quem pertinere recognoſcitur. 445.a
confirmare baptizatos Epiſcoporum ſolum eſſe. 130.a
confirmationem electi principis pertinere ad Romanum pontificem. 372.a
confirmationes apoſtolicæ ſedis quāti fuerint momenti. 265.c
confitenda ſunt omnia peccata in quantum peccata 120.b
conſecrationis locorum & vaſorum vt fuerit vſus antiquiſſimus. 79.d
Conſtantinopolitana ſedes vt ſecundum locum obtinuerit in eccleſia. 345.c
Conſtantinus vt ſedem Romani imperij Petri ſucceſſoribus cederet, diuina prouidentia factum eſſe. 389.c
Conſtantinus imperator hæreticus Martinum perſequitur. 454 b
conſtantia diuino iudicio impeti poſſe, ſed vinci non poſſe. 278.b
contemptus autoritatis ſuperioris mortale peccatum 211.b
contentiones euitandæ ſunt contra hæreticos. 213.c
contritioni ſuæ tanquā ſufficienti nemo fidere debet. 118.a
controuerſias exortas cuius ſit determinare. 255.d
corpora defunctorum cur honorentur exequijs & ſepulturis. 69.b
corporis Chriſti communio qualem in nobis operetur vnionem tam cum ipſomet deo quàm cum proximo. 63.b
corporis Chriſti cōmunio quid in nobis operetur. 60.a
corporis Chriſti communione Chriſto vnimur. 58.c 62.c
corporis Chriſti eccleſiæ catholicæ fides. 53.a c.103.a
corporis eccleſiaſtici membra eſſe etiam laicos, etiā imperatores, reges & principes. 295.c
corpus Chriſti verbis cur conficitur. 61.b
corpus Chriſti verum ſumitur & ſanguis. 52.b
corpus Chriſti viuificat quomodo. 57.d
corpus eccleſiæ quibus nexibus colligetur. 263.c
correctio delinquentiū principum in eccleſia ad quē pertineat. 304.b
credendum cui ſit, an eccleſiæ approbanti, an Luthero improbanti. 78.a
cultus ſanctorum eorundemque reliquiarum qualis. 71.a.72.a

D.

Damaſi epiſtola de damnatione hæreticorum. 283.c
damaſi papæ reſcriptum ad Stephanum Archiepiſcopum concilij Mauritaniæ præſidentem. 429.a
damaſus Sabellium, Eunomium & Macedonium, cū ſectatoribus anathemati ſubdidit. 283.b
decimas dare diuini eſſe iuris. 326.b
decimas dare vt probetur eccleſiæ ſententijs. 326. c
decretum Adriani papæ, ne quis laicorum principum ſe ingerat electioni epiſcoporum. 360.b
decretum concilij ſub Symmacho papa. 359.a
decretum viij. Conſtantinopolitani vniuerſalis concilij. 360.b
decretum Pij papæ, quo vniuerſam eccleſiam obli-

gari voluit. 257.b
definitio Florentini concilij orthodoxa. 287.d
definitio orthodoxa Bonifacij de vnitate eccleſia. 378.d
depoſitum cuſtodire quid. 57.c
Deus ſingulariter aßiſtit eccleſia præſidibus. 218.a
differentia inter orationem & venerationem. 71.c
differentia inter poteſtatem ligandi, ſoluendi, dimittendi & retinendi peccata. 223.d
diffinitionem & iudicium certæ veritatis eſſe præſidium cathedra apoſtolica. 467.c
dilutio rationis aduerſariorum de æqualitate poteſtatis apoſtolorum. 172.d
diſciplina eccleſiaſtica quã nũc diſſolutum vigor. 282.a
diſpenſatio domus eccleſiaſtica cui credita ſit. 446.b
diſputatio de catholica Chriſti eccleſia, atque eius membris. 367.a
diſtinctio laicorum à Deo dicatis. 94.a
dominatio & principatus vti inter ſe differant. 335.b
dominatio vti interdicatur omnibus Chriſti diſcipulis. 335.b
diuiciæ vt nec bona ſint, nec mala, ſed earũ vſus. 315.c
diuitias non repugnare doctrinæ Chriſti de paupertate. 333.d
donatio Caroli Mag. facta Romanæ eccleſia. 391.c

E.

Eccleſia catholica vna. 2.a
eccleſia catholica quid ſentiat de viuorum ſuffragijs, an defunctis etiam proſint. 86.d
eccleſia Chriſti quæ. c.d.5.b
eccleſia catholica ætates, incrementa, progreſſusque. 2.b
eccleſia catholica ſe conformanti nil periculi eſt, etiamſi erret in fide. 39.b.246.a
eccleſia chriſtiana vnica cum veteri. 5.c
eccleſia dei conceſſa eſt à Chriſto ligandi ſoluendique poteſtas. 179.a
eccleſia fundatiſſima veritatis autoritas. 15.d
eccleſia nullam autoritatem competere ſupra eccleſiaſtica hierarchia principem. 406.d
eccleſiæ primitiuæ haud fuiſſe opus vllo externarum rerum ſplendore in eccleſiaſtica hierarchiæ præſide. 389.b
eccleſia Romana hoſtes vrgentur. 258.d
eccleſia vniuerſalis praconia quæ. 416.c
eccleſia vnius, vnum caput, vnus gubernator. 379.a
eccleſiã ab initio ſuſcepiſſe fidẽ Chriſti, quomodo. 18.c
eccleſiam dei vtroque gladio perſequi hæreticos. 350.b
eccleſiam nihil ſibi vſurpaſſe in quenquam indebitum, ſed vltro ſe ei ſubmittentes ad propriam ſalutem benigne ſuſcepiſſe. 369.d
eccleſiam vniuerſalem bifariam intelligi. 412.b
eccleſia quando ſine ruga erit. 88.b
eccleſia Romana vti primatum obtinuerit. 348.b
eccleſia vna, extra quam nulli ſalus. 378.d
eccleſia vt deſignetur per Hieruſalem. 93.a
efficacia autoritatis Romani pontificis quãta. 272.d
electio pontificum quomodo etiam à populo antiquitus pendebat. 358.c
electionem pontificis celebrantibus quænam ponderanda ſint. 263.a
electionem pontificum non ad imperiale, ſed ſacerdotale pertinere. 318.a
electores ad mandatum Clementis Ludouicum ſucceſſorem deligunt. 377.a
electores imperij recognoſcentes autoritatem pontificis Frederico ſucceſſorem eligunt. 375.a
electores imperij eligere, non ex delegatione vniuerſitatis multitudinis, ſed ex autoritate atque ordinatione eccleſiaſtica hierarchiæ præſidis. 297.a
electores ſtatim conueniunt ad mandatum Gregorij decimi denunciantis, niſi conuenirent, ſe prouiſurum imperio. 375.c
electoribus principibus ius & poteſtatẽ eligendi competere à ſede apoſtolica. 372.b
electum imperatorem, cum à ſede apoſtolica reprobata eſt electio, non ſe poſſe adminiſtrationi immittere. 386.a
Emanuel Conſtantinopolitanus imperator ab Alexandro tertio petit, vt ſua autoritate diuiſum autea Romanum imperium in vnum corpus reſtitueret. 371.b
epiſcopalem vnicum eſſe primumque gradum ordinis eccleſiaſtici. 142.b
epiſcopatum ſuũ vnde obtinuerit epiſcopus Conſtantinopolitanus. 446.b
epiſcopi & presbyteri vocabula non diſtinguentes, inuoluti ſunt difficultatibus. 139.c
epiſcoporum & presbyterorum diſcrimen ex veteri teſtamento. 134.a
epiſcoporum & presbyterorum differentia ex canonibus apoſtolicis. 137.a
epiſcoporum multitudo quàm ſit neceſſaria. 142.d
epiſcoporum iudicia apoſtolica ſedis autoritati reſeruata ab initio. 256.c
epiſcopos ordinandi forma. 262.d
epiſcopos non fuiſſe agnitos pro epiſcopis ab orthodoxo populo, niſi cõfirmatos à ſede apoſtolica 265.d
epiſtola B. Leonis ad concilium Chalcedonenſe. 441.c
epiſtola B. Leonis ad Epheſinam II. ſynodum. 440.a
epiſtolarum à Rom. pontificibus directarum quanta fuerit autoritas. 284.c
epiſtola ſynodalis ad B. Leonem pontificem. 443.b
epitheta ſummi præſulis quæ ſint. 316.b
Eraſmi imaginatio de confeſſione nullis argumentis fulta. 122.d

eraſmi de confeßione opinionis falſitas. 123.a
eraſmi ſententia de confeßione refutatio. 121.c
eraſmi ſententia impia de peccatorum confeßione. 120.c
eraſmus Roter. aperte communicans hæreticis damnatusque à ſede apoſtolica. 282.a
error aduerſariorum in nomine Felicis. 246.b
error dicentium nullum eſſe pontificum & ſacerdotum diſcrimen. 130.d
error Gratiani de Anaſtaſio. 249.a
Euangelia vt ſcripſerint Euangeliſta. 11.c
euangelijs quare credatur. 16.c
euangeliorum omnium autoritas nobis dependet ex autoritate eccleſia. 13.c.17.b
euangeliſtarum & apoſtolorum ſcripta quare acceſſerint prædicata fidei. 19.c
euangelium quid. 10.c
euangelium ſcriptum ſub nomine Petri quod. 14.d
euangelium vnicum. 10.c
euangelium vnicum ſi ſit, quatuor euãgelia vnde nobis ſcripta. 11.b
Euariſti epiſcopi epiſtola prædicant autoritatem apoſtolicæ ſedis. 255.d
eucharistiæ variæ proprietates vocabulorum. 60.b
eucharistia ſacrificium & oblatio. 53.c.60.c
exhortatio ad Chriſtianam concordiam. 387.c
exhortatio ſalubris omnes ordines ſibi concilians. 263.c
excommunicationem annuam paßus ipſo facto priuatur regno & imperio. 301.b
excommunicatur Henricus ob crimen ſacrilegij 363.c

E.

Fidei aßertio, & Lutherana perfidiæ impugnatio. 77.a
fidei indefectibilis priuilegium, non ſolum cathedræ, ſed multo magis Petri & ſucceßorum eius. 254.a
fides noſtra primum principium quod. 6.c
fidei orthodoxæ confeßionis tenor. 431.a
fides religionisque profectus ſemper abſque nouitate fuit. 37.d
fideles quo vinculo colligentur. 84.b
fides catholica eccleſia, de efficacia ſacrificij, & orationis ſacerdotis pro defunctis. 113.a
fides catholica eccleſia. 48.c
fides catholica quomodo agnoſcatur. 42.b.82.b
fides in ſuo capite nunquam peritura. 239.c.242.c.243.b
fides orthodoxa quoties conſeruata ſit in eccleſia, vnius apoſtolicæ ſedis autoritate. 460.d
fides quomodo poßit fundamentum eſſe eccleſia. 165.b
fides ſedis apoſtolicæ regula orthodoxæ fidei. 284.b
firmamentum à deo fixum & immobile ſedes apoſtolica. 429.b
forma ſynodalis proceßus & ſententia aduerſus Anthemium. 452.b

G.

GElaſium Henricus bello perſequitur. 364.c
Gelaſius Romanus pont. conſtanter tuetur autoritatem ſedis apoſtolicæ. 277.a
generalis ſynodus viij. 458.b
gladium vtrunque in poteſtate eſſe eccleſia atque rectoris eius. 379.a
gladius ſpiritalis quàm ſit metuendus. 320.b
gloria eccleſia quanta. 369.a
Guilielmi Traiectenſis epiſcopi pontificia in Imperatorẽ cenſura contẽptoris miſerabilis exitus. 300.b

H.

HAereſes cur oporteat eſſe. 34.d
hæreticorum confœderatorum calũnia. 465.c
hæreticorum omnium proprium quodnam ſit. 348.d
Henricus excommunicatus à Gregorio. 300.c
Henricus V. poſt reſignatum præ tenſum ius inueſtiturarum, idẽ perfidia ſacrilega rurſus extorſit. 362.b
Heraclius imperator regulã orthodoxæ fidei ſuſcipit. 253.c
hierarchia cœleſtium ſpirituum qua. 90.a
hierarchia eccleſiaſtica facies quàm fuerit decora. 264.a
hierarchiam eccleſia conſtitutã ſub vno capite. 339.d
Hieronymũ inuolutũ perplexitatibus ob nõ animaduerſam Epiſcopi & ſacerdotis communem appellationem voce presbyteri. 140.d
Hieronymus nullibi immutauit ſententiam ſuam de primatu Petri. 162.b
Hildebrandi Archidiaconi reſponſio nomine pontif. 362.a
hiſtoria ſynodi ſeptima concluſio. 458.b
hoſtes autoritatis ſedis apoſtolicæ confunduntur. 272.c
hoſtes eccleſia indigne indignati eandem ſibi ſubieciſſe reges & principes. 369.d
humilitas & pœnitentia Theodoſij Imperatoris. 299.c

I.

ICouomachorum furor ſub Leone imperatore. 457.c
imaginum ſacrarum duplex vtilitas. 75.c
imaginum ab ipſis apoſtolorum temporibus vſus fuit. 76.a

** 3 impe-

imperatores ex pontificum dependere iudicio. 383.d
imperatores omnem ſuam imperialem autoritatem vni debere Rom. eccleſiæ. 392.d
imperia, iudicia, inſtituta ad quem pertineant. 313.a
imperium Romanum Catholica eccleſia, iuxta Danielis vaticinium, ſibi ſubiectura erat. 368.c
incommoda huius vitæ vt nos Chriſtus docuerit. 333.d
indignatio imperatorũ, & libera põtificis conſtantia. 459.b
inobedientes ſummo pontifici ad eccleſiã catholicam non pertinere. 280.d
Innocentium quartum nihil egiſſe præter ſuum officium, quod Fredericum ſecundum damnauit & priuauit imperio. 374.b
Ioannis X I I. & Leonis illi ſubordinati hiſtoria. 360.c
irritum fuiſſe ſynodi decretum quod ipſum nõ probaſſet apoſtolicæ ſedis autoritas. 444.c
iudicium vnius apoſtolicæ ſedis certius, quã totius orbis concilij, illius autoritate ſecluſa. 399.d
Iulij I. ad congregatos in Antiochena ſynodo epiſtola. 424.c
iulij vnius iudicium & autoritatem ſequutum orbem vniuerſum, non ſynodi. 266.b
iura B. Petri quæ ſunt. 268.c
iuramenta tria quæ præſtantur ab imperatoribus. 373.c
ius ordinandi ſedem apoſtolicam ad quem pertineat. 357.b

L.

LApidem de monte abſciſſum ſine manibus, ſignificare catholicam Chriſti eccleſiam. 388.d
legati culpam in delegantem quodammodo tendere. 261.d
legati corrupti excommunicatis communicãt. 275.c
leges humanæ quaſuã condere poſſint pœnas. 330.c
legibus ferendis immenſam multitudinem non eſſe idoneam. 297.c
Leo ad Theodoſium imperatorem ſcribit. 427.c
leo à Romanis eiectus, Ottonis imperatoris armis reducitur. 360.d
leo imperator, velut ſententiæ apoſtolicæ ſedis exequutor, relegat damnatos. 274.c
leonis papæ ad Martianum epiſtola. 440.d
leonis papæ autoritas aduerſus Eutichetis perfidiam. 285.c
leonis papæ autoritas in Epheſino II. concilio. 439.d
leonis papæ de primatu Petri in eccleſia veriſſima aſſertio. 175.c
leonis papæ ſuper concilium Chalcedonenſe quàm libera autoritas. 445.a
leo papa vt appellatus ſit patriarcha œcumenicus. 346.c
leo tertius, tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ præſes Carolum Magnum Occidentis imperatorem pronunciat. 370.c
lepra animæ vt emundanda, iuxta formam veteris legis. 114.b
lex veritatis ſemper fuit in ore ſacerdotis, licet non in opere. 220.b
libellus ſupplex cleri Orientalis imperatori porrectus aduerſus hæreticos. 451.b
Lyberij ſcriptum ad Athanaſium & Alexandrinam ſynodum. 426.d
lyberius papa mendaciter damnatur hæreſeos. 245.b
ligata à ſede apoſtolica non poſſe reſolui ſentẽtia quorumlibet pontificum. 278.d
literæ ſupplices epiſcoporum & cleri Orientis ad Agapetum Romanum pontificem, contra Anthemium, Seuerum & Petrum. 270.b
Lucæ euangelium. 12.b
Ludouici Bauari tragœdia explicatur. 376.a
ludouici electionem in diſcordia recuſauit confirmare Ioannes XXII. 376.d
ludouici litera aduerſus proceſſus à Ioanne XXII. contra ſe habitos. 381.b
ludouicus à Clemente ſexto damnatur vt ſchiſmaticus ac hæreticus, & priuatur imperio. 378.d
Lutheri cõtra veritatem ſacrificij noſtri dogma. 104.c
lutheri impij ſententia de cultu diuino eiuſque cæremonijs. 72.a
lutheri impijſſimum dogma contra ritus eccleſiæ. 79.c
lutheri ſchola cuiuſmodi reduxerit inſaniam. 457.d
lutherus blaſphemus teſtatur ſacrificium noſtrũ nulli niſi ſumenti prodeſſe. 110.c

M.

MAchabæorum libri vt canonici ſint. 118.a
magiſtratus ciuiles humanæ rationis inuentum eſſe, tamen à Deo præcipi illis obediendum. 397.c
magiſtratus Chriſtianos neceſſario ſubeſſe præſidi eccleſiæ. 331.c
magiſtratus ciuiles ſubijci iudicio eccleſiæ præſidis. 319.d
Marcelli martyris atque pontificis epiſtola de referendis negocijs eccleſiaſticis ad ſedem apoſtolicam. 259.d
Marci euangelium. 11.d
Marſilij hæretici diſputationis vniuerſæ partitio. 289.a
marſilij hæretici quanta inconſtantia & impietas. 347.c
marſilij infidelitas in citandis ſanctorum ſententijs. 314.b

marſi-

marſilij principalis ratio excutitur. 296.b

marſilius hæreticus quid ſentiat de ciuilibus legibus. 331.b

marſilius Pataninus quo tēpore, qua cauſa, & qualiter ſcripſerit aduerſum autoritatem eccleſiaſticam. 288.b

Matthæus euangelium ſuum quibus conſcripſerit. 12.d

Mechtildis comitiſſæ donatio facta Rom. eccleſiæ. 391.d

Melchiſedec vmbra fuit præſentis ſacerdotij. 102.b

membra omnia eccleſiæ in ſuo quiſque officio ſuo ſubeſſe paſtori, rectori & capiti. 323.a

monothelica hæreſis origo, & primi aſſertores. 453.b

N.

NAturam Chriſti vtranque in vna perſona operari propria. 252.b

natura exemplum in homine. 395.a

neceſſarium eſſe omni homini ad ſalutem, ſubeſſe Ro. pontifici. 379.c

neceſſitas aut vtilitas vniuerſalis concilij vna. 399.d

neceſſitas ſingularis illius prærogatiua ſedis Apoſtolica. 420.b

negocia cuncta maiora eccleſiaſtica ab initio relata ad ſedem Petri. 259.d

negocium quid ſit. 318.b

nemo liber à peccatis. 239.a

Neſtorius vt fuerit damnatus à beato Celeſtino. 285.a

Niceni concilij decretum. 424.c

niceni concilij epiſtola ad beatum Syluestrum. 438.c

niceni concilij fuiſſe L X X. canones. 425 b

niceni primi vniuerſalis concilij, Conſtantini zelus cauſa extitit. 396.a

nicenum decretum circa epiſcoporum accuſationes. 428.a

Nicolai ad Michaelem imperatorem epiſtola. 459.c

normam cuiuſmodi præſcripſerit Beatus Leo concilio Chalcedonenſi. 441.b

norma patrum primitiuæ Eccleſiæ de quæſtionibus ad ſedem apoſtolicam deferendis. 422.a

noua legis à veteri differentia. 9.d

O.

OBedientiam qui, & in quibus debeant Cæſari. 310 b

obedientia ſimplex quomodo exhibenda ſit ſummo pontifici. 206.d

obedientiæ detractionem minantur hæretici. 267.a

obtulit ſemel ſeipſum Chriſtus. 106.d

obſeruatio præcipuorum feſtorum ſalutis noſtræ. 80.b

offerimus Chriſtum quotidie in eccleſia. 106.d

officium præſidis eccleſiaſticæ hierarchiæ quod. 467.a

officia principantis quænam ſint. 341.b

opera principantis quanta debeant eſſe charitatis. 318.b

ordines ſeptem ſub ſacerdotio qui. 101.b

ordo diaconatus ſacer eſt. 100.a

ordo & militia cœleſtium corporum. 89.c

oratores Ludouici cur in electione Adriani II. vocati non fuerint. 360.a

orthodoxæ fidei perpetua ſoliditas in Rom. eccleſia. 426.a

orthodoxæ eccleſiæ eadē eſt pro principatu Petri ſententia. 156.b

Ottonis Colonienſis archiepiſcopi nomine Henrici imperatoris cum Alexandro pontifice expoſtulatio. 362.a

P.

PAcis & vnitatis reſtituendæ & conſeruandæ in eccleſia via vera quæ ſit. 304.b

panem & vinum in corpus & ſanguinem mutare potens eſt verbum dei. 51.d

panis transformatur quomodo in corpus Chriſti. 54.d

papa vt ſit vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus. 346.d

paſchalis canon Niceni concilij. 427.c

paſcere populum quid ſit, & qui paſtores. 169.a

paſtori ouilis Chriſti omnes ſubeſſe, ſiue imperatores, ſiue reges, ſiue principes. 355.a

paternam autoritatem etiam inuiti agnoſcunt hæretici in Romano pontifice. 267.a

paupertatem per ſe nulli expetendam. 332.d

paupertatem ſimpliciter à nullo exigi. 332.d

paupertatem vt nos Chriſtus docuerit. 335.c

pax Chriſtiana eccleſiæ quanam requirat. 356.d

pax vt reddita eccleſiæ ſub Caliſto. 364.d

peccata ſuperiorum cuinam iudici committēda. 355.b

peccatores etiam communicant bonis eccleſiæ. 86.d

peccatores etiam membra ſunt eccleſiæ. 85.a

peccatores membra eccleſiæ manent quouſque ab ea præcidantur. 86.a

Pelagij Rom. pont. epiſtola ad epiſcopos in Conſtantinopolitano concilio increpatoria. 436.d

periculum monachorum tranſgredientium vota ſua. 81.a

perſecutio Conſtantini Leonis filij aduerſus orthodoxos.

peſtis duplex vitanda quæ ſit. 294.b

Petri à Chriſto obiurgatio à Chryſoſtomo aſſeritur. 159.b

Petri eadem obiurgatio ab Origene elucidatur. 160.a

petri à Chriſto obiurgatio principatum eccleſiæ ab eo non tollit. 158.d

petri à Paulo reprehenſionem non fuiſſe feriam, ꝑ lu-

rium teſtimonio comprobatur. 187.c
petri autoritas & decretum inuiolabile in cœlo & terra iudicium. 154.d
petri autoritatem & honorẽ vel inuiti in Roma.pont. veneriti ſunt haretici. 267.b
petri autoritatẽ in Romana eccleſia hareditario quodam iure perpetuo conſeruari. 192.b
petri cathedram quibuſdam rationibus in dubium vocant haretici. 191.b
Petri & Cepha vocum, myſterium. 146.d
petri & ſedis eius autoritas à cunctis primoribus eccleſia in dubijs conſulenda. 236.c
petri modeſtia & humilitas inter confratres non minuit eius in eccleſia principatum. 182.b
petri principatum in eccleſia primatum tenere comprobatur. 145.c
petri ſolius fuit ligare, ſoluere & retinere peccata. 223.d
petri ſolius pro ſeipſo hanc fuiſſe confeßionem: Tu es Chriſtus &c. 148.d
petro capiti eccleſia vniuerſalior quàm apoſtolis cateris ſeu eccleſia, data eſt ligandi ſoluendique poteſtas. 181.a
petro commiſſa ſunt vniuerſa Chriſti oues. 188.c
Petro conceßis plurimum Paulus. 186.c
petro credita ſunt claues regni cœlorum. 153.c
petro in faciem nõ reſtitit Paulus, ſed vni lxxij. diſcipulorum, vt affirmat Clemẽs Origenis praceptor. 187.a
petro vni & ſoli & ſucceßoribus oĩm data ligãdi ſoluendique poteſtas. 180.c
petrum Chriſti verbis caput eccleſia conſtitutũ, comprobat eius diſcipulus. 150.d
petrum & figuraſſe eccleſiam, & ipſum caput eſſe eccleſia. 157.d
petrum magis quàm ſe teſtatur Chriſtus eſſe eccleſia fundamentum. 160.d
petrum ſolũ ſpectare verba Chriſti: Beatus es Symon Bar Iona 148.c
petrus caput & petra ſuperadificãda eccleſia, ad quã non pertinet qui ab illo diuiſus eſt. 408.a
petrus cur circumciſionis, & Paulus cur gentium dictus ſit apoſtolus. 189 b
petrus eccleſia dei in ſe adificationem ſuſcepit. 152.a
petrus eſt caput eccleſia & eius vnitatis origo. 151.c
petrus fundamẽtum eſt eccleſia à Chriſto ſolidatum. 151.d
petrus fundamentum eccleſia dictus, pra cateris diuinitatis Chriſti veritatem percipere promeruit. 226.d
petrus Iacobum Hieroſolymorum epiſcopũ conſtituit. 185.b
petrus in confeßione Chriſti pro ſe vno reſpõdit. 157.d
petrus in ſuſceptione clauium iudiciariam ſuſcepit poteſtatem. 222.d
petrus miraculorum virtute etiam omnes apoſtolos excelluit. 184.b
petrus omnium gentium vocationi & cunctis eccleſia partibus prafectus. 154.b
petrus ſolus autor electionis Matthia in apoſtolum. 183.c
petrus ſuperadificanda eccleſia fundamentum & petra. 152.c
Phocam Caſarem nullam contuliſſe eccleſia autoritatem. 345.c
Pighij reſponſio contra hareticos. 465.c
Pipinus à Zacharia Romano pontifice Gallici regni ſceptra & titulos accepit. 377.d
piſcatorem elegit Chriſtus, non reges, quibus regni ſui curam committeret. 368.a
plenitudo poteſtatis eccleſiaſtica quibus competat. 355.b
Polycarpi ad Anicetum nomine Aſiaticorum epiſcoporum propter Pij decretum legatio. 257.d
pœnitentia Anatholij de illicito ambitu. 447.b
pœnitentia Carthaginen. eccleſia de iniuſta inobedientia erga ſedem apoſtolicam. 430.d
pœnitentia multorum qui in Epheſina Synodo praeuaricati fuerant. 440.c
pœnitentia publica imponenda & peragenda cur ſit. 124.d
pontifices hareſis notati. 244.d
pontifices Romani vnde ſuã habuerint autoritatem. 192.c
pontifici ſummo obtemperare tenemur. 220.d
pracipere vt ſit ſummi pontificis. 314.d
prapoſitis etiam diſcolis obediendum. 209.c
presbyter commune & genericum eſt nomen ſacerdotis & epiſcopi. 140.a
praſidens quando intelligendus eſt iniqua pracipere. 210.b
praſides eccleſiaſtica hierarchia in nos peccantes cui denunciandi ſint. 413.a
praſidis ac principis boni opus quod. 315.b
primatum eccleſia Petro, contendentibus de eo Apoſtolis, Chriſtum commiſiſſe. 167.a
primatum & curam eccleſia vni Petro Chriſtus aſcenſurus ad patrem commiſit. 167.c
primatus Petri in eccleſia oſtenditur à Chriſto per didragmatis ſolutionem. 166.a
princeps vt ſit miniſter ſeruorum dei. 318.d
principari vt debeãt in ſubiectos Chriſtiani rectores. 314.b
principatus cui fugiendus. 318.b
principatus & magiſtratus omnes qui in regno Chriſti ſunt ſubeſſe eiuſdem paſtori. 306.b
principes omnes in eccleſia vni ſuprema autoritati ſubeſſe. 304.d

princi-

principis aſſenſus quart olim in electione Romani pontificis requirebatur. 358.a
principium conſecrationis eccleſiarum. 80.a
principū noſtri ſeculi cum Theodoſio collatio. 320.c
priuilegium perſonale quod Henrico conceßit Calixtus. 365.b
priuilegium Romana eccleſia à Chriſto ſtabilitum. 192.b
priuilegia cathedra apoſtolica conſtituta diuinitus. 459.d
priuilegium ſedis apoſtolica quod. 254.b.260.a
priuilegium ſingulare ſedis apoſtolica. 455.c
priuilegij extorti à Paſchali per Henricū tenor. 362.d
priuilegij extorti reuocatio. 363.b
Pyrrhus ſimulata pœnitentia, ſua eccleſia reſtitui obtinuit. 454.a

Q.

QVadragenarij ieiunij inſtitutio. 80.c
querela Attici aduerſus Anaſtaſium legatum coram ſede apoſtolica. 262.a
querelas etiam tranſmarinas apoſtolica ſedis autoritate terminari conſueuiſſe ab initio. 256.a
quaſtio ingens orta ſuper fidem exemplarium Niceni concilij. 430.b
quaſtiones fidei & controuerſias vino aliquo terminari oportere iudicio. 466.d
quaſtiones maiores ad ſedem apoſtolicam deferendas, ſtatutum eſſe ab apoſtolis iußione ſaluatoris. 421.b
quaſtiones omnes fidei, & grauiora iudicia definiri autoritate vnius praſidis, ſed nō ſine ſacerdotali concilio. 398.b
quid faciendum in altercationibus exemplo Moyſi. 210.a
Qui non renunciat omnibus &c. ad omnem pertinere Chriſtianum. 334.b
quomodo intelligendum ſit illud Hieronymi dictum, quod exercitus imperatorem faciat. 384.d

R.

RAtio aduerſariorum aſſerentium aqualiter apoſtolos omnes autoritatem in eccleſia à Chriſto accepiſſe. 170.a
rationum, quibus Conſtant. Baſilienſeque conciliorū autoritatem tuentur, demonſtratur inefficacia. 417.b
rebus in dubijs eccleſia catholica quid ſemper conſuetum. 327.a
reconciliatio Conſtantinopolitani epiſcopi & eccleſia. 280.a
reconciliatur imperator eccleſia cum ſuis. 365.b
regale ſacerdotium quomodo intelligendum. 97.d
regnum Chriſti catholica eccleſia. 306.a
regnum Chriſti terrenum ex quibus conſtituatur. 322.d
regnum Chriſti vt eſt fidelium vniuerſitas: ita regnū eſt non Babylon. 367.d
regnū Iudaorum legitimo iure pertinuiſſe ad Machabai filios. 307.a
regula antiqua eccleſiaſtica de epiſcoporum accuſationibus. 482.b
religio Chriſtiana vt neminem priuet iure ſuo. 322.d
remißio peccatorum non ex nobis, ſed ex Deo eſt. 118.b
rerum externarū ſplendorem requiri in eccleſia principibus. 334.d
reſeruata qua ſint autoritati ſedis apoſtolica. 429.c
reuerentia quanta B. Leonis epiſtola excepta ſit. 442.c
Romana eccleſia quod à Chriſto obtinuerit primatū. 144.a
romana eccleſia autoritatem non eſſe nouam. 258.d
romana eccleſia autoritas ſingularis. 427.b
romani pontifices quomodo ſe à naſcentis eccleſia primordiis nunquam eccleſiaſtica hierarchia principes geſſerint. 254.d
romani pontificis autoritas recognita à Chalcedonenſi concilio. 443.b
romani pontificis autoritas quàm fuerit formidabilis Antiocheno epiſcopo. 287.b
romanus pontifex omnium paſtor & iudex. 269.c
Ruffinus quàm parum integre narret Nicenos canones. 425.b

S

SAcerdos eſt mediator. 111.a.219.b
ſacerdos gratiam ſufficientem accipit in ordinatione ſui ad digne expendendum talentum ſuſceptum. 218.c
ſacerdos orare debet pro populo. 111.a.219.b
ſacerdos plus quàm communis plebs fulcitur gratia. 220.a
ſacerdos poteſt dimittere peccata. 117.b
ſacerdotale concilium neceſſario autoritati praſidis adhibitum, ſed quale. 398.d
ſacerdotali iudicio lex pracipit obediri. 216.d. 217.c
ſacerdotalis officij eſt docere populum. 219.d.220.a
ſacerdotem promoueri à deo, ſed ordinari ab hominibus. 132.b
ſacerdotes ſuos non magis oneraſſe Chriſtum paupertate, quàm reges & principes. 336.c
ſacerdotibus gentilibus ſingularem ſemper exhibitū honorem. 326.d

ſacer-

ſacerdotibus in Chriſti eccleſia quidnam debeatur. 425.c
ſacerdotium Chriſtianorum bipartitum. 339.d
ſacerdotium Chriſtianum à Petro magis quàm à Chriſto ad nos deriuatum. 161.b
ſacerdotum & epiſcoporum ordinationem eandem ab apoſtolorum temporibus huc uſq; ſeruatam. 132.d
ſacrum ordinem ſemper viguiſſe in eccleſia Chriſti. 143 b
ſacramenta non ſunt reiteranda etiam ſuſcepta ab hereticis & ſchiſmaticis. 249.b
ſacramento baptiſmi communicamus meritis paſſionis Chriſti. 107.d
ſacramentorum efficaciam non cauſat miniſter. 87 d
ſacramentum cur panis & non caro appareat. 55.a
ſanctio Caroli & Ludouici de epiſcoporum electione. 359.c
ſanctio Ludouici de Rom. pontificis electione 359.d
ſancti quare ſint honorandi. 75.a
ſanctorum effigies quare habeantur. 75.c
ſanguis Chriſti precium redemptionis. 53.d
ſcriptura ſacra locos omnes deprauaſſe hereticos. 150.a
ſcripturas facile applicari impia cuiuis ſententia. 305.b
ſecuris apoſtolica qua ſit. 316 a
ſedes apoſtolica vt toti ſemper orbi orthodoxa fidei & vindicem ſe exhibuerit & magiſtram. 283.a
ſedis apoſt. lica autoritas quàm fuerit libera. 262.b
ſedis apoſtolica autoritas vt ſemper praualuerit. 431 b
ſedium principalium in eccleſia ordo quis. 348.c
ſententiam ſedis apoſtolica ab VIII. vniuerſali Conſtantinopol. concilio comprobatam. 461.c
ſententia pontificis in Concilio generali 346.b
ſeruum ſeruorum dei vt ſe vocarit D. Gregorius. 346.c
Siluerius deportatus in exilium. 272.a
Siricius Iouinianum damnauit & complices. 284 b
ſolutio argumentorum aduerſus largitionem clauium regni cœlorum Petro à Chriſto datam. 178.a
ſpiritus qui viuificat, caro non prodeſt quicquã, quid ſit. 55.a
ſtatutum apoſtolicum quod. 424.d
Stephani archiepiſcopi epiſtola ad B. Damaſum. 428.c
ſtephanus petente id Pipino, Carolum & Carolomannum eius filios apoſtolica autoritate in reges conſecrat. 390.d
ſtephanus II. contra Aiſtulphum, ditionem eccleſia occupantem, Pipini Francorum regis implorauit auxilium. 390.c
Symmachi conſularis ad Auguſtos oratio quæ 324.d
ſynodalia acta ad B. Leonis iudicium remittuntur. 443.a
ſynodi Antiochena ordinationes confirmare Iulius recuſat. 266.b
Synodi illegitima autores damnati, pœnitẽtia libellos offerunt Romano pontifici. 269.c
ſynodi octaua cauſa explicatur. 458.c
ſynodum vnamquamque confirmari & cuſtodiri vna apoſtolica ſedis autoritate. 446.a
ſynodum vnamquamque confirmari autoritate ſedis apoſtolica. 278.c
ſynodus Epheſina autoritatẽ Celeſtini ſequuta. 285.b
ſynodus vniuerſalis ſecundo indicitur apud Lateranum. 363.d

T.

TAbernaculum vetus vt praſagium eccleſia ſancta fuerit. 94.c
teſtamentum quid. 110.b
Theodoſij religioſiſſimi imperatoris exẽplum. 299.b
traditio eccleſiaſtica qualis. 16.b.24.b
traditionis eccleſiaſtica & ſcripturarum par autoritas in veritatis certitudine. 17.d
traditionis eccleſiaſtica ſententiam in quo ſit perſpicere. 407.c
traditionis eccleſiaſtica vniuerſalem magis eſſe autoritatem quàm ſcripturarum. 18.b
tribunal in eccleſia ſummum, quod de omnibus iudicans, nullius quàm dei iudicio ſubditur. 277.c

V.

VAlentiniani imperatoris teſtimonium de electione Pontificis. 358.b
vaticinium Eſaia de catholica Chriſti eccleſia. 368.d
verba Chriſti ad Pilatum: Non haberes in me poteſtatem &c. quomodo intelligenda ſint. 311.d
verbum eſſe nullum in ſcripturis quod proprie loquatur de concilijs vniuerſalibus. 417.a
veritas euangelica vt lateat ſub veteri lege. 115.a
veritatem eluceſcere in iudicio ſedis apoſtolica. 460.a
veritatis orthodoxa aſſertio aduerſus Marſilij ſententiam. 294.d
vltio diuina in Leonem imperatorem. 457.c
vicarius Chriſti vnicus quibus ſit. 316. d
Victoris iuſſu per diuerſas prouincias celebrata concilia conueniſſe in apoſtolica ſedis ſententiam. 258.a
victoris Papa epiſtola de deferendis appellationibus ad ſedem apoſtolicam. 259.b
vindictam facere in nationibus cuius ſit. 3.6.a

vita mo-

vita monaſtica cur inſtituta. 80.a
Vnitas epiſcopatus Petri qua ſit in catholica eccleſia. 264.c
vnitas eccleſiæ conſiſtit in vnitate ſacerdotij. 98.c
vnitas eccleſiæ ſemper indiuiſa conſiſtit. 88.d
vnitas & connexio eccleſiæ ad ſuum paſtorem quàm ſit neceſſaria. 411.a
Vota monaſtica vt Lutherus impurus improbet. 81.c
vota monaſtica vt ſint approbata ab eccleſia. 80.d
Vualdenſes Arrij dogma reſuſcitarunt. 130.b

Z.

Zacharias pontifex Francos abſoluit à iuramento fidelitatis, quo Hilderico aſtricti fuerant. 386.c
zelum quemnam habere debeant principes Chriſtiani, pro nominis Chriſti gloria. 330.a
Zeno imperator confirmationem Ioannis electi Alexandrini apud Simplicium fruſtra impedire conatus eſt. 375.b

FINIS INDICIS.

HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE, VEL DE SACRO ECCLESIAE PRINcipatu.

LIBER PRIMVS.

Catholica Eccleſia quænam ſit,& qui ad eam pertineant

CAPVT I.

A TRACTATVRI de catholica eccleſia,eius autoritate & Hierarchia,
hoc eſt,ſacro illo principatu,quo eam inſtituit ordinauitque Chriſtus,prius,quęnā ea ſit,
definire oportunū eſt,
atq; inde,quod quæritur,conandum inueſtigare & eruere.Quādoquidem in omni re tractanda,à definitione
eius,de quo propoſita quæſtio eſt,ordimur
auſpicatiſsimè.Noſſe enim ante omnia id oportet,vt veriſsimè inquit Plato,aut prorſus
ſine ſcopo aberrabit oratio.Nec verò adeo
obuium hoc ac planum eſſe,docet vetus inter Chriſtianos cōtrouerſia,quæ quoties per
ſchiſmata ac hæreſes exagitata eſt eccleſia,
enituit.Nam cum ea ſit,& ſemper fuerit omnium Chriſti nomen profitentium indubitata fides,vnicam eſſe Chriſti eccleſiam,ex-
B tra quam nulli ſalus eſt,adeo vt hoc ipſum
omnes planè profiteamur in ſymbolo Nicænæ fidei(de cuius vnitate,& in quo conſiſtat,
poſt agemus prolixius & enucleatius) neceſſe eſt,& ſchiſmaticos & hæreticos ab initio
ſemper contendiſſe & credidiſſe,apud ſe eſſe
veram eccleſiam Chriſti:niſi non errore deceptos,ſed aperta malitia,ſcientes,volenteſq́;
abijſſe in præceps voluerimus,quod veriſimile non eſt.Certè Irenęus & Tertullianus temporibus ſuis,ita ſibi perſuaſiſſe hæreticos &
ſchiſmaticos,teſtes ſunt,vt orthodoxā & catholicam eccleſiam ipſi contra deputarent hęreticam & ſciſmaticam.Sic olim,inquit Cyprianus,Nouatianus ſimiarum more(quæ cū
homines non ſint,homines imitantur)catholicæ eccleſiæ autoritatem ſibi voluit vendicare.Et cum ipſe in eccleſia non eſſet,ſed cōtra
eccleſiam rebellis hoc vnum ſibi vendicabat,
quod cæteros faciens hæreticos,apud ſe eſſe
eccleſiam,defendere præſumeret.Sic contra Donatiſtas diuus Auguſtinus:Controuerſia hæc,inquit,inter nos eſt,vbi vera ſit eccleſia Chriſti,apud vos,an apud nos.Ita & his
noſtris turbulentiſsimis ſanè deploratiſsimiſq́; temporibus,quò quiſq; inſanit apertius & ab orthodoxa fide,& catholica eccleſia C
fœdiori lapſu longiuſq́; recedit,eò intolerabilius in orthodoxam eccleſiā Chriſti debacchatur,ſibiq́; perſuadet,ſolum ſe in eadem regnare.Sic Luthero,& qui eius amentiæ conſortes ſunt,orthodoxa & catholica chriſti eccleſia,papiſtica,antichriſtiana & ſathanica nominatur.

Cypria. in epiſtola aduerſus Nouatianum.

Auguſt.

Quare operæprecium facturi ſumus,ſi ita
eccleſiam chriſti definiuerimus,vt clarè perſpicueq́; pateat cuiq;,quænam ea ſit,& qui ad
eandem pertineant.Nam vna hac veluti machina,vno ictu vniuerſa hæc,quæ nunc orthodoxam eccleſiam inſeſtat ac perſequitur,
hæreticorum ſchiſmaticorumq́; phalāx arietata,& è Chriſti eccleſia eiecta,palamq́; ſecluſa,inermis,inefficax,humiq́; proſtrata videbitur:vt quæ non niſi ſub amicitiæ ſpecie & D
ouina pelle nocere poteſt,& ſuum virus diffundere.

Matth.7.

Vt itaq; euidens faciamus,quænā ſit Chriſti eccleſia,ab ipſa nominis notione exordiēdum eſt.Eccleſia itaq; Latinè multitudinem,
cœtum aut cōuētum ſignificat,Græca enim
vox eſt.Multitudinem,inquam,nō qualemcunq;,ſed conuenientem,& conciliatam in
vnam aliquam ſocietatem.Et quamuis variæ
formæ ſint humanarū ſocietatum,vt ob cauſas fineſq́; diuerſos in vnum conueniunt cōcilianturq́; homines,& ſecundum ſuam formam,ſua cuiq; impoſita conueniens nomenclatura.Vt inter ſe conueniunt homines ad
finem ſupernaturalem aſſequendum,in fide
cultuq́; Dei,ac religione & ſpe ſalutis inde
adipiſcendę,eiuſmodi hominum ſocietati eccleſiæ vocabulum appropriatum eſſe,in ſcripturis eccleſiaſticiſq́; ſcriptoribus planè intelligimus.Sed quoniam & vera eſt & falſa
de Deo fides,vera falſaq́; religio,veri Dei,falſorumq́; deorum cultus,hic ſtatim in duo è
diametro ſe ſecat eccleſia,videlicet in eccle-

Eccleſia quid.

ſiam ſanctam, quæ rectam de Deo fidem ſer-
A uat, vera religione verum Deum colit & ado
rat, & ab eo ſalutem ſuam expectat: & in eam,
quæ dicta omnia non habet ſyncera ac recta,
ſed vel in omnibus, vel in aliquo eorum aber
rat. Quod tametſi infinitis contingat modis,
vno tamen nomine vniuerſam illam ſignifi-
camus & comprehendimus, nempe per eccle-
ſiam Sathanę, qui in vniuerſa illa, tametſi mul
tiplici & multiformi, ac inter ſe pungnanti re
gnat & imperat, & ſeruos captiuóſq; tenet
vniuerſos, qui aberrant à ſancta Dei eccleſia.
2. Tim. 2. Hanc eccleſiam impiorum & malignantium
Pſal. 25. ſubinde etiam nominant ſacrę literæ. Quem
admodum & illam ſanctam & orthodoxam,
nonnunquàm ſimpliciter ac ſine addito, ec-
cleſiam. Vocantur & hæ duę ciuitates magnę,
figuratæ in duabus illis ciuitatibus, quarum
Gen. 4. alteram ædificauit Abel, alteram Cain, de qui
bus Auguſt. prolixè, & toto opere illo, quod
inſcripſit de ciuitate Dei. Quarum vtraq;, tan
quàm corpus quoddam creſcit vſq; ad con-
ſummationem ſeculi.

Ad ſanctæ verò Dei eccleſiæ certiorem cla
rioremq; notitiam quò perueniamus, hoc
primum de ea præfari conuenit, quod & vna
Vna catholica eccleſia. eſt & catholica, vt de ea profitemur in ſymbo
B lo Nicenę fidei. Vna, inquã, & vniuerſalis, nul
lo certo loco, nulla regione aut patria, nulla
gente, natione, aut populo, nullo deniq; tem
pore concluſa, circumſcripta aut determina-
ta. Sed generaliter extendens palmites ſuos
in orbem vniuerſum, in tempora quælibet
C pręterita, pręſentia & futura, ſecundum ſe-
riem ſucceſsionis naſcentium, & decedenti-
um, continuata ſub vno duce inuiſibili Deo,
in vnitate, vt dictum eſt, fidei & religionis.
Totius enim humani generis autor & crea-
Ephe. 4. Gene. 3. tor Deus, eidem lapſo in Adam, & homini-
bus omnibus æqualem ſe exhibuit, omni-
bus parans remedium & redemptorem, qui
recta fide in ipſum tenderent. Vt qui teſtãte
1. Tim. 2. id Apoſtolo, vult omnes ſaluos fieri, nec di-
ſtinctionem facit Iudæi & Gręci. Neq; enim
Rom. 10. perſonarum acceptio eſt apud Deum, ſed in
Acto. 10. omni gente & loco, inquit Petrus, qui timet
Deum, is acceptus eſt illi.

Aetates, incrementa, progreſſusq; catholicæ eccleſiæ. Huius itaq; eccleſię ſi ortum, ætates, incre-
menta, progreſſumq; diligenter perſiculateq;
extenderimus, perueniemus ad eius, quam
quærimus, Chriſtianę eccleſię diſtinctam, cer
Gene. 3. tamq; notitiam. Cœpit autem ab ipſo mundi
exordio in Adam & Eua, primis noſtris parẽ-
tibus. Qui cum poſt diuini mandati præuari-
cationem vnà cũ poſteritate ſua vniuerſa ciui
tate illa cœleſti extorres facti, & paradiſo vo-
luptatis in hanc vallem lachrymarum ac miſe
riæ eiecti, diaboli ſe noſq; mancipia, & vtriq;
morti feciſsẽt obnoxios, à miſericordiſsimo C
tamen Deo ſpem venię acceperunt in ſangui
ne mediatoris Dei & hominum Chriſti, agni
immaculati, pro ſalute humani generis offe- 1. Tim. 2.
rendi. In cuius fidei proteſtationem, etiam ab
ipſa mũdi origine agnus ab eis immolatus le
gitur. Nam cum infinita ſua bonitate ab ęter-
no ita diſpoſuiſſet Deus rationalem naturam
cõdere, quam ſuę bonitatis, beatitudiniſq; fa
ceret participem, & cœleſtem quãdam Hieru Gene. 4.
ſalẽ ædificare, in qua regnaret filius ille ſuus,
Deus & homo, angelicamq; & humanam iam
creaſſet naturã, vt futuros illius regni ciues,
vtq; præordinato tempore, ex radice Ieſſe & A
ſemine Dauid, ille rex ęternę glorię, in vtero Eſa. 11.
pręelectę ſibi virginis matris, humanã naturã
aſſumeret: non eſt credibile hoc ignoraſſe
Adã, quem creauerat Deus perfectę ętatis vi-
rum, omni rerum intelligentia perfectaq; co Gene. 2.
gnitione, omni deniq; ſapiẽtia inſtructum, &
quã ob cauſam ipſe creatus eſſet ſtirps huma-
ni generis, non cognouiſſe, tametſi id expreſ-
ſe non habeat ſcriptura. Certè, diuina illa ma
ledictio aduerſus illum callidum ſerpentem, Ibid. 3.
hoc eſt, Luciferum, humani generis hoſtem,
matris noſtræ deceptorem ſatis indicat, parẽ-
tibus illis noſtris ignotum nõ fuiſſe, quod ex D
ſua poſteritate ac ſemine naſciturus eſſet, qui
ipſos atq; adeo humanum genus è diaboli ca
ptiuitate redimeret. Quia enim feciſti hanc
rem, inquit diabolo in ſerpentis forma, ſerpẽ
tis conditiones habebis. Vt enim prę cunctis Ibidem.
animantibus is eſt abominabilis homini &
exoſus, ita & tu ſuper omnia creata maledi- E
ctus & odioſus eris. Pectore ſuper terrã gra-
dieris, & terram comedes cunctis diebus vitę
tuę, hoc eſt, tota mente ac intentione ad mali
tiam ac peccatum intendes, abſq; vlla ſpe aut
emendę, aut venię. Hoc enim eſt cunctis die-
bus, cœlo ſemper extorris, neq; ad cœleſtia
vnquàm aſpirabit cogitatio tua, ſed cum ter
renis, immundis ſceleratiſq; hominibus erit
conuerſatio tua, eorumq; iniquitate, velut ci
bo paſceris. Inimicitias ponam inter te & mu
lierem, & ſemen tuum, & ſemẽ illius. Per mu-
lierem hoc loco Chriſti matrem indubiè in-
tellexit, cœleſtis illius regni prælectam regi-
nam, quæ nobis peperit ſaluatorem, per quẽ
ille princeps huius mundi eiectus eſt foras.
Per ſemẽ verò ſerpentis aut Luciferi, omnes Iohan. 12.
complices eius, malignos ſpiritus, quos ſecũ
vnà pertraxit ille auerſos à Deo in perditio-
nem, & interitum ſempiternum: ſed & homi
nes ipſum ſua ſponte ſecuturos. Et ipſa, in-
quit, conteret caput tuum, virtutem tuam,
poteſtatem tuam, quam in homines exerces Luc. 10.
&

A & exercebis,infirmabit,collidet, & ad nihi-
lum rediget,& aduerſus venenoſum illum tu
um afflatum, quo vniuerſum humanum ge-
nus infeciſti,antidotum pariet, illum fructū
ventris ſui ſuperbenedictum. Et tu inſidiabe
ris calcaneo eius,quamuis proſtratus,quāuis
contritus,non ceſſabis tamen maligna tua vō
luntate nocere,etſi minus poſsis contra eam,
aut ſemen eius præualere. Si non audebis à-
Matth.24. perto Marte inſurgere & congredi,inſidiabe
ris tamen eius calcaneo,venenum tuum ſuf-
fundendo,qua parte poteris, per pſeudochri
Marc.13. 2.Cor.11. ſtos,pſeudoprophetas,pſeudoapoſtolos,mi-
niſtroſq; tuos. Ex his,inquam,à Deo dictis ad
Luciferum, qui ſe transformauerat in ſerpen
tem illum,atq; ea,quam indubiè habuerant,
ſuæ conditionis cognitione,nihil dubitandū
eſt intellexiſſe parentes illos noſtros illum
Rom.1. Deum hominem,regem gloriæ cœleſtiſq; il-
lius regni præordinatum ab æterno,prędeſti
natum etiam fuiſſe reparatorem collapſæ na-
turæ,& humani generis redemptorē. In qua
fide nihil dubitabant pręuaricationis ſuę pœ
nitentiam fore ſalutarem,& ſe reſtitutum iri
illi,vnde exciderant,cœleſti ciuitati. Eandem
hanc fidem etiam filios poſteroſq; ſuos do-
cuiſſe nihil dubitandum eſt,quam & victimis
hoſtijſq; oblatis Deo ſignificarunt & profeſsi
ſunt,ad agnum illum immaculatum reſpiciē-
B tes,qui ſuo ſanguine deleturus erat peccata
mundi,& chirographum illud ſcripti aduer-
Iohan.1. ſum nos decreti. In qua fide, qui conuenerūt
Coloſſ.2. patres ab Adam ad Noë,primam catholicę no
ſtræ eccleſię ætatem, ortum, & (vt ſic dicam)
infantiam conſtituerunt,nullis alioqui ſym-
bolis aut ſenſibilibus ſignis(quod legitur)ab
impijs aut eccleſia Sathanæ diſtincti,nullis pe
culiaribus legibus conſtricti,nulla autoritate
diuinitus ordinata gubernati,nullis prophe-
tijs aut clarioribus reuelatiōibus illuminati,
ſed dimiſsi in manibus conſilij ſui, vt quiſq;
ſine æmulo aut vindice ſequi poſſet, quod
Gen.6. ſibi in oculis ſuis factum videretur. Ita factū
eſt,vt paulò longius progreſsis ab ipſo exor-
dio & initio mira ſui & Dei irrepſerat in oēs
obliuio. Omnis quippe caro corruperat viā
ſuam ſuper terram,ita vt Deum pœnituiſſe di
cat ſcriptura,quòd feciſſet hominem,ſtatuiſ-
ſeq; delere, quem creauerat,à facie terræ, ab
vno Noë inuenta gratia apud Deum,quem ſo
lum cum tribus filijs eorūq; vxoribus ac ſuaj,
hoc eſt,octo omninò animas ab aquis diluuij
ſeruatos in arca, vt ſeminarium relinquere-
tur & ſtirps humani generis,eadem ſcriptura
commemorat.

Quo tempore vides quàm puſilla & modi
ca fuerit hæc noſtra catholica Dei eccleſia,vt
non immeritò infantiam eius eouſq; ſe extē-
diſſe poſsimus intelligere. Nam inter tres o- C
mninò filios illos Noë etiam infamis ille &
impius Cam erat,quem ad Sathanæ, non Dei
pertinuiſſe eccleſiā, ſatis indicat & ſacra ipſa
atq; etiam Beroſi hiſtoria. Nam ad omnem Gen.9.
impietatem ac ſuperſtitionem declinaſſe il-
lum teſtantur.

A Noë deinceps poſt diluuium multiplica- Gen.11.
to hominum genere & creſcēte Dei eccleſia,
ad Abraham vſq; initium pueritiæ eius nume
rare poſſumus. Quæ adhuc bruta ſatis fuit &
non longè ab infantia recedēs, niſi corporeo
quodam incremēto ac robore membrorum,
rationis lumine paulò admodum plus ſe
exerente.

At ab Abraham ad Moyſen vſq; pueritiæ
finem & adoleſcentiæ initium. Nam ſub Abra
ham non paulò plus luminis & illuſtrationis
accepit,quem vnum ex omnibus,qui tum vi-
uebant, electum, ex cuius ſemine humanam
naturam aſſumere naſcique dignaretur Deus, Gene.12.13.
etiam familiari ſuo frequentique colloquio 15.17.&c.
dignum habuit,eductumque è terra ſua,è co-
gnatione & domo patris ſui in terram, quam
ipſi ſeminique eius daturum ſe promiſit,ſpe
ciali fœdere ſibi ſociauit,pactumq; inijt cum
ipſo & ſemine eius fœderis ſempiterni,vt eſ-
ſet ipſorum Deus. Vtque in ſemine eius be-
nedictionem ac ſalutem acciperent vniuerſæ D
cognationes terræ. Hunc primum cum fa-
milia & cum ſemine ſuo ſenſibili ſignaculo
ſegregauit Deus, non ab eccleſia impiorum
ac Sathanæ,ſed & à reliqua catholica eccleſia
ſua vniuerſa. Quam eo tempore longè late-
que diffuſam,& non in vnam Abrahæ domū
coarctatam,clarè indicat ſcriptura Geneſios.
Quæ & in domo Nachor fratris eius in Meſo Gen.24.
potamia,vnde filio ſuo Iſaac Rebeccam acci-
uit vxorem,& in domo Loth Deo fidelis ac-
ceptique,viguiſſe fidem cultumque veri Dei,
atteſtatur. Sed & Melchiſedech,regem Salem
ſacerdotem Dei altiſsimi, eiuſque benedi-
ctionem ad Abraham commemorat. Quod ſi
rex Salem,ſacerdos erat Dei altiſsimi,nec po
pulum cui is imperabat,alienum fuiſſe à vera
Dei fide cultuque,dubitari non poteſt. Quin
& Abimelech, regem Geraræ Palæſtinorum
cum ſuis,item & filios Heth, veri Dei cogni-
tionem, fidemque habuiſſe, nec à catholica
Dei eccleſia fuiſſe alienos, haud obſcurè ea-
dem ſcriptura ſubindicat. Sed & S. Iob hic Iob 1.
poſſem meminiſſe,non Iſraëlitę,ſed Idumęi.
Qui (vt Origenes, & poſt illum Auguſtinus
ſupputant) quinta generatione quàm Abra-
ham, & tertia quàm Iob poſterior extitit,
quem Deo ſingulariter placuiſſe, eiuſque

ecclesiæ membrum fuiſſe non vulgare, toties
A teſtantur ſacræ literæ. Poſſem quoque & Ma-
gorum, quos gentiles non Iudæos, nato no-
Matth. 2. uiter ſaluatore, ab Oriente myſticis cum mu-
neribus ad eundem adorandum index ſtella
exciuit & produxit, quos à veri Dei fide, cul-
tuque non alienos, neque antè naſcituri, &
tunc nati ſaluatoris mundi, prorſus fuiſſe
ignaros, myſtica illa, quæ ſecum attulerunt,
Ibidem. munera atteſtantur, vnà cum euangelica hi-
ſtoria. Quę omnia eò pertinẽt, ne in Abrahã,
per illud circumciſionis ſignaculum catholi-
ca Dei eccleſia ſenſibili illo ſigno diſtincta
fuiſſe credatur ab eccleſia impiorum & Satha
nę: aut ſolus ille cum ſuo ſemine, excluſis cę-
teris nationibus & gentibus, pertinuiſſe ad
Dei eccleſiam, vt hoc malè crediderũt craſſi
carnaleſque Iudęi, qui vniuerſos non ſuę na
tionis execrabantur vt immundos & impios,
alienoſq; à Dei eccleſia. Ita enim contra pro-
feſsionem Nicenæ fidei, vna catholica ac vni-
uerſalis non fuiſſet eccleſia, ſed vnius tantum
familiæ aut populi. Quin potius ex vniuerſa
ſua eccleſia, vnum elegit Abraham, & ſemen
eius, in peculiarem ſibi populum, ex quo
naſci vellet, vt in illo paulatim inciperet eru-
dire, ac pedetentim magis magiſque illumi-
nare eccleſiam ſuam vniuerſam. In vno illo
B populo, veluti præludio quodam adumbra-
turus, & effigiaturus, qualem ipſe in terras
deſcendens, ędificaturus eſſet eccleſiam ſuam
1. Cor. 10. vniuerſam. Nam vniuerſum illius populi ſta-
tum, & quæcunque in illo operatus eſt Deus,
adumbrationem quandam fuiſſe eorum, quę
in Chriſto & eius catholica eccleſia enitue-
runt, toties clamant & inculcant apoſtolicæ
literæ.

In Abraham ergo & Patriarchis, ad Moy-
ſen vſque finem cœpiſſe ſecundam catholi-
cæ eccleſiæ ætatem eiuſque pueritiam (vt
de eccleſia humano more loquamur) cœpiſ-
ſeque iam adoleſcere, multiplicato ſemine
Iſraël ſub ſeruitute Aegyptiaca in multa cen-
tena millia, haud incongruenter intelle-
xerimus.

Exod. 1. A Moyſe verò egreſſuq; filiorum Iſrael ex
Aegypto, in tot mirabilibus, tot portentis,
Exod. 12. primum per mare rubrum, deinde per deſer-
tum, itinere tot annorum, tam laborioſo, tot
tentationibus pleno, tot manſionibus diſtin-
cto, tot regibus deuictis, tot hoſtibus cæſis,
tot bellis confectis, vſq; dum introducti im-
plantatique eſſent in terram promiſsionis,
adoleſcentiam catholicæ eccleſiæ non incon-
uenienter accipiemus. Ea enim ætate incepit
ſe exerere rationis lumen, quemadmodum
& tunc eccleſia per Moyſen longè plus lucis,
fidei accepit. De prioribus enim illis patribus,
atque adeò Abraham, Iſaac & Iacob loquens C
dominus Moyſi: Nomen, inquit, meum tetra- Exod. 6.
grammaton non indicaui illis, ſignificans ſe
illud Moyſi præ illis indicaſſe. Cui & loque-
batur facie ad faciem, & quemadmodum lo-
qui ſolet homo ad amicum ſuum. Sed & ado- Exod. 20.
leſcentiæ adhibentur pędagogi, præceptores
& magiſtri. Itaq; & huic eccleſię ętati primum
adhibuit Deus pędagogum legem, ad coër-
cendas tranſgreſsiones, & ad Chriſtum eiuſ-
que eccleſiam, cęremoniarum vmbris multi-
plicibuſq; figuris ſignificandum ac docendũ.
Ordinato mirabili illo veteri tabernaculo,
cum ſacerdotio ſuo, ſacrificijs, cęremonijs, ri-
tibuſq; vniuerſis, quibus veritatẽ ipſam, quæ
ſub Chriſto, & per Chriſtum enituit, præcur-
rendo adumbrauit, hominumq; mentes ad
eandem facilius recipiendam diſpoſuit. Non
enim erat lux tanta, niſi præexercitatis & iam
pauliſper aſſuetis oculis ſubito offundenda,
alioqui repentino tanti fulgoris obiectu per-
ſtrictura, non illuminatura acies humana-
rum mentium. Non poterant ab initio inten-
dere filij Iſraël in apertam reuelatamque fa-
ciem Moyſi, hoc eſt, in nudam claramque ve- Exod. 34.
ritatem eorum, quæ per Moyſen figuris illis
ſignificabantur. Sed neceſſe habebat velare fa-
ciem ſuam, quoties à conſpectu & colloquio D
domini prodibat ad populum. Legem itaque
pędagogum noſtrum, hoc eſt, catholicæ eccle
ſiæ fuiſſe in Chriſto Ieſu, non ſine cauſa te-
ſtatur Apoſtolus. Et rurſus: Dico, inquit, quã- Galat. 4.
to tempore hæres paruulus eſt, nihil differt
à ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub
tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfini-
tum tempus à patre. Quod cum adueniſſet, Matt. 27.
iam nudus de crucis patibulo coruſcabat e-
uangelium, iam illud velum veteris templi
diſciſſum eſt, iam eius abdita & recondita pa-
tuerunt.

Adoleſcentia autem in iuuentutem tranſit,
vt tandem perueniat ad ętatem perfectam.
In qua tametſi longè plus vigeat rationis lu-
men, à pædagogi tamen cura, præcepto-
rum exactorumque autoritate nondum exi-
mitur.

Ab inducto itaq; implantatoq; per Ioſue &
ſequentes iudices in terrã promiſsionis Iſrae
litico populo, per reges prophetaſq; ad pleni
tudinem vſq; temporis perfectamq; ętatem,
& ſaluatoris noſtri aduentum iuuentutem
catholicę eccleſiæ rectè videbimur extende-
re. Eo enim tempore, quamuis à pędagogi cu
ra nondum exempta, plurimas clariſsimaſq;
de Chriſto eiuſque eccleſia & regno vniuer-
ſiſque noſtræ fidei myſterijs, per Dauid,
Eſaiam,

Eſaiam, reliquoſque prophetas reuelatio-
A nes accepit.
Galat. 4. At vbi venit, inquit Apoſtolus, plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum ex muliere, natum ſub lege, vt eos qui ſub legẽ erant, redimeret. Lex ergo, vt diximus, pędagogi tantum defuncta officio, neminem ad perfectum adduxerat, nullum iuſtificauerat, nullum ſaluauerat.
Hebr. 7. Quandoquidem & qui ſub lege erant, redemptore, ſaluatore, iuſtificatoreq́; adhuc opus habebant, Chriſto, inquam, Ieſu, in quem pendebant patriarcharum omnium vota, & prophetarum oracula, & veteris illius tabernaculi, legiſque ritus & cæremoniæ, omnibus gentibus benedictione ac ſalute in illo repromiſſa & exhibita. Fundator itaque & ſanctificator eccleſię, tunc
Pſal. 86. natus eſt in ea, iuxta regis prophetæ vaticinium. Nam in Sion, inquit, gloria dicetur paſſim apud omnes, altiſsimus ille qui condidit ac fundauit eam, natus eſt in ea. Hic altiſsimus ille, altiſsimi Dei filius, qui ab initio vna cum Deo patre ſuo iuſtitiæ gratiam operatus eſt, non tantum in illis veteris legis cultoribus, ſed in omnibus hominibus, pia in ipſum fide credentibus, & redemptorem ipſum ex-
Hebr. 1. pectantibus. Prius eccleſiæ ſuę locutus in patribus & prophetis, nouiſsimè in ſua ipſius
B perſona ipſam inuiſere dignatus, tanquam vnus ex nobis, atque adeo frater noſter effectus, velamen illud ſuper faciem Moyſi poſitum abſtulit, & claram euangelicæ veritatis lucem in veteri illa lege vni Iſraeli datæ, eiuſque cæremonijs ac ritibus, veluti cortice quodam obtectam & incluſam, palàm & ex æquo toti mundo vniuerſæque eccleſiæ ſuę manifeſtauit. Quam completis noſtrę redem-
Coloſſ. 2. ptionis myſterijs, perſolutiſque veteris Adæ peccatorum debitis, deletoque chirographo illo, quod aduerſus nos erat, crucique affixo, reuerſus ad patrem, Apoſtolorum ſuorum miniſterio ex omni, quę ſub cœlo eſt, gente, natione, populo, talem ſibi congregauit, conſtruxit & ordinauit, qualem in illa veteri ſynagoga, tabernaculoq́; ac ſacerdotio delineauerat ac adumbrauerat. Nam omnia illa figuram fuiſſe noſtræ eccleſiæ, toties inculcat Apoſtolus.
Eccleſia Chriſtiana. Hæc eſt illa, quam inueſtigamus, catholica noſtra, apoſtolicaque Chriſti eccleſia. Quæ tametſi à Chriſto tum primum incœpiſſe, & apoſtolorum ſuorum miniſterio ex Hieruſalem in vniuerſum orbem propagata, ac proinde noua quædam & à veteri illa catholica Dei eccleſia diſtincta videri poſſit, noua lege, nouo ſacerdotio, nouis ſacramentis acceptis & veteribus illis abrogatis omnibus, præſertim cum idem ipſe eius fundator, nobiſcum in
mortali carne adhuc agens quaſi nondum ędificatam, ædificaturum ſe ſuper deſignatam il- C
lam petram promiſerit: vnam tamen catholicam eccleſiam profitemur, in quęlibet loca & tempora ſuos palmites extendentem, & ab ipſa origine mundi, ſecundum ſeriem ſucceſſionis naſcentium & decedentium, ad ſeculi vſq; conſummationem cõtinuatam, ſub vno duce inuiſibili Deo in fidei & religionis vnitate. Matth. 16. Vnitas Chriſtianæ eccleſia cũ veteri.
Itaque non eſt alia Chriſtiana eccleſia, ab illa veteri, ſed & hęc & illa, veluti vna quędam ciuitas magna fundata eſt ſuper fundamentum prophetarum & apoſtolorum chriſtum, Rom. 1.
quem patres expectauerunt, prophetæ prędixerunt, apoſtoli adueniſſe prædicauerunt. Ioannes verò demonſtrauit præſentem, verum Ioan. 1.
illum agnum eſſe ſignificans, in cuius ſanguinis virtute ab initio dimiſſa eſſent peccata mũdi, videlicet alludens ad vetera illa ſacrificia, quibus ab ipſo mundi exordio, patres ſuam fidẽ in redẽptorem noſtrę q́; redemptionis modum proteſtabantur. Vna igitur eſt eccleſia Ephe. 2.
Chriſti cum illa veteri, vtramq; connectente illo angulari lapide. Eãdem tamen & nouam eſſe, & à Chriſto cœpiſſe ædificari, & apoſtolorum miniſterio ab Hieruſalem in vniuerſum orbem propagatam, nihilo minus cũ ſanctis patribus confitemur. Quandoquidem imple- D
tis euacuatiſq́; iam veteris illius tabernaculi vmbris ac figuris, nouo quodam habitu ornatuq́; prodijt, noua promiſſæ olim, nũc autem impletæ, atq; adeo exhibitæ veritatis luce illuſtrata. Eundem quidem cum prioribus fidei ac vitæ ſpiritum, ſed abundantiori menſura accipiens, quo corda timida ſubito transformata ſunt & imbuta cœleſti mirabiliq́; virtute. Qui & noua quædam admirandaq́; operatus eſt in linguis nouis, in prodigijs & ſignis, in ſacramentis nouis, in doctrina noua euangelica, per quam gratia & veritas annunciata eſt omnibus per Chriſtum Ieſum, ſublata maceriè, qua diuiſi fuerant Iudæi à gẽtibus, ęquatiſq́; in Chriſto abſq; vlla diſtinctione omnibus, Domine Deus virtutum, inquit diuinus Pſal. 79.
ille Pſaltes, conuertere ad nos, reſpice de cœlo & vide ac viſita vineam iſtam, & perfice eã, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi. Vinea domini Sabaoth, domus Iſrael eſt, ad quam tunc Deus virtutum conuerſus eſt, cum in ſuo filio eandem viſitare dignatus eſt. Virtutum, inquam, Deus, cuius nuſquàm mirabilior potentia apparuit, nunquàm maiores magiſque ſtupendas virtutes operatus eſt, quàm cum verbum eius caro fieret. Tum quoq; ille vir- Ioan. 1.
tutum Deus, infinitæ clementię ſuæ vultum

ad nos conuertit,& faciem atque adeo imaginem
A ſuam viuam ad nos tranſmiſit pijſsimo benigniſsimoque miſericordiæ ſuæ oculo nos reſpexit, vidit & viſitauit, viſitauit vineam ſuam, tametſi illa viſitationis ſuæ tempus non cognoſceret. Viſitauit, inquam, atq; perfecit, quam exterminauerat ſylueſtris aper,& fera in agro depaſta erat. Non ergo eradicata priori, nouam vineam plantauit Chriſtus, ſed reſectis palmitibus areſcentibus, atque eidem trūco inſertis nouis, malè multatis agri
Luc.10. colis malis, hoc eſt, Iudæorum rabinis, ſacerdotibus & pontificibus, qui vnigenitum Dei filium, vniuerſorum hæredem occiderūt, eandem locauit agricolis alijs, hoc eſt, apoſtolis, apoſtoliciſque viris, epiſcopis & presbyteris, ſub quibus dilatata in vniuerſum orbem, diligenterque exculta, fructum vberrimum fe-
Rom.11. cit. Non enim, inquit Apoſtolus, repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit, ſed gētilem populum, veluti oleaſtrum, illi inſeruit, tanquam oliuæ bonæ. Qui particeps factus pinguedinis radicis illius, veteribus illis ramis ſere areſcentibus,& fractis, vberrimè latiſsimeque excreuit.

Vetus eſt ergo Chriſti eccleſia, & quodam
Pſal.21.79. modo noua à Chriſto per Apoſtolos ſumens exordium, & ad terminos vſque orbis & ſe-
B culi propaganda. Eadem cum priori & quodammodo diuerſa, propria videlicet forma ſua diſtincta ac deliniata, vnde & apoſtolica ſimul & catholica rectè prædicatur. De cuius vnitate, forma & hierarchia, qua à ſuo illo autore ac fundatore Apoſtolorum ordinata eſt miniſterio, priuſquàm agere aggrediamur, ante ſtabilienda ſunt futuræ demonſtrationis principia. Ita enim expeditamagis, dilucidiorque erit ſubſequens noſtra diſputatio. Quandoquidem, quæ hactenus certa indubitataque fuerunt, nunc fere in dubium & controuerſiam reuocantur vniuerſa.

Ex quibus principijs certò demonſtrari poſsit, uerum eſſe aliquid, & indubitatò tenendum, in fide & religione Chriſtiana. Cap. II.

DVo hæc eſſe omninò principia, ex quibus demonſtrari poſsit, quid credere & obſeruare debeamus in fide religioneque Chriſtiana, nempe canonicam ſcripturam, & ſine ſcripto eccleſiaſticam traditionem, demonſtrare iam aggrediemur. Quorum alterū auferre ac eripere nobis conantes hæretici, ipſam videlicet traditionem eccleſiaſticam, adeo confuſa, dubia, incertaque reddunt omnia, vt nec ipſa illis conſtare poſsit ſcripturæ autoritas. Et in media caligine, denſiſsimiſque tenebris
C Andabatarum more verſantes, etiam nobis conantur verum orthodoxæ fidei lumen extinguere, propter quos aliquanto altius exordiendum eſt.

Religionem, fidemque Chriſtianam ad ſupernaturalem hominis finem ſpectare, & propterea rationis naturalis lumen excedere, ſed à lumine ſupernaturali dependere, nobis omnibus in confeſſo eſt, ab ipſo, inquam, Deo reuelante & teſtificante. De quo communi quadam conceptione animi, hoc ſemper crediderunt omnes homines,& fidelem eſſe, & veracem, tametſi in veri Dei cognitione aberrauerit mortalium pars multo maxima. Diuinæ ergo infallibilique veritati innititur fides noſtra & religio. Diuinæ, inquam, veritati, quæ ſuum hominibus finem, ad quem conditi ſumus, & media, quibus ad eundem pertingeremus (cum ad vtrunque per ſe infirma eſſet natura) reuelare, & ordinare dignata eſt.

Hoc eſt primum noſtræ fidei religioniſq; *Primum noſtræ fidei principium.*
principium certum & infallibile. Diuina, inquam, veritas, nec falli potens, nec fallere. Ad
Gen.1. quam reducere oportet, quicquid certò creditur ad fidem religionemque noſtram neceſſariò pertinere.

Quod ſi omnes vocem audiremus, nobis
D intus aut extra loquentis Dei, & docentis neceſſaria cognitu credituque omnia, certique eſſemus Deum eſſe, qui intus nobis loqueretur aut extra, nihil vtiq; hęſitaremus Deo teſtificāti credere, ex illa generali, quam diximus, de Deo prænotione & axiomate. Nec incideret fidelibus vlla aut ambiguitas, aut controuerſia, quid ad fidem, religionemq; noſtram certò pertinere, neceſſariò eſſet tenendum. Nempe omne & ſolum illud, quod certò nobis conſtaret reuelatum à Deo.

Sed quoniam non ita per ſeipſum, nobis omnibus loquitur Deus, docetq; quę nos credere vult neceſſaria omnia, & multę frequenter in eccleſia de hoc ambiguitati ac fluctuationi, noſtræque huius inquiſitioni locus factus eſt. Interim tamen ab illo noſtræ fidei religioniſque primo principio, non recedemus latum digitum, diuina, inquam, reuelatione, ad quam neceſſariò reducendum eſt, quicquid ad fidem religionemq; noſtram certò pertinere, credi oportet. In qua tamen reductione ad ipſius fidei noſtræ meritum ac profectum, difficultatem nonnullam ineſſe voluit diuina prouidentia, vt nonnihil ad fidem pius cooperaretur affectus. Nam Deo ita nobis palàm loquenti, teſtificantique omnino non poſſemus non credere, illa ſemel,

mel,quam diximus, communi de eius certa
A infallibiliq́; veritate prænotione recepta.Nul
lę enim in eo iam eſſent partes arbitrij noſtri,
ſed quemadmodum etiam dæmones credũt,
Iacob.2. & neceſſariò credunt & contremiſcunt.Tho
mæ poſt Chriſti mortem & reſurrectionem,
nolenti credere condiſcipulis teſtificantibus
ſe vidiſſe viuentem dominum, niſi ſuis ipſe
oculis inſpexiſſet,& manibus pertractaſſet fi-
xuras clauorum ipſius,incredulitati eius oc-
currens ac ſatisfaciens pius dominus,eidem-
que apparens in aliorum præſentia condiſci-
pulorum: Inſer, inquit, digitum tuum huc,
& vide manus meas, & adfer manum tuam &
Ioan.20. mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus,
ſed fidelis. Vides vt ex arbitrio & voluntate
noſtra quadantenus pendeat fides noſtra &
credulitas? Noli, inquit, eſſe incredulus, ſed
fidelis eſſe velis. Id enim neceſſariò ſubau-
Ibidem. diendum eſt. Credenti deinde, ac dominum
Deumq́ue confitenti, quia, inquit, vidiſti
me Thoma, credidiſti. Quid deinde? nun-
quid propterea illum beatum pronunciauit,
quemadmodum ante Simonem credentem,
clareq́ue confitentem eum, quem carne mor
tali obtectum viderat, eſſe viuentis Dei fi-
Matth.16. lium? minimè omnium. Quorum igitur fi-
dem beatitudinis præmio remuneratione-
q́ue dignam cenſuit? Beati,inquit,qui non vi
derunt & crediderunt, quaſi diceret: Tu
B quidem credis,ſed quia vidiſti, quia palpaſti,
nihil magnum facis.Sed illi demum beati e-
runt, illorum fides digna remuneratione
& præmio, qui non videntes in me credi-
turi ſunt.

Sed vnde tandem nobis,qui nihil vidimus,
qui nunquam audiuimus loquentem domi-
num, quibus nihil reuelatum eſt, certò con-
ſtare poterit reuelatum aliquid à Deo tan-
Heb.1. quam certa fide tenendum? Multifariam, in-
quit Apoſtolus, multiſq́ue modis, olim Deus
locutus eſt in patribus & in prophetis,nouiſ-
ſimè verò diebus iſtis locutus eſt nobis in fi-
Gen.1. lio.Ex ſcriptura Geneſios,autore teſteq́; Moy
ſe,intelligimus,& mundi & hominis creatio
nem,& ad quid hic conditus fuerit, quo eti-
am pacto ab illo fœlici,in quo creatus erat,ſta
tu & à regno illo fœlicitatis ſupernæ, præua-
ricatione ſua exciderit cùm poſteritate ſua
vniuerſa, & præcipitatus in hanc lachryma-
rum vallem,miſerijs conditionis humanæ; &
vtrique morti ſit factus obnoxius. Iuſto qui-
1.Tim. 2. dem iudicio Dei,ſpe tamen veniæ accepta, in
Ioan.1. fide mediatoris Dei & hominum,præordina-
to tempore ex ſemine ſuo naſcituri, & in vir-
tute ſanguinis illius agni immaculati,qui ab-
laturus erat peccata mundi. Quæ vniuerſa pri
mos illos parentes noſtros ſuos filios docuiſ-
ſe,& fidem, cultum, timoremq́ue Dei, cum C
ſpe certa veniæ, & remiſsionis præuaricatio-
num ſuarum,& cœleſtis illius regni, ad quod
facti erant,& vnde ſe noſq́ue præcipitauerãt,
aſſequendi,etiam ſenſibilibus quibuſdam ſi-
gnis, oblationibus & ſacrificijs ad id ſignifi-
candum, & conteſtandum inſtitutis, ex ea-
dem ſcriptura ſatis intelligimus. Quæ ita con
tinua ſerie traditionis, à pijs parentibus de-
ſcendiſſe in filios,ad Noë,Abraham,ad ipſum Gen.5.6.
vſque Moyſen, eidem ſcripturæ indubitatò
credimus. Quæ & ſpecialis reuelationis di-
uinæ multis in medio patribus, Enoch,Noë,
Abrahæ,cæteriſq́; patriarchis ſępe factæ com
meminit, extendens eouſque ab initio con-
tinua ſucceſsionis ſerie, ſtirpem humani ge-
neris,& deinceps perſcribens vniuerſam ve-
teris illius populi,quæ ſub ipſo eius duce,le-
giſlatore & hiſtoriographo contigit, hiſto-
riam.Quibus mirabilibus ac portentis edu- Exod.8.
ctus ſit ex Aegypto,& digito Dei ſcriptam le
gem acceperit,vnà cum veteri illo tabernacu-
lo mirabiliter conſtructo & ordinato. Quo
noſtra adumbrata præfigurataque eſt eccle-
ſia.Poſt Moyſen verò,quæ illi populo conti-
gerunt,quæ inſuper iam iam aduẽtante Chri Exo.31.
ſto,de eius aduentu redemptioneque per il- Exod.25.
lum totius humani generis, & nouę eccleſiæ
ſtatu, nouiq́ue regni Meſsiæ,veluti è propin-
quo eidem clarius reuelata ſunt, in libris Io- D
ſue, Iudicum, Regnorum, Paralipomenon,
Eſaię, Hieremiæ, Ezechielis, Danielis,pro-
phetarum duodecim, reliquiſq́ue,qui ad ve-
teris inſtrumenti canonem pertinent, libris
legimus.Itaque ab ipſo mundi exordio, quæ
à Deo cum humano genere facta geſtaque
ſunt,illis ter mille ſeptingẽtis circiter annis,
omnium antiquiſsimam habemus Moyſi ſcri
pturam, quo nemo ethnicorum ſcriptorum
extat vetuſtior.

Sed hic iam interrogare tempeſtiuum eſt
iſtos, qui abrogata ſemel eccleſiaſticæ tradi-
tionis autoritate,omnem quæſtionem & con
trouerſiam nunc ad ſcripturas prouocant,
vnde nobis certum eſt, hæc eſſe Moyſi ſcri-
pta,quæ ſub eius nomine legimus, vt qui au-
tographa eius nunquam vidimus? Et ſi vide-
remus,quis certos redderet Moyſi tam mul-
tis ſeculis mortui,ea ſcripta manu? Deinde vt
hoc nobis conſtaret, quis ſecuros reddidit,
vera eſſe quæ ille ſcribit omnia? verè ſibi ap-
paruiſſe Deum, & ex ipſius ore ac iuſſu ſcri-
pſiſſe egiſſeque ea vniuerſa? vnde hæc apud Vnde apud
nos ſcriptis eius indubia fides & autoritas? nos conſtet ſcripturarum
Idem de prophetarum libris reliquiſq́; vete- autoritas.
ris teſtamenti ſcripturis interrogari poteſt.

 Quam

A Quam nobis quæſtionem ſi explicare potuerint ſcripturarij iſti (libet enim nouo nomine noua hæc portenta appellare) & ſcripturæ autoritatem ſine eccleſiaſticę traditionis autoritate defendere ac ſtatuere, age herbam illis porrigemus.

Si dicant etiam, Chriſtum perhibuiſſe Moyſi legi & prophetis veritatis teſtimonium, interrogabo rurſus, vnde conſtet nobis hæc eſſe, quę legimus Moyſi & prophetarum ſcripta & oracula, etiam vt ex Chriſti teſtimonio certò conſtaret, illos fideles veraceſq; fuiſſe? Vnde inſuper hoc tibi certum eſt, quod Moyſi legi & prophetis Chriſtus veritatis perhibuerit teſtimonium, qui prędicantem Chriſtum nec vidiſti, nec audiſti? Ex euangelijs, inquies, apoſtolicíſque literis. Sed iam relabimur in eundem circulum. Nam de euangeliis rurſus pergam interrogare, quî ſciant hęc eſſe Matthæi, Marci, Lucę, Ioannis, quę ſub illorum nomine legimus, vt qui autographa eorum nunquam viderint, & ſi viderint, non agnoſcerent, & vt certò agnoſcerent, quis certos reddidit vera eſſe, certaque quę ſcribunt omnia de Chriſto (præſertim Marcus & Lucas) quę nunquam viderant, ſed crediderunt narrantibus alijs? Idem interrogari poteſt de

Lucæ 1.

B Matthęo & Ioanne, quibus tametſi in hoc credamus, quod dictis actíſque Chriſti interfuerunt, non tamen omnibus, quę ſcripſérunt, potuerunt etiam & labi memoria, & mentiri, vt omnis homo falli poteſt & fallere. Si diuino illos ſpiritu afflatos dicas ſcripſiſſe ſua euangelia, nihil magis explicas. Nam hoc vnum quęritur, vnde nobis certum ſit, diuino ſpiritu afflatos illos ſcripſiſſe ſua euangelia: vnde inſuper hęc quę leguntur, illorum eſſe germana, non falſata, non ſubditia. Nunquam ſanè poterunt, quoquo ſe verterint, quomodocunque ſe torſerint, ſeruare ac defendere ſacrarum ſcripturarum autoritatem, niſi ex autoritate traditiõis eccleſiaſticę. Nos certè regulam nullam habemus aliam ad internoſcendum, quę ſcripturę diuinam autoritatem habeant, illíque infallibili veritati prorſus innitantur, quę nobis ſint ac eſſe debeant canonicæ, quàm teſtimonium eccleſiæ intellectæ ſecundum ſucceſsionem ab initio patrum & epiſcoporum ad hæc vſque tempora. Nullam habuerunt aliam ab initio orthodoxi patres noſtri, Dionyſius, Clemens, Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Tertullianus. Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Hilarius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, cæteríque orthodoxi vniuerſi, quàm ipſam communem ſanctorum omnium patrum profeſsionem, communem ſenſum, ſecundum ſuorum temporum ſucceſsiones, C magna concordia veritati ſcripturæ ſacrę reddentium teſtimonium. Ex quo communi cõſenſu ipſius eccleſiæ, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, ab initio ſic teſtificantis, indubitatum fideleq́ue colligimus teſtimonium.

2.Pet.1.

1.Tim.3.

De canonicis ſcripturis teſtamenti veteris.

Quod vt paulò explicemus clarius & illuſtrius. Scripſit Moyſes Pentateuchum. Cuius tam certa & indubia erat veracitas illi tot centenorum millium, cui præerat, ſynagogæ veteriq; illi populo, & quod ex ore Dei ea protulerit, geſſerit, ſcripſeritq́; omnia, vt omnes illi viderent & audirent ad ipſum loquentem dominum, qui ſuæ præſentiæ tot portentis, tot ſignis, tot mirabilibus, indubiam ipſis fidem faciebat. Iam nunc veniam, inquit Moyſi, ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Rurſus illo aſcendente in montem, vt legem & tabulas acciperet digito Dei ſcriptas, palàm apparebat dominus aſcendentibus cum illo ſeptuaginta ſenioribus, qui viderunt, inquit ſcriptura, Deum Iſael. Et iterum: Cum egrederetur Moyſes ad tabernaculum, ſurgebat, inquit, vniuerſa plebs, & ſtabat vnuſquique in oſtio papilionis ſui, reſpiciebantq; tergũ Moyſi, donec ingrederetur D tentorium. Ingreſſo autem illo tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturq́ue dominus cum Moyſe, cernentibus vniuerſis, &c. Stabantq́ue ipſi & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. Loquebatur autem dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. Et rurſus: Ego, inquit, inibo pactum, videntibus cunctis ſigna faciam, quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iſte, in cuius ès medio, opus domini terribile, quod facturus ſum. Vidit præterea vniuerſus ille populus redeuntis Moyſi à conſortio loquentis ſibi domini cornutam faciem, atque ita reſplendentem, vt in eam non poſſent intendere. Ex quibus ſanè omnibus manifeſtum eſt, quàm fuerit notum, quàm conteſtatum illi veteri populo ac ſynagogæ, in cuius medio erat Moyſes, vt ex ore domini & edixerit & geſſerit & ſcripſerit ea vniuerſa. Et qua certitudinis claritate ea à tanta populi multitudine primum recepta fuerunt, à parentibus in filios continuæ ſucceſsionis longa ſerie, ſed æquali certitudine perueniſſe, in admonitoria quadam ad populum oratione, ita orditur diuinus ille Pſaltes: Attendite popule meus legem meam, inclinate

Exod.19.

Exod.24.

Exod.33.

Exod.34.

aurem

aurem veſtram in verba oris mei. Aperiam ad
A
parabolas os meum, loquar propoſitiones ab
Pſal. 77.
initio. Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis. Non ſunt occultata à filijs eorum in generatiõe altera. Narrantes laudes domini, & virtutes, & mirabilia eius quæ fecit. Conſtituit enim fœdus cum Iacob, & legem Iſraeli tulit, de qua mandauit patribus noſtris, notam facere eam filijs ſuis, vt poſteri filij, qui naſcituri & orituri erant, & cognoſcerent, & filijs ſuis exponerent. Poſt annos mille quingentos
Ioan. 9.
poſt Moyſen dicebant apud Ioannem ſcribæ & phariſei illi cæco à natiuitate, qui viſum receperat à Chriſto: Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus vnde ſit. Scimus, inquiunt, quia Moyſi locutus eſt Deus. Magna fidei certitudo. Certè vniuerſam ab ea, quę ſub Moyſe erat ad Chriſtum vſque, ſibi continua ſerie ſuccedentem ſynagogam eandem fidei certitudinem habuiſſe de ſcriptis Moyſi, ex poſterorum teſtimonijs euidenter cognoſcimus, Ioſue, Samuelis, Dauidis, Eſaiæ, Hieremię, Ezechielis, cæterorumque prophetarum & pontificum, protracta ſucceſsionis ſerie ad tempora vſque Chriſti. Ex quorum ſcripturis in-
B
telligimus planè, antiquum illum populum, & Dei eccleſiam poſt Moyſen ſemper crediſſe, docuiſſe, prædicaſſe, vt vera, vt indubitata, quæcunque in ſuo volumine ille poſteris legenda ſeruandaque commendauerat. A
Auguſt.
Moyſe, inquit Auguſtinus, magna diligentia ſuccedẽtium ſibi ſacerdotum, in ſynagoga ac templo integrè ſeruabatur canon veteris ſcripturæ ac teſtamenti, idque ex ipſius Moyſi or-
Deut. 31.
dinatione & præcepto. Ita enim legimus in Deuteronomio: Poſtquam ſcripſit Moyſes verba legis huius in volumine, & compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis domini, dicens: Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis domini Dei veſtri. Sic & Ioſue poſt Moyſen, o-
2. Petri 1.
mnia verba, quæ ad populum locutus eſt dominus, ſcripſit in volumine legis domini. Quemadmodum legitur Ioſue vltimo. Ita & cæteri ſecundum ſucceſsionis ſeriem prophetici viri, quæ diuino afflati ſpiritu ſcripſerunt volumina, ſub certo indubitatoq; eius quæ tunc erat ſynagogę teſtimonio, fideque publica recepta ſuccedentium ſibi diligentia ſacerdotum, conſeruata ſunt ſyncera & germana, etiam autographis ipſis reconditis, vnà cum libris Moyſi in arca latere. Quæ tametſi Babylonico illo incendio tradant perijſſe omnia, eodem tamen, quo ſcripta erant ſpiritu, ab Eſdra ſacerdote pòſt reſtituta ſunt. Itaque diuina prouidentia ac
C
diligentia ſibi ab illo ad Chriſtum vſque ſuccedentium ſacerdotum, & à Chriſto ad nos continua ſerie ſibi ſuccedentis eccleſiæ, ſyncera integraque peruenerunt. In quo & hoc diuinæ prouidentiæ benignitatique ferimus acceptum, quod etiam hoſtes & inimicos noſtros Iudæos certæ fidei, integritatiſq; ſcripturarum noſtrarum teſtes habemus. Qui per vniuerſas gentes diſperſi, & diuinæ legis prophetarumq; codices proferentes, teſtimonio nobis ſunt, veteris teſtamenti canonicas ſcripturas integras apud nos haberi & conſeruari, quas tanta quidem diligentia illi ſeruant & cuſtodiunt, vt ſingula penè verba, quoties quodque eorum in vniuerſo veteris inſtrumenti canone contineatur, in numerato habeant. Sed nobis ſeruant, non ſi-
Rom. 11.
bi, niſi ad iudicium & condemnationem. Dedit enim illis Deus, inquit Apoſtolus, ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant, vſque in hodiernum diem, factaq; eſt menſa eorum coram ipſis in laqueum, in ſcandalum & in retributionẽ illis. Seruant itaq; illi diligenter fideliterq; ſcripturas, ſed nobis non ſibi. Nec tamen propter illos ſcripturis credimus, ſed ex eccleſię te-
Augu. in epi. ad Vincen.
ſtimonio. Siquidem tot linguarum literis, in-
D
quit Auguſtinus, & ordine ac ſucceſsione celebrationis eccleſiaſticæ cuſtodita, certiſſima fide peruenit ad nos. Libenter tamen etiam ab his, qui foris ſunt, etiam ab hoſtibus & inimicis noſtris, contra ipſos accipimus teſtimonium.

Sed hæc de veteris inſtrumenti canone, vnde apud nos conſtet eius indubia ac ſacroſancta fides & autoritas. Quam ex nullo alio, quàm vna eccleſiaſticę traditionis autoritate quiſquam nobis defendere ac ſtatuere poterit. Quæ quidem autoritas traditionis eccleſiaſticę in fide, religioneque Chriſtiana longè plus ſibi vendicat, quàm in illa ſynagoga veteri. Quod ita fiet clarius & illuſtrius, ſi perpenderimus hanc Moſaicæ & euangelicæ legis differentiam, quòd illa di-
Differẽtia nouæ legis à veteri, quòd illa ſcripturæ eſt, hæc traditionis.
ligentiſsimè perſcripta erat à ſuo legiſlatore Moyſe, ſub certo veteris illius ſynagogæ aut eccleſiæ teſtimonio, transfuſaque in multa certiſsimę fidei exemplaria, etiam autographo eius maxima cura aſſeruato in arca fœderis domini. At lex noua tradita tantum eſt viua voce ſpiritusque vnctione à Chriſto, apoſtolis & diſcipulis, & ab illis primitiuæ eccleſiæ, à qua continua ſucceſsione, veluti per manus tradita, ad nos peruenit. Nihil enim ſcripſit Chri-
Mat. 28.
ſtus, nihil ſcribendum mandauit apoſto-
lis

lis & diſcipulis. Sed euntes, inquit, docete omnes gentes ſeruare quæcunque mandaui vobis:& ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, ad ſeculi vſque conſummationem. Et apud Marcum: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Vides, vt docere, vt prædicare, non ſcribere iuſsi ſint Apoſtoli & diſcipuli à Chriſto, quæ ipſis mandauerat.

A

Mar. vlt.

Hæc enim vna eſt eadq; inſignis, à Hieremia propheta longè ante prædicta, euangelicæ legis ab illa veteri differentia, quòd illa in lapideis tabulis, atq; etiam atramento in charta aſſeruabatur deſcripta. At noſtra non ita, ſed in cordibus hominum. Ecce, inquit, dies venient, dicit dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci cum patribus eorum, in die qua eduxi eos de terra Aegypti, quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam. Hæc eſt lex noſtra euangelica, quæ nouum teſtamentum appellatur à legiſlatore noſtro, cum nouiſsima illa cœna precioſum ſanguinem ſuum diſcipulis ſuis commendans & propinans, Hic, inquit, eſt calix ſanguinis mei, noui & ęterni teſtamenti. Veteri equidem lecto mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens, inquit Apoſtolus, ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyſopo, ipſum quoq; librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. At Chriſtus aſsiſtens pontifex futurorum bonorum, ſuam etiam legem, ſuumq́ue teſtamentum dedicaturus & confirmaturus in ſanguine: Hic, inquit, eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti. Calix ſanguinis, ſecundum parabolam prioris tabernaculi, non tamen vitulorum, aut hircorum, ſed ſanguinis mei. Non veteris illius, & tunc continuò euacuandi, ſed noui & æterni teſtamenti, nouæ legis, nouo more promulgatæ, ac inſcribendæ in viſceribus & cordibus hominum. Symbolum fidei, ſpei noſtræ, inquit Hieronymus ab apoſtolis traditum, non inſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus.

Hier. 32.

B

Heb. 9.

Hier. ad Pammachium.

Profecti itaque in orbem vniuerſum Apoſtoli, prædicauerunt vbique euangelium, quod acceperant à domino, cooperante eodem & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Cum euangelium audis, nolo imagineris Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis ſcripturas, quæ tunc nullæ erant. Nam & ante Chriſti paſsionem, indignè ferentibus iacturam vnguenti à Maria effuſi in caput ipſius, idem pro ea reſpondens. Quid, inquit, moleſti eſtis huic mulieri? Amen dico vobis, vbicunq; prędicatum fuerit euangelium hoc in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam eius. Hoc euangelium, inquit, vnicum, ſolumq́ne deſignans euangelium eſſe, non quę nos Matthæi, Marci, Lucæ, Ioanniſq́ue dicimus euangelia IIII. Qui nondum cogitauerant de ſcribendis euangelijs. Sed hoc, inquit, euangelium, qnod aſcenſurus ad patrem, mandauit apoſtolis prædicare omni creaturæ.

C

Matth. 26.

Mar. 14.

Vnicum euangelium.

Si quæras, quodnam illud ſit euangelium? Ipſum eſt ſalutis & redemptionis noſtræ fœliciſsimum nuncium. Nam euangelium bonum nuncium ſignificare omnibus notum eſt. At non pro quocunque bono nuncio ipſum accepit Chriſtus, ſed pro nuncio redemptionis & ſalutis noſtræ ęternę, quę promiſſa quidem fuit patribus, adumbrata ſignificataq; in lege, prænunciata à prophetis, ſed tandem in plenitudine temporum exhibita ab vno Chriſto. Ad quam annunciandam orbi vniuerſo mittebantur apoſtoli. Quibus tametſi etiam præceptum erat, vt omnes docerent ſeruare quæcunque ipſis mandauerat Chriſtus, illa tamen non erant hoc euangelium, quod idem ſaluator noſter ſignificauit, ſed lætum illud redemptionis, ſalutiſque noſtræ nuncium, quo per apoſtolos exhilarauit & impleuit orbem terrarum. Ita enim nato ſaluatore noſtro ad paſtores angelus: Ecce, inquit, euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt hodie vobis ſaluator. Hoc eſt illud, hoc, inquam, illud lętum eſt fœlixq́; nuncium, hoc euangelinm, per apoſtolos prædicandum omni creaturæ. Proinde & euangelium pacis, reconciliatę videlicet inter Deum & humanam naturam, euangelium regni cœlorum, vnde excideramus, nobis reſtituti, euangelium gratiæ & miſericordiæ Dei, in myſterio redemptionis noſtræ nobis tam copioſæ exhibitæ, ſubinde appellatur in apoſtolicis literis. Et apud Paulũ: Euangelium virtus Dei eſt, in ſalutem omni credẽti, hoc eſt, inſtrumentum virtutis Dei, perinde ac ſi diceret: Virtus Dei per euangelium operatur ſalutem omni, tam lęto feſtiuoq́ue nuncio credenti, & ipſum, vt oportet & decet, amplexanti, quod alibi ſimpliciter ſalutem appellat. Ita enim Hebræis ſcribit. Si

Euangelium quid.

D

Mat. vlt.

Luc. 2.

Rom. 1.

Hebr. 2.

qui

A qui per moyſen dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cum initiũ accepiſſet enarrari per dominum ab eis, qui audierũt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & varijs virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam voluntatem. Hoc itaq; ſolo & vnico euangelio repleuerunt orbem apoſtoli, hoc deſcripſerunt, non in lapideis tabulis, ſed in cordibus hominum. Vnde Corinthiorum eccleſiæ ſcribit Paulus apoſtolus: Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Itaque & doctrina fidei religioniſq; Chriſtianę, maxima parte imbuerant orbem conteſtante Deo veritatem eorũ, ſignis euidentibus prinſquam ſcripta eſſent ea, quæ nos vocamus euangelia.

Corin.3.

Hac itaque fide, euidenti, inquam, conteſtatione diuinæ veritatis, ſuam ab initio fidem ab ipſis apoſtolis accepit eccleſia primitiua, & qua fide accepit, eadem cuſtodiuit, & continua ſucceſsionis ſerie, veluti per manus ſuccedentium ſibi patrum & epiſcoporum tranſmiſit ad poſteros, tranſmittetque vſque ad conſummationem ſeculi.

B

Ex eccleſiaſticæ igitur traditionis autoritate magis, quàm ex ſcripto ad nos peruenit Chriſti apoſtolorumq; doctrina. Cum contrà illa Moſaica magis ad nos ſcripto, quàm traditione peruenerit. Quandoquidem illam deſcripſerat moyſes in tabulis lapideis & charta, noſtram verò Chriſtus & apoſtoli in viſceribus tantum & cordibus hominum. tametſi nec ſcripturæ illius veteris ſine eccleſiaſticæ traditionis autoritate, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, conſtare apud nos poſsit autoritas.

Hiere.31.

Si unicũ euangelium idq; non ſcriptũ, unde ergo nobis ſcripta 4.

Sed hic mihi occurret aliquis: Si vnum ſolum eſt euangelium, quod ſaluator noſter mãdauit apoſtolis prædicare orbi vniuerſo, non ſcribere, vnde ergo nobis IIII. eaq; ſcripta euangelia? Et ſi viua tantum voce acceptam ab apoſtolis Chriſti doctrinam fideliterq; conſeruatã, eccleſia primitiua, veluti per manus ſuccedentium ſibi epiſcoporum continua ſerie integram ad nos ſynceramq; tranſmiſit, quis ergo canonis noui teſtamenti ſcripturarumq; vſus erit?

Hic nobis ante omnia repetẽda eſt, quam nũc adſtruximus, illa nouæ legis à veteri differentia. Quod hæc à ſuo ipſius legiſlatore perſcripta fuit diligenter, magna etiam cura ac prouidentia adhibita, vt incorrupta perduraret, veniretque ad poſteros. Cum noſtra omninò ſcripta non fuerit, niſi in cordibus hominum, ſed, vt diximus, tradita ab apoſtolis primitiuæ eccleſiæ. Quorum miniſterio, cum iam diffuſa eſſet in orbem penè vniuerſum, excitauit ſacer ille ſpiritus pro confirmanda fide & deuotione fidelium ſanctorum quorundam virorum pium ſtudium, vt literis commendarent & commendarentur, redemptionis noſtræ à Chriſto peractam in terris hiſtoriam: ab incarnatione, natiuitateque eius auſpicantes, ad glorioſam triumphalemque ipſius aſcenſionem in cœlum. Non quidem, vt ſcripta illa præeſſent fidei religionique noſtræ, ſed ſubeſſent potius, ſicut acceſſerunt eiſdem iam propagatis in orbem, non præceſſerunt. Acceſſerunt, inquam, veluti pia quædam commonitoria excitandæ recordationis eorum, quæ iamdudum viua voce ab apoſtolis acceperat eccleſia. Neq; etiam eorum omniũ, ſed vt diximus, redemptionis noſtræ hiſtoriæ, & dictorum actorumque à Chriſto in terris. Quæ tamen ipſa nec ſubſcripſerunt velut ex reuelatione, quãuis inſtigante, & calamum eorum pro ſuo temperante arbitrio diuino illo ſpiritu, ſed partim ex memoria eorum, quæ viderant & audierant, partim, quæ didicerant referentibus Apoſtolis, aut alijs. Quæ ſcripta diuino equidem ſpiritu, apud nos tamẽ autoritatem habent: non quidem ex ſuis autoribus aut ſcriptoribus, ſed propter eccleſiaſticæ traditionis autoritatem & teſtimonium. Qua occaſione, & quomodo à Marco ſcriptum ſit euangelium, Clemens Alexandrinus presbyter, apoſtolicis temporibus proximus, noſtræque religionis aſſertor imprimis eruditus & vehemens, 6. diſpoſitionum libro, & Papias Hieropolites, apoſtolorum auditor, Ioannis quippe euangeliſtæ diſcipulus, atteſtantur. Quorum ad nos hac de re teſtimonia, & Euſebius Cæſarienſis & D. noſter Hieron. certa fideliq; relatione deduxerunt. Hic in ſcriptoribus eccleſiaſticis ille in eccleſiaſtica, quã deſcribit, hiſtoria. In qua clementia prouidentiæ diuinæ, ad vrbẽ Romã aduerſus Simonem Magum, ipſis Claudij temporibus deductum ſcribens apoſtolorum principem Petrum, qui primus ſalutaris prædicationis verbo, euangelij ſui clauibus, regni cœleſtis illic ianuam aperuerit. Romanæ igitur vrbi cum clarum verbi Dei lumen fuiſſet exortũ, Simonis quidem tenebræ, inquit, cum ſuo autore reſtinctæ ſunt, ſermo autem veritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuerſorum mentes placido illuſtrauit auditu,

C

vt ſcripſerint euangeliſtæ ſua euãgelia.

D

De Marco.

Euſebius eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro 2. & 6.

ita

A ita vt quotidie audientibus nulla vnquam ſatietas fieret. Vnde neq; auditio eis ſola ſuffecit, ſed Marcum diſcipulum eius (vt qui iam olim ſectator ipſius fuiſſet) multis precibus exorant, vt ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, ſcripturæ traderet, quò domi foriſque in huiuſcemodi verbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obſecrando deſtitũt, quàm quæ orabant, impetrarent. Et hæc fuit cauſa ſcribendi, quod ſecundum Marcum dicitur, euangelij. Petrus verò, vt per Spiritum ſanctum religioſo ſe ſpoliatum comperit furto, delectatus eſt, fidem eorum per hæc, deuotionemq́; conſiderans, factumq́; confirmauit, & in perpetuum legendam ſcripturam eccleſijs tradidit. Hæc poſt Clementem & Papiam ille Euſebius. In quibus audis euangelizã tem Petrum, non Marcũ: vtq́; is primus euangelij clauibus ianuâm cœleſtis regni Romanis aperuerit, non ſua, aut cuiuſquàm inculcans ſcripta alterius, ſed ſalutaris prædicationis verbo hoc annuncians euangelium, quod iuſſerat Chriſtus prædicari omni creaturæ. *Mar. 16.* Audis quoq; ſcripſiſſe Marcum nõ quaſi ex reuelatione, ſed inſtinctu nihilo minus diuini ſpiritus excepiſſe dicta magiſtri B ſui, veluti fidum aliquem notarium, eaq́; retuliſſe in codicem. In quibus tametſi (vt credibile eſt) hoc conatus ſit, vt Romanorum religioſo deſiderio ſatisfaciens, ipſis explicaret dictorum actorumq́; Chriſti in terris hiſtoriam: non tamen vniuerſam complexus eſt, nec ita viſum eſt diuino ſpiritui, vt ab vno ea abſolueretur hiſtoria. Exorſus ſiquidem ab eius baptiſmate, neq; vniuerſa deinceps dicta, actaq; ipſius exequutus eſt, nec deniq; eo quo dicta geſtáue ſunt ordine, ſed multa pręposterè, quemadmodum eius euangeliũ conferenti cum tribus alijs, conſtat luce clarius. Audis poſtremò, vt quæ viua voce docuerat Petrus, à ſubſequentibus Marci ſcriptis non acceperint autoritatis pondus, aut veritatis teſtimonium, ſed contra magis hæc ab illis, vt quia eius ſcripta apoſtolicæ prædicationi & doctrinæ inueniebantur conformia. Itaq; oculatus fiduſq́; omnium ęorũ teſtis Petrus, ſua autoritate cõfirmauit ſcripturam, & perpetuò legendam eccleſiæ tradidit, tanquam veram, canonicam & diuinæ illi infallibiliq́; veritati prorſus innitentem, non tanquam vniuerſam Chriſti aut hiſtoriam, aut doctrinam integrè & ex ordine complectentem.

De Luca & eius euãgelio. Et hæc, quæ de Marci euangelio diximus, omnia etiam in Lucæ euangelium competere æquè certum eſt. Qui & ipſe non fuit oculatus teſtis eorum, quæ ſcripſit de Chriſto, neq; etiam ex reuelatione, vt Ioannes Apocalypſim ſuam, ea ſcripſit: ſed quæ ab ijs, qui ab C initio cum domino verſati fuerant, diligenti inquiſitione potuit intelligere. Cuius idem ipſe luculentiſſimus teſtis eſt. Ita enim pręfatur in ſcriptam à ſe euangelicam hiſtoriam: Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem earum, quæ in nobis completæ ſunt rerum, ſicut tradiderũt nobis, qui ab initio ipſi viderunt & miniſtri fuerũt ſermonis, viſum eſt mihi aſſecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere optimè Theophile, vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Tradunt pleriq; ex ore Pauli deſcripſiſſe Lucam ſuum euangelium. Certè idem ipſe teſtatur ex traditione non vnius, ſed eorum, qui ipſi ab initio viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, aſſequutum ſe omnia, conatum ea à principio diligenter ex ordine ſcribere. In quo tamen non hoc præſtitit vniuerſum, quod veluti humano conſilio conatus eſt. Prætermiſit enim non pauca, multa etiam non eo, quo dicta geſtáue ſunt, ordine retulit. Id quod cõferenti cum ſuo Matthæi euangelium (qui viſa vt plurimum, non audita retulit) apparebit luce clarius. Quem & ipſum non orbi, ſed D Iudæis ſuis in Iudæa Hebraicè ſcripſiſſe Chriſti euangelium, pro perpetua commonitione eorum, quæ ex apoſtolorum prędicatione ac traditione acceperant, poſt Clementem Alexandrinum illis temporibus proximum, affimat Origenes libro commentariorum in illud ipſum Matthæi euangelium, & D. Hierony. in catalogo ſcrip. eccle. *Matthæus quibus ſuum euangelium cõſcripſerit.* Atq; in illo principio, cum necdum Gręcè aut Latinè verſum eſſet, certum eſt latius lectũ non fuiſſe, quàm à Iudæis quibuſdam Chriſti fidelibus. Quo tempore cum & Lucas diuerſo orbis loco vni ſuo Theophilo (quamuis aliò reſpexerit diuinus ille ſpiritus) ſuum Græcè ſcriberet euãgelium, & Marcus loco tertio, ab vtroq; eorum diſtantiſſimo, pro Romanorum, vt audiſti, commonitione, & confirmanda memoria ex his, quæ paſſim docuerat prædicaueratq́; Petrus, nec quiſquam omnium ſaluatoris noſtri peractam in terris hiſtoriam integrè & ex ordine aſſequutus ſit, non eſt cogitandum ſtudio id factum ab ipſis, quaſi vnus etiam alteri ſcribenda voluerit relinquere, quos veriſimile eſt de ſe mutuo non cogitaſſe, cum eodem fere tempore diuerſiſſimis orbis locis eadem ſcriberent: ſed quemq́; pro ſe viriliq́; ſua conatum, integrè & ex ordine explicare redẽptionis ſalutiſq́; noſtræ à Chriſto ſaluatore noſtro peractam inter homines pro hominibus hiſtoriam, atque eius dicta

actaq́;

A actaq; omnia, quę vniuerſa ad noſtrã ædificationem & doctrinam pertinebant, diligenter perſcribere. In quo quiſq; tantum aſſequntus eſt, quantum voluit ille ſacer ſpiritus. Cuius etiam in hoc diuinæ prouidentię & diſpenſationis munus hand vulgare agnoſcimns, vt à multis, nõ velut ex cõpoſito, ſed diuerſiſsimis orbis locis, cum vnns nihil cogitaret de altero, ſibi tamen mutuo perhibẽtibus veritatis teſtimonium, eadem perſcripta, certiori fide, non tamen inutiliter legeretur à nobis ſalutis noſtrę hiſtoria, quã ſi vnus aliquis aſſequntus integrè fuiſſet, fruſtra eadem legeretur in alio. Nunc cum omnibus deſit aliquid, eandẽ apud omnes legimus, vt prætermiſſa ab vno, diſcam⁹ apud aliũ. Itaq; vt reuertamur ad inſtitutum, certum eſt ab illorũ autoritate non dependiſſe ab initio certitudinẽ noſtræ religionis ac fidei, ſed contrà magis, illorum autoritatem à certitudine fidei religioniſq; noſtræ: qnemadmodũ acceſſerunt, vt audiſti, fidei religioniq; noſtræ iam diffuſæ in orbem, non pręceſſerunt. Nullũ adhnc publicè in eccleſia legebatur ſcriptum euangeliũ, cũ apoſtolica autoritas ſumma cum ſeueritate decerneret anathemá, quicunq; euãgelizaret alind euangelium præter id, qnod in eccleſijs iam euangelizatũ erat. Non ergo ex ſcriptis à Matthæo, Marco, Luca & Ioanne euãgelijs ab initio accepit chriſti eccleſia, quod crederet, ſed

B illa eccleſiæ fidei acceſſerunt, & ab ea ſuam, quòd ad nos attinet, autoritatẽ ſortiti ſunt, aut vt ſignificantius dicam, ſuæ autoritatis fidem indubiũq; teſtimonium. Marcum ſuprà demõſtrauimns ex ſparſim dictis à Petro ſuũ excerpſiſſe & collegiſſe euangelium. Nõ quidem ſine ope diuini ſpiritus, qno & Petrum plenũ fuiſſe conſtat, atq; æquè non deſtitutũ Marcum. Quia tamẽ nec prophetico ſe ea ſpiritu, aut dinina reuelatione ſcripſiſſe, certam reddidit primitinam eccleſiã, quæ ſidi tãtum notarij eum functum teſtatur officio, neq; viſa à ſe, ſed narrata ab alijs retulit, non potuit ipſemet eſſe eccleſiæ in ſallibilis veritatis ac fidei à ſe ſcriptorũ teſtis idoneus. Proinde neque à Marco ſcriptũ illud, vt indubitatę canonicęq; fidei accepit eccleſia, ſed à Petro, ipſins eccleſiæ ſummo paſtore ac principe, cuius ſe marcus in ea ſcriptura exhibuerat notarium, vt qui illorũ omninm oculatus teſtis ſuerat. Cuius etiã ea in re fidem, ſignis, portentis, & varijs virtutibus primitiuæ eccleſię diuina veritas conteſtata eſt. Eadem omnia in Lncam competunt, qui & ipſe narrata ab alijs, non viſa retulit, & propterea, neq; ipſe potuit eſſe eccleſiæ Chriſti veritatis ac fidei à ſe ſcriptorum teſtis idoneus, ſed contra, ipſa primitiua & apoſtolica eccleſia, videns eins ſcripta conſonare per omnia, in ipſa rei ſubſtãtia, ijs quæ docentibus apoſtolis de Chriſto acceperat, canonicę veritatis ſcriptorum Lucæ teſtis effecta, eadem ſub illo ſigilli ſui certò teſtimonio, veluti per manus ſuccedentium ſibi epiſcoporum & patrum ſibi mutuo & primitiuę eccleſię perhibentium teſtimonium, certa ad nos fide perduxit. C

Marcum & Lucã non fuiſſe teſtes idoneos veritatis ſcriptorum à ſe euangeliorum eccleſiæ.
Luc. 1.

Itaq; etiã viuentibus Marco & Luca, euangelijs eorum non propter ipſos fides eſt habita, etiam ab ijs, qui certò ſciebãt ea ſcripta ab illis, atq; adeo, qui eorum babebant autographa, ſed propter illam apoſtolorum eccleſiã, quæ ipſis teſtimonium veritatis perhibuit. Nos verò non ſolum, quod vera certaq; Lncas & Marc⁹ de Chriſto ſcripſerint, ſed etiã quod ea, quæ ſub eorum nominibus communiter per eccleſiam legimus, ſiue per omnia conſona ſcriptis eorum autographis, non ſalſata, non ſubdititia, vni teſtificanti eccleſiæ credimus, vt qui manu eorũ ſcripta euangelia nunquam vidimus: & ſi videremus, minimè agnoſcerentur à nobis, vt cõſtet rectiſsimè dixiſſe illnm ſanctum Auguſtinum, euangelio ſe nõ credere, niſi eccleſiæ ipſum ad boc coegiſſet autoritas. Idemq; ab omni verè Chriſtiano dici ſentiriq; oportere.

Omnem euangeliorum autoritatem nobis dependere ex autoritate eccleſiæ.

Palam eſt igitur, vt einſdẽ Auguſtini hic verbis dicam, qnantũ in re dubia ad fidem & certitudinẽ valeat catholicæ eccleſiæ autoritas, quæ ab ipſis fundatiſsimis ſedibus apoſtolorum, vſq; in hodiernũ diẽ ſuccedentibus ſibi epiſcopis, ſecundũ ſeriem ſucceſsionis, & tot populorum conſenſione firmatur. In hac eccleſia factis ſignis & miraculis Deus olim demonſtrauit ſe loqni, in apoſtolis primitus à Chriſto miſsis, accipiẽtibus viſibili ſigno ſpiritum nei, ſpiritum veritatis, qui & palam doctrinam eorum approbanit ſub atteſtatione ſignorũ & prodigiorum, quemadmodum dicitur Marci vltimo: Illi autem profecti prędicauerunt vbiq; domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Proinde ipſins eccleſiæ veracitas magis tunc erat conteſtata & manifeſta, quàm veritas euangelicæ ſcripturę: quippe quæ cognoſcebatur ſacra & vera ex ea, quæ tunc erat eccleſia. Cui ipſe Chriſtus perhibuit teſtimonium, & viua voce, & ſignorum prodigiorumq; atteſtatione. Cuius autoritas ſcripturarum nobis autoritatem ſtatuit, ſtatuit, inquam, nobis, vt quæ niſi ab eccleſia veritatis accepto teſtimonio, nullam ex ſeipſis aut ſuis autoribus apud nos antoritatem haberent.

Auguſt. cõtra Manichæos. D

Acto. 2.

Ante ſcripta ab illis enangelia ita decernit Paulus apoſtolus: Sed licet aut nos, aut ange-

Galat. 1.

lus de cœlo euãgelizet vobis, prętér id quod
A euangelizauimus vobis,anathema ſit. Quid
eſt quod ait:Sed licet nos?Cur nõ potius:Sed
licet ego?Hoc eſt,quod ait:Etiam ſi Petrus,e-
tiam ſi Andreas,etiam ſi Matthæus & Ioánes,
etiam ſi omnis denique apoſtolorum cho-
rus euangelizet vobis , prętér id quod euan-
gelizauimus vobis,anathema ſit.Nec ſuffece-
rat illi humanã tantum commemoraſſe natu-
ram,niſi & angelicam quoq; excellentiã com
prehẽdiſſet.Licet nos,inquit, aut angelus de
cœlo.Hoc nimirũ ſignificãs,autoritatem no-
bis fidei religioniſq́; noſtræ,non conſtare ex
autoritate annũciantis,angelica,aut humana,
ſed Dei,qui ſua illa eſſe,non cõmenta ab apo
ſtolis,ſignis,portentis,& varijs virtutibus,illi
eccleſiæ euidenter atteſtatus eſt.

Quare ſiue ipſe Petrus,ſiue ipſe Paulus,ſi-
ue om̃es deniq; in vnum apoſtoli , ſiue etiam
angelus de cœlo noui aliquid, & præter id,
quod ſub illa diuinæ atteſtatiõis certitudine
primitiuę traditum eſt eccleſię,nobis euangę
lizauerit,anathema ſit,inquit Apoſtolus,hoc
eſt,ſeparatus , ſegregatus , excluſus,ne vnius
ouis dirum cõtagium,innoxium Chriſti gre-
gem venenata permixtione contaminet.Non
ſufficit ergo apoſtolicum ſcriptis nomẽ prę-
texere aut titulum,ſed debent ab eccleſiaſti-
B cæ traditionis autoritate accipere teſtimo-
nium,quod nihil noui aut alieni contineant,
prærer id quod illa viua & à Deo conteſtata
apoſtolica traditione ab initio accepit Chri-
ſti eccleſia.

De euangelio ſcripto ſub nomine Petri. 2.Cor.11.

Non erat diu poſt mortem Petri,cũ legere
tur à plæriſq; in eccleſia ſub eius nomine cõ
ſcriptum euangelium,ſiue illud nothum pla
nè ac ſubdititium fuerit,transfigurato in an-
gelũ lucis angelo Sathanę,ſiue falſatũ ab hęre
ticis,quo ſub apoſtolicæ tantęq́; autoritatis
prætextu venena ſua facilius propinarẽt incau
tis & ſimplicibus,nobis incertum eſt.Hoc cõ
ſtat,noua quędam,& præter ea,quæ ex primi
tiuę eccleſię traditione eatenus crediderat &
obſeruarat eccleſia,in eo fuiſſe.cuius occaſio
ne,cũ in Rhoſo Ciliciæ orta fuiſſet inter fra
tres diſſẽſio,cõtendentibus quibuſdã,ipſum
in eccleſia legi debere ob ſingularem autori-
tatẽ eius,cuius titulũ nomẽq́; pręferebat,alijs
cautioribus,& quibus mẽs erat ſanior, cõten
dentibus contrà ob diſſonantiã, quam in eo
deprehenderant,ab antiqua eccleſiaſtica tra-
ditione,atq; eam ob cauſam pene ad ſeditio-
nẽ vſq; diſſecarentur,delata eſt controuerſia
hęc ad iudiciũ Serapionis Antiocheni epiſco
pi,tũ forte ibidẽ pręſentis. Qui non ſatis dili
genter excuſſo libro,ad ſeditionẽ ſedandam,
legi eum permiſit.At poſt deprehenſo,quod
in eo latebat,veneno,mederi cupiẽs deceptis
ea occaſione fratribus Rhoſijs, librũ ſcripſit C
de illo Petri euangelio,vbi falſa quędã illi in-
ſerta coarguit.Ex quo Euſebius Pãphili Cæ-
ſar.epiſcopus, VI.eccleſiaſticę ſuę hiſtorię lib.
hæc eius verba inſeruit:Nos enim,inquit, fra
tres & Petrum & alios apoſtolos recepimus
ſicut chriſtum:quę autẽ ſub eorũ nomine fal
ſa ab alijs conſcripta ſunt,veluti gnari eorum
ſenſus ac ſententiæ declinamus:ſciẽtes quòd
talia non ſunt nobis tradita. Ego enim cum
eſſem apud vos, putabam omnes rectæ fidei
eſſe inter vos,& nódum plenè decurſo libel-
lo,qui mihi offerebatur, in quo nomine Pe-
tri conſcriptum euangeliũ ferebatur, dixi:Si
hoc eſt ſolũ,quòd inter vos inimicitiã ſimul-
tatemq́; videtur inferre,legatur codex.Nunc
autẽ compertum habeo, quod hi qui codicẽ
legi debere aſſerunt,proſpectu cuiuſdã occul
tæ hęreſeos hoc fieri popoſcerunt.Hactenus
verba Serapiõis ad Rhoſios,referẽte Euſebio.
Fuit autẽ hic octauus ab initio Antioch. epi-
ſcopus,vir eruditus, etiã Clemente illo Ale-
xandrino vetuſtior,proximus apoſtolicis tẽ-
poribus.quem audis,quo lydio lapide diſcer
nat doctrinam verè apoſtolicã à falſa, notha D
& ſubdititia,nempe ex conſonantia ad vetu-
ſtã traditionem eccleſiaſticã, à qua quicquid
diſſonat, minimè germanũ aut genuinũ eſſe,
ſed ſuſpectum,ſed falſum ac reijciendũ.Nos,
inquit,Petrum & alios apoſtolos recipimus.
At quæ ſub eorum nomine ab alijs falſa con-
ſcripta ſunt,declinamus.Quo indice?Sciẽtes,
inquit,quòd talia nobis non ſunt tradita.Ve
ram nimirũ germanamq́; eorum doctrinã ec-
cleſiaſtica traditione comprobans. Idẽ fecit
etiam ante hunc ille Irenæus Lugdunen.epi-
ſcopus inſignis,ſancti Polycarpi Ioannis euã
geliſtæ diſcipuli auditor,qui lib.3, aduerſus
Valentinum,cæteroſq́; ſui ſeculi hæreticos
oſtendens,quęnam ſit vera doctrina apoſto-
lica.Traditionem,inquit apoſtolorũ toto or
be manifeſtã in omni eccleſia adeſt perſpice-
re omnibus,qui vera voluerint audire. Eam
videlicet,quam primitiua eccleſia per ſucceſ-
ſionem continuã patrum & epiſcoporũ tranſ-
miſit ad nos.Sed quoniam,inquit,per omnes
eccleſias diſcurrere prolixum eſſet & operis
infiniti, ex omnibus maximam & antiquiſ-
ſimam,atq; omnibus cognitam Romæ à glo-
rioſiſs.duobus apoſtolis Petro & Paulo fun-
datam eligens, eius fidem traditionemq́ue,
quam habet ab apoſtolis annunciatam,& per
ſucceſſiones epiſcoporum, ad nos perueni-
entem indicantes, inquit, confundimus o-
mnes eos,qui quoquo pacto,vel per ſui pla-
centiam, vel vanam gloriam, vel per cæci-
tatem

Qua amuſsi diſcernebant patres doctrinam verè apoſtolicam à falſa,notha & ſubdititia.

Irenæ.3.

A tatem & malam ſententiā,fidem,pręterquàm oportet,colligunt. cuius occaſione continuam in Romana eccleſia ſucceſsionem epiſcoporum à beatiſsimis apoſtolis ad Eleutherium, qui eidem tunc præſidebat enumerans: Hac,inquit,ordinatione & ſucceſsione, ea quæ ab apoſtolis,traditio in eccleſia,& veritatis præconizatio peruenit vſq; ad nos. Et eſt pleniſsima hæc oſtenſio, demonſtrans vnam & eandem fidem eſſe,quæ in eccleſijs ab apoſtolis eſt tradita, & vſq; nunc cōſeruata in veritate.Hæc ille Irenæus.

Vides itaq;,quo indice etiā illo ſeculo ſancti patres noſtri diſcernebant,& agnoſcendā docebant doctrinam verè apoſtolicam à falſa, quamuis obtecta ſub aromate eloquiorū cœleſtium.Non quidem ex ipſis euangeliſtarū ſcripturis,ſed ex autoritate traditionis eccleſiaſticæ,per quā, quæ ab apoſtolis accepit primitiua Chriſti eccleſia,veluti per manus ſuccedentium ſibi patrū & epiſcoporum, eadem fide ad nos tranſmiſit,nihil vnquàm admiſcens alieni,nihil amittēs proprij,ſed ſedula & cauta diſpoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos.In quibus nihil permutat vnquàm, nihil minuit,nihil addit,ſed hoc vnū omni induſtria ſtudet, vt vetera fideliter ſapienterq; tractando,ſi qua illa ſunt antiquitus informata & inchoata,accuret ac poliat,ſi qua iam expreſſa & enucleata,conſolidet, firmet, ſi qua iā confirmata ac definita,cuſtodiat. Hoc, inquā,vnum ab initio ſemper,diligenterq; egit catholica eccleſia, neq; vnquàm aliud cōcilio rum ſuorū decretis eniſa eſt,niſi vt quòd antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur,quod antè lentius ſri gidiuſque prædicabatur,hoc idem poſtea inſtātius prędicaretur,quod ante ſecurius colebatur,hoc idē poſtea ſollicitius excoleretur. Hoc ſemper,hoc inquā ſemper,nec quicquā pręterea,hęreticorum nouitatibus excitata, conciliorum ſuorū decretis perſecit eccleſia, niſi vt quòd prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris aduerſus prophanas hęreticorum nouitates,etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret.Sed ne longius ab inſtituto nos abripiat orationis impetus. Vides,quo ariete vicerint illi ſancti patres noſtri hęreticorum machinas ac munitiones,quo gladio iugularint introductas cōtra venerandam vetuſtatē prophanas per eos nouitates.Breuiter,quo irreuincibili argumēto cōfirmarint noſtra,& conuicerint aliena.

B

Eos,inquit ille,qui quoquo modo,vel per ſui placentiam malam, vel per vanam gloriam,vel per cęcitatem, præterquàm oportet, fidem colligunt,confundimus.Sed qua obſecro tam euidenti ratione?quo tam irreuincibili argumento,aduerſus quod hęreticorum impudentiæ ac peruicacitati non ſit contradictioni locus?nunquid ſcripturis?non eſt difficile illas torquere,retorquere,& in quemcunq; ſenſum vertere,adeo vt doceat Tertullia.non ſolum inutilem, ſed etiam pernicioſam eſſe cum hęreticis ex ſcripturis conflictationem, quemadmodum poſt ſuo loco clarins demonſtrabimus. Quid ergo proferentes peruicaces illos & qui confundi neſciūt, confundimus hæreticos?Indicantes, inquit, fidem traditionemq; maximæ & antiquiſsimæ eccleſiæ, Romę à glorioſiſsimis duobus apoſtolis Petro & Paulo fundatæ ac conſtitutæ. Quam enim illa fidem traditionemq; ab apoſtolis accepit,cōtinua ſuccedentium epiſcoporum ſerie,ſibi mutuo & primitiuę eccleſiæ reddentium teſtimonium,certiſsima fide integram ſynceramq; ad nos tranſmiſit. Hoc gladio fidelis ille Dauid,hoc eſt,catholica eccleſia,per ſuos, qui in ea præſident, ſummos paſtores, ſemper proſternit ſuperbum Goliath,qui vnus audet exprobrare aciei Dei viuentis,hoc eſt,eccleſiæ catholicæ, quam ille vidit veluti caſtrorum aciem ordinatam. In hoc vno aduerſus ſuorum temporum hæreticos fœliciſsimè depugnarunt patres noſtri. Hoc illum Valentinū confecit Irenęus, Marchionem Tertullianus, Celſum Origenes, Nouatum Cyprianus,hoc Luciferanos,Iouinianum & Vigilantium Hieronymus,Donatiſtas & Pelagianos Auguſtinus,hoc Arrianos Nicenum iugulauit concilium, Macedoniū, Sabellium,Eunomium & conſortes,Conſtantinopolitanum I.Neſtorianam impietatē Epheſinum primum, Euthichetis blaſphemiam cum ſuo Dioſchoro Chalcedonenſe. Breuiter, hoc vno in concilijs vniuerſalibus omnibus impias hæreticorum nouitates ſemper exterminauit catholica eccleſia, hoc eccleſiæ proceres aduerſus inſurgentes hęreticos veterem orthodoxamq; fidem aſſeruerunt.

C

1. Reg. 17. Eccl. 47.

D

Paruulorum baptiſma aduerſus nouatiſtas defendens & adſtruens D. Auguſtinus: Paruuli,inquit,baptizati ponuntur in numero credentium.Et hoc ſolum ex conſuetudine eccleſiæ antiqua,canonica,fundatiſsima. Et iterum,iam,inquit,ſuperius oſtendimus paruulum credere, & inter baptizatos computari, hoc habet autoritas matris eccleſiæ,hoc fundatiſsimæ veritatis obtinet canon: cōtra hoc robur,contra hunc inexpugnabilem murum quiſquis arietauerit,ipſe potius cōfringitur. Audis,quem hic tam confidenter iactet fundatiſsimę veritatis canonē?quod robur pluſquam adamantinū? quem inexpugnabilē murum

Auguſtinus. Canon fundatiſsimæ veritatis eccleſiæ autoritas.

rũ?Nunquid ſcripturas?Sunt enim illæ veluti A plumbea quędã Lesbiæ ędificationis regula, quę ad ſenſum, quem quis ante ſecũ pręſumpſerit, accommodari ſe facilè patiantur. Quid igitur?hoc, inquit, habet autoritas matris eccleſiæ: hęc illa ſundatiſsimæ veritatis regula, hoc illud adamantinum inflexibileq́; robur, hic ille inexpugnabilis murus.

Origenes.

De canonicis noui teſtamenti ſcripturis libro primo commentariorum in euangelium ſecundũ Matthæum ita ſcribit Origenes: Ex traditione, inquit, didici de quatuor euangelijs, quia hęc ſola abſq; vlla contradictione ſuſcipi debẽt in omnibus, quę ſub cœlo ſunt eccleſijs Dei. Ita enim tradiderunt patres. Et quod primum omnium ſcriptum ſit euangelium à Matthęo, qui aliquãdo fuerat publicanus. Hebraicis literis, & traditum his, qui ex circumciſione crediderãt. Secundũ verò ſcriptum eſſe à Marco, iuxta ea quæ ſibi tradiderat Petrus. Tertium eſſe ſecundum Lucam, quod Paulus apoſtolus collaudat tanquã his, qui ex gentibus crediderant, ſcriptum. Super omnia verò euangelium eſſe Ioannis. Is verò qui idoneus factus eſt miniſter noui teſtamẽti, non literæ ſed ſpiritus, Paulum dico, qui repleuit euangelio omnia ab Hieruſalem in circuitu vſq; ad Illyricũ, non ad omnes, quas B docuerat, eccleſias ſcripſit, ſed quatuordecim ſolas epiſtolas, & in eis plures breuiſsimas. Quamuis nõnulli de ea, quę ad Hebræos ſcripta eſt, dubitauerint, pro eo quod non videatur in ea ſeruari illa eius ſentẽtia, quam de ſe ipſe pronunciat, dicens ſe imperitum eſſe ſermone.

2. Cor. 11.

Sed ego, inquit, dico ſicut mihi à maioribus traditum eſt, quia maniſeſtiſsimè Pauli eſt. Et ſemper omnes antiqui, maiores noſtri, ita eam vt Pauli epiſtolam ſuſceperunt. Hæc Origenes. In quibus audis, didiciſſe illum de quatuor euangelijs, ea ſola abſq; vlla cõtradictiõe ſuſcipi debere in omnibus, quę ſub cœlo ſunt, eccleſijs. Audis certò affirmãtem, epiſtolam ad Hebræos, de qua dubitatũ eſt à pleriſque, maniſeſtiſsimè eſſe Pauli. Sed vnde & quo docente aut teſtificante hoc tam certò didiciſti, Adamanti, de quatuor euangelijs, quod ea ſola abſq; vlla contradictione ſuſcipi debeant in omnibus quæ ſub cœlo ſunt, eccleſijs?

Eccleſiaſtica traditio qualis.

Ex traditione, inquit, hoc didici, nimirũ eccleſiaſtica. Sed epiſtolã ad Hebræos qua nota internoſti?Quo indicio certo maniſeſtiſsimè deprehendiſti eſſe Pauli, quę Pauli nomẽ non præſert, & de qua ob characteris diuerſitatem dubitarunt non pauci?Sic enim mihi, inquit, à maioribus eſt traditum, & ſemper omnes antiqui, maiores noſtri, ita eam vt Pauli epiſtolam receperunt. Leuis hæc Adamantij tibi coniectura videtur, & ob quam nõ debeat ita certò definire ac ſtatuere? Tu quiſquis es, proſer aliam, ſi potes, notã, aliud indicium, aliud argumentum, quod quas ſub Pauli, Petri aut aliorum nomine legimus epiſtolas, verè illorum ſint. Quod hęc euãgelia ſint Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis, quodq́ue nihil in ſe falſi contineant. Et cum te ſurſum deorſumq́ue verteris, ſcio aliud nihil te inuenturum. C

Creditã euangelys, nõ propter euangeliſtas, ſed eccleſiam.

Scripturis ergo euangeliſtarum omnium, certam canonicæ veritatis fidem nobis ſecit primitiua eccleſia, non ipſi ſcriptores euãgeliſtæ, ſuo videlicet teſtimonio comprobans, quod conſonarẽt doctrinę apoſtolicæ, quam ſub certa illa diuinæ conteſtationis fide acceperat ab apoſtolis. Quas ſub eadẽ fide & certitudine conſignatas, traditionis eius autoritate, per manus ſuccedentium ſibi epiſcoporũ & patrum, nos recepimus, credimuſq́ue ſcripturis noſtris propter eccleſiam, non contrà eccleſiæ propter ſcripturas.

Notiorem autoritatem eccleſiæ quam ſcripturarum.

Habemus igitur, non ſolum non inferiorẽ, non ſolum parem, imo & quodammmodo ſuperiorem, & notiorem eccleſiæ autoritatẽ autoritate ſcripturarum. Siquidẽ ſcripturis quibuſdã, eiſq́; præcipuis, hoc eſt, euangeliſtarũ, quam neq; ex ſe, neq; ex ſcriptoribus ſuis apud nos habebant, canonicã impartita eſt autoritatẽ, alijs verò quam ex autoribus ſuis habebant, autoritatem conſeruauit, eaſq́; veluti D chirographi aut ſigilli ſui certo teſtimonio cõmunitas ad nos certa fide deduxit: perinde ac cum ex pontificio, aut imperiali diplomate, per ſe quidem authentico, ſed quod nunquàm ipſi viderimus, ad nos tranſmitterẽtur ignota manu deſcripta exemplaria. Eis ſiquidem, niſi ſub teſtimonio, chirographo, aut ſigillo fide dignæ alicuiꝰ publicęq́; & notę perſonæ, quod concordarent cũ ipſis originalibus integris, certęq́; fidei & authẽticis, nulla prorſus fides haberetur, ita verò trãſſumptis (etiam vt deinde perirent, nec vſquam extarent autographa, aut ipſæ originales literæ) æqua fides haberetur atq; ipſis, ſi proſerrentur, principalibus, ob notũ videlicet ſigillum aut chirographũ tranſſumẽtis, adhibitoſq́; teſtes, ſub quorũ atteſtatione tranſſumpta fuere. Ita planè eſt de ſcripturis canonicis. Veteris equidẽ inſtrumenti canonicas ſcripturas autographas perijſſe vniuerſas Babylonico illo incendio vnà cum arca ſœderis, in qua aſſeruabãtur, tradit antiquitas. Et ſi adhuc extarent, nihilo maiorẽ apud nos inuenirẽt autoritatẽ aut fidẽ, quàm quæ nunc legũtur eorundẽ exẽplaria, niſi extrinſecus accepto teſtimonio, quod verè eſſent illa autographa,

A ſuo illo ſeculo ſub certa diuinę atteſtationis fide tradita tunc viuẽti ecclęſię, & ita recepta ab eadem. Perinde eſt,ac apud nos prolata in ſtrumenta publica, notarii publici ac authentici ſubſcripta manu, ſed quæ nobis vnà cum ipſo notario planè eſſet incognita. Exemplaribus autem illis, quæ habemus & legimus, ſcripturarum, nulla apud nos maior fides aut autoritas eſſe poſſet, quàm quibuſlibet ſcripturis apocryphis, aut quàm eſſet illi ſcripturę, cuius paulò ante meminimus, quæ Petri ſe mentiebatur euangellum, niſi nobis commẽdarentur eccleſię teſtimonio. Nihilo eñ plus illud Petri non eſſe, quàm hoc eſſe Matthæi, Ioannis, Marci, Lucę, quã deniq; hęc Moyſi, Eſaiæ, Hiere. cęterorumq́;, quorũ titulos pręferunt, nobis poſſet cõſtare. Propter eccleſiã ergo ſolam, eiuſq́; autoritatẽ nunc credimus ſcripturę vniuerſę: partim vt tranſſumptis ab eadem exemplaribus diplomatum, quorum perierunt originalia: partim vt his, quorũ etiam originalibus publicam indubiæ veritatis
B fidem autoritatemq; ipſa impartita eſt.

Quibus ueteris teſtamenti libris uetus illa ſynagoga autoritatem, quam alias nõ habebant, impartita eſt.

Veteris inſtrumenti hiſtoria, maximè quæ poſt Ieſum Naue accidit, ferè incertis autoribus ſcripta eſt, vt libri Iudicum, Ruth, Regnorum, Paralipomenon, Tobię, Iudith, Eſter, Iob. In quibus illius temporis ſynagoga aut eccleſia, non ſolum ſub fide publica tranſſumentium, & ad nos tranſmittẽtium ex autographis publicis & authenticis vice defuncta eſt, ſed & autographis ipſis, quamuis ſine nomine & titulo ſcriptis, publicam autoritatem nobis impartita eſt. Teſtis quippe veritatis eorum, quę ſibi certò conſtabant, effecta, ſua veluti ſubſcriptione ac teſtimonio publicas authenticaſq́; ſcripturas, quod ex autoribus aut ſcriptoribus ſuis, qui ignorantur, non habent, nobis effecit & ad nos trãſmiſit. Idem à Chriſtiana eccleſia in euangeliſtarum ſcripturis, & pręcipuè Lucæ & Marci factũ, ſuprà demonſtrauimus, vt qui à ſe ſcriptorum nõ fuerunt teſtes oculati, ſed crediderunt narrantibus alijs. At ſciuit, quę tũc viuebat apoſtolica primitiua illa eccleſia, quæ certę veritatis eorundem teſtis effecta, publicam indubiæ veritatis autoritatem illis impartita eſt. Omnis ergo, quæ nunc apud nos eſt, ſcripturarum autoritas, ab eccleſiæ autoritate dependet neceſſariò. Neque enim aliter eis credere poſſemus, niſi quia teſtimonium illis perhibenti eccleſię credimus.

Omnẽ nobis utriuſq; teſtamenti ſcripturarum autoritatem neceſſariò dependere ab autoritate eccleſia.

Palàm igitur eſt (vt repetitis illis Auguſtini verbis hic tandem finiamus) palàm, inquam, eſt ex prædictis, quantum in re dubia ad fidẽ & certitudinem valeat catholicæ eccleſię autoritas, quę ab ipſis fundatiſsimis ſedib' apoſtolorum vſq; in hodiernum diem ſuccedentibus ſibi epiſcopis ſecundum ſeriem ſucceſſionis, & tot populorum conſenſione firmatur. C Quam ſcripturarũ autoritate demonſtrauimus in nullo inferiorem, imo quãto eò maior ſit, in ſequenti ratione conabimur explicare accuratius. Certè ab ea ſcripturarum omnem autoritatem nobis dependere, & magnam earum partem vniuerſam ſuam autoritatẽ ab ea accepiſſe, iam nunc fecimus euidentiſsimũ. Duo proinde nos habere certa principia, ex quibus quid in fide religioneq́ue chriſtiana neceſſariò tenendum ſit, certò demonſtrari poſsit, canonicã videlicet ſcripturam, & ſine ſcripto eccleſiaſticam traditionẽ. cui qui non autoritatem ſuam detrahere nituntur hæretici, non intelligunt ſtupidi, cęci & miſeri, ſe omnem prorſus autoritatem canonicarum ſcripturarum è medio tollere, & vnum hoc conari, vt vniuerſum orthodoxæ fidei & veritatis lumen, ſibi alijſq́; eripiant.

Autoritatem eccleſiaſticæ traditionis, in certitudine quidem ueritatis eſſe parem autoritati ſcripturarum, ſed eandem notiorem nobis, & ad longè plura ſe extendere.

Caput III.

D Quandoquidem vno hoc fœliciter iacto conſtitutoq́; principio, autoritate, inquam, ſacroſancta eccleſiaſticæ traditionis, nõ ſolum quę hic demonſtranda ſuſcepimus, procedẽt nullo negocio, ſed etiam vniuerſa, quæ nunc in eccleſiam Chriſti graſſatur, peſtilentiſsimarũ hæreſium abominanda lues & colluuies, traduci omnibus, & euidenter cõuinci facilè poterit, operępręcium viſum eſt, huic aliquantò inſiſtere diligentius. Ita enim luce clarius apparebit, quanta ſit illorum inſania, qui abrogata eccleſiaſticæ traditionis autoritate, alterum tantum nobis relinquunt fidei religioniſq́; noſtrę principium, nempe ſcripturam canonicam, ad quam nunc omnem quæſtionem & controuerſiam prouocant, hoc interim non intelligentes ſtupidi & miſeri, etiam eam ipſam ſe ſcripturarum autoritatem vniuerſam tollere, vt quam omnem, quanta quãta eſt, nobis dependere ab vna eccleſiaſticæ traditionis autoritate, ſuperiori capite euidẽter demonſtrauimus. Ex quo & hoc conſequens eſt imprimis, ſcripturarum autoritatem eam inferiorem eſſe non poſſe. Quæ an par illi ſit per omnia, an verò eandem etiam excedat, nunc explicare aggredimur.

Parem autem eſſe eccleſiaſticæ traditionis & ſcripturarum autoritatem, aut potius eandem, in certitudine ac indubię veritatis fide, ex

Eccleſiaſticæ traditionis et ſcripturarum par autorita[s]

In veritatis certitudine. A

ex his,quæ iam proximè demonſtrauimus,facilè cuiq; perſpectum fore confidimus. Nam ſcripturis non niſi teſtificantis eccleſię fidem autoritatemq; nos credere,nunc fecimus euidētiſsimum.Par autem,aut potius eadem ſit oportet, fides teſtis & dicti à ſe teſtimonij, notarij & inſtrumenti à ſe publicati,chirographiq; ſuo roborati teſtimonio.

Notior nobis autoritas eccleſiaſtica, quàm ſcripturarum.

Notiorem tamē nobis eccleſiaſticam autoritatem,quàm ſcripturarū eſſe oportere,equē manifeſto cōſequitur.Si enim ſcripturis,quē admodum demonſtrauimus, propter teſtificantē eccleſiā ſolā credimus,magis perſpecta nobis ſit oportet eccleſiaſticæ traditionis veritas,quàm ſcripturarum.Nobis,inquam,qui indicium,aut argumentum aliud nullum habemus,quòd noſtra hęc,quę legimus ſcripturarum exemplaria conſonent cum ſuis autographis,quæ perierunt fortaſsis vniuerſa ante multa ſecula,quodq; autographa illa, certæ,indubitatæq; fidei fuerunt,vel ab ipſis eorum autoribus,ſub manifeſta diuinæ conteſtationis fide,tūc viuenti eccleſię tradita,vel tunc viuentis eccleſię certo teſtimonio roborata.Hæc enim nullo alio argumento aut indicio nobis conſtant,quàm vnius traditionis eccleſiaſticæ,quę(vt illius Auguſt.verbis dicam)ab ipſis fundatiſsimis apoſtolorum ſedibus, vſq; in hodiernum diem ſuccedentibus ſibi epiſcopis,continua ſerie,& tot populorū conſenſione ad nos peruenit.Nota ergo nobis magis ſit oportet fides veritaſq; traditionis eccleſiaſticæ,quàm ſcripturarum.Quēadmodum de ſitu Aſiæ,Aphricę,aliarumq; nobis ignotarum regionum,& incolarum moribus,credimus referentibus nobis ſpectatę fidei teſtibus oculatis, videlicet ignotis nobis narrationibus,ob notam referentium fidem. Itaq; & in eccleſia,inquit Auguſtinus, factis ſignis & miraculis Deus olim demonſtrauit ſe loqui,in apoſtolis primitus à Chriſto miſſis,accipientibus viſibili ſigno ſpiritum Dei, ſpiritum veritatis.Qui & palàm doctrinā eorum ſub atteſtatione ſignorum & prodigiorum approbauit,ſicut dicitur Marci vltimo. Proinde illius eccleſiæ veracitas magis, inquit, manifeſta erat, quàm veritas ſcripturæ euāgelicæ.Quippe quæ cognoſcebatur ſacra & vera,ex ea quæ tunc erat eccleſia.

Auguſt. cōtra Manichæos. B

Magis vniuerſalem eſſe autoritatē traditionis eccleſiaſticæ quàm ſcripturarum Caputa.

Nunc vt illud euidens faciamus, magis vniuerſalem eſſe eccleſiaſticæ traditionis, quàm ſcripturarum autoritatem,hoc eſt,latius patere,& ad longè plura ſe extendere,hoc imprimis admonendum putaui: Nos hic loqui de eccleſia Chriſtiana,vt diſtinguitur contra illam veterem, initiumq; cœpit à Chriſto, per miniſterium apoſtolorum propagata in fines orbis & ſeculi.Deinde repetenda eſt illa,quā ſuperiori capite demonſtrauimus,nouę legis noſtræ à veteri differentia. Quod hęc traditionis tantum eſt non ſcripturæ, contra verò,illa ſcripturæ potius quàm traditionis. Siquidem illa à ſuo legiſlatore perſcripta fuit diligenter,& ſic ſcripta, magno ſtudio conſeruata, & tranſmiſſa ad poſteros, etiam in arca fœderis domini recondito & cuſtodito eius autographo. At noſtra tradita tantum eſt,primum à Chriſto, apoſtolis ac diſcipulis ſuis,partim viuæ vocis doctrina,partim ſpiritus vnctione. Quem etiam viſibili atteſtante ſigno (quo & ipſis crederetur accepta tradentibus) acceperunt.A quibus viuæ vocis oraculo ſub illa, quam diximus, diuinæ veritatis manifeſta atteſtatione, ea accepit primitiua eccleſia.Nihil enim ſcripſit legiſlator noſter Chriſtus,vt fecerat ille Moyſes,nihil mandauit ſcribendum apoſtolis.Sed euntes, inquit, in mundum vniuerſum docete omnes gentes ſeruare, quæcunque mandaui vobis, & prædicate euangelium omni creaturæ. Illi autem profecti, inquit Marcus, prædicauerunt,vbique domino cooperante, & ſermonem confirmāte ſequentibus ſignis. Itaque audiſti ſuprà Petrum euangelizantem Romæ, non ſcribentem. Marcum verò eo inſcio, & veluti furtim colligentem, ex prædicatis paſsim ab illo, ſui euangelij hiſtoriam,coactum ad hoc Romanorum Chriſti fidelium deuotione & pijs precibus pro eorum confirmanda memoria. Eadem & Lucæ ſcribendi cauſa fuit,& alijs. Ita quoque à Iacobo,Petro,Ioanne & Iuda, ſcriptæ epiſtolæ illæ, quas vocamus catholicas. Non quidem ad infideles, quos per illas conarentur ad Chriſti fidem conuertere, ſed ad fratres iam Chriſtianos ex viua apoſtolorum traditione & doctrina. Ita Paulus Romanis ſcribens,dilectis Dei vocatis ſanctis:Primum quidem gratias,inquit, ago Deo meo per Ieſum Chriſtum,pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.

C

Viua traditione,nō ſcripto, vniuerſam eccleſiam ab initio ſuſcepiſſe fidem Chriſti

Mar. vlt.

D

Ita eccleſiæ Dei quæ erat Corinthi, & ſanctificatis in Chriſto Ieſu:Gratias,inquit, ago Deo meo ſemper pro vobis,in gratia Dei quę data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omi verbo & omni ſcientia.Ita eccleſijs Galatiæ: Miror, quòd tam citò trāſferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam chriſti,in aliud euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant,& volunt conuertere euangeliū Chriſti.Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Ita omnibus ſanctis

1. Cor. 1.

A ſanctis qui erant Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu: Propterea, inquit, & ego audiens fidem veſtram, quę eſt in Chriſto Ieſu, & dilectionem in omnes ſanctos, non ceſſo, gratias agens pro vobis, memoriam veſtri facere in omnibus orationibus meis. Ita quoque omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui erant Philippis, cum epiſcopis & diaconis. Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri ſemper in cunctis orationibus meis pro vobis ſuper communicatione veſtra in euāgelio Chriſti. Ita & eis qui erant Coloſsis ſanctis, & fidelibus fratribus in chriſto Ieſu: Gratias, inquit, agimus Deo, & patri domini noſtri Ieſu chriſti, ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtrā in Chriſto Ieſu. Ita eccleſię Theſſalonicenſi: Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memores operum fidei veſtræ, & laborum, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deum patrem noſtrum. Ita Timotheo iam dilecto filio in fide. quem in hoc conſtituerat remanere Epheſi, vt docentibus aliter, quàm erāt ab ipſo & apoſtolis edocti, reſiſteret. Ita poſtremò & Tito, dilecto filio ſecundū communem fidem. Qem in hoc reliquerat Cretę, vt ea quæ illis adhuc deeſſent, corrigeret, ſuppleret & conſtitueret. Ex quibus ſanè omnibus luce clarius eſt videre, non veluti ex ſcripto aut commentario primitiuam eccleſiam docuiſſe apoſtolos euangelium, quod à Chriſto docendum prædicandumq; acceperant, & quæcunq; ad fidem, religionemq; noſtram pertinebant, ſed viua tantum traditione ac doctrina. Nec quæ ita docuerant, reliquiſſe iam fidelibus & credentibus collecta & conſcripta in charta aut tabulis, ſed in eorundem cordibus tantum & memoria, quorum tantum ad eoſdem ſcribentes ipſos commonefaciunt. Audis enim Romanorum fidē, quam euangelizante eis acceperant, iam annunciatam, diuulgatamq; fuiſſe per vniuerſum orbē, priuſquam Paulus ad illos ſcriberet. Audis & Corinthios iamdudū inſtructos (viua nimirum traditione) in omni verbo fidei, & ſcientia ſalutis, ita vt nihil ipſis deeſſet, antequam binæ illæ ab Apoſtolo ſcriberentur ad ipſos epiſtolæ. Sic & Galatas ſub interminatione admonet, nō transferri ab eo euāgelio, quod ante ipſis euangelizatum erat, nimirum viuæ vocis oraculo. Ita & Epheſiorū, & Coloſſenſium, & Theſſalonicenſium prędicatam fidem, & charitatem ſuis commendat literis. Philippenſium quoq; communicationem in euangelio Chriſti, quod viua illa traditione iamdudum acceperant, ante ſcriptas ad ipſos apoſtolicas illas literas.

1. Theſſ. 1. — *1. Tim. 1.* — ¶ B — *Marc. 16.*

Vides itaq; primitiuæ illi eccleſiæ, traditū viuę vocis oraculo, non ſcripto conſignatum euangelium Chriſti, traditam fidem, religionem, doctrinamque Chriſtianam. Quibus acceſſere illa apoſtolorum & euangeliſtarum ſcripta, veluti excitandæ, confirmandæque viuæ illius traditionis pia quędā commonitoria, aut corrigendi, extirpandiq;, ſi quid præter illam primæuam traditionem zizaniæ inimici aſtu ſuperſeminatum extiterat, gratia. Theſſalonicenſibus ita ſcribit Paulus apoſtolus: De cætero ergo fratres, rogamus vos & obſecramus in domino Ieſu Chriſto, vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ita & ambuletis vt abundetis magis. Scitis enim quæ pręcepta dederim vobis per dominū Ieſum. Ita ferè nihil facit aliud in epiſtolis ſuis vniuerſis, quàm quod admonet, rogat, obſecrat eos, ad quos ſcribit & nonnunquā ſub anathemate interminatur, ne ab ea quā ſemel acceperant, traditione apoſtolica, & euangelio ipſis prędicato, declinent in nouū dogma aut peregrinum aliquod, ſed primęuę illi traditioni firmiter inhęreant. Quæ tamē illa ſit, nuſquam conatur vniuerſam repetere, aut exprimere ſuis illis literis. Quin potius illius meminiſſe iubet, vt ſecundum eum ambulēt, quo Deo placeāt. Rogamus, inquit, vos & obſecramus, vt ita ambuletis quemadmodū accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare. Scitis enim, quæ pręcepta dederim vobis per dominum Ieſum. Sed pro nata tātùm occaſione & neceſsitate ſcribit alijs alia. Sic & Corinthijs ſuis: Ego enim accepi à domino, quod & tradidi vobis, & infrà: Cætera autē, cum venero, diſponam. Vides iamdudum viuo verbo illum tradidiſſe Corinthijs de cœna dominica, quæ hic ſcripto replicat, ad extirpandos ſubintroductos aduerſus traditionem illam errores contrarios. Nec tamen vniuerſum illum agendi ordinem explicaſſe ſcripto, ſed inquit: Cætera, cum venero, diſponā. Hinc ſanè, inquit Auguſtinus ad Ianuarium, intelligitur, quia multum erat, vt in epiſtola totum illum agendi ordinē inſinuaret, quem vniuerſa per orbē ſeruat eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. De quo diſputare, quin ita faciendū ſit, inſolentiſsimæ inſaniæ eſt.

C — *Quę occaſiōe prædicatæ iā fidei acceſſerint apoſtolica & euāgeliſtarū ſcripta.* — *1. Theſ. 4.* — D

Poſtremò & hoc ſtatuēdum ob oculos eſt, quod fuerit euangeliſtis ſcribendi argumentum, qui ſcopus. Nam cauſam occaſionemq; ſcripturæ eorum iam ſatis indicauimus. Neque enim hoc conati ſunt literis commendare, quę pręcepta primitiuæ eccleſiæ dederint apoſtoli per dominum Ieſum, quo ordine,

quo ritu, quibus ſacramentis & cæremonijs
A eandem inſtituerint, autore doctoreq́; Chri-
ſto, & ſpiritu ſancto. Sed Chriſti tantum con
uerſationem in terris, dictorum actorumq́;
eius, à baptiſmo Ioannis præcurſoris ferè in-
cipientes, ad eius glorioſam aſcenſionem in
cœlos, vtcunq; potuerunt explicare hiſtoriã.
Quam tamen nec vnus quilibet, neq; omnes
in vnum nobis reddiderũt integram. Quem-
admodum ſuperiore capite luce clarius de-
monſtrauimus, & ipſe Ioannes euangeliſtarũ
præcipuus, qui nouiſsimus ſcripſit euangeli-
Ioan. xi. um, ingenuè confitetur: Sunt, inquit, & alia
multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per
ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere
poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. Ad quæ
ad eccleſiæ inſtitutionem, hierarchiam, ſacra
mentaq́; pertinent, ad illam hiſtoriã non per
tinent, ſed maxima parte ea acceperũt apoſto
li vnctiõe ſpiritus ſancti. Quod ne quis à no
bis diuinari calumnietur, idem Ioãnes haud
Iohan. 16. obſcurè indicat. Ita enim ſcribit chriſtũ pro-
xima iam ſua morte dixiſſe diſcipulis: Adhuc
multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis
portare modo, hoc eſt, nondum eſtis illorum
capaces. Quæ vel maximè fuiſſe ea, quę ad ec-
cleſiaſticam diſciplinam, hierarchiam, guber
B nationemq́; pertinebant, hoc certiſsimo con
ſtat argumento, quod de eccleſia nullum ad-
huc verbum ſanè intelligebant, alia quædam
(qualia adhuc ſomniat Iudaica cęcitas & obſti
natio) carnalia, de Chriſti regno & Iſraëlis re-
Matth. 20. ſtitutione animo concipientes. Id quod indi
cat euidenter ambitio illa filiorum Zebedæi
ſedendi in regno eius, ad ipſius dextrã & ſini
ſtram: duorum quoq; diſcipulorum domini,
poſt eius reſurrectionem eũtium in Emaus,
cum eodem ratiocinatio, qua communem o-
mnium diſcipulorum chriſti ſententiam ex-
Luce 24. primebant: Nos autem, inquiũt, ſperabamus
quia eſſet redempturus Iſraël. Nos, inquam,
diſcipuli eius. Itaq; etiam aſcẽſurum iam iam
ad patrem, interrogabant in vnum apoſto-
li, num eò tempore eſſet reſtituturus regnũ
Iſraëli. Vides itaq;, quàm nihil ſanè intellige
bant etiam tum apoſtoli de regno Chriſti,
quod eſt eius eccleſia. Itaque quæ ad eccleſię
ſuę diſciplinam, hierarchiam, ſacramẽta, inſti
tutionemq́; vniuerſam pertinebant, tunc nõ
docuit carnales adhuc incapaceſq́; eorũ apo-
ſtolos, cum ipſis in carne mortali manẽs, ſed
ſpiritus vnctiõi ea reſeruauerat. Adhuc mul-
Ioan. 16. ta, inquit, habeo vobis dicere, ſed non pote-
ſtis portare modo. Cum autem venerit ille
ſpiritus veritatis, docebit vos omnem verita
tem. Itaq; illa tam multa reſeruata vnctioni
ſpiritus didicerũt poſtmodum apoſtoli, cum
eundem ſpiritũ, ſub viſibili ſigno acciperent,
eademq́; tradiderunt eccleſijs, quę veluti per C
manus ſuccedentium ſibi epiſcoporum & pa
trum ſibi mutuò & primitiuæ eccleſiæ perhi
bentium teſtimonium, certa fideliq́; traditio
ne ad nos peruenerunt. Quæ qui ex euange-
liſtarum ſcriptis ſibi velit comprobari, æquè
facit abſurdè & ridiculè, ac ſi, quando diuiſi à
ſe apoſtoli, orbem terrarum inter ſe partiti
ſunt vomere euangelicæ prædicationis exco-
lendum, quæ inter ſe tunc conſtituerint. (Cõ
ſtituiſſe enim inter ſe plurima pro eccleſiaſti
ca diſciplina, hierarchia, ordineq́; conſeruan
do, certum eſt. Nã apoſtolicos canones agno-
uit vniuerſa Chriſti eccleſia, atq; adeo Nice-
num cõcilium) quam quiſq; prouinciam ſor
titus, quid in ea egerit, quo exitu glorificaue
rit Deum, quid Antiochiæ aut Romæ geſſe-
rit Petrus, quo pacto ſub Nerone vna cũ Pau
lo glorioſum ibidem conſummauerit marty
rium, ex eiſdẽ ſibi exegerit demõſtrari, alio-
qui nihil omnium eorum crediturus: cum e-
uangelia vnam ſaluatoris noſtri explicare co
nentur peractam in terris hiſtoriam, & inter
homines vitam & conuerſationem: Ita & apo
ſtolicę illæ epiſtolę pro nata occaſione neceſ-
ſitatis vnius aut alterius eccleſiarum particu
larium ſcriptæ ſunt. Ne quis opinetur, ſi non D
vna, ſaltẽ vniuerſis epiſtolis ſuis voluiſſe apo
ſtolum comprehẽdere vniuerſa noſtræ fidei,
Chriſtianæq; doctrinæ præcepta & myſteria.
Non enim velut continuum aliquod opus, il
las cõtexuit epiſtolas, ſed tanquàm ſollicitu-
dinem gerens eccleſiarum Chriſti, vt audiuit
vſpiam aliquid exortum ſcandali, aut ſuper-
ſeminatum zizaniæ aduerſus primæuam, ger
manamq́; traditionem apoſtolicam, ſtatim oc
currit: fideles magis corroborans in fide, du-
bios confirmans, errantes ſeductoſq́ue reuo
cans, ſeductoribus reſiſtens, vnum hoc vni-
uerſis ſuis illis epiſtolis agens perpetuo, ne
ab ea, quam acceperant, apoſtolica traditione
declinarent latum digitum. Nec mihi fit veri
ſimile, cum primam earum ſcriberet, quic-
quam cogitaſſe de ſcribendis reliquis, non-
dum videlicet enatis ſcibendi earundem oc-
caſionibus & argumentis. Nec ſcripſiſſe illas
eccleſię catholicę, ſed ſingulas ſingulis eccle-
ſijs particularibus aut perſonis, vt quæq; ſcri
bendi peculiarem cauſam exhibuit. Id quod
euidenter conuincitur in ea, quę ad Philemo
nem ſcripta eſt epiſtola. Quæ præter familia-
rem commẽdationem & deprecationem pro
vno Oneſimo ſeruo eius fugitiuo, nihil pror
ſus continet. quam certum eſt, in hoc ſcriptã
non fuiſſe à Paulo, vt publicè legeretur in ca
tholica Chriſti eccleſia. Obtinuit tamen hoc
eius

A eius in vniuerſam eccleſiam ſollicitudo, ſtudium, labor, & officium fideliter prędicati lōgè lateq; euangelij, ſingularisq; autoritas, vt quicquid Pauli certò agnoſceretur, ab omnibus religioſe, & ſumma cum veneratione amplexaretur, & tandem publicè legeretur in eccleſia. Quæ quatuordecim illas eius epiſtolas ſub ſui chirographi certa fide cōſignatas, nobis legēdas tradidit, cum alioqui nobis prorſus eſſent incognitæ.

Ex his euidens factum puto, latius patere, & magis vniuerſalem eſſe eccleſiaſticæ traditionis, quàm ſcripturarum autoritatem: quēadmodum & nobis eſt ea notior ac manifeſtior. Siquidem harum autoritatem ab illius autoritate nobis dependere, ſuprà euidenter demonſtrauimus. Deinde nec continere has ex profeſſo, vniuerſam illam Chriſtianæ doctrinæ traditionem, quam ab apoſtolis primitiua eccleſia acceptam, fideliterque conſeruatam, continua ſucceſsione epiſcoporum & patrum tranſmiſit ad nos, vt traditione magis, quàm ſcripto nititur lex euangelica.

Origenes in numer. homilia 5.

In Numeros ita ſcribit Origenes: In eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ cum omnibus facere neceſſe eſt, non tamē eorum ratio omnibus patet. Nam quod (verbi
B gratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cœli plagis ad ſolam Orientis partē conuerſi fundimus orationem, nō facilè cuiquam puto eſſe rationem compertam. Sed & euchariſtiæ, ſeu percipiendæ, ſed quo ritu geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptiſmo verborum, geſtorumque atque interrogationum ac reſponſionum, quis facile rationem explicet? Et tamē hęc omnia, operta licet & velata, portamus ſuper humeros, cum ita implemus ea & exequimur, vt à pontifice magno Chriſto, & filijs eius tradita & commendata ſuſcepimus. Hactenus Origenes. Quæ tamen ita velim legas, vt in illis intelligas, non vnius Origenis ſenſum, ſed catholicæ, quę ſuo ſeculo fuit, orthodoxęq; eccleſiæ: cuius illis verbis ea de re ſententiā exprimit. Ex quibus vides vnde nobis, quas nūc ſtolidi ac miſelli quidam contemnunt, quod in euangelio ſcriptæ non ſunt, cęremonię illæ eccleſiaſticæ. A quo ſuſcepit chriſti eccleſia, quam adhuc retinet formam, ritumq; verborum & geſtorum in ſacramentis ſuis, nempe à pōtifice magno Chriſto & filijs eius apoſtolis, ipſo nimirum autore, doctoreq; commendata ac tradita. Neque enim alia eccleſijs tradidiſſe apoſtolos, quàm quæ edocti erant vnctione ſpiritus, aut alia illius ſpiritus, alia verò Chriſti eſſe credendum eſt. Non enim loquetur, inquit, à ſemetipſo, ſed quæ
C audiet loqnetur. Quid eſt, quod à ſemetipſo non loquitur? hoc nimirum quod à ſemetipſo non eſt. A quo ergo audit quæ loquitur? ab eo vtique, à quo & eſt & mittitur. *Ioan. 16.* Cum autem venerit, inquit, paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit. Nunqnid mittentem non audis, & cuius ſit ſpiritus? nempe veritatis & Chriſti. Audit ergo à patre & filio, neque alia quàm quæ audit, loquitur. *Ibidem* Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Vides ergo cui accepta referenda ſunt, quæ apoſtolos docuit vnctio ſpiritus, & quæ ex apoſtolica traditione accepit, ſeruatque ſancta mater eccleſia.

Cyprianus ille glnrioſus martyr & pontiſex, Origene quidem paulo poſterior, tamen eidem contemporaneus, de ablutione pedum, quam die Iouis ſancta, ritu ſolenni, vniuerſa ſeruat eccleſia, audi quid ſcribat ſermone de ea peculiari: Ipſe ſummus ſacerdos, ſui eſt ſacramenti, euchariſtiæ videlicet inſtitutor & autor. In cæteris homines ſpiritum ſanctum habuere doctorem. At ſicut par eſt ſpiritui ſancto & Chriſto diuinitas, ita in ſuis ſtatutis æqua eſt autoritas & poteſtas. Nec minus ratum eſt, quod dictante ſpiritu ſancto
D tradiderunt apoſtoli, quàm quod ipſe tradidit Chriſtus, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Manet ſingulis dignitas propria, & vniformis in ſuo genere ſtat autoritas omnium, nihil addi, nihil ſubtrahi, nihil corrigi poteſt vel mutari. Hactenus ille Cyprianus. Quo teſte, rurſus audis catholicæ eccleſiæ, quæ illo ſeculo viuebat, ad nos prolatam ſententiam, ei per omnia conſonam, quā & Origene illo, ex altero & diuerſiſsimo orbis loco teſtificāte, paulo ante audiſti, vnde nobis ritus illi ſolēnes, quos adhuc hodie obſeruat ſancta mater eccleſia. Et quod nuper nati non ſunt, nec ab homunculis conficti, vt nunc impia temeritate ſomniant, qui pręcipuum nobis auferre conantur noſtræ fidei, religioniſq; principium. Sed ex ipſa traditiōe apoſtolica. Vides qnoque apoſtolicæ traditionis eiuſmodi autoritatem, quæ ſpiritum ſanctum doctorem autoremq; habnit. Sicut enim par, inquit, eſt ſpiritui ſancto, & Chriſto diuinitas, ita in ſuis ſtatutis æqua eſt autoritas & poteſtas. Nec minus ratum eſt, quod dictante ſpiritu ſancto tradiderunt apoſtoli, quàm quod ipſe per ſe tradidit Chriſtus, & in ſui commemorationem fieri præcepit.

Tertullianus ille ſui temporis clariſsimus in eccleſia ſcriptor, Origeni quidē contemporaneus ſed aliquanto vetuſtior, Cypriani

autem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ſciens pro ſua ſapiĕtia, res vſu tritas,& vnde-
A cũq; parabiles expoſitas eſſe contĕptui,quod
verò ſepoſitum,quodq́; rarum eſt, huic natu
ra coniunctam ſummam admirationem. Ad
eundem profectò modum,& qui in primor-
dijs eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt apo-
ſtoli,in occulto,ſilentioq;,myſterijs ſuam ſer
uauere dignitatem. Neq; enim omninò my-
ſterium eſt,quod ad populares, aut vulgares
aures effertur.Hęc eſt ratio cur quędam citra
ſcriptum ſunt tradita, ne dogmatum cogni-
tio propter aſſuetudinĕ vulgò veniret in con
temptum.Aliud autem eſt dogma, aliud edi-
ctum.Nam dogmata ſilentur,edicta publicã-
tur.Eſt autem ſilentij inſtar obſcuritas, qua
vtitur ſcriptura,mentem ad contemplationĕ
dogmatum inhabilem exercens. Idq; ad vti-
litatem verſantium in ſcripturis. Poſt com-
memoratas deinde & alias plurimas obſerua-
tiones,quas ab ipſis apoſtolorũ temporibus,
nihil dubium,ex apoſtolica traditione citra
ſcriptum obſeruat catholica Chriſti eccleſia:
Dies,inquit,me deficiet, ſi eccleſię myſteria
vniuerſa citra ſcriptum tradita pergam recen
ſere.Hęc ille verè magnus Baſilius,In quibus
audis, ad quàm multa ſe extendat eccleſiaſti-
cę traditionis autoritas,ad quæ ſe non exten
B dunt ſcripturæ.Audis præterea,cur nõ expe-
diat omnia noſtrę religionis myſteria ſcripto
commendari.Audis deniq;,quæ citra ſcriptũ
obſeruat ſancta mater eccleſia,non minorem
vim ad pietatem habere, quàm quæ ſcripta
ſunt in euangelijs.

Diuum Auguſtinum ſuperius audiuiſti aſſe
rentem baptiſma paruulorum, nunquid ex
ſcripturis?Paruuli,inquit, baptizati ponũtur
in numero credentium,& hoc ſolum ex con-
ſuetudine eccleſiæ antiqua,canonica,funda-
tiſsima.Hoc habet, inquit, autoritas matris
eccleſiæ,hoc ſundatiſsimæ veritatis obtinet
canon.Audis fundatiſsimæ veritatis canonĕ,
non equidem ſcripturas,ſed eccleſiaſticam ſi
ne ſcripto obſeruationem.

Hieronymus Vigilantium contemnentĕ,
ridentemq; ritum eccleſiæ in veneratiõe ſan
ctorum,tanquam ſub religionis prætextu ex
gentilitate introductum, in eccleſijs cereorũ
moles fulgente ſole accendere: & puluerem
reliquiarum beatorum martyrum in precio-
ſo vaſculo circundatum linteo aliquo pre-
cioſo oſculando adorare,& ęſtimare inde ho
norem competere ſanctis martyribus, tan-
quam noſtro lumine illuſtrãdis, quos agnus
in medio throni cum omni ſulgore maieſta-
Apoca.5. tis ſuæ illuſtrat.Dicentem inſuper,ſtulte à no
bis implorari ſuffragia ſanctorum,vt qui no-
bis adeſſe & opitulari non poſsint.Hunc, in-
quam,Vigilantium(cuius proh dolor iã mul
ti reuixerunt diſcipuli, etiam qui egregiè pij C
videri volunt)quibus tandem armis cõgreſ-
ſus eſt orthodoxus ille Hieronymus? quibus
confecit ac iugulauit telis? Certè ſcripturas
non audies.Nam reijciens ac refellens primò
notoriam quam ille orthodoxis catholicę ec
cleſię filijs intentauit calumniam,impudenſ-
q́ue mendacium: Quis, inquit, martyres vn-
quam adorauit, aut martyrum oſſa? Non o-
mnis qui colit ac veneratur aliquid, mox il-
lud adorat. Veneramur martyrum reliquias,
nõ adoramus.Ipſam venerationem reliquia-
rum ſanctorum martyrum nunc audi, quo
adſtruat argumento.Si ſacrilegi ſunt,inquit,
qui veneramur illa, ergo ſacrilegus ſuit Con
ſtantinus Imperator, ergo omnes eccleſia-
rum epiſcopi, non ſolum ſacrilegi, ſed & ſa
tui, qui reliquias in ſerico & vaſe aureo por-
tauere. Conſtantinus Imperator Conſtanti-
nopolim tranſtulit ſanctas Andreæ, Lucæ,&
Timothei reliquias,apud quas dæmones ru-
giunt. Romanus pontifex offert domino ſa-
crificia ſuper mortuorum hominum Petri
& Pauli oſſa veneranda, & tumulos eorum
arbitratur altaria Chriſti. Hæc quidem ille
de veneratione reliquiarum ſanctorum mar
tyrum, in quibus audis adamantinum illud
robur traditionis eccleſiaſticæ, & commu- D
nis per orbem catholicæ eccleſiæ obſeruati-
onis, non euangelicas ſcripturas. Ritum ve-
rò illum, quem Vigilantius ridebat, vene-
rationis per accenſos cereos,& id genus alia,
hac ratione tuetur: Cauſabantur, inquit, o- *Matth.26.*
lim Iudas & apoſtoli quod periret vnguen- *Mar.14.*
tum effuſum in caput domini,ſed voce illius
correpti ſunt. Neque Chriſtus indigebat vn-
guento, neque martyres lumine cereorum
qui accenduntur, non ad illuminandum mar
tyres, non ad ſugandas ab illis tenebras, ſed
vniuſcuiuſque deuotio recipitur à Deo, &
ſub typo luminis corporalis lux æterna o-
ſtenditur.Sic per totas Orientis eccleſias quã
do legitur euangelium, accenduntur lumi-
naria,iam ſole rutilante. Hic nunquid alias
ſcripturas audis? Pro ſuffragiis verò ſancto-
rum & martyrum nobis magnoperè ex-
petendis. Si,inquit, apoſtoli & martyres,
cum adhuc eſſent conſtituti in corpore, po-
tuerunt orare pro cæteris, quando adhuc
pro ſeipſis debebant eſſe ſolliciti,quanto ma
gis orant pro aliis poſt coronas, poſt trium-
phos & victorias? Vnus Moyſes ſexcentis mil
libus armatorum impetrauit à Deo veniam.
Stephanus imitator domini ſui & primus
martyr,pro perſequutoribus ſuis veniã de-
precabatur.Quomodo minus valebunt cum *Act.7.*

Chriſto

Chriſto iam regnantes?Hæc ille orthodoxus
A Hieronymus aduerſus Vigilantium, quem
ipſe communem eccleſiæ ſententiam,obſer-
uationemq́; contemnentem, non dubitauit
habere pro hæretico,quamuis ſcripturis non
contradiceret:quemadmodum eundem ha-
buit vniuerſa deinceps orthodoxa Chriſti ec
cleſia. Ita & in Eſaiam ſcribens, dicit fuiſſe
quoſdam hæreticos,qui contemnebant ſan-
ctorum martyrum baſilicas. Quales, inquit,
nuper ſub magiſtro cerebroſo in Gallia pul-
lularunt,qui baſilicas martyrum declinãtes,
nos,qui oratiões ex more celebramus, quaſi
immundos fugiunt.Audis hęreticos Hiero-
nymo fuiſſe,qui contemnebant ad baſilicas
& venerandas reliquias martyrum iuxta mo-
rem eccleſiæ orationes celebrare.Quod ſi or
thodoxo illi cõmunicamus in fide,& in bea-
titudine optamus communicare, nunquid &
nobis non ſunt hæretici?Sunt planè. Et ſunt
anathema,quicunq; communi, receptæq́; ab
antiquo obſeruationi & traditioni eccleſia-
ſticæ contradicũt,tametſi nullę ſcripturę ad-
uerſentur apertè.

Audis itaq; iſtis omnibus,tam multis, tam
ſanctis,tam doctis patribus,quãto,quàm ſcri
pturarum ſit vniuerſalior autoritas traditio-
B nis eccleſiaſticæ, quàm multa ſine ſcripto ex
ea teneant.Et cum Irenæum audis, cum Ori-
genem,Cyprianum,Baſilium, Hieronymum,
Auguſtinum,hac de re conſonam,imo vnam
proferentes ſententiam,nolo imagineris to-
tidem hominum, eruditiſsimorum quidem
& ſanctiſsimorum,attamen hominum te au-
dire ſententiam,quæ nobis pręiudicare non
poſsit,nec fidei,religioniſq́; legem pręſcribe
re.Neq; enim eorum tantum, ſed totius or-
thodoxæ per vniuerſum orbẽ tunc diffuſę ec
cleſiæ(cuius & ſunt & fuerunt columnę quę-
dam præcipuę)audis ſententiam.Quæ per il-
los ex quatuor orbis terrę cardinibus conſo-
nam,imo vnicam ſuam ad nos profert ſentẽ-
tiam.Neq; enim aliud Irenæum,Tertullianũ,
Origenem,Cyprianum,Baſilium, Hierony-
mum,Auguſtinum,de eccleſiaſticæ traditio-
nis & obſeruationis autoritate,tanto conſen
ſu ſenſiſſe credendum eſt, quàm quod com-
muniter ſentiebat orthodoxa Chriſti eccle-
ſia,de qua cuiuſq; ſententia,non de ſua ipſo-
rum,propriè ſemper loquuntur.Cuius ſi hac
de re propria ipſius voce ſententiam adhuc
audire deſideras, eam audies ex libello pro-
feſsiõis orthodoxæ fidei,ſub qua ab illo Ori
entalium eccleſiarum per Acatium Conſtan-
tinopolitanum epiſcopum, excitato ſchiſma
te ſub Hormiſda Romano pontifice,eædem
reconciliari meruerunt,& redierunt ad gre-
mium,vnitatemq́; matris eccleſiæ. Quam nõ
torium eſt,fuiſſe orthodoxæ & catholicę ec- C
cleſiæ fidem ac profeſsionem, ad cuius vnita
tem ea fidei profeſsione reuertebantur. In
quo quidem profeſsionis libello, inter alia
multa ita legitur:Quia prima ſalus eſt, rectæ
fidei regulam cuſtodire,& à patrum traditio
ne nullatenus deuiare.Sed poſt ei⁹ tragœdiæ
plenius explicãdę locus incidet commodior,
vbi & ſub certiſsima fide proferemus illum
profeſsionis orthodoxę fidei libellum. Ex
quo hoc interim audis, quę ſit & fuerit ſentẽ
tia ac fides catholicæ Chriſti eccleſię de tradi
tione patrum & eccleſiaſtica,nempe hoc eſſe
ſalutis principium,illi firmiter inhęrere & ab 1. Tim. 3
ea nullatenus deuiare.At eccleſię teſtimoni-
um perhibẽt & Chriſtus & Apoſtolus: Quod
ipſa ſit columna & firmamentum veritatis,ſe-
cum permanentem habens in æternũ illuſtra
torem,doctoremq́; ſpiritum ſanctum.Cuius
ſententiam qui non audit, non amplexatur, Matth. 18
non ſequitur,ad ouile Chriſti non pertinet.
Sed ſit tibi,inquit ipſe Chriſtus,tanquã ethni
cus & publicanus. Quanquam quod ad prę-
ſentem diſputationem pertinet,nõ puto du-
bitaturum quenquam,qui quę ſuperiori ca-
pite demonſtrauimus,diligẽter legerit, quin D
latius longè pateat eccleſiaſticæ traditionis,
quàm ſcripturarũ autoritas vel eo ſolo,quod
illam ad ipſas etiam ſcripturas ſe extendere,
& non contrà,fecimus euidentiſsimum.Scri-
pturis enim non propter vllas ſcripturas cre
dimus,quæ omnes, quãtum ex ipſis eſt,ęquè
nobis ignotę ſunt, ſed tantum propter teſti-
ficantem eccleſiam.

*Magis idoneam & efficaciorem eſſe eccleſiaſticæ tradi
tionis autoritatem, quàm ſcripturarum in re du
bia,ad fidem,certitudinemq́; faciẽdam,
etiam ubi id, de quo agitur,ex ſcri
pturis conſtare poterit.*

Cap. IIII.

NVnc & hoc demonſtrandum eſt,
quod magis idonea ſit & effica-
cior eccleſiaſticę traditionis auto
ritas in re dubia, aut quacunque
excitata cõtrouerſia,ad fidem,certitudinem-
que faciendam,quàm ſint ipſę ſcripturę.Quã
doquidem clariorem eſſe conſtat, magiſque
apertam & planè inflexibilem communem ec
cleſiæ ſententiam, traditionemq́; eccleſiaſti-
cam. Cum contrà ſcripturæ plurimum fre-
quenter obſcuritatis habeant,& ſe trahi, ac-
commodariq́; in diuerſam, & ad eam, quam
quis ſecum ante pręſumpſit ſentẽtiam, & elu
di cauta expoſitione, facilè permittant. Pro-
inde & harum certam, inflexibilemq́; amuſ-
ſim

ſim eſſe eccleſiaſticæ traditionis communem A ſententiam. Cui quando aptantur, ſi qui locus incidat obſcurior, ſi quid difficultatis occurrat, aberrari à veritate non poſſe certum eſt. Quemadmodum, cum neglecta, contempta, reiectaq; amuſsi illa leguntur & tractantur pro cuiuſque captu & ingenio, fit nobis menſa noſtra in laqueum, in captionem & ſcandalum, & vnde refici inſtruiq; nos oportebat, omnis nobis erroris, omniumq; hæreſium fit ſeminarium.

Sanctus ille glorioſuſq; martyr & pontifex Clemens, beati Petri ſucceſſor, ſcribit docuiſſe Petrum diligenter obſeruandum eſſe, vt lex Dei cum legitur, non ſecundum propriã ingenij iotelligenriam legatur vel doceatur. Sunt enim, inquit, multa in ſcripturis diuinis, quę trahi poſſunt ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque pręſumit. Et ideo oportet intelligentiam ſcripturarum ab eo diſcere, qui eam à maioribus ſecũdum veritatem ſibi traditam ſeruat. Vides ſcripturarum amuſſim, eccleſiaſticæ traditionis veritatem à maioribus acceptam.

Scripturarũ obſcuritas.

Impudentiſsimè iactitant ſuperbi tumidique hęretici, à quibus ſapientiam ſuã abſcondit Deus, omnia ſibi eſſe peruia in ſcripturis, B non ſe præceptores, non interpretes requirere, non quid eccleſia in ſcripturis ſentiat, ſed ipſas ſibi eſſe per ſe facilimas & ſuiipſi⁹ interpretes. Diſcẽdas ipſas per ſeipſas. Hęc ſibi perſuaſit impurus ille impiuſq; Lutherus, hęc & alijs nititur perſuadere, quò eccleſiaſticæ traditionis autoritatem, vt nullius momenti, vt ſuperuacuã tollat è medio, & nos, eccleſiamq; Chriſti in dẽſiſsimas tenebras, in confuſionẽ pluſquam Babylonicam præcipitaret. At ille orthodoxus eruditiſsimuſq; Hieron. qui ab adoleſcentia (vt de ſe ſcribit) non ceſſauit aut legere vnquã, aut doctos viros ea quę neſciebat, interrogare. (Neq; enim, inquit, meipſum tantum, vt pleriq;, habui magiſtrum. Denique nuper ob hanc vel maximè cauſam perrexi Alexandriã, vt viderem Didymum, & ab eo in ſcripturis omnibus, quæ habebam dubia ſciſcitarer.) Hic, inquam, ille Hieronymus ad Paulinũ ſcribens, & difficultatem, obſcuritatemq; ſcripturarum commemorans, oſtendit nos in eiſdem, ſine pręuio & pręmonſtrante doctore, ſemitam ingredi non poſſe. Et impudens os illud ſibi per ſe peruia iactat omnia ſine pręuio duce ac præmonſtrante iter doctore?

Scilicet hi ſunt illi paruuli in oculis ſuis, quibus ſapientiam ſuam reuelauit Deus pater. Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem & Danielem, quis (inquit ille) poteſt intelligere vel exponere? Quorum tertius Ezechiel, principia & finem tantis habet obſcuritatibus in- C uoluta, vt apud Hebręos ipſæ partes cum exordio Geneſios ante annos XXX. non legantur. In Actibus apoſtolorum ſanctus ille Eunuchus cum legeret Eſaiam prophetam, interrogatus à Philippo, putaſne quæ legis, intelligis? reſpondit: Quomodo poſſum, niſi aliquis me docuerit? Ego, inquit ille Hieronymus, vt de me loquar interim, nec ſanctior ſum hoc Eunucho, qui de Aethiopia, id eſt, de extremis mundi finibus, relicta aula regia venit ad templum, nec ſtudioſior, tãtus quippe amator legis, diuinæque ſcientiæ fuit, vt etiam in vehiculo legeret ſacras literas. Et tu quiſquis es, qui perſuades tibi tam faciles intellectu ſcripturas, vide qua fronte te ſanctiorem, diligentioremque præſumas, aut illo ſanctiſsimo, ſtudioſiſsimo, eruditiſsimoque Hieronymo, aut ſancto illo, quem tantopere præ ſe pręedicat, Eunucho? Idem ille Hieronymus, Iacobus, inquit, Petrus, Ioannes & Iudas, VII. epiſtolas ædiderunt, tam myſticas quàm ſuccinctas & breues pariter & longas; breues in verbis, longas in ſententijs, vt rarus ſit, qui non in earum cęcutiat lectione. Et quis eſt omnium tractatorum veterum, qui in Paulinis epiſtolis non confiteatur, nimia D ſe difficultate & perplexitate tam ſententiarũ quàm ſermonis retineri? Apocalypſis Ioãnis tot habet, inquit ille, ſacramẽta quot verba, imo in ſingulis verbis multiplices latent intelligentię. Hęc eorum de ſacris literis cenſura eſt, quorum omne ſtudium, omnis volũtas ſemper fuit in lege domini, & qui eas vita, moribuſq; expreſſerunt, & inhabitãtis in ſe Chriſti ſpiritus euidẽtiſsimã ſigna ędiderũt. Et nũc, ſi dijs placet, derepẽte factæ ſunt intellectu tam faciles, tam apertæ, tam peruię, etiam agricolis, opificibus, nautis & viliſsimę feci ex infima plebe. Qui nihil vnquã minus quàm cogitarunt de Deo, ſed quorum omne ſtudium fuit inter aleam, ceruiſiam & ſcorta, ſub nouo hoc ſuo magiſtro Luthero, nouo ſcilicet paracleto, qui ſuos omnes derepentè in alios homines transformat & θεοδιδάκτους facit. Petr⁹ de Paulinis epiſtolis loquẽs: Sunt, inquit, in illis quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. At iſti nulla in illis difficultate remorantur. Sed videant, ne ipſos veluti digito deſignet Apoſtolus indoctos & inſtabiles, qui deprauent ſcripturas ad ſuam aliorumq; perditionem. Propoſita eſt in commune menſa diuinæ ſcripturę, tã nobis, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ filijs, quàm Iudęis & hęreticis. Sed

Actor. 8.
Eſaiæ 52.
2. Petri 3.

nobis ad animæ refectionem, fidei robur &
A ſalutem:Iudæis verò & hæreticis in laque-
um,in captionem,in ſcandalum & in retribu
tionem. Iudæis quidem (vt quibus in ho-
diernum diem manus plenæ ſunt Chriſti ſan
guine, quippe conſentientibus patrum ſuo-
rum parricidio,& Chriſtum dominum blaſ-
phemantibus) miſcuit Deus ſpiritum ſopo-
ris in tanti ſceleris retributionem, factaque
eſt ipſis ſcriptura ſancta in captionem,in ſcã-
dalum & in iudicium proprinm. Nos, inquit
2.Cor.3. Apoſtolus,ſpem habentes in Chriſtum,mul-
ta fiducia vtimur, & non ſicut Moyſes po-
nebat velamen ſuper faciem ſuam,vt non in-
tenderent filij Iſraël in faciem eius,quod eua
cuatur,ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum, vſque
in hodiernum enim diem idipſum velamen
in lectione veteris teſtamenti manet non re-
uelatum,quoniam in Chriſto euacuatur.Sed
vſq; in hodiernum diem, cum legitur Moy-
ſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.
Cum autem connerſi fuerint ad dominum,
auferetur velamen.In Chriſto enim, inqnit,
euacuatur.Ipſe enim eſt ille,qui vicit Leo de
tribu Iuda,radix Dauid,vnus omnium qui in
cœlo,& qui in terra inuentus,qui aperiret li-
Apoca.5. brũ,& ſolueret ſignacula eius,hoc eſt, reclu-
deret myſteria legis & prophetarum.Ad quẽ
B qui ex Iudęis non conuertũtur,ipſis eſt viſio
omnium, veluti verba libri ſignati.Eſt ita-
que & nobis & Iudæis communis veteris te-
ſtamenti ſcriptura,ſed non intelligentia. Eſt
& hęreticis vtriuſque teſtamenti communis
nobiſcum ſcriptura,quam vtriq; veriſsimam,
& certæ indubitatæq; fidei confitemur, ſed
diſcors etiam intelligentia. Siquidem nos
eam dirigimus ad amuſsim illam eccleſiaſtici
& catholici ſenſus,illi relicta & cõtempta ec-
cleſiaſticæ traditionis illa regula,ſuo eam ſen
ſu intelligunt,quam illa amuſsi non adhibi-
ta,tot ferè & tam pugnantibus modis contin
git intelligere,quot ſunt homines, & quàm
diuerſi.Neq; ideo ſunt hæretici,Nouatianus,
Sabellius,Donatus, Arrius,Eunomius,Mace
donius,Photinus,Apollinaris, Priſcillianus,
Iouiniauns,Pelagius,Cæleſtius,Neſtorius,&
poſtremò vniuerſæ, quę nunc per eccleſiam
Chriſti lõgè lateq; debacchatur,quamuis in-
ter ſe pugnantiſsimorum,ſub vno tamen ma
giſtro Luthero,hęreticorum colluuies, tam
varijs & pugnantibus inter ſe ſectis & ſenten
tijs,vt dinumerari vix poſsint.Hi,inquam,vni
uerſi non ideo ſunt hæretici, quia ſcripturis
nõ credũt,ſed qnia nõ credunt eccleſiæ,quia
ſcripturas ſuo,non eccleſiæ ſenſu intelligũt,
quia contempta catholica antiquitate eccle-
ſiaſticæ traditionis, prophanas dogmatũ ſuo
rum nouitates introducunt. Nouitates, in-
qnã,quæ ſunt catholicæ vetuſtati contrariæ, C
non quærentes Chriſtum in corpore eccle-
ſiæ,ſed in deſerto, in angulis, in domorum
penetralibus, vbi eodem Chriſto teſte fru-
ſtra quæritur. Ita nulla vnquam hæreſis, ni-
ſi ſub certo nomine, certo loco,certo tempo
re ebnlliuit, & prophani alicuins dogmatis
nouitatem excogitauit.Nouitatem, inquam,
quam antè ignorauerat catholica Chriſti ec-
cleſia.Quis enim ante ſceleratum Arrium in-
diuiduæ trinitatis vnitatem diſcindere, quis
ante impium Sabellium vnitatis trinitatem
cõfundere in eccleſia auſus eſt? quis ante cru
deliſsimum Nouatianum crudelem Deum di
xit,eò quod mallet mortem moriẽtis, quàm
vt reuertatur & viuat?Quis ante Magum Si-
monem apoſtolica diſtrictione percuſſum (à
quo vetus ille turpitudinum gurges ad no-
uiſsimũ Priſcillianum cõtinua & occulta ſuc
ceſsione manauit)autorem malorum, id eſt,
ſcelerum,impietatum,flagitiorumq; noſtro-
rum, auſus eſt dicere creatorem Denm?
Quis vnquam ante prophanum illum Pela-
gium tantam virtutem liberi præſumpſit ar-
bitrij, vt ad hoc in bonis rebus actus ſingu-
los adiuuandum,neceſſariam Dei gratiã non
putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum
eius Cœleſtium, reatu præuaricationis Adę, D
omne humanum genus denegauit adſtri-
ctum? Innumera ſunt einſmodi, quibus cun
ctis ſatis euidenter perſpicueque monſtra-
tur, hoc apud omnes hæreſes ſolenne ac le-
gitimum eſſe,vt prophanis nouitatibus gau-
deant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per
oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide
naufragent.Non deſunt illis ſcripturarum te
ſtimonia,vna illis deeſt amuſsis,& regula re-
ctę intelligentiæ earundem. Nam ſi legas,
ſeu veterum, ſeu recentium hæreticorum
opuſcula, cernas prope nullam omitti pagi-
nam,quę non noui aut veteris teſtamenti ſen
tentijs fucata & colorata ſit.Sed tanto magis
pertimeſcendi & cauendi ſunt, quanto oc-
cultius ſub diuinę legis vmbraculis latitant,
& ſub cœleſtis eloquij veluti quodam aro-
mate ac dulcedine, virus ſuum propinãt in-
cautis. Cuius & ipſe ſaluator nos admonet:
Attendite,inquit,à falſis prophetis,qui veni- Matth.7.
unt ad vos in veſtitu ouiũ, abintus autẽ ſunt
lupi rapaces.Quid autem eſt veſtitus ouium,
niſi prophetarum,apoſtolorum & euãgeliſta
rum proloquia?quę eidem ouili quadam ſyn
ceritate agno illi immaculato,tanquã vellera
quędam intexuerunt. Qui verò lupi rapaces
his velleribus obtecti, niſi ſenſus hæretico-
rum feri & rabidi, qui caulas eccleſię ſemper
inſe-

ſoſeſtant,& gregem domini quaqua poſſunt,
A lacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus ob-
repant,manente lupina ferocia, depoount lu
pinam ſpeciem , & ſeſe diuinæ legis ſenten-
tijs, quaſi velleribus quibuſdam obuoluunt;
vt cum quiſque lanarum molliciem præſen-
ſerit, dentium aculeos nequaquam pertime-
ſcat.Sed quid ait ſaluator? Ex fructibus eo-
ibidem. rum cognoſcetis eos,Hoc eſt:Cum cœperint
diuinas illas voces noo proferre tantum , ſed
ſuis,noo Chriſti dogmatibus accommodare,
non tantum iactare,ſed ſuo,non eccleſię ſen-
ſu eas interpretari & exponere , tunc ſe pro-
dit illa amaritudo & acerbitas,tunc ferina ra-
bies iotelligitur, tunc exhalatur nouitium vi
rus , tunc prophanę nouitates experiuntur,
tunc primum ſciodi ſepem videas,tunc tranſ-
ferri patrum terminos , tunc catholicam fidē
cædi,tunc eccleſiaſticum dogma lacerari. Ta-
les erant hi , quos percutit Paulus apoſtolus
2.Cor.11. dicens:Nam huiuſmodi pſeudapoſtoli,opera
rij ſubdoli transfigurāt ſeſe in apoſtolos chri
ſti.Nec mirum eſt,inquit.Ipſe enim Sathanas
transfigurat ſe in angelum lucis. Non ergo
magnum,ſi miniſtri eius trāsfigurentur,ſicut
miniſtri iuſtitiæ, ſi capitis ſui callida machi-
namenta ſecteotur,quę ille ad nocendum ef-
B ficaciſsima nouit.Nulla eoim eſt alia ad falleo
dū via facilior, quàm vbi nefarij erroris ſub-
inducirur fraudulentia,ibi diuinorum verbo
rum prætendatur autoritas. Quod ſi ipſum
dominum maieſtatis non dubitauit his ar-
mis appetere,quid non faciet miſellis homi-
Math.4. nibus?Apud Matthęum ita legitur: Tunc aſ-
ſumpſit illum diabolus, id eſt, domioum ſal-
uatorem,& ſtatuit illum ſupra pinnam tem-
pli,& dixit ei: Si filius Dei es , mitte te deor-
ſum.Scriptum eſt enim,qood angelis ſuis mā
dauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs
tuis.Si,inquit,filius Dei es,mitte te deorſum.
Quare?Scriptum eſt enim,ioquit.Hic (.quod
ille diligenter admonuit)nobis quoque ite-
rum iterumq́ue inculcandum eſt, vt huius lo
ci doctrioam magnoperè & attendamus & re
tineamus omnes , quo tanto euangelicę au-
toritatis exemplo,quando apoſtolica ſeu pro
phetica aliquem verba contra catholicam ,
vniuerſalemq́ue eccleſię fidem proferre vide
rimus,diabolum per eum loqui nihil dubite-
mus.Nam quemadmodum tuoc caput capiti,
ita nunc quoq; membra membris loquūtur,
membra ſcilicet diaboli membris Chriſti,
perfidi fidelibus,ſacrilegi religioſis , hęretici
poſtremò orthodoxæ & catholicę eccleſię fi-
lijs.Et quid tandem dicunt? Si filius Dei eſſe
vis, ſi hęreditatem regni cœleſtis conſequi ,
mitte te deorſum , dimitte te ex atce illa ca-
tholicæ eccleſiæ,quę ędificata eſt vt ciuitas ſu
per mootem poſita,dimiſſaq́; eccleſiaſticę tra C
ditionis ac doctrinæ antiquitate , ooſtras ad-
inuentiones ſequere,mitte Chriſtum quęre-
re in corpore eccleſiæ , & nobiſcum quære i-
pſum in deſerto, in domorum angulis & pe-
netralibus. Si vnde ita tibi faciendum pro-
bet,vode perſuadeat, interroges , ſtatim ille;
Scriptum eſt eoim.Et cōtinuò mille teſtimo
nia,mille exempla,mille autoritates parat,de
lege ,de pſalmis , de apoſtolis , de prophetis,
quibus nouo & malo more interpretatis ex
arće catholicæ eccleſiæ in hæreſeos barathrū
infœlix anima præcipitetur.Iam verò & illis,
quæ ſequuntur promiſsionibus, miro modo
decipere conſueuerunt incautos.Audent eñ
polliceri & docere ſe oei legitimos filios eſſe,
& quod in eccleſia ſua,id eſt , communionis
ſuæ conuenticulo,magna & ſingularis ac pla-
nè perſonalis quędam adſit Dei gratia, adeo,
vt ſine vllo labore,ſine operibus bonis omoi
bus,qui ad ſuum numerum pertineot,ſola in
Chriſtum aut eius promiſsiones fide,certa ſit
ſalus,ſioe vllo ſtudio aut induſtria, ipſis cun-
ctis ita diuinitus cuncta diſpenſentur , vt an-
gelica protectione ſeruati, ounquam poſsint
ad lapidem offendere pedem ſuum , nūquam
ſcandalizari. D

Quid igitur cum ijs facieot matris eccleſię
filij?Hoc enim primò expediendum eſt. Poſt
quod explicabimus deinceps, quo pacto faci
le tuti eſſe poterūt aduerſus illius antiqui ho
ſtis tam graues,tam periculoſas inſidias.Quo
modo reſiſtere aduerſus illa diuinorum elo-
quiorum fulmioa,quibus ſua dogmata hęre-
tici ſtatuūt,tanta aliquando probabilitate, vt
etiam eruditiſsimis magoum faceſſant nego-
cium.qua demū via,qua certa methodo exur
gentium hæreticorum fraudes deprehendet
orthodoxus,& in quacūq; propoſita quęſtio-
ne quocuoq; dogmate orthodoxæ fidei veri-
tatem ab hæreticę prauitatis falſitate diſcer-
net. Hæc in ſequeotibus ſuo ordine & loco
omnia diligenter explicare & demōſtrare co
nabimur.Quod verò nūc eſt io manibꝰ, quid
cum hęreticis,qui ſua nobis contra commu-
oē catholicę eccleſię fidem conantur perſua-
dere,faciendum eſt matris eccleſię filijs?Nun
quid ad diſputationis certamen in areoa cum
illis deſceodendum eſt,vt ſcripturarum con-
uincantur argumentis efficacioribus , & eui-
dentioribus?Tertulliano imprimis non vide
tur hoc vtile conſiliū.Sed oec Paulo apoſto-
lo:Hæreticum,inquit, homioem poſt voā & Ad Tim.
alteram correptionem deuita,ſciēs quia ſub-
uerſus eſt, qui eiuſmodi eſt. Quid eſt quod
ait?Hęreticū de ſcripturis cōuioces?mioimè.

Imo: Hæreticum hominem deuita, quod diſputando facere non poſſumus. A Sed fortaſsis poſt vnam & alteram diſputationem? Non ſic Apoſtolus, ſed poſt vnam & alteram correptionem. Corripiendus igitur eſt, non diſputatione conuincendus hæreticus. Et poſt correptionem alterã deuita, inquit. Sed quid cauſæ, cur in vno hęretico obſeruandus non ſit ordo ille correptionis fraternę nobis pręſcriptus à Chriſto? Cur non ante denunciandus eccleſiæ, quàm vitandus à nobis, vt alius quilibet frater, quem tamẽ vt fratrem ſemel & iterum iubemur corripere? Cur in hoc vno non expectamus, ſed præuenimus cenſuram eccleſiæ? Ipſe ad hæc nobis reſpondeat Apoſtolus: Sciens, inquit ille, quia ſubuerſus eſt, qui eſt eiuſmodi. Horrenda profectò ſententia, & grauis nimium aduerſus hæreticos apoſtolica cenſura.

Ideo peccãtem in nos fratrem corripimus & denunciamus eccleſiæ, vt emẽdetur. At de hæreticis poſt vnam & alteram correptionẽ, omnem nobis ſpem emendæ præſcidit Apoſtolus: Sciens, inquit, quia ſubuerſus eſt, hoc eſt, funditus euerſus. Nam à fundamento omnis emendę, & conuerſionis (quod eſt orthodoxa & catholica fides) auulſus, ſuopte iudicio condemnatus eſt. B Quare in vno hęretico expectanda nobis non eſt diſtrictio cẽſurę in ipſum eccleſiaſticæ. Sua enim ipſius ſententia à communi catholicæ eccleſię ſenſu recedens, ab eadem ſe exemit, imo cõtra eccleſiã ſe ſtatuit. A qua tamen vel recedere, damnari eſt. Quiſquis enĩ, inquit Cyprianus, ab eccleſia ſegregatur, adulterę iungitur, & à promiſſis eccleſiæ ſeparatur. Nec pertinet ad Chriſti præmia, qui Chriſti relinquit eccleſiam, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt deum patrẽ, qui eccleſiam non habet matrem. Si potuit euadere qui extra arcã Noë fuit, & qui extra eccleſiam foris fuerit, euadet. Monet dominus & dicit, qui non eſt Luc. 11. mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. Hęc ille Cyprianus glorioſus martyr & pontifex. Sua ergo ipſius ſententia, ſuo iudicio, ac per ſeipſum damnatus eſt, qui ſuum ſenſum aduerſus communem eccleſiæ ſenſum ſtatuit, atq; ita ſe vltrò & ſpõte ab eccleſia ſeparat, quęrens Chriſtũ in deſerto aut domorum penetralibus, & ſe diuidens ab eo corpore, ad quod cõgregãtur aquilę. In quo vno Chriſtus eſt, ad ſeculi vſq; finem & conMat. 18. ſummationem. Deuitandũ ergo dicit Apoſtolus tanquam deploratum, nec vltrà denunciãdus eccleſiæ, qui eccleſiæ ſententiã & iudiciũ nihili facit, ſed ſuũ, aut magiſtri alicuius ſui hæretici ſenſum eidem præfert. cuius tamen autoritas aliis peccatoribus nihilo minus eſt C & manet ſacroſancta, & propterea ad correctionem, emendamq; eorum efficax. Deuita, 2. Tim. 3. inquit, tanquam deploratum, tanquam peſtilentem, tanquam præſentem peſtem, nec nouis vocibus eorum aures accommoda, ne & tu quoque eorum contagione inficiaris. Multum enim proficiũt ad impietatem, & ſermo eorum velut cancer ſerpit. Dum ergo (inquit ille Tertullianus) nouis vocibus eorum interdicit aures accommodare, ſimul & de ſcripturis cum eis diſputationem interdixit, primũ, quod nihil proficiunt, deinde, quod ſcripturæ ad ipſos non pertineant. Nam cum ex vna eccleſiaſticæ traditionis autoritate (quẽadmodum ſuprà demonſtrauimus) nobis cõſtet ſcripturarum autoritas, certũ eſt ad eos ſolos pertinere ſcripturas, qui eccleſiaſticam autoritatem agnoſcunt. Quam cum contemnant hæretici, nihil eis cum ſcripturis commune eſt, nihil ad eos pertinet ſcripturarum poſſeſsio. Quibus meritò dicit eccleſia: Qui eſtis vos? vnde & quãdo veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo iure ſyluam meam cæditis? qua licentia fontes meos tranſuertitis? Mea hæc eſt poſſeſsio. Iam olim poſsideo, habeo origines firmas. Ego ſum apoſtolorum D hæres. Ipſi apoſtoli ſicut teſtamento ſuo cauerunt, ſicut fidei meæ commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredarunt ſemper, & abdicarunt vt extraneos, vt inimicos. Vnde autẽ eſtis extranei & inimici apoſtolis? niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſque veſtrum aduerſus apoſtolicam doctrinam, quam ab apoſtolis acceptam catholica ſeruat eccleſia, de ſuo ſenſu & arbitrio profert, ſcripturas ad ſuam ſententiam attrahens, & diuerſis expoſitionibus & commentis peruertens. Quibus ſuper prophanis, inquit ille, dogmatibus ſuis neutiquã permittenda eſt ad ſcripturas prouocatio, quas non ad inflexibilem illam ſuam amuſsim, ſed ad ſuum ipſorum ſenſum intelligũt. Quare quãtumuis in ſcripturis quis exercitatus, cum illis diſputatione congrediens, nihil proficiet, neq; ipſis, neq; audiẽtibus orthodoxis. Quoniam ſiue defenderis tu quid, ſiue negaueris, ſcripturas veluti Lesbiæ ędificationis plumbeam quandam regulam, ingenii verſutia, in contrarium ſibi accommodabunt. Quos ſi dixeris vim afferre ſcripturis, & incongrua eas expoſitione torquere, idem occlamabunt tibi à ſe videlicet veritatem earundem ſtare, à te verò adulterari eaſdem. Itaque ſi tu cum illis in congreſſum deſcendas ſcripturarum propter cauſam alterius, quem dubitantem in via fidei velis confirmare. Is cum videbis

ex ſcriptu-

ex ſcripturis, nihil aliud quàm hinc inde al-
A tercationes fieri, diſcedet incertior, ignorans quam partem hæreſim iudicare debeat, æqua parte videlicet, negandi vtrinq; & affirmandi. Ergo nec ad ſcripturas prouocandum eſt, inquit, nec in ijs aduerſus hęreticos conſtituẽdum certamen, in quibus aut incerta aut parum certa eſt victoria. Hęc ante annos mille trecentos eſt & fuit illius Tertulliani ſententia, atq; adeo Pauli apoſtoli.

Cum hæreticis igitur quid nobis, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ filijs, faciendum ſit, idem clarè nos docuit Apoſtolus: Quibus poſt vnã & alteram correptionem nihil vult amplius adhiberi remedij, non informari eos, aut con uinci ex ſcripturis, non eccleſiæ denunciari, ſed deuitari velut planè incorrigibiles, & qui abierunt in profundum malorum: Sciens, inquit, quoniam ſubuerſus eſt, qui eſt eiuſmodi, & tibi ex illo graue imminet contagionis periculũ. Deuita ergo quaſi viperã, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, ne te non ſolum tactu, ſed etiã viſu afflatuq; percutiat. Quid eſt deuitare? Cũ huiuſmodi nec cibũ ſumere. Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert. Quam doctrinam? niſi catholicam & vniuerſalem, & vnam eandemq; per ſingu-
B las ætatum ſucceſsiones, incorrupta veritatis traditione manentem, & vſq; in ſecula ſine fine manſuram. Quid tum? Nolite, inquit, recipere in domum, nec aue eis dixeritis: Qui eñ dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Sicut prædiximus, inquit, & nunc ite-
Galat.1. rum dico: Si quis vobis, nimirum Chriſtianis & catholicis eccleſiæ filijs, euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit, id eſt, ſeparatus, ſegregatus, excluſus, ne vnius ouis dirum contagium innoxium chriſti gregem venenata permixtione contaminet. Vides itaq; quid nos doceant apoſtolicæ literæ, quo nos pacto erga hæreticos gerere oporteat, ne venenata eorum contagione inficiamur. Certè apoſtoli, apoſtolicíq; viri magna cura, ſummoq; ſtudio (ad noſtram nimirum doctrinam & inſtructionem) ſibi cauerũt, ne vel verbo communicarent hæreticis, memores apoſtolicæ doctrinæ prędictę.

De ſancto Polycarpo beati Ioannis euangeliſtæ diſcipulo pontifice & martyre glorioſiſsimo ſcribit eiuſdẽ auditor ſacer Irenęus: Sunt, inquit, qui audierunt eum dicentem: Quoniã Ioannes domini diſcipulus in Epheſo iens lauari, cum intus vidiſſet Cerinthum, exilierit de balneo nõ lotus, dicens ſe metuere, ne balneum cõcideret, cum intus eſſet Cerinthus, inimicus veritatis. Et ipſe Polycarpus Martioni Romæ aliquando occurrenti ſibi, ac dicenti, cognoſcis nos? reſpondit, co-
C gnoſco te primogenitum Sathanæ: Tantum, inquit, apoſtoli & horum diſcipuli habuerũt timorem, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterarent catholicam veritatem, quemadmodum Paulus ait: Ad Ti.3.
Hereticum hominem, &c. deuita. Hæc ille Irenæus.

Cuius apoſtolicæ doctrinę ſi & nos memores fuiſſemus, meliore ſanè loco eſſent res chriſtianę. Sed dum oſtentãdi ingenij & eru ditionis gratia cum Luthero in certamen deſcenditur ſcripturarum, dum ad publicas diſputationes (quę in eiuſmodi ad nihil valent quàm ad ſubuertenda audientium corda, & ad euentilandas ſub cineribus malè conſopitas hæreticę prauitatis ſcintillas) prouocatur, breuiter dum non vitantur hęretici, excitatũ eſt hoc quod nunc proh dolor videmus incẽdium. Et peruaſit hæc peſtifera lues & venenata cõtagio, non ſolum pagos, caſtella, oppida, ciuitates, ſed regna, nationes, populos, & ab ipſis penè fundamentis orbem Chriſtianum excitauit, concuſsit & commouit, vt nul
D lo vnquam tempore ab initio fœdior fuerit Chriſtianæ eccleſię facies, magis confuſus ordo, cõtemptior eccleſiaſtica diſciplina, neglectior religio, & ſemel reſuſcitata ab inferis vniuerſa iam olim damnatarũ hæreſium prodigia ac portenta. Sed hactenus erga hęreticos ipſos quo pacto nos gerere oporteat.

Qua via ac certa regula exurgentium Hereticorum fraudes facilè deprehendet orthodoxus matris Eccleſiæ filius, & catholicæ fidei ueritatem ab heretice prauitatis falſitate diſcernet.

Cap. V.

Non eſt leue, quod hic docere ag- Marc.10.
greſdimur. Sed vt ſemper magnoperè ad ſalutem neceſſarium, ita hoc periculoſiſsimo tẽpore (quo in errorem, ſi fieri poteſt, ſeducuntur & electi) omnibus qui ſeduci non volunt, ſed in orthodoxæ fidei ſynceritate fideliter permanere, ſummoperè attendendum, qua via ac certa regula exurgẽtium hæreticorum fraudes, ne eis ſeducamur, deprehendendæ ſint. Hoc enim primum eſt, & omnibus neceſſarium ad ſalutem, veluti declinare à malo. Quod verò deinceps, & velut ſecundo loco, poſſe certa methodo, via, ac ratione catholicę fidei veritatem, in quacunque propoſita quæſtione & controuerſia ab hæreticę prauitatis falſitate diſcernere ac internoſcere, nõ exigitur ęquè ab omnibus, ſed his tantum qui præſunt, & quibus plus datum eſt. Siquidem ſimplicioribus ſatis eſt, fide paſci iuxta arantes boues.

Omnibus tamen æquè neceſſarium, à fidei
A integritate non ſeduci. Qua itaq; via ac certa
regula exurgentium hęreticorum fraudes no
bis omnibus deprehendendę ſint, quo anti-
doto, quo vmbone tuti erimus aduerſus illo
rum venena, & periculoſas inſidias, priuſquā
publicè innotuit, ipſos eſſe hæreticos, quo-
modo deprehendendum latés venenum ſub
aromate eloquiorum cœleſtium, deniq; quā
nota internoſcendi nobis ſint hæretici, quos
iubemur ſugere, vt peſtilentes, atq; adeo, vt
ipſam peſtem, ipſe nos docet Chriſtus, iſtorū
nobis aduentum prenuncians, & aduerſus eo
Matth.24. rum virus lethale ſuos præmuniēs. Et multi,
inquit, pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent
multos, tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt
Chriſtus, ecce illic, ecce in deſerto, nolite exi
re, ecce in penetralibus, nolite credere. Audis
doctrinam chriſti ſaluatoris noſtri: Surgent,
inquit, multi pſeudoprophetę, nunquid mē-
titus eſt? nunquid impletum hoc ipſi nō cer-
nimus oculis noſtris? Quàm multi nobis de
repente nunc prodierunt prophetę? Sed ſur-
gent, hoc eſt, venient, à ſeipſis, cum dominus
non miſerit eos. Quanquam & generalius
& ad propoſitum accōmodatius per pſeudo-
prophetas intelligimus eos, qui peruerſe in-
B terpretantur ſcripturas, & ſuo, non eccleſiæ
1.Cor.14. ſenſu eaſdem intelligūt. Hoc enim Paulo eſt
prophetare, ſcripturas interpretari & expone
re. Sectamini, inquit, charitatem, æmulamini
ſpiritualia, magis autem vt prophetetis. Qui
enim loquitur lingua, non hominibus loqui-
tur, nemo enim audit. Qui prophetat, homi-
nibus loquitur ad ædificationem, & exhorta-
tionem, & conſolationem. Et paulo poſt: Vo-
lo autem omnes vos loqui linguis, magis au-
tem prophetare, nā maior eſt qui prophetat,
quàm qui loquitur linguis, niſi interprete-
tur, vt eccleſia ædificationem accipiat, &c.
Ideo qui loquitur lingua, oret vt interprete
tur. Prophetę itaque & Paulo & Chriſto ſunt
interpretes ſcripturarum. Pſeudo verò pro-
phetę, qui ſub velleribus ouium, tecta lupina
feritate graſſātur in ouile Chriſti, qui neſarij
Math.7. erroris fraudulentiā, prætextū autoritatis di-
uinorum eloquiorum ſubinducunt, qui ſcri-
pturas ſuo ſenſui accommodant, & non ſuū
ſenſum ſcripturis, breuiter, qui ſcripturas
ſuo ipſorum, non eccleſiæ catholicę ſenſu
intelligunt. Surgent, inquit, multi pſeudo-
phetę, ſed vnde agnoſcemus eos, vt caueа-
mus ac deuitemus? Ab operibus, inquit, eo-
rum agnoſcetis eos. At quę tandem hęc ſunt
opera? ſeducent, inquit, multos. Quid eſt ſe-
ducere? ſeorſum ducere, abducere à corpore
illo eccleſiaſticę vnitatis, à doctrina catho-
lica & vniuerſali, in nouitates prophanas, in C
opiniones ſingulares, in angulos domorum
& penetralia. Hęc ſunt iſtorū pſeudopprophe-
tarum opera, à quibus nobis æſtimandi &
internoſcendi ſunt. Seducent multos, ſed tu
caue ne ab illo corpore te ſeduci permittas.
Sed ſi quis tunc dixerit tibi: Ecce hic eſt Chri
ſtus: Ecce illic: Ecce apud nos eſt vera eccle-
ſia Chriſti, vera proinde ſalus, quæ expecta-
tur à Chriſto, noſtræ ſententiæ, noſtræ fidei
& doctrinæ conſortibus, nolite, inquit, cre-
dere, nolite ſeduci, nolite exire ab illo corpo-
re. Illius enim ſolius corporis caput, vita &
ſalus chriſtus eſt. Ego, inquit, vobiſcum ſum Matth.28.
omnibus diebus, vſq; ad conſummationem
ſeculi. Itaq; ab illo corpore quiſquis te ſedu-
cere conatur in deſertum Iudaiſmum, in an-
gulos domorum & penetralia, hoc eſt, in no- Matth.24.
uas & ſingulares aliquas opiniones, à com-
muni ſenſu illius corporis extraneas, & pu-
gnantes cū doctrina catholicę eccleſię, agno-
ſce iuxta ſaluatoris noſtri doctrinam, pſeu-
doprophetā ex operibus ſuis, agnoſce lupum
obtectum velleribus ouium, & caue credas,
caue exeas. Si quemadmodum inſœlix ma-
ter noſtra ſerpenti, ita & tu pſeudoprophetæ
cœperis adhibere aures, ſi credideris inſu-
per, ſi ſeduci te permiſeris, ſi exieris, nihil ha- D
bes quod cuiquā poſsis imputare, nihil quod
errori tuo excuſationis prætendere, quaſi
tibi non ſit prædictum ſatis à Chriſto, quaſi
te non ſatis præmonitum, aut demum, qua-
ſi neſcias, quid ſentiat catholica per orbem
diffuſa eccleſia, vt cuius vocem & ſententiam
nunquam audieris. Nam & hanc tuam excu-
ſationem præuenit & ſubmouit Chriſtus.
Vbicunque enim, inquit ille, fuerit corpus,
illic congregabuntur & aquilæ. Vides, quo
pacto intelligere poſsis totius corporis ſen-
ſum. Nam ſi non ex totius corporis voce, cer-
tè ex congregatione aquilarum. Vbicunque
enim illę congregātur, ibi corpus eſt, quę eſt
illarum concors ſententia, idem totius cor-
poris ſenſus eſt. Et quæ tandem illę aquilæ?
qui in carne pręter carnem viuunt aut vixe-
runt, quorum eſt & fuit, quamuis hic peregri
nantium, in cœlis cōuerſatio: quorum omne
ſtudium, omnis meditatio, omnis voluntas
in lege domini, quam & vita, & moribus ex-
preſſerunt. Qui ſigna inhabitantis in ſe Dei
ſpiritus euidentia ediderunt. Vbicunque il-
læ aquilæ congregātur, illic certum habe eſſe
corpus illud, cui aſſociari, cui conſentire de-
beas, & in quo Chriſtum & ſalutem quære-
re. Nunquid aut obſcura aut difficilis eſt hęc
doctrina Chriſti? Nunquid qui ſeduci ſe per-
mittunt à corpore illo in deſertum, in an-
gulos

gulos domorum, & penetralia, qui exeunt,
A & ſeductores ſequuntur ac illis credunt, ha-
bent quod errori ſuo excuſationis pretexãt.
Si opertum eſt, inquit ille, euangelium no-
ſtrum, in his qui pereunt: opertum eſt. Quo-
2.Cor.4. rum Deus excæcauit mentes, vt nõ fulgeat in
eis illuminatio euangelij gloriæ Chriſti. qui
exeunt ergo ab illo corpore, qui ſeductores
pſeudoprophetas ſequuntur vltrò, horum,
inquit, excæcauit Deus mentes. Et profectò
prodigioſæ cuiuſdam cæcitatis eſt, vnum ali-
quem carnalem homuncionem ſibi perſua-
dere, quod hactenus vniuerſa eccleſia Chri-
ſti non intellexerit euangelium & ſcriptu-
ras, ipſe verò earundem nunc primum ve-
rum germanumq; intellectum habeat. Quod
catholica eccleſia neſcierit hactenus quid cre
di oporteat, ſed credenda vniuerſa nunc de-
mum ſibi primitus innotuerint. Imo quod
mille quingentis fermè annis nulla fuerit ec-
cleſia, in qua eſſet regnaretque Chriſtus, ad-
uerſus fidelem eiuſdem promiſsionem, di-
centis ijs, qui ab initio conſtituebant eccleſi-
am: Ego vobiſcum ſum omnibus diebus ad
cõſummationem vſq; ſeculi. A quo tempore
certum eſt non defeciſſe nec defecturum il-
lud corpus, in quo chriſtus permanet, niſi in-
fidelem & mendacem æternam dei veritatem
facere voluerimus. Quod tamen iſtis homini
B bus, qui impudentibus buccis aſsiduè crepãt
euangelium, cum nihil minus ad ipſos perti-
neat, ſupra annos mille ducentos, trecẽtos &
eo amplius nullum fuiſſe certum eſt. Nã qui-
buſdam ex his (vt in exemplo quod dixi fiat
apertius) nemo eſt Chriſtianus niſi baptiza-
tus ætate adulta, & cum actuali fide, paruulo-
rum verò baptiſma, vt vanum ac nullius mo
menti rident & contemnunt. Certum eſt au-
tem ſupra mille, & tãto amplius annos vix vl-
los fuiſſe aliter baptizatos, niſi forte paucos,
ex Iudaiſmo aut gentilitate conuerſos ad fi-
dẽ Chriſti. Quare nec vllos verè chriſtianos,
vllámue eccleſiam Chriſti. Quod ſi negare au
deant, proferant nobis, quo orbis loco inte-
rim continua ſerie aliter facti ſint Chriſtiani,
quàm quemadmodum nos adhuc infantes &
paruuli, vt vel fingere poſsint in aliquo orbis
loco conſeruatam continuè eccleſiam, quam
certum eſt deficere non poſſe ad conſumma-
tionem vſq; ſeculi.

In omni itaq; hæreticę tempeſtatis ſubor-
to turbine ac procella, quiſquis ſe continet
intra arcam illam eccleſiæ catholicæ, atq; eius
corpore ſe firmiter agglutinat, quiſquis indu
biè obſeruat, ſequiturq; aquilarum illarum
conuẽtum & congregationẽ, illi nihil poteſt
imminere periculi, ſed fixus immotuſq; per-
manet. Contrà verò, qui dimiſſa illa ſacra an-
cora, animo fluctuare incipit, qui aures prębe C
re impiorum ſermonibus, qui rationibus eo
rum magna aliquando probabilitate, ex diui
norum eloquiorum autoritate contextis at-
tendere, is paulatim ab illis ſeduci ſe permit
tit, illiq; fit tẽtatio, ad profectum alioqui no-
ſtrum à deo permiſſa, in captionem & ſcanda
lum, ſed ſua vtique culpa, quia conſilio Chri-
ſti expedito & facili non eſt obſecutus. Fide-
le eſt & planè Chriſtianum illius Adamantij
conſilium, quod vtinam idem ipſe perpetuò
ſecutus fuiſſet. Quoties, inquit, aduerſus ea
quæ obſeruat vniuerſa Chriſti eccleſia, cano-
nicas aliqui ſcripturas proferũt, quib9 omnis
Chriſtianus orbis conſentit & credit, viden-
tur dicere: Ecce in domibus eſt verbum veri
tatis, ſed nos illis credere non debemus, nec
exire à paterna eccleſiaſticaq; traditione, nec
aliter credere niſi quemadmodum eccleſiæ
tradiderunt nobis. Hactenus ille. In quibus
audis ſacram ancoram, quæ nos ſtabiliat ad-
uerſus omnem fluctuatiõem in ſuborta tem-
peſtate hæretica. Quæ tentationi quidem eſt
omnibus, ſed in profectum illis, qui memo-
res doctrinæ Chriſti ſe diligenter continent,
intra tutiſsimam ſtationem catholicæ eccle-
ſię, in laqueum verò & ſcandalum fluctuanti-
bus, quibus domi ſordent vetuſta omnia, ſed D
vltrò exeuntes, omnem prophanam nouita-
tem captãt. Scribit in Deuteronomio B. Moy Deu.13.
ſes: Si ſurrexerit in medio tui propheta, aut
qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, hoc eſt (vt no-
ſtro id accommodemus propoſito) magiſter
aliquis in eccleſia, tantę opinionis & autorita
tis apud populum, vt diuino propheticoque
ſpiritu docere credatur, & in eius confirma-
tionem prædixerit, inquit, ſignum atq; portẽ
tum, & euenerit quod locutus eſt. magna pro
fectò doctrinæ commendatio, certò futura
prædicere, & re ipſa euentiſq; prædictionis
veritatem comprobari. Quid deinde? Et di-
xerit, inquit, tibi: Eamus & ſequamur Deos
alienos, quos ignoras. Deos autem alienos,
etiam aliena nouaq; dogmata allegorico ſer-
mone haud incongruenter intelligere poſſu
mus. Et ſeruiamus, inquit, eis, hoc eſt, creda-
mus eis. Quid ad extremum? Non audies, in-
quit, verba prophetæ illius. Sed quid eſt cau-
ſę, cur à deo permittatur doceri, quod nõ per
mittitur audiri? Quia, inquit, tentat vos do-
minus deus veſter, vt palàm fiat vtrum diliga
tis eũ, an non in toto corde, & tota anima ve-
ſtra. Audis cur quoſdam interdum eccleſia-
rum magiſtros, noua quędã dogmata intro-
ducere patiatur diuina prouidẽtia, vt tentet,
inquit, vos dominus deus veſter. Et profectò

haud eſt leuis tentatio, ijs præſertim, qui ſalũ
A tare illud chriſti conſilium non ſemper ante
oculos ſtatuunt, cum ille, quem tu velut pro-
phetam venerabaris, quem doctorem verita-
tis putabas, ſubito latenter ſub prætextu &
inuolucro eloquiorum cœleſtiũ noxios ſuf-
fundit errores, quos nec tu cito deprehende
re valeas, dum antiqui magiſterij duceris prę-
iudicio, nec facilè damnare fas ducis. Quem-
admodum cum hinc infœlix Neſtorius ma-
gna primum gratia omnibus commendatus,
magno ſacerdotum ſtudio, magno ſanctorũ
amore, ſummo populi fauore quotidie palã
diuina pertractans eloquia, & noxios quoſq;
Iudæorum ac gentilium confutans errores.
Inde verò Apollinaris haud paucioribus ante
commẽdatus nominibus, ſummo quippe in-
genij acumine, ſingulari eruditione ac doctri
na præcellens, & qui inſanas Porphyrii calu-
mnias triginta libris doctiſsimè confutaue-
rat, cum, inquam, hi ſubito ex paſtoribus cõ-
uerſi in lupos, hæreſeos ſuę veneno incautos
inficerẽt, & de incarnatiõe domini & ſaluato
ris noſtri Ieſu Chriſti noua blaſphemaq; in-
troducẽtes dogmata, ſed ſibi mutuo cõtraria:
cũ alter ob duas in Chriſto naturas, duas quo
que ex eodẽ perſonas faceret, alter contrà vt
B vnitatẽ ſeruaret ſuppoſiti, duarum in eodem
naturarum negauit veritatẽ. Nunc verò (quor
ſum iſtos induximus) quid tandem inſani mi
ſeriq; Anabaptiſtæ ſibi poterũt excuſationis
prætexere, qui nulla tentationis vi, ſed mera
errandi alioſq; ſeducendi libidine, damnatas
iam tot ſeculis totiuſq; catholicæ eccleſię ex-
ploſas præiudicio, illorum quoq; peſtiferas
hæreſes reuocare conantur ab inferis? quid
deniq;, qui iam obſcuros quoſdã, & indignos
qui nominentur, homunculos, nulla autori-
tatis, nulla meritorum, nulla ſanctioris vitæ,
etiam quod ad ſpeciem attinet, nulla doctri-
næ prærogatiua, in illis iamdudum excuſsis,
& infami nota, maledictoq; iuuſtis, ne quis in
ea forte oberrare incautus & incidere poſſet,
hæreticorum antris, angulis, & latibulis mon
ſtrantes Chriſtum, contra Chriſtum ſequun-
tur? Quid enim hoc nũc probabilitatis habe-
re poterit, etiam nunc aliquos Neſtorii, Apol
linaris & ſimilium errores vltrò ſequi, longè
ante annos mille anathematizatos à catholi-
ca Chriſti eccleſia? & hi cum vtroq; blaſphe-
mare malunt Chriſti incarnationem, quàm
cum orthodoxa eccleſia de eadem rectè ſenti
re, cum altero negantes Dei verbum aſſum-
pſiſſe carnem ex Maria virgine, cum altero eã
dem eſſe deiparã aut Θεοτόκον. Nunquid non
eſt hoc ſcientem volentemq; inſanire, & vl-
trò abire in præceps? nunquid non vltrò rece
dere à corpore catholicæ eccleſiæ, & Chriſtũ
C contra Chriſtum quærere in deſerto, in do-
morum angulis & penetralibus, vbi idẽ ipſe Matth. 24.
teſtatur inueniri ſe non poſſe? Quis vlla hos
dignabitur aut venia, aut miſericordia? certè
magnæ alicuius autoritatis, eruditionis, do-
ctrinę magiſtrum ſequi, quandiu & vitæ me-
rito commendatur, nec aperta eccleſiæ cenſu
ra perſtrictus eſt, vtiq; probabilem excuſatio
nem recipit, & venia miſericordiaq; dignum
eſt. Cum verò iã detracta illi perſona eſt, ſub
qua feſellerat incautoſq; deceperat, cum iam
palam eſt lupum eſſe, qui ſe ouem, aut etiam
paſtorem ſimulauerat, qui ad illum iam palã
rabientem ſerocientemq; vltrò accurrerent,
relicto ouili, in quo ſecuri cuſtodiebãtur, ne
ceſſe eſt aut cæcos eſſe aut lymphaticos, illo-
rum enim quem non miſereſceret, ſi qui ad-
mirabilis illius Origenis autoritatem ſecuti,
in nouum aliquod & alienum dogma prola-
pſi fuerunt, pręſertim priuſquam aperta
eccleſiæ definitione & orthodoxorum ſentẽ
tijs, atro id carbone notatum eſſet? vt vnum
ex plurimis, atq; adeo ex omnibus cõmemo-
D rem, in quo plurima, adeo ſingularia & mira
enituerunt, vt inter initia habendam cunctis
aſſertionibus eius fidem, quiuis ille facilè iu-
dicaret. Nam ſi genus, ſi vita, ſi eruditio auto-
ritatem pariunt, quem illi ſanctiſsimorum fa
cile comparabimus? Qui primum in ea domo
natus eſt, quę eſt illuſtrata martyrio, deinde
pro Chriſto non ſolum patre, ſed omni quo-
que facultate ſpoliatus, tantum inter ſanctæ
paupertatis profecit anguſtias, vt pro nomi-
ne dominicę confeſsionis ſæpius affligere-
tur. Qui puerulus adhuc, in tantum capeſſen-
di martyrij ardorem exarſerat, vt frequenter
ſponte ſe ingereret periculis, atq; alijs in cer-
tamine poſitis, præceps in medium rueret, ita
vt inſectari ipſam mortem, & rapere velle vi-
deretur, qui quod Leonidi patri in martyrio
ſocius non fuit, ſuæ voluntatis non fuit, ſed
maternis dolis effectũ eſt, quæ glorioſę mor-
tis eius deſideria impediuit. Siquidem cum
primò maternis ei obſecrationibus ſupplica-
ret, vt ſibi conſuleret, vt parceret matri, & ille
ex his precibus inflammatior ad amorẽ mar-
tyrij redderetur, maximè ex eo, quod patrem
iã teneri cognouiſſet in vinculis, & ipſe pro-
perè ſocius effici vinculorum eius & martyrij
feſtinaret, arte quadam materni affectus in-
hibetur. Etenim cum maturare eum velle, &
antelucanum prorumpere ad agonum certa-
mina præſenſiſſet, noctu cubiculum filij dor-
mientis ingreſſa, omnia eius indumenta, qui-
bus procedi ad publicũ poterat, furata ſub-
traxit, vt per hoc domi reſidere neceſsitate
coge-

cogeretur. Ille verò maternis impeditus do-
A lis,cũ nihil aliud agere poſſet, nec tamen mẽs
eius quieſceret, audet aliquid ſupra ætatem.
Epiſtolam ſcribit ad patrem, ſe quid maternis artibus detineri, ſed illum tenere debere
quod cœpit. at addidit etiam hoc: Vide pater
ne propter nos aliud aliquid velis. Hæc fuerunt prima puerilia Origenis rudimenta, hic
ludus eius infantiæ, hæc à tenero pietatis &
religionis indicia, quę procedẽte magno profectu accumulata ſunt. His adſuit ingenij vis
tanta, tam profundi, tam acris, tam elegantis, vt omnes pene multum longeq́ue ſuperaret, tanta doctrinę & totius eruditionis magnificentia, vt pauca forent diuinæ, pene fortaſsis nulla humanę philoſophiæ, quę non penitus aſſequeretur. Cui ingenio cum nõ ſuffi
cerent Gręca, Hebręa quoq; elaborata ſunt.
Eloquentiã verò quid commemorem? Cuius
fuit tam amœna, tam lęta, tã dulcis oratio, vt
ex ore eius non tam verba, quàm Attica mella
fluxiſſe videãtur. Sed pauca forte ſcripſit, pauca huius tanti ingenij, tantę eruditiõis, doctrinę, eloquentiæq; reliquit monumenta. Imo
nemo mortalium plura, adeo, vt miraculũ ſit,
non ſolum ſcribi ab vno, ſed etiam legi ea omnia potuiſſe. Cui ne quicquam ad ſcientiæ
conſummationem deeſſet, etiam plenitudo
exabundauit ætatis. Ex cuius etiam ſinu in-
B numeri doctores, innumeri ſacerdotes, confeſſores, martyres exierunt. Iã verò quanta apud omnes illius admiratio, quãta gratia, quãta gloria fuerit, quis exequi valeat? Quis non
ad eũ paulo religioſior, etiam ex vltimis mundi partibus aduolauit? Quis Chriſtianorũ nõ
pene vt prophetam? quis philoſophorum nõ
vt magiſtrum veneratus eſt? Quàm autẽ non
ſolum priuatæ conditioni, ſed ipſi quoq; fuerit reuerendus imperio, declarant hiſtoriæ,
quę eum à Mammea matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt. Cœleſtis vtiq; ſapientiæ merito, cuius & ille gratia, & amore illa flagrabat. Sed & eiuſdem epiſtolæ teſtimonium
perhibent, quas ad Philippum Imperatorem,
qui primus Romanorum principum Chriſtianus fuit, Chriſtiani magiſterij autoritate
conſcripſit. De cuius incredibili quadam
conſummataque eruditione ac ſciẽtia, ſi quis
referentibus nobis Chriſtianum teſtimoniũ
non accipit, ſaltẽ philoſophis teſtificantibus,
gentilem accipiat confeſsionem. Ait namq;
impius ille religionis noſtræ ex profeſſo hoſtis Porphyrius, ſe fama ipſius excitum Alexandriam puerum fere perrexiſſe, ibiq; eum
vidiſſe iam ſenem, ſed planè talem tantumque, qui arcem totius ſcientiæ conſcendiſſet.
Dies profectò me deficeret citius, quàm vt ea
quæ in illo viro pręclara extiterunt, aliqua ex
parte perſtringam. C

Origenis ad patrē in vinculis detētum exhortatio.

Quorſum autem hęc dicta ſunt omnia? Hũc
talem, tanti ingenij, tantę doctrinæ, tantę gratiæ virum. (De quo etiam diui Hieronymi
aliquando fuit vox iſta: Se cum Origine errare malle, quàm vera ſentire cum alijs) quis
non facilè, etiam quòuis ſequeretur ſecurus?
At huius vel vnius exemplo euidenter diſcimus, nullius omnino hominis ducatum ſecurè nos ſequi poſſe, ſed illius doctrinę Chriſti
nos perpetuò memores eſſe oportere. Nam
eò res & in Origene decidit, vt tanti viri, tanti doctoris, tanti prophetæ, non humana aliqua, ſed periculoſa nimium tẽtatio, ipſum ſequẽtes ſecurius & incautius plurimos à fidei
integritate ſeduceret. Quam ob rem hic idẽ
Origenes, tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium
indulget, dum ſibi plus ſatis credit, & antiquam Chriſtianę religionis ſimplicitatẽ non
ſatis magni facit, dum ſe plus cunctis ſapere
præſumit, dum eccleſiaſticas traditiones &
veterum magiſteria contemnens, quædã ſcripturarũ capitula nouo more interpretatur,
meruit, vt de ſe quoque diceretur Dei eccleſię: Si ſurrexerit in medio tui propheta, & pau- Deut. 13.
lo poſt: Non audies, inquit, verba prophetæ
illius. Et item: Quia, inquit, tentat vos domi- D
nus Deus veſter vtrum diligatis eum, an nõ.
Verè non ſolum tentatio fuit, ſed & magna
tentatio, deditam ſibi, atq; in ſe pendentem
eccleſiam, admiratione ingenii, ſcientiæ, eloquentię, conuerſationis & gratię, nihil de ſe
ſuſpicantem, nihil verentem, ſubito à veteri
religione in prophanam aliquam nouitatem
ſenſim, paulatimq; traducere.

Talis notæ magiſtros, antequam manifeſtò patuiſſet lupos obtectos ſub velleribus
ouiũ, ſi in nouũ & peregrinũ dogma aliquod,
de quo tamen nondum ita clarè audiſſent catholicæ eccleſię ſententiam, ſequerentur hi,
qui nunc per eccleſiam debacchantur Anabaptiſtæ, Sacramẽtarii, Lutherani, humanus vtique foret lapſus, graui admodũ tẽtationi ſuccubuiſſe. At nũc cum apud illos nihil audias,
quàm Lutheros, Suuinglios, Brentios, Oecolampadios, & vt breuiter dicã, eiuſmodi portenta hominum carnalium, palàm ſeditioſorum, ſceleratę vitæ, & qui volutẽtur in cœno
voluptatum carnalium, non diſsimulanter,
non tectè & callidè, ſed palàm auocantes à
corpore catholicę eccleſiæ, imo eandem probris, maledictis, execrandiſq; conuitiis (quaſi
aliter non ſatis pateret, cuius ſpiritus eſſent) ſcurriliter inſectãtes, ad ea dogmata, de
quib' omnibus nota eſt catholicę eccleſię ſententia

tentia & cẽſura,imo quæ ante annos plus mil
A leab eadem cum ſuis adſertoribus execrata
& anathematizata ſunt.Qui hos ſequitur,di-
miſſo illo corpore catholicę eccleſię,certè nõ
alicui graui tentatiõe ſuccubuiſſe, ſed datus
planè in reprobum ſenſum,& diuino iudicio
excæcatus videtur,vt non fulgeat in eo euan
gelium gloriæ Chriſti.Quod ſi fulgeret, nun
quid dimiſſo illo corpore, in quo ſolo Chri-
ſtus eſt,Chriſtum alibi contra Chriſtum quę
reret?quod ſi quibus forte tẽtationi eſt,quod
horum plurimi pro ſuę impietatis defenſiõe,
non ſolum patienter,ſed etiam alacriter mor
tẽ excipere videantur,quod ſeſe in miniſtros
Chriſti transfigurent,patrem ſuum vocantes
Deum, & pro perſequntoribns ſuis orantes,
atque id genus alia quędam,quæ ſimplicibus
quibuſdam, ſed incautis,imo & doctioribus
nonnullis,ſed inſtabilibus in fide,atq; illi an-
coræ ſacrę non ſatis fi[illegible] r adhærentibus,
ſunt non tentationi [illegible], verumetiam ſcan
dalo,ij non perpendun[illegible] antiqui illius callidi
q́ue hoſtis artes & potentiam in eos,quos ſe-
2.Cor.11. mel totos obſedit.Neque enim præmonente
nos id Apoſtolo,cuiquam mirum videri de-
bet,cum ipſe Sathanas ſeſe transfiguret fre-
B quenter in angelũ lucis,ſi miniſtri eius tranſ-
figurentur ſicut miniſtri iuſtitiæ.Sed ex ope-
ribus eorum,inquit doctor & ſaluator noſter
Matth.7. Chriſtus,cognoſcetis eos.Quę qui perpẽdit,
nunquid in illis non clarè agnoſcit artes,vim
& potentiam Sathanę?ſed in ſua ipſius mem-
bra. Vidit nuper ex ijs Amſterdama viros &
mulieres aliquot,qui omnis honeſtatis & pu
doris obliti,bacchantium more,nudi, & ve-
luti phanatici ac mente capti horribiliter vo-
ciſerantes, tota vrbe diſcurrerent. In quibus
erant & vterum geſtantes prouectęq́; ætatis
mulieres quędam, & eleganti forma puellæ
aliquot,quę poſt interrogatę in carcere,quid
ita indecorè, ita omnis verecundiæ ſui ſexus
oblitę,inaudito more ſic diſcurriſſent nudæ
per vrbem, quod honeſta mulier ſola noctu
in ſuo verecundaretur cubiculo,nihil reſpõ-
derunt aliud, quàm ſenſu quodam interno,
cui non poſſent reſiſtere, ſe ad id ſuiſſe coa-
ctas, vt clarè intelligas, hos poſtquam legiti-
mo abnegato baptiſmo, Chriſtianitate & or-
thodoxa fide,ſe totos diabolo ſemel permi-
ſerunt, fieri inſtrumenta quædam & organa
Sathanæ.Nam & hi etiam tripudiantes,& pro
ſuis interfectoribus orantes ibant ad ſup-
plicium.

Ita quoq; his ipſis diebus eadem vidit ciui
tas,tam multos ex eis cõiuratos in necem in-
nocentum ciuium,in tam celebris,tam opulẽ
tæ vrbis excidium & internecionem.Attamẽ
illi ipſi notorij ſicarij, parricidæ & perduel-
liones,in ipſo crimine poſt armis occupatum C
nocte intempeſta forum & prætorium, poſt
trucidatum cum multis ciuibus conſulem,cõ
prehenſi æqua animi(vt ipſi dicerent)conſtã-
tia & alacritate, perinde quaſi nihil cõmiſiſ-
ſent mali,quaſi pro veritate fidei & religiõis
mortem oppeterent, ſupplicia pertulerunt.
Quod quis non videat & clariſsimè intelligat
excæcatę mentis & diabolicæ obſtinationis
fuiſſe duritiem?qua de re audi obſecro,& me
moriæ tuæ commenda,quę ſcribat glorioſus
ille Chriſti martyr & pontifex Cyprianus tra
ctatu aduerſus Nouatianum: Cum Deo, in-
quit,manere non poſſunt,qui eſſe in eccleſia
Dei vnanimes noluerunt.Ardeant licet flam-
mis & ignibus traditi,vel obiecti beſtijs ani- 1.Cor.13.
mas ſuas ponãt,non erit illa fidei corona, ſed
pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis glorio-
ſus exitus,ſed deſperationis interitus. Occi-
di talis poteſt, ſed coronari non poteſt. Hæc
ille Cyprianus.Itaq; nihil eſt,quod chriſti fi-
delis aliquis vel tantillum inde moueri de-
beat.Sed ſi periculoſę alicuius tẽtationis exẽ-
plum requiras, eã in Origene explicauimus.
Aduerſus quam opus erat,& attento arrecto-
q́ue Moyſi illa præmonitione, & præmunito
Chriſti,quam hic explicamus,doctrina admo D
nitioneq; animo.

Scribit ad Corinthios Paulus apoſtolus:
Oportet hæreſes eſſe,vt probati manifeſti fi-
ant in vobis. Ac ſi diceret, ob hoc hæreſeωn
non ſtatim diuinitus eradicantur autores,
vt probati manifeſti fiant, vt appareat vnuſ-
quiſque quàm tenax,quàm fidelis & fixus ca- *Cur oporteat*
tholicæ fidei ſit amator. Et reuera,cum quæ- *hæreſes eſſe.*
que nouitas ebullit,ſtatim ſecernitur frumẽ-
torum grauitas,& leuitas palearum,tũc enim
ſine magno molimine excutit ab area, quod
nullo pondere intra aream tenebatur. Nanq;
alij illico prorſus auolant,alij verò tãtummo-
do excuſſi,ſed quia illi ſacræ ancoræ non fir-
miter adhæſerunt,alij ſaucij,ſemineces ac ſe-
miuiui,inter vtrunq; miſeranda planè condi
tione diſtrahuntur & iactantur. Corpori illi
eccleſiæ catholicæ non ſatis firmiter incorpo
rati ſunt,aquilarum cõgregationem, nec ob-
ſeruant,nec quanti oportet faciunt, præbent
autem pſeudoprophetis ac ſeductoribus au-
res,nec tamen illis prorſus accedunt. Mouen
tur rationibus eorum & cœleſtium eloquio-
rum autoritate magna aliquando probabili-
tate contextis, ſed non aduertunt ipſis tunc
dici:Ecce hic eſt Chriſtus,ecce illic, nec me-
mores ſunt doctrinæ ipſius Chriſti, iubentis
illis non credere, non exire ab illo corpore.
Ità fit,vt magnis curarum ęſtibus,magnis tur
bini-

binibus,frequenter exagitentur.Nunc enim
A qua ventus ille tentationis impulerit, inci-
tato errore rapiuntur, nunc in ſemetipſos
reuerſi, tanquam contrarij fluctus relidun-
tur. Nunc temeraria præſumptione, & ea
quæ incerta ſunt approbant, nunc irratio-
nabili metu etiã, quę certa ſunt, expaueſcũt.
Incerti qua eant,qua redeant,quid appetant,
quid ſugiant, quid teneant,quid dimittant.
quæ quidem dubij & malependuli cordis af-
flictio diuinę erga ipſos miſerationis eſt me-
dicina, ſi ſapiant.Iccirco enim extra tutiſsi-
mum catholicæ fidei portum diuerſis cogita
tionum quatiuntur,verberantur,ac penè ne-
cantur procellis, vt eleuata in altum elatæ
mentis vela contrahant & deponant, quę ma
lè nouitatum ventis expanderãt, ſeſeq́; intra
fidiſsimam ſtationem placidę ac bonę matris
reducant,& deinceps contineãt, atq; amaros
illos turbulentoſq́; errorum ſuccos primitus
reuomant,vt poſsint deinceps viuæ & ſalien
tis aquæ fluenta potare.

Verè & germanè catholicus quis.

Quę cum ita ſint,ille demũ verus eſt & ger
manè catholicus,qui veritatem dei,qui eccle
ſiam,qui Chriſti corpus diligit, qui diuinę re
ligioni,qui catholicę fidei nihil præponit,nõ
hominis cuiuſpiam autoritatem,non amorẽ,
non ingenium,non eloquentiam, non philo
B ſophiam.Sed cuncta hæc deſpiciens, in fide
fixus ac ſtabilis permanens,quicquid vniuer
ſaliter antiquitus eccleſiam catholicã tenuiſ-
ſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum cre-
dendumq́; decernit,quicquid verò ab aliquo
deinceps vno præter omnes,aut cõtra omnes
ſanctos,nouum aut inauditum ſubinduci ſen
ſerit,id non ad religionem, ſed tentationem
potius pertinere nõ dubitat.Quod enim no-
uum,quod particulare,id catholicũ non eſſe,
quiſquis diligenter aduerterit,facile intelli-
git.A vehementi autem tentationis tempeſta
te ac procella excuti aliquem ex arca illa ca-
tholicę eccleſię,& tranſuerſum abripi, miſe-
randum magis ac dolendum quàm mirãdum
aut execrandum eſt. At mirari mecum ſatis
nequeo tantam hac noſtra ætate multorum
hominum veſaniam,tantam excęcatę mentis
impietatem,tantam poſtremò errandi libidi
nem,vt vltrò & abſq; vlla tentationis vi, tu-
tiſsimum illum deſerant catholicæ fidei por-
tum,ad omnem prophanam nouitatem accur-
Matth.24. Mar.13. Luc.17. rant,ad vniuſcuiuſq; vocem dicẽtis: Ecce hic
eſt Chriſtus,ecce illic,non exeant, ſed exili-
ant.Iubet Chriſtus non exire ab illo corpore
eccleſiæ catholicæ, iubet non credere extra
eandem demonſtrantibus, aut quærere iu-
bentibus Chriſtum.At iſti è diametro om̃ia.
Clamat & repetendo clamat,& omnibus, &
ſemper, & vbique per literas ſuas clamat,ille
vas electionis,ille apoſtolorum tuba,ille ter- C
rarum pręco,ille cœlorum cõſcius, vt ſi quis
nouũ dogma annunciauerit,anathemetur.Et *Galat.1.*
contra reclamant ranę quędam & cyniphes,
& muſcæ morituræ: Nobis autoribus, nobis
principibus,nobis expoſitoribus,dãnate quę
tenebatis,tenete quę damnabatis,reijcite an-
tiquam fidẽ,paterna inſtituta, maiorũ depo-
ſita,& recipite, quęnam illa tandem? horreo
dicere. Sũt enim tam ſuperba,tam impia,tam
execranda,vt mihi non modo affirmari, ſed
ne refelli quidem ſine piaculo poſſe videan-
tur.Et tamen videas iam homines, neglecta
tuba illa apoſtolica, cateruatim ad hos accur
rere.Prodigioſa profectò,& pluſquam diabo
lica impiæ mentis excęcatio,Chriſto de Chri
ſto non credere, viliſsimis homuncionibus,
quàm illi electo apoſtolo, illi arcanorum cœ
leſtium ſpectatori,pl' fidei adhibere.Pręmo-
nuit nos Chriſtus de inſtante hac hæretico-
rum tentatione & docuit, quo nos pacto ab
ea tuti eſſe poſſemus,videlicet illi corpori,in
quo ſolo Chriſtus eſt, firmiter inhærendo,à
quo iubet non exire, nec alibi mõſtrantibus
Chriſtum credere.Iſti vltrò aufugiunt ab eo
corpore,vltrò accurrunt ad omnes, qui alibi
monſtrant Chriſtum.

Paulus anathemari iubet omnẽ,qui nouum
dogma annũciauerit pręter id, quod accepit D
& tenet vniuerſalis Chriſti eccleſia, etiam ſi
ipſe,etiam ſi Petrus,etiã ſi omnes in vnũ apo-
ſtoli,deniq; etiam ſi angelus de cœlo.At hi e-
tiã viliſsimis nebulonibus attendunt,annun
ciantibus non ſolũ noui aliquid & pręter id,
quod hactenus accepit ac tenuit catholica ec
cleſia,ſed etiam quæ illa palam execratur, &
ante annos plus mille execrata eſt. Quid hoc
eſt aliud, quàm mera errandi libido? Quid fa *Ad Tit.3.*
cias his hominib'? Deuita,inquit Apoſtolus,
poſt vnam correptionem & alteram. Quare? *2.Tim.2.*
Sciens,inquit,quia ſubuerſus eſt,qui eſt eiuſ-
modi.Horrenda ſententia, ſed nimis quàm
vera.Inſuper:Et ſermo,inquit, eorum velut
cancer ſerpit.Deuita igitur,ne & te venenoſa
contagione afficiant.

Quanto metu immutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum nobis pertimeſcendum ſit.

Magno certè metu nobis immutatæ fidei,
ac temeratæ religionis piaculum pertime-
ſcendum eſt. Scitum eſt enim cunctis, quàm
grauiter, quàm ſeuerè, quàm vehementer
inuehatur in quoſdam beatus Apoſtolus,
qui mira leuitate nimium cito tranſlati fue-
rant ab eo, qui eos vocauerat in gratiam
Chriſti. Quod non erat aliud, quàm quod
coaceruauerant ſibi magiſtros ad deſide-
ria ſua, à veritate quidem auditum auer-
tentes, conuerſi verò ad fabulas, habentes
damna-

damnationem, quòd primam fidem irritam
A feciſſent. Quos deceperant hi, de quibus ad
Gal.1. Romanos ſcribit idem Apoſtolus: Rogo au-
Rom.16. tem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſen-
ſiões & offendicula, præter doctrinam, quam
ipſi didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Hu
iuſmodi enim Chriſto domino non ſeruiũt,
ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones ſedu-
cunt corda innocentium, & captiuas ducunt
mulierculas oneratas peccatis. quę ducuntur
varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & ad ſcien
tiam veritatis nunquam peruenientes. Vani-
loqui & ſeductores, & qui bonam conſcien-
tiam repellentes, naufragauerũt circa fidem.
quorum prophana vaniloquia multum pro-
ficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cã-
2.Tim.2. cer ſerpit. Tales quidam circumeuntes pro-
uincias & ciuitates, atq; errores venalitios cir
cumferentes, cum ad Galatas quoq; deueniſ-
ſent, ijq; auditis illis nauſea quadam veritatis
affecti apoſtolicæ catholicæq; doctrinæ man
na reuomentes, hęreticæ nouitatis ſordibus
oblectarentur, ita in eos excanduit apoſtoli-
cę autoritatis ſeueritas, vt inſenſatos eos di-
Galat.3. ceret: O inſenſati, inquit, Galatæ, quis vos fa-
ſcinauit non obedire veritati? iamdudum tra
ditæ, iamdudum receptæ? Inſuper ęquali ve-
B hementia addidit: Sed licet, aut nos, aut ange
lus de cœlo euangelizet vobis, præterquam
quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.
Nec contentus, ſemel cõtra nouatores ita in-
tonuiſſe, ſed idem iterum repetendo. Sicut,
Galat.1. inquit, prędiximus, & nunc iterum dico. Si
quis vobis euangelizauerit præter id, quod
accepiſtis, anathema ſit, vobis, inquit, non Ga
latis tantum, ſed Chriſtianis & catholicę ec-
cleſiæ filijs vniuerſis, ſi quis annũciauerit prę
ter id, quod didiciſtis in ſancta & catholica ec
cleſia, præter id quod ex apoſtolica traditio-
ne, primitiua illa eccleſia acceptũ, veluti per
manus ſuccedentium ſibi epiſcoporum & pa
trum ad vos tranſmiſit, præter id quod acce-
piſtis, anathema ſit. Vides apoſtolicę autori-
tatis ſeueritatem, nec ſibi pepercit, nec coa-
poſtolis, nec deniq; angelis de cœlo, ſi con-
tra facerent. Non quod ſancti cœleſteſq; ſpi-
ritus peccare iã poſsint. Sed hoc eſt quod ait,
etiam ſi fieret, quod fieri nõ poteſt. Quiſquis
ille traditam ſemel fidem mutare tentauerit,
anathema ſit.

Beatus Iudas apoſtolus admonens nos apo
ſtolicæ prædictionis ac præmonitionis de
temporibus ac ſeductoribus iſtis: Vos autẽ,
inquit, chariſsimi, memores eſtote verborũ,
quæ prędicta ſunt à ſanctis apoſtolis domini
noſtri Ieſu Chriſti. qui dicebãt vobis, quoni-
am in nouiſsimis temporibus venient illuſo
res, ſecundum deſideria ſua ambulãtes in im
pietatibus. Hi ſunt qui ſegregãt ſemetipſos C
animales, ſpiritum non habentes. Nunquid Graphicè de
non graphicè tibi depinxiſſe videtur beatus ſcriptã Iudæ
apoſtolus noſtri temporis prophetas & hęre noſtri tẽporis
ſium magiſtros? Veniẽt, inquit, illuſores. An hæreſiarchæ.
tibi tales non videtur? Ita apud miſeros, quos
deceperunt, fingunt miſeriores, à Deo patre
ſibi reuelari, quæ circulatorio quodam artifi
cio apud ſe compoſuerunt. Quæ quiſquis ſa-
næ mentis oculis aſpicit, intelligit meritiſsi-
mas eſſe illuſiões, & veluti miſerorum homi-
num faſcinationes. Sed quorſum tendent il-
læ illuſiones ac faſcinationes ipſorum? nimi-
rum vt ambulent in deſiderijs ſuis. Venient,
inquit, illuſores ſecundum deſideria ſua am-
bulantes. Lutherum quid impulit impugna-
re apoſtolicæ eccleſię ſtatuta & traditiones?
quid apoſtatare à Deo, à fide ac religiõe chri
ſtiana? Quid, inquam, niſi vnum illud, vt am-
bularet ſecundum deſideria ſua, vt volutare-
tur in cœno carnalium voluptatum, vt ſacri-
legam inceſtamq; libidinem ſuam matrimo-
nij titulo palliaret? Quid quoſdam principes
noſtrę ætatis, aduerſus matris eccleſię & apo-
ſtolicæ ſedis armauit autoritatem, cuius ſe ſo
lebãt gloriari defenſores ac propugnatores?
quid impulit prodigioſam & craſsiſsimã hæ-
reſim, qua ſeipſos faciunt capita eccleſiæ ſub D
Chriſto? quid in immanem & pluſquam Ne-
ronicam rabiẽ, qua in viros doctiſsimos, ſan-
ctiſsimos, & de ſe, ditiõibuſq; ſuis optimè me
ritos tam crudeliter ſęuierunt? nimirum hoc
vnum, hoc ſolum, vt ambularent ſecundum
deſideria ſua, vt cupiditates ſuas Chriſtianæ
religionis titulo honeſtarent. Breuiter, quid
hos vniuerſos? quàm vt eccleſiarum, monaſte
riorum, honeſtiorumq; ciuium opes fortu-
naſq; inuaderent, vt viuerent licẽter, ſine vin
dice, nullis legibus, nulla ſuperioris autorita
te conſtricti? vt ambularent ſecundum deſi-
deria ſua in impietatibus. Quid eſt pietas? An
non diuinus cultus, quem Gręci εὐσέβειαν vo
cant? dicta (vt doctiſsimi veteres tradiderũt)
quod quæ in ea ſunt, penitus & in penetrali-
bus recondantur. Nũquid ergo cuiquam ob-
ſcurum eſt, an hi in impietatibus ambulent,
qui vniuerſum ſemel diuinum cultum tol-
lunt è medio. Sed qua propria nota, iſtos faci
le internoſcam, priuſquam ſe palàm prodidit
obtecta ſub velleribus ouium lupina feritas?
Hi ſunt, inquit, qui ſegregãt ſemetipſos. Hoc
eſt primum, ac proprium iſtorum opus. Sed
vnde ſegregant ſemetipſos? nimirum ab illo
corpore eccleſiæ catholicæ, ad quod congre-
gantur aquilæ, & in quo ſolo, Chriſto teſte,
Chriſtus inueniri poteſt.

Notum

Notum eſt & illud beatiſsimi Pauli apoſto
A li,quo omnes omniũ hæreſeon ſceleratæ no-
uitates,veluti quodam gladio ſpiritali, ſæpè
truncatæ,ſemperq́; truncandę ſunt:O Timo
thee depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas
vocum nouitates,& oppoſitiones falſi nomi-
1.Tim. 6. nis ſcientiæ. Quam quidam promittentes cir
ca fidem exciderunt. Et poſt hęc inueniũtur
aliqui tanta inueteratę frontis duricia, tã prę
fractæ induratęq́; impudentiæ,tam adaman-
tinæ pertinacię,qui tantis eloqniorum cœle-
ſtium molibus non fatiſcant,tantis ponderi-
bus non ſuccumbsnt,tantis malleis non con
quaſſentur,tantis poſtremò fulminibus non
conterantur? Deuita, inquit, prophanas vo-
cum nouitares. Non dixit antiquitates, nõ di
xit vetuſtates,imo planè,quid econtrariò ſe-
queretur oſtendit. Nam ſi vitanda eſt noui-
tas,tenenda eſt vetuſtas. Si prophana eſt no-
uitas, ſacra eſt vetuſtas. Et oppoſitiones, in-
quit,falſi nominis ſcientiæ. Verè falſum no-
men apud doctrinas hęreticorum eſt,vt igno
rantia ſcientiæ,caligo ſerenitatis, denſiſsimę
ac planè palpabiles tenebrę noui luminis, pe
ſtilentiſsimę hæreſes euangelicæ doctrinæ
appellatione fucentur. Quam quidam, in-
quit,promittentes, circa fidem exciderunt.
B Quid promittentes exciderunt? niſi nouam
neſcio quam, & à catholica eccleſia ignora-
tam doctrinam. Audias enim quoſdam ipſo-
rum dicere,venite ò inſipiẽtes & miſeri, qui
vulgò catholici vocitamini,diſcite veram fi-
dem,quam pręter nos nullus intelligit, quæ
multis ante ſeculis latuit, nuper verò nobis
reuelata & oſtenſa eſt. Sed diſcite furtim,de-
lectabit enim vos,& cum didiceritis,latenter
docete, ne mundns audiat, ne eccleſia ſciat,
paucis nanq; conceſſum eſt,tanti myſterij ca-
pere ſecretum.

Sed libet ob nouatores iſtos,hũc Apoſtoli
locũ pertractare paulo diligentius, aut poti-
us, quemadmodum à vetuſtis autoribus di-
ligenter excuſſum inuenio, hic inſulcire. O
Timothee,inquit,depoſitũ cuſtodi. In primis
exclamatio iſta magni aliquid portẽdit,& at-
tentionem legentis excitat, ad grãde aliquid
magniq́; momenti. O Timotbee. Quis bodie
eſt hic Timotheus? niſi vel generaliter vni-
uerſa eccleſia, vel ſpecialiter omẽs prępoſiti,
qui integram diuini cultus ſcientiã habere i-
pſi debent,& alios docere. Depoſitũ cuſtodi,
cuſtodi,inquit,propter fures,propter inimi-
cos,ne dormientibus bominibus, ſuperſemi
nent zizania ſuper illud tritici bonum ſemẽ,
quod ſeminauerat filiꝰ hominis in agro ſuo.
Depoſitum,inqnit,cuſtodi, quid eſt depoſi-
tum? id eſt,quod tibi creditum eſt,nõ à te in-
uentum,quod accepiſti,non quod excogita-
ſti,rem non ingenij,ſed doctrinæ, non vſur- C
pationis priuatę,ſed publicę traditionis, rem
ad te perductã,non à te prolatam. In qua non
autor eſſe debes, ſed cuſtos, non inſtitutor,
ſed ſectator,non ducens,ſed ſequens. Depoſi *Cuſtodire depoſitum quid.*
tum cuſtodi,catholicę fidei talentum, inuio-
latum,illibatumq́; cõſerua. Quod tibi eſt cre
ditum,boc apud te maneat,hoc à te rradatur.
Deuitans quaſi viperam aut baſiliſcum, pro-
phanas vocum nonitates. Quid eſt propha-
nas? quę nihil habent ſacri, nihil religioſi ab
eccleſię penetralibus,quæ eſt remplũ Dei,pe-
nitus extraneas. Prophanas,inquit,vocũ no-
uitates. Vocum,id eſt,dogmatũ,rerũ,ſenren-
tiarum,nouitates,quę ſunt vetuſtati, quę vni
nerſitati cõtrarię. Quæ ſi recipiantur, neceſſe
eſt,vt fides beatorũ patrũ, aut tota, aut certè
magna ex parte violetur. Neceſſe eſt, vt omẽs
omniũ ętatũ fideles,omnes ſancti,omnes ca-
ſti,continentes,virgines,omnes clerici, Leui
tę,ſacerdotes,tanta confeſſorum millia,tanti
martyrum exercitus,tanta vrbium,tanta po-
pulorũ celebritas & multitudo,tot nationes,
gẽtes,prouinciæ,regna,totuſ poſtremò Chri
ſtianus orbis, per catholicam fidem Chri-
ſto capiti incorporatus,tanto ſeculorum rra-
ctu,ignoraſſe,erraſſe,blaſpbemaſſe, neſciſſe,
quid crederet, dicatur. Neceſſe eſt menda- *Matth. 28.*
cem fuiſſe Chriſtum, qui iam aſcenſurus ad D
patrem, promiſit ſe deinceps non deſertu-
rum eccleſiam ſuã,ſed cum ea,& in ea ſe per-
manſurum continuò, ad ſeculi vſque con-
ſummationem.

Sed forſan hic nobis occurrer aliquis: Si ni *Vt fidei religioniſq́; profectus ſemper ſine nouitate fuerit.*
hil vnquam licuit aut licet recipere noui in
fide religióeq́; Chriſti,pręter id, quod ab ini
tio ex apoſtolica traditione accepit primiti-
ua Chriſti eccleſia, nunquid ergo ſimul tra-
dita ab initio fuerunt omnia? Nunquid cum
Iudęis à principio connerſis ad Chriſtum nõ
conniuerunt apoſtoli,vt ſe ſuoſq́; circuncide
re permitterent,obſeruareq́; veteris legis cæ
remonias? nunquid non ſimularunt etiam
ipſi ſe ſeruare eaſdem? Nunquid Corinthijs *1.Cor. 3.*
ſuis non dicit Paulus: Ego fratres non potui
vobis loqui quaſi ſpiritualibus,ſed quaſi car-
nalibus. Tanqnam paruulis in Chriſto lac vo
bis potum dedi, non eſcam, nondum enim
poteratis? Et vt dicam ſemel, nullus ne ergo
in eccleſia Dei profectus habitus eſt, aut ha-
bebitur fidei,religioniſq́; Chriſtianæ? Habea
tur planè vel maximus. Quis enim ille eſt tã
inuidus bominibus,tam inimicus Deo, qui
iſtud prohibere conetur? Sed ita tamen, vt ve
rè profectus ſit ille fidei, non permutatio.
Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſe-

metipſis vnaqueq; amplificetur. Ad permuta A tionem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam ſingulorum quàm omnium, tam vnius hominis, quàm totius eccleſiæ, ętatum ac ſeculorum gradibus, intelligētia, ſcientia, ſapientia. Sed in ſuo dūtaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademq; ſententia. Imitetur animarum religio rationem corporum. Quæ licet annorum proceſſu ſuos numeros explicent & abſoluant, eadem tamen quæ erant, permanēt. Multum intereſt inter pueritię florem, & ſenectutis maturitatem. Sed ijdē ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes, vt quāuis vnius eiuſdemq; hominis ſtatus habitusq; mutetur, vna tamen nihilo minus, eademq; natura, vna eademq; perſona ſit. Parua lactentium membra, magna iuuenum, eadem ipſa ſunt tamen, quot paruulorum artus, tot virorum. Et ſi quæ illa ſunt, quę æui maturioris ætate pariuntur, iam in ſeminis ratione proſerta erant, vt nihil nouum poſtea proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam ante latitauerit. Vnde dubium non eſt hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulā, hunc certum atque pulcherrimum creſcendi ordinem, ſi eas ſemper in grādioribus B partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris ſapientia præformauerat. Quod ſi humana ſpecies, in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam, aut detrahatur membrorum numero, neceſſe eſt, vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam religionis dogma ſequatur, has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet conſolidet, dilatetur tēpore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen, illibatumque permaneat. Et vniuerſis partium ſuarum menſuris, cūctiſq; quaſi membris ac ſenſibus proprijs plenum atque perfectum ſit. Quod nihil prɇterea permutationis adimat, nulla proprietatis diſpendia, nullam definitionis ſuſtineat varietatem. Seuerūt maiores noſtri antiquitus in hac eccleſiaſtica ſegete triticeę fidei ſemina, nūquid non valde iniquum foret & incongruum, ſi nos eorum poſteri, pro germana veritate frumenti, ſubdititium zizaneæ eligeremus errorem? Nunquid non hoc rectum potius & congruum eſt, vt primis extremiſq; ſibi non diſcrepantibus, de incrementis triticeę inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus? vtq; quod ex illis ſeminum primordijs acceſſu temporis excreuit, & nunc excolaſ quoq; ac dilatetur, ita tamē vt nihil de germinis proprietate mu-

Altera collatio ad ſementē & meſſem.

tetur interim. Addatur licet ſpecies, forma, C diſtinctio, eadem tamen cuiuſq; generis natura permaneat. abſit enim, vt roſea illa catholici ſenſus plantaria in carduos, ſpinaſq; degenerent. Abſit, inquā, vt in iſto ſpiritali paradiſo, de cynamomi & balſami ſurculis, lolium repente ac aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac eccleſię Dei agricultura, fide patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſeruetur hoc idem, floreat & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt etenim, vt priſca illa cœleſtis philoſophię dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliātur, ſed nefas eſt, vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet lucem, euidentiam, diſtinctionem, ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Si te diuinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatiōe, doctrina, eſto ſpiritalis taberna culi Bezelehel, precioſas diuini dogmatis gēmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter. Adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod ante obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quę didiciſti doce, cum dicas nouè, non dicas noua. Sed hactenus iſta aduerſus nouatores D plus ſatis.

Exod. 31.

Ex Chriſti itaq; & apoſtolorum doctrina ſatis, ni fallor, euidēs fecimus, quo pacto quiuis facile poſsit exurgentium hæreticorum fraudes declinare, & aduerſus eorum inſidias & venena tutus eſſe, videlicet ſi ſe firmiter contineat in illo corpore eccleſię catholicæ, ad quod congregantur aquilę. Ita enim neq; ſi erret, quicquam illi oberit ad ſalutem. Operæprecium mihi videtur hoc loco meminiſſe memorabilis cuiuſdam exempli, quod olim puer audiſſe memini. Eximius quidam ſacrarum literarum profeſſor, cum in ſimpliciſsimum quendam, qui ſibi videbatur, incidiſſet hominem carbonarium, animi cauſa, & curioſitate quadam tentandi ſimplicitatem hominis, percunctabatur illum de ſua fide, quid crederet. Qui cum præter generales illos articulos fidei de Deo, quos frequenter audiēdo in eccleſia didicerat, ac memoriæ commēdauerat, ad cætera interrogata omnia nihil reſpōderet aliud, quàm hoc ſe credere, quod eccleſia crederet. De eccleſię tamen fide nihil habens definiti ac expliciti, interrogātem de ea, velut circulo quodam eludebat. Hoc enim de ſingulis vltra interrogatus, eccleſiā aiebat credere, quod ipſe crederet, & hoc ſe quod eccleſia: fit poſtea, vt idem Theologus

A gus ex grauiſsimo morbo decumbens, & in vitæ periculum incidens, aſtu ſuggeſtuq́; Sathanæ grauiter tentaretur de fide. Vnde ſeſe aliter explicare non potuit, quàm recordatione ſimplicis quidem, ſed tutiſsimæ fidei illius carbonarij, ad quam in æſtu illo tentationis, conquaſſatus vehementer, & diſtractus, veluti ad ſecuriſsimum quendam portum confugere coactus fuit, ita vt ſubindę clara voce exclamaret, vt carbonarius. Mirabantur aſsidentes, & ex vi morbi delirare hóminem, & aliena loqui credebant. Quem poſtea conualeſcentem interrogant, quid ſibi voluiſſet in illo agone ſuo, ita frequenter & vehemẽter exclamans, vti carbonarius. Ille verò vniuerſam illis rem explicat ordine. Et qnod in illa agonia ſua, quemadmodum ille carbonarius, ad fidem catholicę eccleſię, velut ad tutiſsimum aſylum ſemper confugiſſet. In qua vna in eo neceſsitatis articulo plus inueniſſet præſidij, quàm in omni, quam tota vita meditatus fuerat, exercitatione ſcripturarum, diuinę miſericordiæ boc acceptũ referens, quod incidiſſet in ſimplicem illum carbonarium. Cuius niſi ſnccurriſſet ſibi exemplum, magnum ſe diſcrimen & periculum aditurum fuiſſe. Magnus eſt antiqui illius cal- B lidiq́; ſerpentis aſtus, & graues periculoſæq́; inſidiæ: Quas nunquam non ſtruit nobis, ſed tunc maximè, cum periculoſiſsimè illis capimur, hoc eſt, in ipſa bora inſtantis mortis. Fides verò, vt omnibus æquè eſt ad ſalutem neceſſaria, ita quò eſt quiſque excellentiori perſpicatiorique ingenio, eò arietatur & vehementius & facilius, niſi quis magna attentione & cuſtodia intellectum ſnum captiunm teneat intra arcam illam catholicę eccleſię, in qua ſola ſaluamur ab aquis inundantis diluuij. Multa enim ſuggeruntur nobis, quę incõſtantem, mobilemq́; natura animũ tranſuerſum abripiant, ſi ſemel illis incipit attendere, & niſi veluti clauſis ad omnia oculis, & obturatis anribus ſeſe abſcondat, ac veluti in tutiſsimo aſylo firmiter cõtineat in fide catholicę eccleſię, atq; ad omnẽ eiuſmodi ſuggeſtã tentationem clamet cum illo, vti ille carbonarius. Quod dum facit, nihil illi eſt periculi, etiam ſi humano more erret in aliquo, quod ad fidem religionemq́; pertinet, quod equidem fieri poteſt, quamdiu, quid de eo ſentiat ac teneat catholica per orbem eccleſia, ita certum definitumq́; non eſt. In exẽplo aliquo eccleſiaſtico, quod dico, erit illuſtrius. Agrippinus quondam Carthaginenſis epiſcopus, primus omnium mortalium rebaptizandum cẽſebat. Quæ eius prȩſumptio tantũ mali inuexit, vt non ſolum hȩreticis formã ſacrilegij,

Continenti ſe firmiter in fide catholicæ eccleſiæ nihil eſſe periculi, etiam ſi erret in fide.

C ſed etiam quibuſdam catholicis (qui ad apoſtolicam illam, quam explicauimus atq; adeo Chriſti doctrinã, ea in re nõ attẽderant ſatis diligenter) occaſionem præbuerit erroris, adeo, vt etiam ſanctum illum pontificem & martyrem Cyprianum, vnà cum vniuerſo illo ſuo Aphricano concilio traxerit in conſenſum erroris. Magna enim vis ingenij, magna eloquentię, magna ſimilitudo veri, magnus adſertorũ numerus adſuit nouitiæ illi adinuentioni, tãta verò diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta, vt ómnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui poſſe videretur, niſi vno illo ariete, & veluti apoſtolico mucrone, quo ille prȩcipit depoſitum cuſtodiri, & deuitari prophanas nouitates. Itaque cum vndique ad nouitatem rei reclamarent plerique, & quaquà verſum plurimi ſacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio renitentur, beatæ memorię papa Stephanus, apoſtolicæ ſedis antiſtes, apoſtolico illo quem diximus gladio, errorem illum ſuccidit vniuerſum, ac funditus reſecauit, his verbis ſanciens in epiſtola, quæ ea de re tunc in Aphricam miſſa eſt: Nihil, inquit, nouandũ eſt, præter id quod traditum eſt. Intelligebat ſanè vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia qua fide à patri- D bus eſſent ſuſcepta, eadem fide filijs conſignarentur, noſq́; religionem non quà vellemns dncere, ſed poti⁹ quà illa duceret, ſequi nos oportere. Idq́; eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare. Ipſius itaque Aphricani concilij decreta, quibus nouitia illa Agrippini confirmabatur adinuentio, vninerſa tanquam falſa, tanquam ſomnia, tanquam fabulæ abolita, antiquata, calcata ſunt, & retenta eccleſiaſticæ traditionis antiquitas. Et (quorſum hęc adducta ſunt omia) mira quadam rerum conuerſione, autores eius falſi & impij dogmatis, catholici, conſectatores verò iudicantur hæretici, abſoluuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli. Conſcriptores librorum opinionis erroneæ, filij regni ſunt, aſſertores vera gehenna ſuſcipiet. Nam quis eſt ille tam demens, tam temerarius, qui illud ſanctorum omnium, & epiſcoporũ & martyrum lumen Cyprianum, cum cæteris collegis ſuis in æternum dubitet regnare cum Chriſto? Aut quis contrà tam ſacrilegus, tã impius, qui Donatiſtas ac cæteras peſtes, quæ illius autoritate concilij rebaptizare ſe iactitãt, in ſempiternũ neget arſuros eſſe cum diabolo? Si cauſam quȩras, cur abſoluantur magiſtri erroris, & damnentur diſcipuli, ea eſt, quam ſuprà indicauimus. Nam

Vt hæretici ſint diſcipuli & ſectatores impij dogmatis, ubi tamen magiſtri ſunt catholici.

illi tenaciſsimè ſemper adhęſerunt illi ſacræ
A ancoræ,atq; intra arcam catholicę eccleſiæ &
eius ſepta diligenter ſe continuerũt. A cuius
fide & communi ſenſu, tametſi humano la-
pſu diſſentirent imprudẽtes,& catholicæ ec-
cleſiæ fidem ea in re non ſatis perſpectam ha
bentes,ſuam tamen fidem eccleſiæ fidei ſem-
per ſubmiſerunt. Vnde quod poſt plenius au
dies,decreta ſui concilij miſerunt ad beatum
Stephanum Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ
pontificem,vt eius autoritate aut probaren-
tur,aut infirmarentur. At poſtquam ea re ſe-
mel in quæſtionem deducta,palàm innotuit,
quænam eſſet catholicę eccleſię de eadem fi-
des ac ſententia, qui ea dimiſſa, in deſerto,
in domorum angulis, Chriſtum contra Chri
ſtum pergerent quærere, quid niſi dati in re-
probum ſenſum eiuſmodi dici poſſunt, vt
non fulgeat ipſis illuminatio euangelij glo-
rię Chriſti?

*Qua certa uia, ratione ac methodo orthodoxæ fidei ue
ritas in quacunq; propoſita quæſtione, quocunq;
dogmate ab hæreticæ prauitatis falſita
te diſcernenda ſit. Cap. VI.*

HOc ſecundum eſt eorum, quæ pro
ximè demonſtranda ſuſcepimus
ijs, qui piè viuere volunt in Chri-
ſto, qui in fidei & religionis eius
B ſynceritate firmiter permanere, vt ſemper
magnopere, ita hoc tempore, quo omnes o-
mnium ſeculorum hęreſes ab inferis reſuſci-
tatæ,& in eccleſiam Chriſti magna rerum &
ordinum omnium confuſione, effractis repa
gulis effuſę, liberè debacchantur, maximope
rè neceſſarium. Qua certa via, ratione ac me-
thodo, in quacunque propoſita quæſtione,
quocunque dogmate, orthodoxæ fidei veri-
tatem ab hæreticæ prauitatis falſitate poſsi-
mus diſcernere. Quod tametſi ſuperiori di-
Alias acutè. ſputatiõe* virtute ſatis ſit traditum, operępre
cium tamen eſt, eidem aliquanto inſiſtere di-
ligentius,& exemplis eccleſiaſticis ipſum ma
gis magiſq; illuſtrare, vt exercitatum redda-
mus lectorem in re pręcipuè neceſſaria. De-
monſtratum à nobis eſt, duo nos habere prin
cipia, ex quibus in fide religioneq; Chriſtia-
na, quid verum aut falſum ſit, certò cognoſci
poſsit, nempe diuinæ ſcripturę canonem, &
eccleſiaſticam traditionem. Vtriuſq; autẽ eo-
rum parem quidem eſſe autoritatem, quantũ
ad indubię veritatis certitudinẽ attinet. At ec
cleſiaſticam traditionem, in re dubia ad fi-
dem, certitudinemq; faciendã eſſe magis ido
neam. Quandoquidem eccleſiaſtica traditio,
vbi de ea conſtat, plana eſt & aperta, nec fle-
cti torquerive poteſt in hanc aut illam ſen-
tẽtiam, quare & columnam & firmamentum
veritatis eccleſiam Chriſti prędicat Paulus a-
poſtolus. Cum contra ſcripturas pro ſuo ple C
rique arbitratu interpretantes, varias inde
opiniones, erroreſq; concipiant. Neque vſ-
quam tam ſunt apertę & expoſitę, vt ſe trahi
in diuerſam ſententiam callida expoſitione
non facile patiantur, adeo, vt qui in eis errare
noluerit, neceſſe habeat illis adhibere, velut
inflexibilem quandam ipſarum amuſsim ac
regulam, eccleſiaſticæ traditionis autoritatẽ,
eaſq; ſecundum vniuerſalis eccleſiæ traditio
nes,& iuxta catholici dogmatis regulas intel
ligere ac interpretari. Itaq; quemadmodum
ille damnabiliter errare non poteſt, etiam ſi
erret in fide, qui intra arcã catholicę eccleſiæ
ſe continet, qui illi ancorę ſacrę firmiter ad-
hęret, ita ille in omnibus orthodoxã rectam-
que fidem tenet, qui hoc credit de ſingulis,
quod credit catholica Chriſti eccleſia. Hic ita
que eſt ſcopus ille, in quem reſpicere opor- *In quem ſcopum in omni*
tet, quoties emergit nouitas aliqua, quoties *emergente cõ*
controuerſia aut quęſtio in fide, religioneq; *trouerſia re-*
cõſurgit. Quid de eo teneat aut credat illa in- *ſpicere perpe*
flexibilis colũna, illud firmamentũ veritatis, *tuo oporteat,*
catholica eccleſia. Hoc enim ſolum verum, ac *ut orthodoxã*
germanum eſt. Quicquid autem illi aduerſa- *ueritatem aſ-*
tur, etiam quibuſcunq; diuinarum ſcriptura *ſequamur.*
rum adumbretur, pallietur & adſtruatur ora-
culis, falſum, nothum, prophanum, impium D
& iure merito execrandum.

Hoc ergo hic nunc agẽdum eſt, quo pacto
de quocunq; propoſito dogmate, de quacun
que quęſtione & controuerſia ſcire & certò
inuenire poſsimus, quid credat ac ſentiat ca
tholica Chriſti eccleſia. Quod poſtquam cõ-
ſtat, qui nihilo minus dubitat, & multo ma-
gis, qui ſentit diuerſum, iam ſeſe pręcipitauit
extra arcam catholicæ eccleſiæ, iam ſe diuiſit
ab illo corpore, in quo ſolo Chriſtus eſt & ve
ritas,& ſuo ipſius iam condemnatus iudicio.
Quid verò de quocunq; dogmate ac propoſi
ta quęſtione catholica eccleſia ſentiat, non in
omnibus ęquè expoſitum ac manifeſtum eſt,
nec æquè inuentu perſpectuq; facile. Quædã
enim ſunt, de quibus expreſſam diſtinctam-
que fidem omnes habent, etiam ſimplices at-
que adeo vulgus Chriſtianorum, de quibus,
quis ſit communis catholicę eccleſię ſenſus
& conſenſus, non eſt difficile perſpicere. Cu-
iuſmodi ſunt, qui in apoſtolico ſymbolo ar-
ticuli fidei continentur, & alia pleraque, de
quibus mox audies. Quædam verò ſimplici-
um captum ſuperant, vt indiuiduæ trinitatis,
incarnationiſq; myſteria, & quę eius generis
ſunt. De quibus quoniam nihil diſtinctè &
explicitè credit vulgus Chriſti fidelium (qui-
bus in eiuſmodi ſatis eſt, vt paſcantur iuxta

arantes

arantes boues ,& ſe contineant intra ſepta ca
A tholicæ eccleſiæ) non æquè notum ac per-
ſpectum eſt, quæ in iis ſit communis fides
vniuerſalis eccleſiæ. Quare in eis quęſtioni
ac dubitationi ſæpè locus incidit. Quæ tam
diu probabilis eſſe potuit,quàm diu non cer-
tò conſtitit, quid de eiuſmodi ſentiret & cre
deret orthodoxa eccleſia. At poſtquam id in-
notuit, iam nõ probabilis,ſed damnabilis &
execrabilis habetur , iam hæreſis eſt error e-
iuſmodi: & hæreticus,qui dimiſſa communi
eccleſiæ ſententia,ſuam illi aut alicuius ma-
giſtri ſui ſententiam præfert. Catholicam au
tem chriſti eccleſiam,intelligo eccleſiam vni
uerſalem, non tantum quæ nunc eſt,ſed quæ
à Chriſto cepit initiũ, & per apoſtolos in to-
tum orbem propagata, continua ſucceden-
tium ſibi patrum & epiſcoporum ſerie, ea-
dem ad nos vſque perdurat, & perdurabit in
finem. Quæ huius totius ab initio ad nos vſ-
que fides eſt, eam catholicam eſſe, ipſa indi-
cat nominis ratio. Sed & vera eadem & ortho
doxa ſit neceſſariò oportet,niſi mentiatur A-
poſtolus eccleſiam columnam eſſe, firmamẽ-
tumq́; veritatis. Imo,niſi falſus & infidelis ſit
Chriſtus, qui promiſit ſe mãſurum in eadem
continuò,atq; omnibus omnino diebus ad ſe
B culi vſq; conſummationẽ.quicquid verò ſub
certo nomine , certo autore, certo tempore,
certo loco nouitatis vſquam ebulliuit,id con
ſtat catholicum & vniuerſale non eſſe,proin-
de nec verum aut orthodoxum: ſed errone-
um, falſum , hæreticum. Itaque ſi ſe particu
la aliqua eccleſiæ ab vniuerſalis fidei com-
munione præciderit,quid orthodoxo Chri-
ſtiano faciẽdum ſit, haud obſcurum eſt. Peſti
fero enim, corruptoq́; membro ſanitatem
vniuerſi corporis anteponet. quod ſi nouel-
la aliqua contagio,non iam portiunculã tan-
tum, ſed totam pariter eccleſiam commacula
re conetur,nec tunc obſcurum eſt,Chriſtia-
num orthodoxum quid ſequi oporteat,nem
pe antiquitati inhærere,& cuſtodire depoſi-
tum,& iuxta apoſtolicum præceptum deuita
re prophanas nouitates. Exemplis quod di-
co illuſtrandum eſt, & paulò exaggerandum
vberius,

Tempore Donati,à quo Donatiſtę,cum ſe
ſe multa pars Africæ in erroris illius furias
pręcipitaret. Cumq́; immemor nominis,reli-
gionis,profeſsionis, vnius hominis ſacrilegã
temeritatem eccleſiæ Chriſti pręponeret,tũc
quicunq; per Africam conſtituti prophano
ſchiſmate deteſtato , vniuerſis mundi eccle-
Exemplũ nouitatis penè in vniuerſa. ſijs aſſociati ſunt , ſoli ex illis omnibus intra
catholicę fidei ſacraria ſalui eſſe potuerunt.
Nobis egregiam formam relinquentes,quẽ-
admodum ſcilicet & deinceps bono more,
vnius aut certè paucorum veſanię,ſanitas vni C
uerſitatis anteferretur. Item,quãdo Arriano-
rum venenum,non iam portiunculam quan-
dam,ſed penè totum orbem cõtaminauerat,
adeo vt cunctis penè,non ſolum Oriẽtis, ſed
& Occidẽtis epiſcopis,partim vi,partim frau
de deceptis,caligo quędam mentibus offun-
deretur,quidnam potiſsimum in tãta rerum
confuſione ſequendum foret. Tunc quiſquis
verus Chriſti amator & cultor extitit , anti-
quam fidem nouellę perfidię pręferẽdo,nul-
la contagij ipſius peſte maculatus eſt. Cuius
equidem temporis periculo,vt inquit ille,ſa-
tis ſuperq́; monſtratum eſt, quantum inueha
tur calamitatis nouelli dogmatis inductiõe.
Tunc ſiquidem non ſolum paruę res,ſed eti-
am maximę labefactatę ſunt. Nec enim tantũ
affinitates,cognationes,amicitiæ,domus,ve-
rumetiam vrbes,populi,prouincię,nationes,
vniuerſum deniq; Romanum imperium ſun
ditus cõcuſſum & emotum eſt. Namq́ue cùm
prophana illa Arrianorũ nouitas, velut quę-
dam Bellona & furia , capto prius omniũ im-
peratore,cuncta deinde palatii culmina legi-
bus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps
deſtitit vniuerſa miſcere atq; vexare,priuata
& publica,ſacra prophanaq́; omnia , nullũ bo D
ni & veri gerere diſcrimẽ,ſed quoſcũq; colli
buiſſet tanq̃ de ſuperiori loco percutere. Tũc
enim , veluti in publico totius orbis aduer-
ſum ſe bello,temeratæ cõiuges,populatæ vi-
duæ,prophanatæ ſanctimoniales,tunc dilace
rata monaſteria, diſturbati clerici , verberati
leuitæ,eiecti ſuis eccleſiis ac ſedibus & acti in
exiliũ ſacerdotes & epiſcopi , oppleta ſanctis
ergaſtula,carceres,metalla:quorum pars ma-
xima interdictis ſibi vrbibus protenſi atq; ex
torres,inter deſerta,ſpeluncas,feras,ſaxa,nu
ditate,fame,ſiti , contumeliis etiam verberi-
buſq́; affecti,contriti & tabefacti ſunt . Nullã
equidẽ aliam ob cauſam, q̃ quòd pro cœleſti
dogmate humanas introductas ſuperſtitiões
ſuſcipere noluerũt,quàm quòd benè fundatã
antiquitatem,ſceleſta ſubrui nouitate, quòd
ſuperiorum inſtituta violari,reſcindi ſcita pa
trum,conuelli definita maiorum non permi-
ſerunt. Quòd extra incorruptæ ſacratæq́; ve-
tuſtatis limites, extra arcam catholicæ eccle-
ſiæ in deſerto aut domorũ penetralibus chri
ſtũ noluerunt quærere,nec eò ſequi,quò per
trahebat prophanæ ac nouellæ curioſitatis li
bido , præclaro ſanè in poſteros edito exem-
plo,videlicet quo nos docerent, ne à defenſi
one fidei maiorũ vlla nos vis depelleret,non
minæ,non blandimenta,nõ palatium,non ſa
tellites,non imperator , non imperium,non

A vita, non mors, non homines, non dęmones, nõ angeli deniq; de cœlo, ſi anunciarẽt aliter? Dignos herclè viros, per quos diuina miſericordia proſtratas reſtauraret eccleſias, extinctos ſpiritales populos viuificaret, deiectas ſacerdotum coronas reponeret, neſarias nouellæ impietatis, non literas, ſed lituras inſuſo cœlitus epiſcopis fidelium lachrymarum fonte deleret, vniuerſum poſtremò iam pene mundum ſæua repentinæ hæreſeos tempeſtate perculſum, ad antiquam fidem, à nouella perfidia, ad antiquam ſanitatem, à nouitatis veſania, ad antiquam lucem, à nouitatis cæcitate reuocaret, Vnde & ad tãtam illi gloriam peruenire meruerunt, vt non ſolum cõfeſſores, verumetiam principes confeſſorum iure meritoq; habeantur. Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planeq; diuinũ veris quibuſq; chriſtianis, vt ſemper, ita hoc potiſsimum tempore, qui periclitari noluerit, inter tot, tam varias, tam diſcrepantes, tam prodigioſas per eccleſiam chriſti debacchantes errorum hæreſes, iugi, indeſeſſaq́ne meditatione recolendum. Clariſsimam ſiquidem poſteris illi formã præmonſtrarũt, quonam modo deinceps per ſingula quæq; errorum vaniloquia, catholicę veritatis ſacrataeq́; vetuſtatis autoritate, impiæ ſingularitatis prę B ſumptio, & prophanæ nouitatis conteratur audacia.

In omni genere incidentiũ controuerſiarum ut certo inueniri poſſet catholicæ eccleſiæ ſententia.

Sed, inquies, iamdudum nihil dubitare te, quin catholicę eccleſię fidé, cõmunemq́; ſententiam, per omnia ſequi oporteat. Sed quomodo de quacunq;, quę inciderit quæſtione & contrauerſia, ea certò cognoſci poſsit, nondum te ſatis intelligere. Quandoquidem catholica eccleſia longè, lateq; in orbem diffuſa eſt, & in omnes ſe retrò ętates extẽdit. Cuius vniuerſę tam latè patentis communé ſententiam, cuius pręconis vocem vt audias, & certò agnoſcas, vt clarius tibi demõſtremus, fortaſsis efflagitas.

Mos tibi gerendus eſt petenti vtilia, & digna quæ pertractentur diligẽtius & vberius. Non tamen hic ſtatim à principio ſita agam tecum (quamuis iuſtè poſſem) quemadmodũ ſacer ille Irenæus apoſtolicis temporibus proximus (Polycarpi quippe beatiſsimi Ioannis diſcipuli auditor,) egit aduerſus Valẽtinum, cęteroſq; ſui ſeculi hęreticos. Aduerſus quos quum ſanè intelligeret, parum efficacem eſſe ex ſcripturis pugnam & conflictationem, atque adeo etiam inutilem (quod & ſuperius demonſtrauimus) apoſtolicam traditionem affert & obijcit. Non tamen ex ſcripto, ſed ex obſeruatione, conſenſu, fideque vniuerſalis eccleſiæ. Quam obſeruationem ac fidem demonſtraturus, quum (vt inquit) prolixum eſ- C ſet & operis infiniti, diſcurrere per vniuerſas orbis eccleſias, vnam ex omnibus, & pro omnibus affert Romanam eccleſiam, eius fidem & traditionem ab apoſtolis per continuam in ea ſucceſsiõem epiſcoporum incorruptam ad nos perueniſſe affirmans. Cuius, inquit, eccleſiæ fidem, traditionemq́; proferentes (vt cui omnes alias eccleſias conuenire, conſentireq́; neceſſe ſit) cõfundimus omnes, qui quoquo modo fidem præterquam oportet, colligunt. Veriſsimè quidem ille, & quo pacto etiam nos tuæ quęſtioni breuiter ſatiſfacere poſſemus, videlicet hoc de ſingulis tenere & credere catholicam chriſti eccleſiam, quod tenet & credit Romana eccleſia. Cuius fidem, traditionemq́; per ſingula non eſt difficile oſtendere, nec ſi dubitaremus, conſulere eandem.

Sed quoniam etiam Romanę eccleſię autoritas, dignitas, & prærogatiua nũc reuocatur in dubium, ſed ab ijs, qui omnia etiam ante mille annos certa ac definita nunc impugnãt ac rejciunt, & econtra ſtatuunt, quæ hactenus aut nõ nouit, aut etiam damnauit & execrata eſt catholica Chriſti eccleſia, aduerſus quos inſtituta eſt pręſens noſtra diſputatio, ita hic nunc agam tecum, vt non ſit aut cauil- D lationi aut ſubterſugio locus.

Vnam eſſe Chriſti eccleſiã ab illo ipſo per apoſtolorum miniſterium in omnem terram propagatam, & in fines orbis terrę & ſeculi propagandam continua ſerie ſucceſsionis naſcentium & decedentium ſub vno capite duce, ac imperatore noſtro Chriſto, in fidei & religionis vnitate, ſuprà demonſtrauimus. Sed de eius vnitate & integritate in quo conſiſtat, & vt conſeruetur, nondum diſputationem abſoluimus. Quod tamen conferret nõ parum ad id, quod nunc agimus. Interim tamen craſsiori, quod aiunt, minerua vnitatem catholicæ eccleſiæ intelligentes, eius fidem de quacunque propoſita quæſtione intelligimus, quæ eſt ſingulorum Chriſti fidelium, non tantum, qui noſtro ſeculo viuũt, ſed etiam qui ſeculis ſuperioribus ad Chriſtũ vſq;. Eorum tamen, quos conſtat in catholicæ eccleſię communione & communi fide permãſiſſe. Duo autem eſſe genera eorum, quæ in fide ac religione in quęſtionem aut controuerſiam reuocari poſſunt, paulo ante indicauimus: alterum eorum, de quibus etiam vulgus chriſti fideliũ explicitam, diſtinctamq́; fidem aliquam habet, alterum eorum, quę à captu vulgi ſunt remotiora, ſed ad altiora, recõditioraq; fidei myſteria pertinent. In his quęſtionibus, quæ ad primum genus pertinent,

non

non eſt difficile, imo paratum & cuiq; obui- A um inuenire catholicę eccleſię fidem, conſenſum & ſententiam, percurrenti eccleſiam vniuerſam, eiuſque partes præcipuas, tam ſecundum loca, quàm tempora. Excluſis tamē ſemper ab eiuſmodi conſideratione ijs, à quibus nouitas aliqua aduerſus communem antiquamq; fidem aut inuecta eſt aut aſſeritur. In altero genere quandoquidem ad doctores, magiſq; illuminatos in fide, ac ſpiritaliores eorum explicita, diſtinctaque fides pertinet, quos Chriſtus aquilarum appellatione deſignat, eorum conſeoſum, communemq; ſententiam inueſtigare oportet. Vbi enim illæ cōgregātur, quicquid illi omnes pariter, vno, eodem conſenſu, apertè, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoſcūtur, ille totius corporis ſenſus & conſenſus eſt, illic Chriſtus & veritas, hoc ſciat quiſq; & intelligat abſq; vlla ſibi dubitatione ſequendum. Sed in exēplis illuſtriora hęc faciamus. Primi itaq; generis eiuſmodi nunc introducuntur queſtiones.

In altero genere, ut ex aquilarum conſenſu catholicæ eccleſiæ fides certo cognoſcitur.

Vtrum baptiſma collatum paruulis ſit efficax ad ſalutem, an verò neceſſe ſit baptizari adultis & cum actuali fide, illo quod infantibus nobis collatum eſt, baptiſmate abrogato & pro nihilo habito.

B Vtrum in euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini, ſint verè & realiter corpus & ſanguis redēptoris noſtri Ieſu Chriſti, an verò velut in ſigno tantum aut ſymbolo aliquo illa repræſententur.

Vtrum viuorum ſuffragia defunctis animabus proſiot, ao verò ſint inutilia, vt quia poſt hanc vitam nō ſit purgationi peccatorum locus, ſed mox decedentes ſint, aut in damnatione, ant in beatitudine, aut medio quodam ad futurum iudicium loco.

Vtrum diui regnantes cum chriſto ſiot colendi, eorumq; reliquię cum veneratione & honore apud nos habendę, eorundem apud Deum nobis imploranda ſuffragia, an verò hæc omnia ſuperſtitioſe & inutiliter fiant à nobis, imo cum derogatione cultus ſoli neo à nobis debiti.

Vtrum ſancti amiciq; Dei ſtatuis, imaginibus, & picturis à nobis honorandi ſint, eorūque trophęa & glorioſa certamina per hęc ſtatuęnda continuè ob oculos, an verò hæc non ſolum inutiliter, ſed & gentiliter fiant, & idololatrię ſpeciem referant

Vtrum templa, vniuerſaq; illa diuini cultus, qui in eis peragitur, exterior facies, ad veram pietatem conferant, an verò, veluti laruas quaſdam & facies Antichriſti aboleri magis expediat omnia.

Vtrum cæremooias rituſq;, quos toto orbe ſeruat eccleſia, dies item feſtos, quibus re- C demptionis noſtrę myſteria, anoiuerſaria ſolēnitate recolimus, ieiunium quadrageſimę, cæteraq; eiuſmodi, quæ toto orbe obſeruat Chriſtiana eccleſia, veluti ex apoſtolica Chriſtiq; inſtitutione à nobis neceſſariò obſeruari oporteat, an verò hæc veluti indifferentia habeoda ſint, & cuiuſq; relinquēda arbitrio, eò quod in euangelio aut apoſtolicis literis præcepta non inueniantur.

Vtrum indecens ſit totius eccleſię ritus, in decantandis publicè in eccleſia pſalmis & hymnis eccleſiaſticis, atq; in eo ſacerdotes Baal imitetur, an verò decens, pius & ad exemplar cœleſtium illorum ſpirituum, in illa Hieruſalem cœleſti.

Vtrum benedictionnm & cōſecrationum eccleſiaſticarum in chriſmate, aut oleo ſacro, in aqua benedicta, in locis, templis, altaribus, veſtibus, vaſis, diuino cultui mancipatis, ſit aliqua efficacia & vtilitas, an verò nulla ſacri ſit & prophani diſtantia, & hæc non ſolum inutiliter, ſed etiam ſuperſtitioſe fiant ab eccleſia.

Vtrum antiquum, pium & ſanctum ſit monaſticum inſtitutum, votaq; monaſtica accepta Deo, & coram eodem obligatoria, an verò hęc diaboli inſtinctu nuper ſint introdu- D cta in orbem, in captionem & laqueū fidelis populi, votaq; monaſtica ſint ſtulta & impia, vtpotę impoſſibilia & libertati Chriſtianæ contraria.

Hæc ferè ſunt, aut eiuſmodi quęſtiōes, quibus (proh dolor & pudor) adeo miſerè nunc exagitatur, & pene à fundamentis concutitur eccleſia Chriſti, ob hæc ex arca catholicæ eccleſię vltrò ſcientes volenteſq; ſe pręcipitant miſeri in barathrum damnationis æternæ, & ſummo ſtudio ſtupenda & pluſquàm diabolica animi obſtinatione obfirmata, in mortes, in laqueos, ignes, cruces atq; omnia ſuppliciorū genera, hoc agūt, vt alios quàm plurimos ſecum pertrahāt in perditionem pręcipites, omniaq; confundant, diuina, humana, ſacra, prophana, orbemq; cōmiſceant cęde & incendio. In quibus omnibus, cum ſit luce meridiana clarius, quæ ſit fides, quæ ſententia catholicæ & orthodoxę Chriſti eccleſiæ, quæ hæc eſt excæcatæ mentis veſania, illi non credere, illi ſe nolle conformare, imo eam palàm oppugnare, & aduerſus illius catholicā fidem, ſuam aliquem opinionem ſtatuere? præſertim qui Chriſtianos ſe haberi volunt, & nihil quàm euangelicas, apoſtolicaſq; ſcripturas iactitant. In euangelio apertè nos docet Chriſtus, vt audiamus eccleſiam, obau- Matth.

dientemq́;,habeamus vt publicanũ,vt ethni-
A cum.Et hi contra è diametro omnes audientes,conſentienteſq́; eccleſię,atq; adeo ita pręcipienti Chriſto,αἱρέους vocant, & pro ethnicis & publicanis ducunt. Promiſit chriſtus eccleſię ſuę non pręualituras vnquam aduerſus eam inferorum portas,hoc eſt, infidelitatem aut erroneam fidem. Quin potius,ne vnquã deficeret eius fides,ſua illi oratione impetrauit,ſecuramq́; fecit ſe permãſurum in eadem continuò,atq; omnibus diebus vſq; ad ſeculi conſummationem. Et hi perinde ac ſi iam annis plꝰ mille nulla fuiſſet orthodoxa & catholica Chriſti eccleſia, ac ſi falſus & infidelis Chriſtus,& ſuę eccleſiæ tam longo tempore deſertor, nouam nunc eccleſiam congregãt, nouam fidem,noua ſacramenta, noua ſacerdotia, nouam religionem, nouam ſalutem docent.

Matth.16.
Luc. 22.
matth.ul.

Affirmat ille magiſter gentium, ille conſcius cœlorum,& qui in cœlia didicerat quæ in terris doceret, eccleſiam non tantum veracem eſſe,ſed columnam inflexibilem,ſed certum firmamentum & ſuſtentaculum omnis veritatis,quæ ad fidem,religiõem, ſalutemq́; pertinet. Et iſti mendaciſsimam, fallaciſsimã que faciũt eccleſiam vniuerſam, quę fuit ab-
B hinc multis ſeculis, & miſerandis deceptam, inuolutamq́; erroribus.

1.Tim.5.

Sed dicet quiſpiam,& verũ fortaſsis dicet, iſtis perſpicuum non eſſe,de his qui introducunt noua,contra communem,receptamq́ue ſententiam,quænam ſit vniuerſalis per orbẽ eccleſiæ catholicę fides,quorum videlicet occulto ſuo,iuſtoq; iudicio excęcauit Deus mẽtes,vt non fulgeat in ipſis illuminatio euangelij glorię Chriſti,vt clariſsimam lucem nõ videãt. Alioqui quis eſt,cui oculus fidei euulſus aut excæcatus non eſt,qui non clariſsimè videat & intelligat,quid de his ſentiat & credat catholica Chriſti eccleſia?

2.Cor.4.

Explicatur tradita methodus in prædictis controuerſiis.

Et vt ordiamur à baptiſmate paruulorum, quod nobis omnibus eſt ſalutis quoddã exordium, & Chriſtianitatis ſymbolum, quis non videat,quid de eo credat & credidit catholica Chriſti eccleſia,antequam eadem nuper per Lutherum oppugnata & patefacta ſemel ad omnem impietatem ianua (dum liberum cuiq; ſecit id ſentire & credere,quod ſibi ex ſcripturis videretur aut probari poſſet) inuecta eſt etiam in orbem,atq; ex illo veluti Troiano equo proſilijt iſta Anabaptiſtarũ furia,omnem ſecum impietatem trahẽs, omnem pietatem eliminans, omnem ordinem perturbans,omnia confundens rapinis, ſacrilegijs,parricidijs,incendijs. Nec tamẽ per hos aliter credite, q̃ ſemper credidit. Sed hoc dico, quod ante hos toto orbe terrarum de
C paruulorum baptiſmate iam annis plus mille,nemo vel tantillum hæſitauerat. Percurre eccleſiam vniuerſam per ſuas partes, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Sarmatiã, his adde inſulas quaquà verſum in mari Oceano,in quibus viget & viguit fides, religioq́; Chriſtiana, Angliam, Scotiam, Hyberniam, Gothiam,Suueuiam,Noortuuegiam,ex Oceano ſeptentrionali,Siciliam,Cretam,Cyprum, Rhodum,Sardiniam,Corſicam,cæteraſq́; mediterranei maris inſulas Chriſtianas. Adde inſuper Græcos & Moſcos, tametſi iam diu ſchiſmaticos, & varijs implicitos erroribus, tamen hac in re à fide catholicæ eccleſię non diſſentientes. Adde etiam quotquot adhuc in Syria & Armenia Chriſti nomen profitentur. Adde poſtremò numeroſiſsimos illos,toto pene orbe à nobis diſiũctos Indorum populos ſub illius,quem Presbyterum Ioãnem falſo appellare conſueuimus, degentes imperio, apud quos ab initio ad hunc diem cõſeruatam fuiſſe fidei,religioniſq́; noſtræ integritatem,vt alias frequenter & pene quotannis ex ijs,quos illinc per immenſa terrarum, mariumq́; ſpacia,pium religioſumq́; ſancta loca viſendi votum,primum Hieroſolymam, & inde Romam (cuius Pontificem, vt caput vniuerſalis eccleſiæ venerantur) perducit,ita ab-
D hinc biennio,ab illorum Imperatore,ad Clementem VII. Pontificem Maximum miſſa Bononiam,pręſente ibidem Imperatore noſtro Carolo,ſolenni legatione planè compertum eſt. Quæ & fidem,religionemq́; ſuæ gẽtis,noſtræ per omnia conſonam coram eodem Põtifice in publico cardinalium conſiſtorio expoſuit,eidemq́; vt ſummo vniuerſalis eccleſiæ epiſcopo & capiti ſui imperatoris & gentis nomine reuerentiam,obedientiamq́; detulit. Apud hos omnes,ad pręſentem vſq; natam aut excitatam inſaniam, nemo ex Chriſtianis parẽtibus natus,aliter ſit chriſtianus, quàm baptiſmate collato paruulo, nemo factus eſt à maioribus noſtris,annis abhinc cẽtum,ducentis,trecentis & ſupra mille. Nunquid ergo non eſt euidentiſsimum hac de re quis ſit ſenſus & conſenſus,quę fides catholicę eccleſiæ? Aduerſus quam omnibus notoriam & perſpectam,nunquid non eſt euidentis inſanię,Chriſtianum aliquem, qui ſe videri & nominari voluerit,ſuam opinionem ſtatuere ex aduerſo,ob vnum aliquem aut alterum ſcripturæ locum, quaſi illã hactenus aut non legerint, aut non intellexerint omnes orthodoxi patres noſtri,omnes fideles, omnes ſancti,martyres,pontifices, confeſſores, quaſi deniq; tot ſeculis obdormiſſet Chri-

ſtus,

ſtus,& aduerſus ſuam ipſius promiſsiõem ne
A glexiſſet & deſeruiſſet eccleſiam ſuam ille fi-
delis & verax? Quid inſanius cogitari poteſt
ab homine Chriſtianum ſe profitente? Ad eũ
dem ſanè modum, conſonam toto orbe ter-
rarum, eandemq; omnium chriſti fidelium fi
dem, de omnibus, quas ſupra memorauimus
quęſtionibus & controuerſijs, clariſsimè, a-
pertiſsimeque inuenies. Quam quod inſani
quidam & Sathanæ mancipia, tanto nunc tu
multu, tanta totius orbis confuſione, obſtina
tiſsimè oppugnant, & execrandas blaſphe-
mias ſuas aduerſus eandẽ introducere conan
tur, ita vt penè à cardinib⁹ & fundamentis cõ
cutiant chriſti eccleſiã, ego ſanè quid ſit intel
ligere nõ poſſum, nec mecum ſatis admirari.

Fuerũt etiã prioribus temporibus, qui dati in ſenſum reprobum, & excęcati diuino iudi cio, eiuſmodi prophanis, impijsq; nouitatib⁹ niterẽtur conturbare eccleſiam, & in deſertũ, & angulos, penetraliaq; domorum, ab illo corpore ad quod aquilę congregantur, & in quo Chriſtus perpetuò manet & inuenitur, abducere incautos, & parum ſtabiles in fide, quiq; illi ſacrę ancorę non ſatis firmiter adhę rebant. Sed eiuſmodi ſemper execrata eſt catholica eccleſia, & iuxta apoſtolicã doctrinã anathematizauit cum adinuentionibus ſuis.

Math. 24. Luc. 14. Gala. 1.

B

Diui Bernardi temporibus, annis abhinc quadringentis, & eò amplius, etiã ſurrexerãt nonnulli eiuſdem amentiæ homines, qui cõmunem catholicæ eccleſię fidem in prędictis pene omnibus euertere niterentur, & ſuam impietatem ſimplicibus & incautis perſuadere. De quibus (ne iſti nunc glorientur ſe inuentores iſtarum hæreſeωn, ſed vt intelligatur quos pręceptores, & magiſtros ſequãtur) audi quid ſcribat idem vir ſanctus: Se dicũt, inquit, eſſe ſucceſſores apoſtolorum & eccleſiam, non habentes, videlicet neque agros, neque poſſeſsiones: Eccleſiam autem habentem agros & poſſeſsiones, non eſſe chriſti eccleſiam. Irrident nos quod baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod ſuffragia ſanctorum poſtulamus. Non credunt ignem purgatorij reſtare poſt mortẽ, ſed animam à corpore ſolutam, ſtatim vel ad requiem, vel ad damnationem tranſire. Eccleſiam non agnoſcunt, & iccirco ordinibus eccleſiæ detrahunt, & eius inſtituta non recipiunt, eius ſacramenta contemnunt. Mandatis epiſcoporũ non obediunt. Peccatores enim, inquiunt, ſunt apoſtolici, archiepiſcopi, epiſcopi, presbyteri, & per hoc nec dandis ſacramẽtis, nec recipiendis idonei. Multa quidem & alia huic populo ſtulto & inſipienti à ſpiritibus erroris in hypocriſi loquentium mendacia perſuaſa ſunt. Nec rationibus conuincun-

C

tur, quia non intelligunt, nec autoritatibus corriguntur, quia non recipiũt, nec flectũtur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt. Probatũ eſt, mori magis volunt, quàm conuerti, horum finis interitus, horum nouiſsima incendiũ manet. Mirabantur, inquit, aliqui quod non modo patienter, ſed & læti (vt videbatur) ducerentur ad mortem. Sed non inde mirandũ, ſi aduertatur quãta ſit poteſtas diaboli, nõ modo in corpora hominum, ſed etiam in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit. Nonne plus eſt hominem ſibimet inijcere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem potuiſſe diabolum, frequẽter experti ſumus in multis, qui ſemetipſos aut ſubmerſerunt in aquis, aut ſecerunt ex ſublimi pręcipites, aut laqueo ſe ſuſpenderunt. Nihil ergo ſimile habent conſtantia martyrum, & pertinacia hęreticorũ. Quia in illis pietas, in iſtis cordis duricia contemptum mortis operatur. Proinde, inquit, opus non eſt multa aduerſus homines ſtultiſsimos & obſtinatiſsimos dicere. Sufficit innotuiſſe illos, vt vitẽtur. Melius tamen foret procul dubio, quod coërcerentur gladio illius, qui non ſine cauſa gladium portat, quàm vt multos in ſuos errores attrahere permittantur. Hæc atq; eiuſmodi ille Bernardus vir planè apoſtolicus, & plenus Dei ſpiritu. Quem ſuo ſeculo diuina miſericordia, etiam prænuncio oſtento ac prodigio, cum adhuc geſtaretur in materno vtero, ſingulariter in hoc excitaſſe videtur, vt feruore fidei eius mundum torpentem excitaret. Per quem intelligis eãdem quæ nunc eſt, & quæ ante nos patrum noſtrorum (ex quorum traditione veluti per manus catholicam fidem ſuſcepimus) fuit, etiam illo ſeculo, hoc eſt, annis ante nos quadringẽtis, fuiſſe catholicę eccleſię, de quęſtionibus ſupra dictis orthodoxam catholicamq; fidem, eandemq; nec nouam tũc fuiſſe, nec aliã ab ea quam ipſi didicerant in catholica eccleſia, & à patribus ac maioribus, ſibi ab initio continua ſerie ſuccedentibus acceperant. Sed nouas tũc fuiſſe eorum quas commeminit blaſphemias, aduerſus antiquam, catholicamq; fidem. Quorum qui nũc eaſdẽ interim ſepultas & extinctas reſuſcitare conantur diſcipuli, vides vt in nullo ab egregijs ſuis illis magiſtris & præceptoribus degenerent, vt qui à ſpiritibus erroris (quibus abnegato baptiſmo & Chriſtianitate ſe totos permiſerunt) planè obſeſsi, abierunt in profundum impietatis & obſtinationis. Quæ vna cauſa eſt, vt & ipſi, quemadmodum illi præceptores ipſorum, illatas ſibi mortes, non ſolum patienter, ſed etiam alacriter exci-

1. Tim. 4.

D

pere videantur, transfigurantes ſe in prophetas, in apoſtolos, in euangeliſtas, in martyres Chriſti. Sed mirum non eſt, inquit Apoſtolus, cum ipſe etiam Satanas ſe transfiguret in angelum lucis, ſi miniſtri eius transfigurentur, ſicut miniſtri iuſtitiæ. Itaque quibus ea res eſt tentationi aut ſcandalo, illi ſacræ ancoræ ſatis firmiter inhærere mihi non videntur, nec ſtabiles admodum fideles, fixiq́; eſſe catholicæ fidei zœlatores

A — 2. Cor. 11.

Quod ſi etiam ante diui Bernardi ſecula ad initium vſque religionis noſtræ, de quæſtionibus ſuprà memoratis, catholicæ eccleſiæ fidem ac ſententiam demonſtrari tibi exegeris: quanquam ita poſſem reſpondere, alio ad id demonſtrandum argumento opus nos non habere, quàm quod eccleſia catholica, quæ nunc eſt, ita credat & ſentiat (. Nam vna eademq́; neceſſe eſt, quæ nunc eſt fides eius, etiam ſemper fuerit, ſi modo vna ſit catholica eccleſia, ab initio haud interrupta, imo cõtinua ſucceſſionis ſerie ad ſeculi vſque conſummationem vnitatem ſuam conſeruans, vnam autem neceſſariò eſſe ſuprà demõſtrauimus) tamen vt vna eademq́; opera, & tibi morem geramus, vt in prædictis, quibus nũc exagitamur quæſtionibus, etiam hoc ipſum clare demõſtremus, vnam eandemq́; ab initio ad præſens perdurare fidem catholicę eccleſiæ. Hoc imprimis nobis omnibus eſt maniſeſtum & notorium, quod nos de prędictis quæſtionibus vniuerſis in catholica didicimus eccleſia, idem didiciſſe & credidiſſe etiã patres noſtros, longa retrò ſeculorum ſerie. Qui ſi nunc reuiuiſcerent, ſtuperent ad impias has, quæ nunc paſsim afferuntur & occurrunt nouitates. Idem quoq; creditũ ſuiſſe annis ante nos quadringentis, diui Bernardi temporibus, illo ipſo fideli teſte, iamdudum intellexiſti, Neq; enim ipſe ijs in rebus ſuam opinionem ſingularem, ſed vniuerſalem catholicæ eccleſię fidem, ſententiãq́; exprimit. nos inſectans vt impios & hæreticos, qui aduerſus cathnlicam totius eccleſiæ fidem, prophanas ſuas, impiaſq́; aſſertiones conabãtur inducere. Neq; etiam, quæ erat eo ſeculo catholicæ per orbem eccleſię communis fides, tum primum nata eſt, ſed ea demum erat, quã à maioribus ſuis fideli traditione acceperant. Nam eandem ſuiſſe de ijs omnibus communem, vniuerſalemq́; totius eccleſiæ fidem, trecentis, quadringentis, ſexcentis, octingentis, & eo amplius annis, ante diui Bernardi tempora, ex eorum ſeculorum ſcriptoribus eſt videre luce meridiana clarius. Siquidem Auguſtini, Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſijq́; temporibus, hoc eſt, annis ante nos ſupra mille, centum, ducentis, æquè vt noſtris, ęquè vt Bernardi tẽporibus, atq; interim cõtinuè ſemper vniuerſa Chriſti eccleſia baptizauit inſantes. In euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini, verũ corpus & ſanguinem domini noſtri Ieſu chriſti firmiter credidit, orauit pro defũctis, diuos cũ Chriſto regnantes religioſo cultu proſecuta eſt, in eorum venerationem dedicauit baſilicas & altaria, eorum implorauit ſuffragia, reliquias fidelibus venerandas exhibuit, quadragenariam abſtineniam, & redẽptionis noſtræ anniuerſarias ſolennitates, cęremonias præterea, rituſq́; eccleſiaſticos eoſdem prorſus, quos in præſentem vſque diem per vniuerſam eccleſiam obſeruari videmus, veluti ex apoſtolica traditione, doctore ſpiritu ſancto primitiuæ eccleſię traditos, religioſiſsimè & ſumma cum veneratione obſeruauit, monaſticum inſtitutum probauit vt piũ, ſanctum, & ſalutiferum. Atq; ea omnia neq; etiam tunc excogitauit nouiter, aut ab inuentoribus nouitatum accepit. Semper enim memor grauiſsimę illius apoſtolicæ cenſurę & comminationis: Si quis vobis euangelizauerit quicquam præter id, quod accepiſtis, anathema ſit, accepta à maioribus atq; ab illis tradita diligẽter conſeruauit. Itaq; etiam ante hos ad ipſum vſq; Chriſtianæ religionis initium, eandem prorſus ſuiſſe de prædictis omnibus, quę noſtro, quę diui Bernardi, quę illorum ſeculis, catholicæ eccleſię fidẽ & ſententiam, ex eorum temporum ſcriptoribus luce clarius inuenies.

B — C — Galat. 1. — D

De paruulorum baptiſmate diui Auguſtini ſeculo quid crediderit catholica per orbẽ Chriſti eccleſia, idem ipſe clariſsimis verbis atteſtatur. Nam aduerſus Donatiſtas hæreticos (ex quorum cineribus nouum hoc & grauiſsimum reſuſcitatum nunc videmus incendium) exigentes, qua ſcripturæ autoritate ſtabiliri poſsit baptiſmum prodeſſe paruulis, qui nondum poſſunt corde credere ad iuſtitiam, cum ſcripturæ promittentes regnũ Dei baptizatis, planè loqui videantur de his, qui iam credunt euangelio, & ex fide baptiſma ſuſcipiunt. Aduerſus hos, inquam, diuus Auguſtinus nihil proſert aliud, quàm communem fidem & autoritatem catholicę eccleſię. Hoc, inquit, habet autoritas matris eccleſiæ, hoc ſundatiſsimæ veritatis obtinet canon. Quod enim vniuerſa tenet eccleſia, nec in cõcilijs ſtatutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi apoſtolica autoritate traditum, rectiſsimè creditur. Audis itaq;, de paruulorum baptiſmate quid tunc crediderit vniuerſa per orbem eccleſia, nempe idem, quod hoc noſtro ſeculo credit, & quod interim credidit ſemper.

De baptiſmate paruulorũ ſecundum dictam methodum exactiſs. demonſtrare fidem catholicæ eccleſiæ. Lib. 4. c. 21. & 22.

ſemper. Audis prętерea, quid nobis reſpon-
A dendum ſit hæreticis, horum omniũ ex ſcri-
pturis demonſtrationem exigentibus. Hoc
nempe vnum reſpondere ſatis eſt, quod ita
habeat, ita teneat ſancta mater eccleſia. Cu-
ins autoritas, & communis obſeruatio funda
tiſsimæ nobis veritatis canon eſt. Sed & ante
Auguſtini tempora, annis fermè ducentis,
Cyprianus ille glorioſus martyr & pontiſex,
ſuo tempore nouitiam quandam adinuentio
nem, & tunc exurgentem hęreſim ex Iudaico
illo fermento, videlicet quod inſtar veteris il
lius circuncisionis, etiam noſtri paruuli non
ante octauum diem baptizari deberent, ma-
gna vehementia & antoritate repreſsit, con-
tendens idem ſanctiſsimus martyr & ponti-
fex, aduerſus antiquam eccleſiæ obſeruatio-
nem & conſnetudinem nihil nouari debere.
cuius etiam diuus Auguſtinus meminit, de
immortalitate animæ, ſcribens ad Hierony-
mum. Ante Cyprianum etiam ille ſacer Irenę *Eadem tempore Irenei.*
us libro ſecundo aduerſus Valentini hære-
ſes ſcribit in hæc verba: Omnes Chriſtus per
ſeipſum ſaluare venit, omnes, inquã, qui per
illum renaſcuntur in deum, infantes & par-
uulos, pueros, & iuuenes, & ſeniores, Ideoq;
per omnem ætatem venit. Infantibus factus,
eſt infans, ſanctificans infantes: paruulis fa-
B ctus paruulus: iuuenibus iuuenis: ſenioribus
ſenior, vt omnes ſanctificaret. Hęc ille Iręne-
us beatiſsimi Polycarpi Ioannis euangeliſtæ
diſcipuli auditor. His libet adſcribere ex Ori
gene luculẽtum adeo teſtimonium, vt vnum
illud ſufficeret expungere vniuerſam hanc,
quæ baptiſmo paruulorum detrahit, impiiſsi
mam hæreſim, clariſsimè enim demonſtrat
traditionem, quam de hoc ipſo eccleſia acce-
pit ab apoſtolis. Hic itaq; lib. 6. commenta-
riorum, in epiſtolam Pauli ad Romanos o-
ſtendens corpus noſtrum, corpus peccati &
mortis ſæpè appellari in diuinis ſcripturis:
Deniq;, inquit, & in lege pro illo, qui natus
fnerit, iubetur offerri hoſtia, par turturũ aut
duo pulli columbini, ex quibus vnus pro pec
cato, & alius in holocauſtomata. Pro quo pec
cato offertur hic pullus vnus? nunquid nu-
per æditus paruulus peccare potuit? & tamen
habet peccatum, pro quo hoſtia offerri iube-
tur, à quo mũdus negatur quis eſſe, etſi vnius
diei fuerit vita ei⁹. De hoc ergo Dauid dixiſſe
credẽdus eſt illud, quod ſuprà memorauim⁹.
quia in peccato concepit me mater mea. Secũ
dum hiſtoriã enim nullũ matris eius declara
tur peccatum. Pro hoc & eccleſia ab apoſtolis
traditionẽ ſuſcepit, etiam paruulis baptiſmũ
dare. Sciebant enim illi, quibus myſteriorum
ſecreta cõmiſſa ſunt diuinorũ, quia eſsent in
omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per a-
quã & ſpiritum ablui deberẽt. Hactenus ille. C
Ex quo intelligis, etiã illo ſeculo in ipſiſsima
primitiua eccleſia eandẽ ex apoſtolorum tra-
ditione, ab ipſo initio ſemper baptizaſſe par
uulos, ita vt ex his luce clarius conſtet, eandẽ
quę nũc eſt, ab initio & in de continuò & ſem
per fuiſſe catholicę eccleſię de paruulorũ ba-
ptiſmo fidem & ſententiam, vt nõ immeritò
ita definitum fuerit in Lateranenſi concilio, *Definitio Lateranenſis cõcilij.*
quod celebratũ eſt ſub Innocentio tertio: Sa
cramentũ baptiſmi, quod ad Dei inuocatio-
nem & indiuiduę trinitatis, videlicet patris &
filij & ſpiritus ſancti cõſecratur in aqua, tã par
uulis quàm adultis, in forma eccleſię à quo-
cunq; collatum, proficit ad ſalutem.

Non poſſum committere, quin hic adſcri-
bam, quæ diuus ille Bernardus aduerſus hos
ſcribit pro catholicę eccleſiæ fide ac ſentẽtia:
Irrident, inquit, nos, quia baptizamus infan-
tes, quòd oram⁹ pro mortuis, quod ſanctorũ
ſuffragia poſtulamus. In omni genere homi-
nũ, atq; in vtroq; ſexu feſtinant proſcribere
Chriſtũ, in adultis & paruulis, in viuis & mor
tuis, &c. Sed abſit, inquit, non eñ relinqnet
dominus plebem ſuã, quæ eſt ſicut arena ma
ris: nec contentus erit paucitate hæreticorũ,
qui omnes redemit: Neq; enim parua, ſed pla
nè copioſa apud eũ redemptio. Quantus verò
numerus iſtorũ ad magnitudinẽ precij? Sed D
magis precio fraudãr, qui ipſum eucauare co-
nantur. Quid enim, ſi infans pro ſe loqui non
poteſt, pro quo vox ſanguinis fratris ſui & tá
lis fratris clamat ad deũ de terra? Aſtat & cla-
mat nihilo minus mater eccleſia. Quid tamẽ
infans? Nõne & ipſe videtur tibi inhiare quo
dammodo de fõtibus ſaluatoris, & vociſera-
ri ad deũ, ſuiſq; vagitibus clamitare: Domi-
ne vim patior, reſponde pro me? Flagitat auxi
lium gratiæ, quia vim patitur ab origine. Cla-
mat innocentia miſeri, clamat ignorantia par
uuli, clamat addicti infirmitas. Itaq; ergo cla-
mant hæc omnia ſanguis fratris, fides matris,
deſtitutio miſeri, miſeria deſtituti, & clama-
tur ad patrẽ. Porro pater ſeipſum negare non
poteſt, pater eſt. Nemo mihi dicat, quia non
habet fidem, cui mater impartit ſuam, inuol-
uens * illi in ſacramẽto, quouſq; idoneus fiat *Al. illam ſuo.*
proprio, nõ tãtum ſenſu ſed aſſenſu euolutã
puramq; percipere. Nunquid breue eſt pal-
lium, vt non poſſit ambo cooperire? Magna
eſt eccleſiæ fides. Nunquid minor fide Cha-
nanææ mulieris, quam conſtat & filiæ ſuffi-
cere potuiſſe & ſibi? Ideo audiuit: O mu- *Matth. 15.*
lier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti. *Matth. 9.*
Nunquid minor fide illorum, qui paraly-
ticum per tegulas demittentes, & animæ illi

&

& corporis ſimul obtinuere ſalutem? Deniq; A habes: Quorum fidem, vt vidit, ait paralytico: *Ioan.5.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et paulo poſt: Tolle grabatum tuum & ambula. Qui hæc credit, facilè huic perſuadebitur, meritò eccleſiam præſumere, non ſolum paruulis baptizatis in ſua fide ſalutem, ſed etiam interfectis pro Chriſto infantibus coronam martyrij.

Quæ cum ita ſint, nullum præiudicium ſuſtinebunt regenerati, de eo quod dictum eſt: *Hebr.7.* Sine fide impoſsibile eſt placere Deo, cum ſine fide non ſint, qui in teſtimonium fidei baptiſmi gratiam perceperunt. Sed neq; de eo, *mar.ul.* quod item dictum eſt: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Quid enim credere eſt, niſi fidem habere? &c. Propter hoc quoq; & infans natus eſt, & per ſingulos ætatum gradus profecit in virum, vt nulli deeſſet ętati. Hactenus ille Bernardus.

Quanquam autem ſingula fermè chriſtianę religionis catholica dogmata hęreticorū prophanis nouitatibus & impijs adinuentionibus ſępè, multumq́; exagitata inueniamus, vt qui Chriſtum, ſalutem, & fidei, religioniſque ſynceritatem non quęrebant vbi oportebat, in illo corpore catholicę eccleſię, ſed in angulis & penetralibus domorum, hoc eſt, in proprijs ſuis & ſingularibus, quas ſibi quiſq; ex B ſcripturis fingebat, opinionibus, vnum tamē inter omnia euchariſtiæ ſacramētum, tametſi omnium ferè quæ in fide, religioneq; noſtra habentur creditu difficilimum, & à captu humanæ rationis longiſsimè abſcedens, minus tamen patuit hæreticorū vexationibus, blaſphemijs & iniurijs. Siquidem ante quendam Berengarium Andegauenſis eccleſiæ archidiaconum (cuius impietas ſub Leone pontifice eius nominis nono, anno quinquageſimo primo ſupra milleſimum Vercellenſi cōcilio damnata eſt) nulla omnino de ea hæreſis legitur. Sed omnium tam orthodoxorum, quàm hæreticorum, de vno hoc ſacramento, vna ſemper fides extitit, videlicet, conſecratis in menſa dominica per ſacerdotum miniſterium pane & vino, diuina virtute verti eorum ſubſtantias in verum Chriſti corpus & ſanguinem. Opinor, propter tam clara Chriſti verba, quæ deſcribuntur ab euangeliſtis & apoſtolo. Quippe qui nouiſsima cœna, accepto & benedicto pane, illum diſtribuens diſcipulis, & ſacramentum commendans: Accipite, inquit, & manducate, hoc eſt enim corpus meū, quod pro vobis tradetur. Similiter de calice: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamēti, qui pro multis effundetur in remiſsiōem peccatorum. Accepit panem & vini calicem, at diſcipulis ſuis, non panem & vinū, ſed corpus & ſanguinem ſuum tradidit. Accipite, inquit: C Hoc enim eſt corpus meum, hic ſanguis meus. De quibus prædixerat apud Ioannem: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus eſt verè potus. Primus itaq;, vt dixi, Berengarius omnium, qui ante ſe fuerūt, hęreticorum impijſsimus & præſumptuoſiſsimus, circiter annum domini M.L. aduerſus tam clara, tam aperta cœleſtium eloquiorum teſtimonia, tā antiquam, tam conſonam totius ab initio eccleſiæ, & omnium Chriſti nomen profitentium fidem & ſententiam, nouitiam ſuam adinuentionem attulit: Et blaſphemo pollutoq; ore primus omnium mortalium ſacroſanctæ euchariſtiæ dignitatem eleuare, & apud ſuos traducere conatus, affirmauit, poſt conſecrationem panis & vini in altari, æquè vt prius manere eorundem ſubſtantias. Chriſti verò ea carnē & ſanguinē propterea vocari, quod in memoriam crucifixæ carnis eius, & de latere effuſi ſanguinis in eccleſia celebrentur. Aduerſus quem eo tempore ſcripſit Lanfrancus *Lanfranci aduerſus Berengarium epiſtola catholicæ, quæ tunc erat, eccleſiæ fidē clariſsimè demōſtrās* quidā, archiepiſcopus Cantuarienſis, vir non minus pietate, quàm eruditione inſignis, ſed tanquam aduerſus notoriam, manifeſtamq; omnibus impietatem, breuiter ac compēdiariè nec multum accuratè, & veluti epiſtolari, vt dicit, anguſtia perſtringens nonnulla, quæ D ſufficere exiſtimabat. Orditur autem ad ipſum ſcribens in hunc modum (libuit enim verba eius adſcribere, nam ex ipſa phraſi ſcripturæ eius, catholicæ eccleſiæ, quæ tunc erat, communem fidem, ſententiamq; planè perſpicies) Lanfrancus, miſericordia Dei catholicus, Berēgario catholicæ eccleſiæ aduerſario: Si diuina pietas cordi tuo inſpirare dignaretur, vt mecum loqui velles, locumq́; opportunum, in quo id competenter poſſet fieri, ſalubri deliberatione eligeres, multum fortaſsis tibi, procul dubio autem plurimum his conſuleres, quos decipis, deceptos verò ac morte præuentos in pœnas ęternas tranſmittis. Etenim cooperāte ſpiritu, qui vbi vult ſpirat, eueniret è duobus alterutrum, videlicet, aut tu ipſe depoſito ſuperbiæ faſtu, quo plenus cōtra orbem terrarum ſentire cœpiſti, autoritati totius eccleſiæ ſanctæ, rectiſq́; ſanctarum ſcripturarum expoſitionibus acquieſceres, ac ſic te & ſequaces tuos de tenebris erroris ac profundæ iniquitatis erueres, aut te in tua pertinacia perſiſtente, ipſi auditis rationibus miſerante Deo reſipiſcerent, & ad veram fidem, quam ſancta eccleſia Dei prędicare non ceſſat, conſilio meliore redirent. Expoſita deinde fide catholicæ eccleſiæ de ſacramento euchariſtiæ: Quæ, inquit, credit terrenas illas

ſubſtan-

ſubſtantias,quæ in menſa dominica per ſacer
A dotale miniſteriũ diuinitus ſanctificãtur,in-
effabiliter,incõprehenſibiliter & mirabiliter
operãte ſuperna potẽtia,conuerti in eſſentiã
dominici corporis & ſanguinis, reſeruatis
ipſarũ rerum ſpeciebns & qualitatibus, ne vi
delicet in proprio illo ſuo modo ac genere
ea percipiẽtes chriſti fideles, cruda & cruẽta
horreſcerẽt,& vt credentes fidei pręmia am-
pliora perciperẽt,ipſo nihilo minus domini-
co corpore permanẽte in cœleſtib⁹ ad dextrã
patris,inuiolato,integro,incõtaminato,illę-
ſo,nẽpe impaſsibili &immortali,vt verè vtrũ
que dici poſsit,& ipſum corp⁹, quod de virgi
ne ſumptũ eſt,atq; ipſum ſanguinẽ,qui in ara
crucis pro nobis effuſus eſt,ſub ſpeciebus pa
nis & vini non ſumere, & quodã modo non
ipſum,ipſum quidẽ, quantũ ad verę vtriuſq;
naturę eſſentiã,proprietatẽ & virtutem, non
ipſum autẽ, ſi modum illũ ineffabilẽ ſpectes,
quo ſub alienis ſpeciebus mirabiliter & incõ
prehenſibiliter latitat.Hac,inquã, fide catho
licę eccleſię per Lanfrancũ illũ expoſita:quã,
inquit,tenuit à priſcis tẽporibus & nũc tenet
eccleſia, quę per totũ orbẽ diffuſa catholica
nominat,atq; è religiõe explicata illi cõtraria
aſſertiõe hęretica Berengarij:Igitur,inqt,ſi ve
rũ eſt, ꝙ tu credis & adſtruis,falſum eſt quod
B ab eccleſia vbiq; gentiũ ea de re credit & ad-
ſtruitur.Oẽs enim,qui Chriſtianos ſe eſſe, di
ciq; lętãtur,verã chriſti carnẽ,verũq; eius ſan
guinẽ, vera vtraq; ſumpta de virgine in hoc
ſacramẽto ſe percipere gloriãtur. Interroga
oẽs,qui Latinę linguæ noſtrarumue literarũ
notitiã perceperunt,interroga Gręcos,Arme
nos,ſeu cuiſlibet natiõis quoſcunq; Chriſtia
nos hoĩes,vno ore hãc ſe fidẽ teſtabũtur habe
re.Porro ſi vniuerſalis eccleſię fides falſa exi-
ſtit,aut nunquã fuit catholica eccleſia aut pe-
rijt.Nihil nãq; efficacius ad interitũ animarũ,
q̃ pernicioſus error.Sed nõ fuiſſe,aut perijſſe
eccleſiã,catholicus nemo conſenſerit.Quam
vnã catholicã haud interrupta continuę ſuc-
ceſsionis ſerie à Chriſto & apoſtolis perdura
turã in fines ſeculi catholica fide profitemur.

Nã quod dicitis,prędicatum quidẽ in omni
bus gentibus euangeliũ &iamdudũ credidiſ-
ſe mundũ,atq; vberẽ fructum feciſſe ſemina
tum verbũ,& inde excreuiſſe in eccleſiã toto
orbe diffuſam,ſed eandem imperitia malè in
telligẽtium ſcripturas & euangeliũ,aberraſſe
ac perijſſe poſtea,& in vobis & ſequacibus ve
ſtris tandẽ reſuſcitatã remanere, cõſeruariq;
in terris,eã ſacrilegã vanitatẽ euertit, inquit,
euangelica veritas,& prophetarũ atq; ſancto
rum patrum nõ violanda autoritas.Vnde ec-
cleſiæ ſuę ſanctæ dominus in euangelio polli
cetur,dicẽs:Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus *Matt.ul.*
diebus,ad conſummationẽ vſq; ſeculi.Quod C
minimè diceret,ſi eccleſiã ſuam ante cõſum-
mationem ſeculi perituram pręnoſceret. Et
alibi: Tunc ſi quis dixerit vobis, ecce hic eſt
Chriſtus,ecce illic,ecce in deſerto,nolite exi *Mat.24.*
re,ecce in domorum angulis & penetralibus,
nolite credere.Sed vbicunq; corpus eſt, illic
cõgregantur & aquilæ. Corpus autẽ, inquit
Auguſtinus,eſt eccleſia,nõ iſta aut illa, ſed to
to orbe diffuſa.Eſt enim Chriſtus ſpes omni
um finiũ terrę,nõ vnius anguli, nõ vnius Iu-
dæę, non ſpes ſolius Africę,Oriẽtis,aut Occi
dentis,ſed ſpes omniũ finium terræ, & in ma
ri lõgè.Hęc enim,inquit, prophetia propter
eos pręmiſſa eſt,qui putant religionẽ nomi-
nis Chriſtiani,vſq; ad certum tẽpus in hoc ſe
culo duraturã,& poſtea nõ futuram. Perma-
nebit aũt cum ſole,hoc eſt quãdiu ſol oritur
aut occidit, quandiu tẽpora iſta voluentur,
nõ deerit eccleſia,id eſt,corpus Chriſti in ter
ris.Domũ tuã,inquit Pſaltes ille dominicus,
decet ſanctitudo in longitudine dierum,hoc *Pſal. 92.*
eſt,quandiu durabũt dies & tẽpora.Domum
tuam,inquit,non hic aut illic,ſed domum tu
am totam per totum orbẽ terrarum. Quare
per totum orbem terrarum?Quia correxit or D
bem terræ,qui non commouebitur. *Pſal. 95.*

Quid igitur eſt (ſubdit Auguſtinus) quod
dicis hęretice iã perijſſe eccleſiã de omnibus
gentibus?Ergo vſq; in finem ſeculi erit eccle
ſia in omnibus gentibus,vbi ſunt qui dicunt
perijſſe de mundo eccleſiã,quando nec incli
nari poteſt?Ex his itaq; aduerſus Berẽgarium
ita tandẽ cõcludit ille Lanfrancus:Falſum igi
tur eſt, inquit,quod de corpore Chriſti à te
creditur.Ergo vera eſt eius caro quam accipi
mus,& verus ſanguis quẽ potamus.Hęc ideo
nõ piguit adſcribere aliquãto prolixius,quò
palam faceremus,quæ ſemper fuerit catholi-
cę eccleſię de ineffabili hoc eucharistię ſacra
mẽto fides & ſentẽtia. Eandẽ enim, quæ no-
ſtra omniũ ad pręſentes vſq; Sacramentarios
eſt & fuit,ille,tanquã totius per orbẽ diffuſę
catholicę eccleſiæ per Orientẽ,Occidentem,
meridiem,Septentrionẽ,& quàcunq; tunc pa
tebat nomẽ chriſtianũ,ſuo ſeculo,hoc eſt,an
te annos quingentos,Berẽgario obijcit. Qui
omnium,vt dixi,mortaliũ primus veritatem
corporis & ſanguinis Chriſti negauit in eu-
chariſtia.Adeo cõſona ante illũ annis pl⁹ mil
le fuit omnium Chriſti nomẽ profitentiũ ea *Vuiclefus,*
de re vox & ſentẽtia, & nihilo minus manſit *Hußita & Lu*
etiã poſt execrandũ illum ad noſtra vſq; tem *therus, Beren*
pora.Nullos enim poſt ſe perfidiæ ſuę ſecta- *garij impieta*
tores & aſſertores inuenit pręter Ioannẽ quẽ *tem reſuſcita*
dam Vuiclefum,& Ioannẽ Huſsitam eius di- *runt, ſed non*
ex integro.

E ſcipu-

ſcipulũ longo ſatis poſt ipſum tẽporis inter-
A uallo damnatos Cõſtantienſi cõcilio, qui im
pietatem eandẽ,nõ tamen qua parte erat peſ-
ſima,reſuſcitare conati ſunt.Cõcedentes nã-
que veritatẽ corporis & ſanguinis Chriſti in
euchariſtia,negarũt verti in ipſa panis & vini
ſubſtãtias,quin potius cũ eiſdem vt ante per-
manẽtibus,ſubingredi corpus Chriſti & ſan-
guinem. Quorum diſcipulus Lutherus,quẽ-
admodum impię doctrinę pręceptorum ſuo-
rum nõnihil abſurditatis ſuperaddidit,ita e-
tiã & ipſe genuit ſe nequiores diſcipulos plu
rimos. Nam panis & vini ſubſtãtias permane
re poſt conſecrationẽ,etiã ipſe,vt Vuicleſus
& Huſsita,affirmat,ſed hoc inſuper in ſe repu
gnantiam & contradictionẽ includens, dicit
panem eſſe corpus Chriſti, & vinum ſangui-
nem.Diſcipuli autem eius Oecolampadius,
Zuuinglius,& alij nonnulli Sacramentariorũ
antiſtites,deteſtandi illius Berẽgarij blaſphe
miam reſuſcitarunt ex integro,ſtupẽda pro-
fectò cæcitate & cęca arrogantia,ęquè aduer-
ſus apertiſsima & clariſsima chriſti ipſius ver
ba(quibus quantũuis impius Lutherus,& qui
omnia nouare ſtuduit,nõ tamen eſt auſus cõ
tradicere)atq; aduerſus totius ab initio eccle
ſiæ cõſonam,imo vnam candẽq; ſententiam.
B Quorum ſi ſit vera opinio(quod Lanfrancus
ille aduerſus Berengarium non malè ſubinſe
rebat) neceſſe eſt ab initio ad illũ ipſum vſq;
Berengarium,nullã fuiſſe catholicam chriſti
eccleſiã,neceſſe quoq; & in ipſo rurſus ſubi-
to defeciſſe,annis circiter quingẽtis,& in his
denuo renaſci & reuiuiſcere.Nã qui execran
dã illius impietatem interim continuo ſecuti
ſint,nullo Chriſtiani orbis angulo proferẽt.
Quanquã non in angulis & domorũ penetra-
libus,ſed in ipſo corpore catholicæ per orbẽ
eccleſiæ,quęrendam eſſe Chriſtianę fidei,re-
ligioniſq; veritatẽ ipſe nos Chriſtus doceat.
Cuius quæ ſit hac de re cõmunis fides & ſen-
tentia,ſi quis vniuerſam in ſuas partes diſtri-
butam percurrat, & attentè cõſideret, nemo
erit niſi planè cæcus,qui non clariſsimè per-
ſpiciat.Eandẽ enim prorſus inuenies, ſeu Ita
los,ſeu Hiſpanos, ſeu Gallos,ſeu Germanos,
ſeu Græcos,ſeu Armenios,ſeu deniq; extre-
mos Indos perconteris,quã ante annos quin
gentos,vt totius per orbem eccleſiæ Lanfran
cus obijcit Berengario,& Vercellenſe,Turo-
nenſeq; conciliũ adſerit, & Chirographi ſui
teſtimonio aduerſus prophanas hęreticorũ,
iam piaſq; nouationes cõſignauit.Et quęcũq;
tunc fuit,ſicut neq; in apice neq; in iota inte-
rim immutata eſt,ita eadẽ prorſus fuit cũ ea,
quę ab initio fuit,atq; adeo eadẽ,vt nec ab hę
reticis vnquam antea exagitatam fuiſſe vlla
controuerſia,etiam ſi omnes retrò ſcriptores
eccleſiaſticos percurras & excutias, vſquam C
inuenies.

Quod vt verum eſſe intelligas, audi quid a-
liquot annorum centenarijs, ante dictũ Berẽ
garium & Vercellenſe conciliũ ſcribat Theo
phylactus ille Bulgarorum epiſcopus,expo-
nens illud Ioãnis:Panis quem ego dabo, ca-
ro mea eſt,quam ego dabo pro mũdi vita: At
tende,inquit, quod panis qui à nobis in my-
ſterijs manducatur,non eſt tantum figuratio
quędam carnis domini,ſed ipſa caro domini.
Nõ enim dixit,panis quem ego dabo, figura
eſt carnis.Trãsformatur enim arcanis verbis
panis ille,per myſticam benedictionem,& ac
ceſsionẽ ſpiritus ſancti in carnem domini.Et
ne quem conturbet, quod credendus ſit pa-
nis caro.Etenim in carne ambulãte domino,
& ex pane alimoniam admittente, panis ille
qui mãducabatur in corpus eius mutabatur,
& ſimilis fiebat ſanctæ eius carni,& in augmẽ
tum & ſuſtentationẽ conſerebat,iuxta huma
num morem.Igitur & nunc panis in carnem
domini mutatur. Et quomodo,inquit, nõ ap
paret nobis caro,ſed panis?vt non abhorrea-
mus ab eius eſu.Nam ſi quidem caro apparu-
iſſet,inſuauiter affecti eſſemus erga commu-
nionem.Nũc autem condeſcẽdente domino
noſtræ infirmitati,talis apparet nobis myſti-
cus cibus,qualib⁹ alioqui aſſueti ſumus. Hęc D
ille Theophylactus Bulgarorum archiepiſco
pus,trecentis circiter annis ante Berengariũ
& Vercellenſe concilium. Floruit enim ſub
Nicolao primo Romano pontifice, tempore
octaui vniuerſalis concilij,in quo damnatus
extitit Photius Cõſtantinopolitanæ ſedis oc
cupator.Audis itaq; hoc referẽte, quid eo ſe
culo,hoc eſt,ante annos octingẽtos,de ſacra-
mento euchariſtiæ crediderit Græcia, Thra-
cia,Bulgaria,quamuis iam declinarent ad ſe-
ditiones,& ſchiſmata.Cœpit enim eo tempo
re exitioſum illud ſchiſma excitatum per il-
lum,quẽ diximus Photium, quod vniuerſo
pene Orienti cauſa fuit ruinæ & interitus,do
nec exterminaret eos aper de ſylua,& ſingula
ris fera depaſceret eos,vt eſt dies hodierna.

Trãſformari panẽ per myſticam benedictionẽ in corpus domini.

Cur non appareat caro,ſed panis.

Sed & alium audi æquè Gręcum,Ioannem
Damaſcenum Theologum inſignẽ,illo Theo
phylacto circiter ducentis annis antiquio-
rem.Qui ſuo tempore vniuerſa pene Chri-
ſtianæ religionis dogmata & ſententias, ma-
gna diligentia explicans libris quatuor,quos
intitulauit de fide orthodoxa, quoniam ca-
tholicę eccleſię orthodoxam de hoc ſacramẽ
to fidem luculentiſsimè & admodum piè ex-
plicat,non piguit eius verba adſcribere, ali-
quanto prolixius, nec te pigebit legere Chri
ſtiane

ſtiane lector. Hic itaq; libro quarto orthodo
A xæ fidei, de ſacroſanctis his tractans myſte-
rijs, ſcribit in hæc verba:: Bonus atq; adeo ſu-
pra quàm bonus deus, imo totus exiſtens bo
nitas, per ſuperabūdantes diuitias bonitatis
ſuæ non eſt paſſus ſolum eſſe bonum, id eſt,
ſuam ipſius naturam, à nullo participatum.
Huius gratia fecit primū quidem intellectua
les & cœleſtes virtutes, deinde viſibilē & ſen-
ſibilem mundum, mox & intellectuali & ſen
ſibili natura hominem. Cuncta igitur quæ ab
ipſo facta ſunt, participant eius bonitatē ſe-
cundū eſſe, quia & ab ipſo & in ipſo ſunt om-
nia, non modo quia ex nihilo ad eſſe ea dedu
xit: ſed quia ſunt ipſa eī⁹ actio & factura, quæ
ab ipſo facta ſunt conſeruat & continet. Ex
abundanti autem animalia, nam ſecundum
eſſe, & vitam participando communicant bo
no. Rationalia verò & ſecundum prædicta,
ſed non ſolum, verum & ſecundum rationē.
Et hæc magis familiaria quoquo pacto ſunt
ad ipſum: quanquam omnibus improportio
nabiliter ſupereminent. Cæterū homo ratio-
nalis & arbitrio liber factus, poteſtatem acce-
pit vehementer per propriam electionē vni-
ri deo, ſi permanſiſſet in bono, hoc eſt, in cre
antis obedientia. Poſtquā verò eius, qui illū
fecit, tranſgreſſus eſt præceptum, & morti &
corruptioni ſuccubuit, factor & opifex gene
B ris noſtri, propter viſcera miſericordiæ ſuæ,
ſimilis factus nobis ſecundū om̄ia, factus ho
mo eſt ſine peccato, & naturæ noſtrę vnitus.
At verò; quia tradiderat nobis propriam ima
ginem, & proprium ſpiritum, & non cuſtodi
uimus, ipſe pauperem noſtram & imbecillem
aſſumpſit naturam, vt nos repurgaret & in-
corruptibiles faceret, rurſuſque deitatis ſuæ
participes reſtitueret. Atqui oportebat non
ſolum primitias noſtræ naturę in participa-
tionem venire melioris, ſed & totum homi-
nem ſecunda natiuitate renaſci, & nutriri ci-
bo nouo illi natiuitati conuenienti, atq; ita
peruenire ad menſuram perfectionis. Per ſu-
am itaq; natiuitatem, id eſt, incarnationē, ba-
ptiſma, paſsionem & reſurrectionem, libera-
uit naturam noſtram à peccato primi paren-
tis, à morte & corruptione, & reſurrectionis
primitię factus, viam, formam & exemplum
ſeipſum conſtituit, vt & nos veſtigia eius ſe-
quentes efficiamur adoptatione, quod & ipſe
eſt natura, filij & hęredes Dei & ſui cohære-
des. Dedit igitur nobis, ceu iam dixi, ſecun-
dam natiuitatem, vt quemadmodum nati ex
Adam aſsimilabamur ipſi, ita & ex eo nati
aſsimilemur ei, & hæreditate adipiſcamur
incorruptionem & benedictionem, & gloriā
eius. Et quia ipſe ſpiritualis eſt Adam, decuit
& natiuitatem ſpiritualem fore, ſimiliter au-
tem & cibum. Natiuitas igitur per aquam no C
bis & ſpiritum donata eſt, per ſanctum dico
baptiſmum, cibus verò ipſe panis vitæ domi
nus noſter Ieſus Chriſtus, qui de cœlo de-
ſcendit. Nam ſuſcepturus voluntariā pro no
bis mortem ea nocte, in qua ſeipſum obtu-
lit, teſtamentum nouum diſpoſuit ſanctis di-
ſcipulis & apoſtolis, & per ipſos omnibus a-
lijs in ipſum credentibus. In cœnaculo igitur
ſanctæ & glorioſę Sion, antiquum paſcha cū
diſcipulis ſuis manducans, & implens inſtru-
mentum antiquum, lauit pedes diſcipulorū,
ſignum ſancti baptiſmatis prębens. Deinde
frangens panem, dedit illis, dicens: Accipite,
comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro
vobis tradetur in remiſsionem peccatorum.
Similiter accipiens calicem ex vino & aqua,
tradidit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes,
hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui
pro vobis effundetur in remiſsionem pecca-
torum. Hoc facite in meam commemorati-
onem, quotieſcunque enim manducabitis
panem hunc, & calicem hunc bibetis, mor-
tem filij hominis annunciatis, & reſurrectio-
nem eius confitemini, donec veniat. Si igitur D
verbum Dei viuens eſt & efficax, & omnia
quęcunque voluit Deus fecit, ſi dixit, fiat lux
& facta eſt lux, fiat firmamentum, & factum
eſt, ſi verbo Dei cœli firmati ſunt, & ſpiri-
tu oris eius omnīs virtus eorum, ſi cœlū, ter-
ra, aqua, ignis & aër, & omnis ornatus eorum
verbo Dei perfecta ſunt, & homo ipſe vbi-
que diuulgatum animal, ſi volens ipſe Deus
verbum factus eſt homo, & ex ſanctæ virgi-
nis puriſsimis & illibatiſsimis ſanguinibus
in ſeipſo, ſine ſemine carnem ſuſtentauit, nō
poteſt panem ſuum ipſius corpus facere? & vi
num & aquam ſanguinem? Dixit in princi-
pio Deus: Producat terra herbam virentem,
& vſque nunc pluuia facta producit germina
diuino coadiuta & vigorata præcepto. Di-
xit Deus: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſan-
guis meus, & hoc facite in meam commemo-
rationem, & omnipotenti eius pręcepto, do-
nec veniat, efficitur, ſic enim dixit, donec ve-
niat, & fit pluuia nouę huic agriculturę per
inuocationē ſpiritus ſancti obumbrans vir-
tus. Nā quemadmodum omnia quę fecit De-
us, ſpiritu ſancto cooperante fecit, ſic & nunc
ſpiritus ſancti operatione hęc ſupra naturam
operatur, quæ non poteſt cognoſcere niſi ſo-
la fides. Quomodo fiet mihi iſtud, dicit ſan-
cta virgo, quoniam virum non cognoſco? re
ſpondit Gabriel archangelus: Spiritus ſan-
ctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obū
brabit tibi. Itaq; ſi & nūc interroges, quomo-

Argumentis cōfirmat, Dei uerbum poſſe panem ſuum ipſius corpus, & uinum ſanguinē facere.

do panis fit corpus Chriſti, & vinum & aqua
A ſanguis Chriſti? Reſpondeo & ego tibi: Spiri
tus ſanctus obumbrat, & hæc ſupra ſermo-
nem & intelligentiam operatur. Panis autem
& vinum tranſſumuntur. Nouit enim Deus
humanam infirmitatem, quod auerſetur in-
uſitata, moleſtè ferens. Aſſueto igitur conde-
ſcenſu vſus, per conſueta naturæ ea fecit, quę
ſunt ſupra naturam. Et quemadmodū in ba-
ptiſmate, quia conſuetudo eſt hominibus in
aqua lauari & oleo vngi, coniunxit aquæ &
oleo gratiam ſpiritus ſancti, & lauacrum rege
nerationis illud inſtituit, hunc in modū, quia
mos eſt hominibus panem manducare, & vi-
num aquamq; bibere, coniunxit his ipſis ſu-
am diuinitatem, & fecit hęc ſuum corpus &
ſanguinem, vt per aſſueta & quæ ſunt ſecun-
dum naturam, in bis quæ ſunt ſupra natu-
ram collocemur. Corpus enim ſecundum ve
ritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex
ſancta virgine corpus eſt, nō quod ipſum cor
pus aſſumptum ex cœlo deſcendat, ſed quod
ipſe panis & vinum tranſmutantur in cor-
pus & ſanguinem Dei. Si autem modum re-
B quiras, quo hoc fiat pacto, ſat tibi ſit audire,
quoniam per ſpiritum ſanctum. Quemadmo
dum ex ſancta Deipara ſeipſo & in ſeipſo do
minus carnem ſuſtentauit, & nihil de eo am-
plius cognoſcimus, quàm quod verbum Dei
verum eſt, & efficax & omnipotens, modus
autem nobis eſt inſcrutabilis. Neque & hoc
etiam dictu promptum eſt, quomodo natu-
raliter per comeſtionem panis, & vinum at-
que aqua per potionem, in corpus & ſangui
nem comedentis & bibentis tranſmutantur,
& non fit aliud corpus præter id quod erat
prius. Sic & propoſitionis panis, vinumque &
aqua, per inuocationem & aduētum ſpiritus
ſancti, tranſmutantur in corpus & ſanguinē
Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum & idem.
Fit igitur ijs, qui fide dignè aſſumunt in re-
miſſionem peccatorum, & vitam ęternam,
& cuſtodiam animæ & corporis, ijs autem,
qui in infidelitate indignè participant, in pu
nitioem & ſupplicium. Quemadmodum &
Chriſti mors, credentibus facta eſt vita, &
incorruptibilitas in fruitiōem beatitudinis
ſempiternæ, infidelibus autem & domini in-
terfectoribus, in ſupplicium & pœnam ſem-
piternam. Non eſt figura panis & vinnm cor-
poris & ſanguinis Chriſti (abſit eñ hoc crede
re) ſed eſt ipſum corpus domini deificatum,
ipſo dicente: Hoc eſt meum, non corporis
mei figura, ſed corpus, non figura ſanguinis,
ſed ſanguis. Et ante hoc ipſis Iudæis. Quo-
niam niſi manducaueritis carnem filij homi-
nis, & biberitis eius ſanguinem, non habebi-

Nō figuras, ſed uerum à nobis corpus Chriſti et ſanguinem ſumi.

tis vitam in vobis. Caro mea verus eſt cibus,
& ſanguis meus verus eſt potus. Proinde o- C
mni cum timore & conſcientia pura, & indu-
bitabili fide accedamus, &c. Et veneremur
ipſum omni puritate animi & corporis, acce-
damus ei deſiderio ardenti, manus in mo-
dum crucis formantes, crucifixi corpus ſu-
ſcipiamus, & apponentes oculos, labia & frō-
tem, diuinum carbonem concipiamus, vt i-
gnis in nobis deſiderij, lumens ex eo carbo-
ne ignitionem, comburat peccata noſtra, & il
luminet corda noſtra, & participatione diui
ni ignis igniamur & deificemur, &c. Pane &
vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cæ
de alienigenarum reuertētem, qui erat ſacer-
dos Dei altiſsimi. Illa menſa hanc myſticam
præfigurabat menſam, veluti & ſacerdos ille
Chriſti veri ſacerdotis figuram prę ſe ferebat
& imaginem. Tu es, inquit, ſacerdos in æter-
num ſecundum ordinem Melchiſedech. nūc
panem panes figurabant propoſitionis. Hæc
eſt pura illa hoſtia & incruēta, quam ab ortu
ſolis vſque ad occaſum, ipſi offerri per pro-
phetam dominus loquitur, corpus videlicet
& ſanguis Chriſti, in ſtabilimētum animę no
ſtræ & corporis inconſumptum & incorru-
ptū, non in ſeceſſum iens (abſit enim eiuſmo
di imaginatio) ſed in noſtram ſuſtētationem
& conſeruationē, omnimodi nocumenti re D
paratio, ſordis omnis purgatio, &c. Per illud
purgati vnimur corpori domini, & ſpiritui
eius, & efficimur corpus chriſti. Iſte panis eſt
perceptio quędā futuri illins panis, qni & eſt
ſuperſubſtantialis. Superſubſtantiale enim ſi
gnificat, aut eū qui futurus eſt, id eſt, venturi
ſeculi, aut eum qui ad conſeruationē noſtræ
ſubſtantiæ ſumitur. Siue igitur hoc, ſiue illo
modo corpus Chriſti accommodare dicetur;
Nam ſpiritus viuificans eſt caro domini, quia
ex viuificante ſpiritu concepta eſt, quod e-
nim natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Hoc au
tem dico, non auferens corporis naturam,
ſed viuificationem & diuinitatem eius oſten
dere volēs. Etſi quidam exemplaria corporis
& ſanguinis domini panem & vinum vocaue
runt, vt deifer vocauit Baſilins, non tamen
poſt ſanctificationem dixit, ſed prinſquam
ſanctificaretur ipſa oblatio, ita vocabant.
Quæ & participatio etiam dicitur, nam per i-
pſam Ieſu diuinitatem participamus. Dicitur
& communio, & eſt reuera, quia per ipſam cō
municamus Chriſto, & participamus eius car
ne & diuinitate, & quia communicamus &
vnimur inuicem per illam. Nam quia ex vno
pane participamus, omnes vnum corpus chri
ſti, & inuicem membra efficimur, incorpo-
rati Chriſto exiſtentes. Hæc ille Damaſce-
nus.

A

Nota identitatem fidei catholicæ eccleſiæ de euchariſtia & hoc tépore & ante annos mille

mus.In quibus clariſsimè audis,quæ fuerit or-
thodoxa catholicæ eccleſię fides de ſacramẽ-
to euchariſtiæ ante annos mille.Eadem nem-
pe,quam ante annos quingentos Berengario
Lanſrancus oblecit,& Vercellenſe,Turonen-
ſeq; aduerſus eundem concilia adſeruerunt,
& quam nos quoq; didicimus à patribus no-
ſtris in catholica eccleſia.Cui interim nec io-
ta vnnm additum ant detractum eſt. Audis
non eſſe figuras tantum & ſigna, quemadmo-
dum impij nunc Sacramentarij poſt ſuum Be-
rengarium blaſphemant,ſed verum in ea cor-
pus & ſanguinem domini nos ſumere.Audis
etiam tranſſumi panem & vinum tranſmuta-
ri in corpus ipſius & ſanguinem,atq; adeo pa-
nem fieri Chriſti corpns,& vinum ſanguinẽ,
nec remanere id quod prins ſnerunt,tametſi
remaneant ſpecies,vt confundatur impudẽs
os illud Lutheri,qui ſola impudentia,pro ſin-
gulari eruditione & doctrina apud ſuos abu-
tens, non veretur affirmare, recens hoc eſſe
ſcholaſticorum Theologorum, de verſione
aut tranſmutatiõe panis & vini in corpꝰ chri-
ſti & ſanguinem,atq; adeo intra annos trecẽ-
tos inuentum.

Quod ſi ab illo Damaſceno adhuc pergas
procedere altius per vniuerſos retrò ſcripto-
B
res eccleſiaſticos,ad originem vſq; religionis
noſtrę,eandem ſemper fuiſſe, per omnes ca-
tholicę eccleſię & ætates & partes,certiſsimè
inuenies.Qnod ne cõfidentius à nobis,quàm
verius iactari exiſtimes, breuiter efficiam,
vt clariſsimè intelligas.

Beatus Gregorius Romanę ſedis & vniuer-
ſalis eccleſiæ epiſcopus,catholicæ fidei fide-
lis doctor,in homilia paſchali his verbis ſuæ
fidei admonet fidelem populum: Quid nan-
que ſit,inquit,ſanguis agni,non iam audien-
do,ſed bibendo didiciſtis.Qui ſanguis ſuper
vtrunque poſtem ponitur, quando non ſo-
lum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauri-
tur.Idem exponens illud Iob.6. Nunquid ru-
giet onager cum habuerit herbam: Natns do-
minus in præſepe ponitur, vt ſignificaretur,
quod ſancta animalia,quæ ieiuna diu apud le-
gem inuenta ſunt,incarnationis eius fœno ſa-
tiarentur.Præſepe enim natus impleuit, qui
cibum ſemetipſum mortalium mentibus prę-
buit,dicens: Qui comedit carnẽ & bibit ſan-
guinem meum,in me manet & ego in eo.Hęc
ille Gregorius,qui inter prędictos Theophy-
lactum & Damaſcenum interceſsit medius.
At ille beatiſſ.Leo,eiuſdem ſedis eccleſiæ ca-
tholicæ epiſcopus,dicto Damaſceno aliquan-
to antiquior, electus nanque in Romanum
pontificem anno CCCC. XLIII. andi, qnam
fidem catholicam vbique prędicet.Ita ſcribit
in epiſt.ad Conſtantinopolitanos:In eccleſia
C
Dei omnium ore tam conſonum eſt, vt nec
ab infantium linguis veritas corporis & ſan-
guinis Chriſti inter communis ſacramenta fi-
dei taceatur.Quia in illa myſtica diſtributio-
ne,ſpiritalis alimoniæ hoc impartitur,vt acci-
piẽtes virtutem cœleſtis cibi,in carnẽ ipſius,
qui caro noſtra factus eſt,tranſeamns. Audis
conſonam totius eccleſiæ confeſsionem,eti-
am inſantium linguis prędicatam. Rurſus in
ſermone de ieiunio menſis ſeptimi:Hanc,in-
quit, confeſsionem dilectiſsimi toto corde
promentes,impia hęreticorum commenta re-
ſpuite,vt ieiunia veſtra,& eleemoſynę nulli-
us erroris contagio polluantur.Tunc enim &
ſacrificij munda eſt oblatio, & miſericordiæ
ſancta largitio,quando hi qui iſta dependũt,
quod operantur,intelligunt.Nã dicente do-
mino,niſi mandncaueritis carnem filij homi-
nis & biberitis eius ſanguinem,non habebi-
tis vitam in vobis,ſic ſanctæ menſę commu-
nicare debetis, vt nihil prorſus de veritate
corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis.Hoc
enim ore ſumitur,quod fide creditur, & fru-
ſtra ab illis amen reſpondetur,à quibus con-
tra id quod accipitur,diſputatur.Et in ſermo-
ne de dominica paſsione:Feſellit,inquit, dia-
bolum malignitas ſua,intulit ſupplicium fi-
lio Dei,quod cunctis filijs hominum in reme-
D
dium verteretur,ſudit ſanguinẽ iuſtum, qui
reconciliando mundo & precium eſſet & po-
culum.Item in epiſtola ad Anaſtaſium Theſ-
ſalonicen.epiſcopnm,ſuum per Orientem le-
gatum:Aliter enim in eccleſia Dei, quæ cor-
pus eſt Chriſti,nec rata ſnnt ſacerdotia, nec
vera ſacrificia,niſi in noſtræ proprietate natu-
rę verus nos pontifex reconciliet, verus im-
maculati agni ſanguis emundet. Qui licet in
patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamẽ
carne quam ſumpſit ex virgine,ſacramentum
propitiationis exequitur. Hæc ille beatiſſ.
Leo,cui ter ſancto ab vniuerſa Chalcedonen.
ſynodo ſexcentorum triginta ex toto orbe
epiſcoporum acclamatum eſt.Qui catholicę,
quam concionibus & ſcriptis ſuis inſtitue-
bat,eccleſiæ nihil inculcabat aliud,quàm ſyn-
ceram orthodoxamqne fidem, eandem ad-
uerſus Euthicetis(quæ tunc enaſcebatur)bla-
ſphemiam & peſtilentiſsimam hæreſim, mu-
nire ſatagens, quæ veritatem humanę natu-
rę negabat in Chriſto,carnẽ verò quam verbũ
aſsũpſerat de virgine,cõuerſam in ipſam ver-
bi naturam,impiè aſſerebat. In cuius confuta-
tionem ille profert veritatẽ(quæ tunc omni-
bus erat in cõfeſſo,atq; adeo infantiũ linguis
prędicata)corporis & ſanguinis domini in ſa-
cramento,qnod Euchariſtię dicimus.

Nota conſonam eccleſiæ confeſsionem etiam infantium linguis prædicatam.

Euchariſtia oblatio & ſacrificium.

Sanguis domini & preciũ redẽptionis et uitæ poculũ.

Iam & in diuo Auguſtino, qui illum Leo-
A nem aliquantum pręceſsit, eandem audi ca-
tholicę eccleſię fidem & ſententiā, quam paſ-
ſim vbicunq; tulit occaſio, ſcriptis ſuis inful-
ſit: Hic homi. 2. in pſal. XXXIII. ſcribit in hęc
verba: Acceſſerunt Iudæi ad Chriſtum, vt cru
cifigerent. Nos ad eum accedamus, vt corpus
& ſanguinem eius accipiamus. Illi crucifixo
domino obtenebrati ſunt, nos manducando
crucifixum & eius ſanguinem bibendo, illu-
minamur, &c. Verè magnus dominus & ma-
gna miſericordia eius, qui nobis verè dedit
manducare corpus ſuum, in quo tāta perpeſ-
ſus eſt, & ſanguinem bibere. Eandem ſenten
tiam & confeſsionem inculcat, homilia in
pſalmum XLV. & in pſalmum LXV. & in pſal
mum XCVIII. Quæro, inquit, quid ſit ſca-
bellum pedum eius? Et dicit mihi ſcriptura:
Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans
conuerto me ad Chriſtum, qui ipſum quæro
hic, & inuenio quomodo ſine impietate ado
retur terra, ſine impietate adoretur ſcabel-
lum pedum eius. Suſcepit enim de terra ter-
ram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ
carnem accepit, & quia in ipſa carne hic am-
bulauit, & ipſam carnem nobis manducan-
dam ad ſalutem dedit. Et paulo poſt: Tunc au
tem quando dominus hoc commendans, de
B carne ſua locutus erat & dixerat: Niſi quis
manducauerit carnem meam, non habebit in
ſe vitam æternam, ſcandalizati ſunt diſcipu-
li eius quidam ex LXX. & dixerunt: Durus eſt
hic ſermo, quis poteſt eū intelligere? & receſ-
ſerunt ab eo, & amplius cum eo non ambula
uerunt, durum illis viſum eſt, quod ait: Niſi
quis manducauerit carnem meam, non habe
bit vitam æternam. Acceperunt illud ſtultè,
carnaliter illud cogitauerunt, quòd præciſu-
rus eſſet dominus particulas quaſdam de cor
pore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: Durus
eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo. Non
hic prætcribo, quod præmiſsis paulo poſt
Cauilli hæreticorū ex Auguſt verbis remotio. ſubnectens, in ſuę blaſphemię & impietatis
confirmationem nunc rapiunt hæretici, qua-
ſi & Auguſtinus ipſis conſenſerit, & ſecum
negarit veritatem corporis & ſanguinis Chri
ſti in euchariſtia. Subdit enim, veluti ex per-
ſona Chriſti ad ſcandalizatos ex ipſius ſer-
mone diſcipulos. Spiritualiter, inquit, intel-
ligite, quod locutus ſum. Non hoc corpus
quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri il
lum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me cru
cifigent. Hic attollunt criſtas, hic exultant,
& vociferantur pro ſe ſtare Auguſtinum.
Quem quia credibile non eſt de tanto ſacra-
mento non tenuiſſe orthodoxam catholicæ
eccleſię fidem, quid ex eius ſubſcriptione &
teſtimonio collectum velint, & à ſe deceptis
perſuadeant, facile intelligis. Sed quid eſt, C
quod hic detorques, quod hic deprauas hęre
tice? Quid ex his verbis ſanctum illum & ſin-
gularem catholicę eccleſiæ columnam Au-
guſtinum, tecum blaſphemare catholicam fi-
dem colligis? Cuius ſi quæras vt ſequaris, nō
vt inſidieris, non vt deprau es ſentētiam, nun
quid non audiſti toties inculcantem in eu-
chariſtiæ ſacramento, nos corpus & ſangui-
nem domini ſumere? verè nobis manducan-
dum dediſſe ſuum corpus, quod de Mariæ
carne ſuſcepit, in quo nobiſcum hic ambu-
lauit, in quo tanta eſt perpeſſus, & ſuum ſan-
guinem bibendum propinare? Qui in ſermo
ne ad neophytos (quos de fidei ſacramentis,
non per figuras aut ęnigmata, ſed ſimpliciſsi-
mis quantum poteſt, verbis & clariſsimis in-
ſtruit) ita loquitur: Hoc accipite in pane,
quod pepēdit in cruce, hoc accipite in calice,
quod effuſum eſt de latere Chriſti. Erit enim
illi mors non vita, qui mendacem putauerit
Chriſtum. Qui denique libro 4. de trinitate:
Quid, inquit, tam mundum pro mundandis
vitijs mortalium, quàm ſine vlla contagione
carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero &
ex vtero virginali? & quid tam gratè offerri
& ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificii noſtri, *Euchariſtia ſacrificium.*
corpus effectum ſacerdotis noſtri? Nunquid D
dubitare potes, quæ ſit huius de ſacramento
euchariſtię ſententia, qui tam clarè, tam con-
ſtanter vbique prædicat & inculcat fidem,
quam ſupra demonſtrauimus, catholicæ ec-
cleſiæ? Sed dicit, inquiunt, non hoc corpus,
quod viderunt diſcipuli, nos manducare, nec
illum ſanguinem bibere, qui à crucifigenti-
bus effuſus eſt. Dicit quidem, ſed non ſic, quē
admodum tu detruncas & deprauas impiè,
imo quemadmodum ille præmiſit, ſcandali-
zatos ex verbis Chriſti diſcipulos hoc intel-
lexiſſe. Quaſi, inquit, præciſurus eſſet domi-
nus particulas quaſdam de ſuo corpore, atq;
illis daturus. Non ſic impij, non ſic carnales.
Non ita comedimus viſibile corpus Chriſti,
aut ſanguinem bibimus. Sed potius id ſumi-
mus, & id credimus, quod non videmus, vt e-
ius quoq; valeat eſſe fides, quod corp⁹ & ſan-
guinem domini ſumimus, quæ nulla prorſus
eſſet, ſi eadem viſibiliter ſumeremus. Vnde
exponens mox illud, quod obſcurius ab eo
dictum videri poſſet. Etſi, inquit, neceſſe eſt
illud viſibiliter celebrari, oportet tamen in-
uiſibiliter intelligi. Exiſtimabant namq; illi,
quòd pręciperet eis dominus ſuum corpus
quod videbāt, ita corporaliter ſe habēs, belui
no more ac rictu deuorare, & ſorbere ſangui
nē, quem crucifigentes effuſuri erant. Quam
eorum

A eorum carnalem intelligentiam apud Ioannē redarguebat Chriſtus, dicens: Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.

Quomodo intelligendum: Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquā.

Quod exponens idē Auguſtinus: Quid ergo eſt, inquit, non prodeſt quicquam caro? Non prodeſt quicquam, ſed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Hoc eſt quod ſupra apud Theophylactū, deinde apud Ioannem illum Damaſcenum audiſti. Quomodo, inquit ille, non apparet nobis caro, ſed panis? vt nō abhorreamus ab eius eſu. Nam ſi quidem caro apparuiſſet, inſuauiter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autē condeſcendente domino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus alioqui aſſueti ſumus. Quod idem his verbis dicit ille Damaſcenus: Nouit enim Deus humanam infirmitatem, quod auerſetur inuſitata. Aſſueto igitur condeſcēſu vſus, per conſueta naturæ ea fecit, quę ſunt ſupra naturam. Hoc idem ille Lanfrancus in expoſitione fidei catholicæ de hoc ſacramento aduerſus Berengariū, qui eo modo corpus & ſanguinem Chriſti in hoc ſacramento affirmat nos ſumere, vt verè dici poſsit, & ipſum corpus quod de virgine ſumptum eſt, nos ſumere, ipſumq; ſanguinē precioſum, qui pro

B nobis in ara crucis effuſus eſt, & quodammodo non ipſum. Ipſum quidem ſi eſſentiam & veræ vtriuſq; naturę proprietatem, & virtutē ſpectes, nō ipſum autem, ſi ad modum illum ineffabilem, quo ſub panis viniq; ſpeciebus illa mirabiliter & nobis incomprehēſibiliter latitant, reſpiciamus, vt clarè intelligas eandē fuiſſe D. Auguſtini de ineffabili hoc ſacramēto fidem, quæ & catholicæ eccleſiæ, eandemque catholicę eccleſię, quę Auguſtini ſeculo extitit, quæ interim ſemper, & quæ noſtro hoc ſeculo exiſtit.

Quod ipſum vt alio quoq; ęquè idoneo teſte, & ex alio orbis cardine intelligas, perlege, obſecro te lector, diui Cyrilli Alexandrini epiſcopi in Ioannem commētariorum librū tertium ab eius capite 34. vſque ad 24. libri ſequentis, quibus verba Chriſti, quæ de hoc ſacramento deſcribuntur à Ioanne, magnifico illo ſuo ſpiritu & orthodoxo catholicoq; ſenſu explicat. Certò ſcio quòd laboris illius te non pœnitebit. Intelliges enim huius ſacramēti, non ſolum veritatem, ſed & viuificā efficaciam. Et quàm impiè deprauent ſcripturas, qui vniuerſa illa detorquent aliò, & quocūq; malunt pertinere, quàm ad ſacroſanctum hoc euchariſtiæ ſacramentum. Interim tamen illius ſententiam in compendium hic contrahemus, quò & illis cōſulamus, quibus

Ioan. 6.

hoc promptum non eſt, aut certè (quod dici ſolet) mihi & Muſis. Dicentibus itaq; Chriſto Iudæis, quod ergo tu ſignum facis, vt videamus & credamus tibi? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis māducare. Perinde ac ſi dicerent: Honoratur à nobis meritò beatus ille Moyſes, acceptus Deo, atq; inter eūdem & homines mediator. Dedit enim huius rei hoc pręcipuū ſignū, quòd pauit cœleſti cibo aut māna annis quadraginta, quotquot ſecū fuere in deſerto. Tu verò, qui maiora quàm ille exigere videris, qui illius pręcepta mutare, quo eiuſmodi miraculo ad nouam nos tuam doctrinam adducis? Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, nō Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Non fuit ille eius, aut alterius cuiuſquam miraculi patrator, quemadmodum illi non ſolum ſtultè, ſed & impiè tribuitis, ſed pater meus, & tunc dedit patribus veſtris illud manna (non quidem qualem facitis, cœleſtem aut angelorum panem, ſed eius figuram tantum) & nunc dat vobis panem de cœlo verum. Nunc, inquam, quando figurarum tempus exactum eſt, & veritas adeſt in ianuis, dat vobis panem de cœlo, non vmbraticum, aut alterius melioris ſignificationis tantum cauſa, ſed ipſum verū. Ille enim vni tantum populo corporale corruptibileque nutrimentum ad tempus exhibuit, at panis iſte verus, qui de cœlo deſcendit, dat vitam (quod ex ipſo eſt) mundo vniuerſo. Non fuit ille verus panis cœleſtis, ſed ipſe vnigenitus patris eſt panis ille verus, qui cum ſit ex ſubſtantia patris, naturaliter vita eſt, viuificans cuncta. Vt enim terreſtris hic panis imbecillitatem corporis noſtri ſuſtinet & conſeruat, ita & ipſe per ſpiritum ſanctum viuificat ſpiritum noſtrū, & corpus à corruptione liberat. Reſpondentibus autē ad hæc Iudæis: Domine dá nobis ſemper panem hunc, dixit Ieſus. Ego ſum panis vitæ.

C

Cap. 33.

Cap. 34.

D

Cap. 36.

Quanquam conſueuerit Chriſtus ænigmaticè quodammodo, nec minus apertè exponere myſteria, hic tamen & propter imperitiam audientium, & ſimul propter neceſsitatem eius, quod docebat, omni orationis figura ſemota, dilucidè breuiterq; vniuerſam myſterij vim incipit explicare. Multis enim verbis vltrò citroq; habitis, quibus obliquè ſubindicabat, ineffabile myſteriū, poſtquam illos nihil eius intelligere videbat, apertiſsimis tandē verbis: Ego, inquit, ſum panis ille vitæ, nō corporeæ tantum fami (vt vetus illud māna) remedium afferens, ſed qui totum ſimul hominem ad vitam ęternam reformo, & mor-

te ſuperius facio. Quibus verbis oſtendit ſan
A ctiſsimi ſui corporis & ſanguinis gratiam &
vitam, qua iu nobis vnigeniti proprietas, id
eſt, vita & ingreditur & permanet. Magna eſt
igitur huius veri panis & illius Moſaici diffe-
Cap. 37. rentia. Qui enim venit, inquit, ad me, nõ eſu-
riet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam.
Dederit ergo (vt & hoc vobis concedatur)
Moyſes manna, tamen qui comederunt, eſu-
rierũt iterum. Produxerit copioſa ex lapide
flumina, ſed qui bibebant, rurſus ſitiebant.
Qui verò ad me venit, nunquam eſuriet, &
qui in me credit, nũquam ſitiet. Vides, quam
benedictionem Chriſtus credentibus polli-
ceatur, quam, inquit, communicatione cor-
poris & ſanguinis ſui aſſequimur. Vnde ad
eam incorruptionem integrè reducemur, vt
cibo & potu corporali non indigeamus, viui
ficat enim córpus Chriſti, & ad incorruptio-
uem ſua participatione reducit. Non enim al
terius cuiuſdam, ſed ipſius vitæ corpus eſt,
virtutem incarnati verbi retinens, & ple-
num poteſtate illius, quo vniuerſa & viuunt
& ſunt.

Lib. 4. cap. 9. Cũ ergo murmuraſſent Iudæi de illo, quia
dixiſſet, ego ſum panis qui de cœlo deſcen-
di, & reſpondiſſet Ieſus aduerſus incredulı-
tatem eorum pleraq;, & inter cætera eorun-
B dem tarditatem & iufirmitatem ad fidem eri
gens & propoſitis velut iureiurando prę-
mijs ad ſe attrahens, poſtquam dixiſſet: Amen amẽ
dico vobis, qui credit in me habet vitam ęter
uam, ſubiungit repetendo iterum, quod pau-
lo ante dixerat, vnde ſibi credens eam vitam
Cap. 10. eſſet petiturus: Ego ſum panis vitæ, patres ve
ſtri manducaueruut manna, & mortui ſunt.
Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis
ex ipſo manducauerit non morietur. Ego, iu
quit, ſum panis vitæ. Itaq; ſi credis Chriſto,
ſcis quo pacto mortem poſsis effugere, quo-
modo vitam æternam adipiſci, nempe ex hoc
pane manducando, qui ſolus mortem & inte
ritum deſtruere poteſt. Mortui ſunt, inquit,
maiores veſtri, quamuis Moſaicum illud mã-
na manducauerint, quia nullam inde virtu-
tem vitæ perpetuæ acceperunt, nam præter
quod erat figura & ſignificatio melioris, fa-
mem ſolummodo corporalem leuabat ad tẽ-
pus. Qui verò panem vitæ ſuſcipiunt, immor
talitatem conſequentur, & omuia interitus
Cap. 11. mala effugient, cũ Chriſto æternaliter victu-
ri. Ego em̃ ſum, inquit, panis viuus qui de cœ
lo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pa-
ne, viuet in æternum. Eadem dicit iterum at-
que iterum, vt intelligeremus, quãtopere no
bis eſſet neceſſarium intelligere, vnde nobis
vita petenda ſit, expers corruptionis, & quo
pacto primæuę integritati reſtitui poſſemus.
Antiquus ille panis figura, imago vmbraque C
ſolũmodo fuit, nec quicquã præterea, quàm
quòd corruptibili corpori corruptibile nu-
trimentum ad modicum tempus exhibebat.
Ego verò ſum ille panis viuus & viuificãs in
ęternũ. Et panis quẽ ego dabo, caro mea eſt,
quam ego dabo pro mũdi vita. Vides, vt pau Cap. 16.
latim magis magiſque ſe aperiat & explicet
mirificum hoc myſterium. Dixit ſe panem vi
uum & viuificantem, qui ſe manducantes fa-
ceret corruptionis expertes, & donaret im-
mortalitate. Nunc dicit panem illum carnem
ſuam eſſe, quam daturus erat pro mũdi vita,
& per quam nos illa participantes, viuificatu
rus. Siquidem verbi viuificans natura, illi in-
effabili illo vniouis modo coniũcta, viuificã
tem eandem effecit, & propterea participãtes
viuificat iſta caro, eijcit enim ab eis mortem,
& interitum penitus expellit. Sed hic forte
obijciet aliquis: Nunquid ergo ipſe Chriſtus *Diſſonantia*
ſua eſt ipſius caro? Hic mirè ſtatim incipiens *prædictorum*
tibi reſpondebit euangeliſta: Et verbum caro *compoſito.*
factum eſt. Non enim in carnẽ veniſſe ipſum, Cap. 25.
ſed vt mirabilem ineffabilemq; vnionẽ oſten Ioan. 1.
deret, carnem factum eſſe, dicere non dubi-
tauit. Itaque quæ paulo ante Chriſtus de ſe
toto dicit, mox ſuæ carni attribuit. Quanquã
non carnem nudam intelligat. De ea enim ſic D
intellecta, idem paulo poſt dixit Chriſtus: ca
ro nõ prodeſt quicquam, ſed ſpiritus eſt qui
viuificat. Nam ſecundum ſe intellecta, nos vi Cap. 29.
uificare nõ poteſt, ſed viuificãte alio opus ha-
bet. Sed ſi ad incarnationis myſterium reſpi-
cias, quamnis per ſeipſam nihil poſsit caro, vi
uificam tamen factam uihil dubitabis. Eſt e-
nim non cuiuſuis caro, ſed ipſius vitæ, ſalua-
toris noſtri Ieſu Chriſti, in quo deitatis ple-
nitudo corporaliter inhabitat. Spiritum verò
ſeipſum appellat, quoniam Deus ſpiritus eſt.
Et, vt ait Paulus: Dominus ſpiritus eſt. Litiga Ioan. 4.
bant ad hæc Iudęi, adinnicem dicentes: Quo 2. Cor. 3.
modo hic poteſt nobis carnem ſuam dare ad
manducandũ? Ita facit animus arrogãs & ma
lignus, quęcunq; eius captũ ſuperant, tanquã
friuola aut falſa mox reijcit. Oportuiſſet ſanè
eos, qui diuinam ſaluatoris virtutem ac pote
ſtatem, tot ſignorum miraculo perceperunt,
eius ſermoni credere, & ſi quą difficilia vide-
bãtur, humiliter inquirere, & petere eorum
elucidationem. At contrà, hi de neo non ſine
magna impietate conclamãt: Quomodo hic
poteſt caruem ſuam nobis dare? uec in meu-
tem venit, nihil eſſe impoſsibile apud Deũ.
Animales homines ſpiritualia intelligere nõ
poterant, imo fatuitas quędam tam magnum
myſterium ipſius videbatur. Sed uos magnũ
quæſo,

quæſo, à peccatis aliorum profectum facia-
A mus, & firmam fidem myſterijs adhibentes,
nũquam in tam ſublimibus rebus illud, quo
modo, aut cogitemus, aut proferamus. Iudai-
cum enim hoc verbum eſt, & extremi ſuppli
cij cauſa. Aliorum igitur culpa perdocti, non
quæramus quomodo, ſed operis ſui viam &
ſcientiam illi ſoli concedamus. Nã quemad-
modum, quamuis nullus nouit, quidnam ſe-
cundum naturam ſit Deus, iuſtificatur tamen
per fidem, cum credit pręmia illũ redditurũ
quærentibus eum, ſic etſi operum eius ratio-
nem ignoret, ſi certa tamen fide omnia illum
poſſe non dubitet, non contemnenda probi-
tatis huius præmia conſequetur. Qui enim ſa
pientia & virtute adeo excellit, quomodo nõ
operabitur ita miraculoſe, vt operum eius ra
tio mentem noſtram effugiat? Nonne vides,
etiam humano ingenio & induſtria facta ſæ-
penumerò captum noſtrũ ſuperare? Quę alio
qui incredibilia nobis viderentur, niſi ſępius
facta conſpiceremus. Quomodo igitur ex-
tremo ſupplicio digni non erunt, qui rerum
omnium opificem Deum ita contemnunt, vt
quomodo, in operibus eius dicere audeant?
quem totius ſapientię largitorem non igno-
rant, quem omnia poſſe, ipſa nos docuit ſcri-
B ptura? Si verò tu ô Iudęe, quomodo etiã nũc
clames, hãc tuam imperitiam ego quoq; ſecu
tus, libenter quomodo ex Aegypto exiuiſti
rogabo? quomodo in ſerpẽtem Moſaica fuit
virga conuerſa? quomodo lepra manus affe-
cta, vno temporis momento in priſtinum ſta
tum reſtituta fuerit? quomodo in naturã ſan
guinis aquæ tranſierũt? quomodo patres tui
per media maria vt per aridã effugerunt? quo
modo per lignum amaritudo aquarũ in dul-
cedinem recidit? quomodo è lapide fontes
aquarum fluebant? quomodo ſtetit Iordanis?
quomodo ſolo clamore inexpugnabilis Hie
richo cecidit? Innumerabilia ſunt, in quibus
ſi quomodo quæras, vniuerſam tibi ſcriptu-
ram euertere neceſſe erit, prophetarum do-
ctrinam & ipſius Moyſi ſcripta contemnen-
ti. Quare & Chriſto magis crediſſe vos o-
portuit, & ſi quid arduum videbatur, ab eo
humiliter petere, quàm velut temulentos ex-
clamare: quomodo hic poteſt nobis carnem
ſuam dare?

Quantopere nobis fugiendum iudaicũ illud, quomodo, in diuinis operibus.

Sed audiamus iam, iſtorum incredulitati
quid reſpõderit mitiſsimus & miſericors do
minus. Certè non iurgatur neq; cõtendit, ſed
Cap. 14. viuificantis huius myſterij cognitionem, ite-
rum iterumq; mentibus eorũ ſtudet inſere-
re. Et quomodo quidẽ daturus erat carnem
ſuã ad manducandum, non docet, quia intel-
ligere non poterant. Sed quàm magna bona
ſint amiſſuri, niſi cũ fide mãducauerint, quid
contrà ita manducando adipiſcentur, id ite- C
rum atq; iterum aperit, dicens: Amen amẽ di
co vobis, niſi manducaueritis carnem filij ho
minis & biberitis eius ſanguinem, non habe
bitis vitam in vobis. Contrà verò, qui man-
duc. . meã carnem, & bibit meum ſanguinẽ,
habet vitam æternã, videlicet ipſius vitę æter
nę naturali deſiderio eos ad fidem attrahẽs,
per quam etiam hoc ipſum quod quęrebãt,
doceri facilius poterant. Sic enim Eſaias ait:
Si non credideritis, non intelligetis. Oporte
bat ſanè primùm fidei radices in animo iace-
re, deinde ea quærere, quę quærenda videbã
tur. Illi verò contrà, antequam crederent, im
portunè quærebant. Hac igitur de cauſa do-
minus, quomodo id fieri poſſet, non enoda-
uit, ſed certa fide id credẽdum hortatur. Cre
dentibus verò diſcipulis fragmenta panis de
dit, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt e-
nim corpus meum. Similiter & calicem circũ
tulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt ca-
lix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur
in remiſsionẽ peccatorum. Itaq; ſine fide quę
rentibus myſterij modũ nequaquam expla-
nauit, credentibus autẽ etiam non quęrenti-
bus expoſuit. Audiãt hęc increduli: Niſi man D
ducaueritis carnẽ filij hominis, nõ habebitis
vitã in vobis. Non enim poſſunt beatæ vitæ
participes fieri, qui per myſticam benedictio
nem (ita euchariſtiã appellat) Ieſum nõ ſuſce-
perunt. Vita enim ſecundũ naturam ille eſt,
qui ex viuo patre eſt genitus. Sed non minus
caro quoq; eius viuificat, tanquã coniuncta
verbo Dei, à quo cũcta viuificantur. Quam cũ
comedimus, tunc vitam habemus in nobis, il
li cõiuncti, quæ viuifica effecta eſt. Quam ob
cauſam in exuſcitandis mortuis, non ſolum
verbo & imperio, vt Deus vtebatur, verũ etiam
carnem ſuam, vt cooperatricẽ, nonnunquàm
adhibebat, vt reipſa comprobaret, carnẽ quo
que ſuam, quoniã ſibi cõiuncta eſt, viuificam
eſſe. Ita principis ſynagogę filiolã apprehẽſa
manu erigens, & verbo, & viuificę carnis ſuæ
tactu excitauit. Ita & ciuitatẽ Naim ingredi-
ens adoleſcẽtis, qui mortuus efferebatur, cor-
pus tetigit, dicens: Adoleſcens tibi dico ſur-
ge. Nõ ergo ſolum verbo, vt diximus, verum
etiam tactu mortuos excitauit, vt oſtenderet
corpus quoq; ſuum viuificare poſſe. Quod ſi
ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quo
modo non viuemus, qui carnẽ illam & guſta
mus & mãducamus? Reformabit certè ad im
mortalitatem participes ſui. Hoc enim eſt,
quod dicit: Qui manducat meam carnem, &
bibit meum ſanguinẽ, habet vitam æternã, &
ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Ego,
inquit,

Caro Chriſti ut uiuificet.

inquit, verbum factũ caro, comedentes meam carnem reſuſcitabo ad vitam beatam & immortalem. Nec velis Iudaicè, quomodo, quærere, ſed recordare, quàmuis naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis, frigiditatis ſuæ oblita æſtuat. Hoc ſanè modo etiam nos, quàmuis propter naturam carnis corruptibiles ſumus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate noſtra reuocati, ad proprietatem illius, ad vitam reformamur. Oportuit enim certè, vt non ſolùm anima per ſpiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verùmetiam, vt rude atque terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur. Nec putet ex tarditate mentis ſuæ Iudæus, inaudita nobis excogitata eſſe myſteria. Videbit enim, ſi attentius quærat, hoc ipſum à Moyſi temporibus factitatum fuiſſe. Quid enim maiores eorum & à morte & à pernicie Aegyptiaca liberauit, quando mors in primogenita Aegypti deſæuiebat? Nonne omnibus palàm eſt, quia diuina inſtitutione perdocti, agni carnes mãducarunt, & poſtes ac ſuperliminaria agni ſanguine perunxerunt, propterea mortem ab eis diuertiſſe? Pernicies nanq;, id eſt, carnis huius mors, aduerſus humanum genus propter primi hominis trãſgreſsionem furebat: Terra enim es, & in terram reuerteris, propter peccatum audiuimus. Verùm quoniam per carnẽ ſuam Chriſtus atrocem hunc euerſurus erat tyrannum, propterea id myſterio apud priſcos obumbrabatur, & ouinis carnibus & ſanguine ſanctificati, Deo ira volente, perniciem effugiebant. Quid igitur ô Iudæe turbaris, præfiguratã diu veritatem iam videns? Cur, inquam, turbaris, ſi Chriſtus dicit: Niſi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, quum oporteret Moſaicis te legibus inſtitutum, & priſcis vmbris ad credendum perdoctum, ad intelligenda hæc myſteria paratiſsimum eſſe? Vmbram & figuram noſti, diſce ergo ipſam rei veritatem. Caro enim mea, inquit, verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Rurſus diſtinguit inter myſticam benedictionẽ, & manna, aquarum fluenta ex lapide, & calicis ſancti communicationem: ne magis mannæ miraculum admirentur, ſed ipſum potius ſuſcipiant, qui cœleſtis panis eſt, & æternæ vitæ largitor. Mannæ nanque alimentum non æternam vitam, ſed breue famis remedium attulit. Nõ erat ergo ille verus cibus, ſanctum verò Chriſti corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus eſt. Aqua etiam illa è petra ad momentum corporalem ſitim leuabat, nec quicquam afferebat prætereà: nõ erat ergo potus ille verus, ſed verus potus eſt ſanguis chriſti, quo radicitùs mors euertitur, & deſtruitur. Non enim hominis ſimpliciter ſanguis eſt, ſed eius, qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus eſt. Prętereà corpus & membra Chriſti ſumus, quia per hanc benedictionem myſterij, ipſum Dei filium ſuſcipimus. Sed quoniam res ardua eſt, & fide magis quàm ratione ſuſcipienda, ideo multis varijsque modis mirabilem eius vtilitatẽ exponit, fundamentum & baſim fidem eſſe confirmãs: Itaq; qui manducat, inquit, carnẽ meam, & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicuti enim, ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram ſuperinſuderit, alteram cum altera per totum commiſceat, oportet: Ita ſi quis carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungatur, neceſſe eſt, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur. Et ſicut parùm (vt ait Paulus) fermenti totam maſſam fermentat, ſic paruula benedictio (Euchariſtiam intelligit) totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet. Et hoc modo in nobis manet Chriſtus, & nos in Chriſto: verè enim totum fermentum in totam maſſam pertranſit. Sicut, inquit, miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, ipſe viuet propter me. Cùm miſſum ſe dicit filius, nihil aliud quàm incarnatum ſe vult ſignificare. Conſueuit autem Chriſtus, quę vim excedunt humanam, ea patri tribuere. Humiliauit enim ſeipſum factus homo, & ideo conuenientem homini menſuram non recuſat: Pater, inquit, qui manet in me, ipſe facit opera. Patri ergo etiam incarnationis operationem, quoniam vim excedit humanam, vt ſolet, accommodat. Hoc ergo eſt, quod dicit: Quemadmodum ego factus homo ſum voluntate patris, & viuo propter patrem, quia videlicet è vita, quę ſecundum eſſentiam eſt, naturaliter emanaui, & genitoris naturam ad vnguem conſeruo, vt & ego naturaliter vita ſim: Ita qui manducat carnem meam, ipſe viuet propter me: totus ad me reformatus, qui vita ſum, & viuificare poſſum. Se verò manducari dicit, cùm ſua caro manducatur: quia verbum caro factum eſt, non naturarum confuſione, ſed ineffabili illo vnionis modo. Concludẽs tandem de ineffabili hoc & ſacroſancto myſterio ſermonem: Hic, inquit, eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Non eſt, inquit, vulgaris hic panis, ſed qui ex Deo procedit, qui de cœlo deſcendit, qui ęternam comedentibus vitam elargitur.

Confirmatio veritatis ex figura ueteri

Cap. 17.

Chriſto nos uniri participatione corporis eius & ſanguinis, & quomodo.

Cap. 18. Quo miſſus à patre filius uiuificat ſe mãducantes.

Cap.19. A elargitur:vita quippe exiſtens à patre. Nõ aũ
tem ſicut illud manna,quod mãducantes pa-
tres veſtri mortui ſunt.Sed lex iſta vt magna
in paruis figurabat.Vmbram enim & imagi-
nem ſuturorum bonorum,non ipſam eorun
dem veritatem exhibebat. Itaq; in alimento
mannæ benedictio Chriſti figurabatur & ſu-
Cap.21. tura denotabatur.

Multi ergo audientes ex diſcipulis eius di
xerunt:Durus eſt ſermo hic,quis poteſt eum
audire?Animalis homo non percipit ea, quæ
Cap.22. ſunt ſpiritus Dei.Audientes enim:Niſi come
deritis carnem filij hominis & biberitis eius
ſanguinem,non habebitis vitam in vobis,ad
immanes ferarum mores vocari ſe à Chriſto
arbitrabãtur,incitariq́;,vt vellent crudas ho-
minis carnes manducare,& ſanguinem bibe
re,quæ vel auditu ſunt horrenda. Nondum
enim myſterij huius formam & diſpenſatio-
nem pulcherrimam,(quam nouiſsima cœna
ſuis diſcipulis tradidit & commendauit) co-
gnouerant.Adhęc cogitabãt,quomodo caro
huius hominis ęternam nobis vitam largie-
tur?aut quomodo mortalis ad immortalita-
tem adducere poterit?Quæ cum intelligeret
is,cuius oculis om̃ia nuda ſunt & aperta, alia
re mirabili ad fidẽ illos impellit.Hoc,inquit,
B vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium ho-
Cap.23. minis aſcendentem vbi erat prius? Quaſi di-
Cap.24. cat: Si propter verba mea, quæ veſtrum ca-
ptũ ſuperant,conturbamini, nunquid eis cre
detis,quando oculis ipſi veſtris cernetis aſcẽ
dentem filium hominis in cœlum?Nã qui ter
reſtre hoc corpus cœleſte ſaciet, is & viuificũ
effecit,quamuis natura ſui corruptibile ſue-
rit.Spiritus eſt qui viuificat, caro nõ prodeſt
quicquam.Non prodeſt,inquam, ſi per ſe ſi-
ne ſpiritu intelligatur.Verba quæ ego locu-
tus ſum vobis,ſpiritus & vita ſunt.Totũ cor-
pus ſuum viuifica ſpiritus virtute plenũ eſſe
oſtendit.Spiritum enim hic ipſam carnem ſu
am nuncupauit.Nõ quia carnis naturam ami-
ſerit, & in ſpiritũ mutata ſit,ſed quia ſummè
cum eo cõiuncta,totam viuificandi vim hau-
ſit.Nec indecenter hoc dictum quiſquam e-
xiſtimet.Nam qui domino conglutinatur,v-
nus cum eo ſpiritus eſt, quomodo igitur ca-
ro ſua vna cum eo non appellabitur? Huiuſ-
modi ergo eſt, quod dicitur: Putatis me di-
xiſſe,viuificũ natura ſui eſſe terreſtre & mor-
tale hoc corpus,ego verò de ſpiritu & vita lo
quutus ſum.Non enim natura carnis ſecun-
dum ſe viuificare poteſt,ſed virtus ipſius ſpi-
ritus viuificantem carnem reddidit.Verba er
go quæ locutus ſum,id eſt,ea de quibus locu
tus ſum vobis, ſunt ſpiritus & vita, qua ipſa
etiam caro mea viuit & viuifica eſt.

Hæc eſt ſana & orthodoxa verborum chri
ſti de ſacramẽto ſui corporis & ſanguinis ſen C
tentia, exponente beatiſsimo & doctiſsimo
Cyrillo.Quam ideo nõ piguit adſcribere ali-
quanto prolixius,quàm requirat inſtitutum
negocium,quod vniuerſa illa Chriſti verba,
quibus energiam & efficaciã ſacroſancti hu-
ius myſterij clariſsimè explicat,aliò nunc de-
torqueantur ab hęreticis.Quæ quòcunq; ma
gis,quã ad ineffabile illud precioſi ſui corpo
ris & ſanguinis ſacramentum,ſpectare cõten
dunt,& impijs ſuis detortiſq́; expoſitionibus
perſuadent indoctis.confido autẽ,quòd nec
te pigebit legiſſe.Siquidem clariſsimè intel-
liges,quam dictorũ Chriſti verborum intel-
ligẽtiam,ante annos mille, atq; adeo ab ipſo
religionis noſtræ initio in catholica eccleſia
didicerint, quam docuerint orthodoxi ſan-
ctiſsimiq́; patres noſtri,vt confundatur os lo
quentium iniqua.

Non poſſum committere, quin adſcribam
eiuſdem ſanctiſsimi patris piam & verè chri-
ſtianam exhortationem ad frequentem com
munionem & participationem huius ſacro-
ſancti myſterij aduerſus eos, qui ex cõſciẽtia Lib.3.c.56.
indignitatis ſuę ſe ab eodẽ diutius abſtinẽt.
Quãdoquidem viuificat corpus Chriſti, hoc
ſciant,inquit,baptizati omnes,& diuinæ gra
tiæ participes facti,ſi rarius in eccleſiã profi- D
ciſcantur,& longo temporum ſpacio propter
ſimulatam religiõem (videlicet conſcientiã)
aut reputationem indignitatis ſuæ, myſticè
cõmunicare Chriſto recuſent,ab æterna ſe vi
ta procul depellere. Quippe recuſatio eiuſ-
modi quãuis ex religiõe proficiſci videatur,
& ſcandalum facit,& laqueos ſtruit.Quare o-
portet omnibus viribus à peccato mundari,
& rectè viuẽdi iactis fundamentis, magna cũ
fiducia ad ſumendam vitam concurrere. Sed
variæ ſunt diaboli ad decipiendum inſidiæ.
Nam primum ad viuẽdum turpiter inducit,
deinde,cum malis onerati fuerint, tunc ab-
horrere à Chriſti gloria perſuadet, qua poſ-
ſent à turpitudine voluptatis, quaſi ab ebrie
tate reuocari.Quare oro, demus operam, vt
vinculis eius abruptis & iugo ſeruitutis pec-
catorum excuſſo,in timore domino ſeruia-
mus,carniſq́; voluptate per continentiam ſu
perata ad cœleſtem gratiam, ad recipiendam
benedictionem libenter concurramus,& cor
poris Chriſti participes efficiamur, ſi æter-
nam vitam conſequi, ſi largitorem immorta
litatis in nobis deſideramus habere: Cauea-
muſq́; ne loco laquei dãnoſam religionẽ dia
bolus prętendat.Sic enim,ſic inquã,& ipſum
diabolum fugabimus, & diuinę naturæ par-
ticipes effecti,ad vitã & incorruptibilitatem
aſcen

Li.4.cap.17. A

aſcendemus. Obijciens perinde ſibi ex perſona timoratorum & eorum, qui in peccatis iacentes, diutius ab hoc viuifico ſacramento ſe abſtinẽt. Sed dices, inquit, rectè quidem nos admonere, ſimul tamen ſcriptum te nõ ignorare, judicium ſibi comedere & bibere illum, qui de pane illo comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo meipſum, & indignum inuenio. Quando igitur, quicunq; tu es, qui iſta dicis, dignus eris? quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis (quis enim delicta intelligit, ſecundum pſalmiſtam) expers omnino eris viuificæ huius ſanctificationis. Quare pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudioſe ſanctéq; viuas, & benedictione participes: Quæ mihi crede, non mortem ſolum, verumetiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit. Nec in quibus ſumus peccatis, conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui pro ouib' ſuis animam ſuam poſuit, ab omni nos erigit caſu. Hęc ille beatiſſ. Cyrillus Alexandrinus patriarcha. Cuius præcipuum ſtudium, ſingularem ſtrenuamq; operam pro defenſione orthodoxæ fidei aduerſus Neſtoriũ, cæteroſq́; ſui ſeculi hæreticos, experta eſt, & probauit Chriſti catholica eccleſia. Cuius ſanctam & veræ conſolationis pleniſſimam exhortationem vt amplectamur, om̃ibus nobis meritò curandũ eſt, quibus ſalutis ſuæ, & vitę ęternę cura eſt. Audis autẽ quæ eius fuerit, imo quę catholicæ eccleſiæ (cuius fidem reddidit) de ſacroſancto hoc dominici corporis & ſanguinis ſacramento ſentẽtia. Quod ille nunc gratiam (nos euchariſtiam, hoc eſt, bonam gratiam) nunc vitam, nunc benedictionem ſimpliciter, nunc myſticam benedictionem, aut benedictionem myſterij, nunc viuificam ſanctificationem, aut viuificas myſterium appellat. Quæ deniq; eius nobis percipiendæ ſit vtilitas, imo neceſſitas. Quanquam autem hi ſufficere poſſent, quos induximus, teſtes, ad demonſtrandam catholicæ eccleſiæ de ineffabili hoc ſacramento fidem & ſententiam, præſertim cum de eo non ſit inſtituta nobis præſens tractatio, ſed incidenter tantum, & veluti exempli gratia in ipſum inciderimus, quia tamen de re tanta, tam ſalutiſera, tam neceſſaria, nullam omnino hæſitationem, nullũ ſcrupulum in pectoribus Chriſti fidelium reſidere fas eſt, etiam aliorum ſanctiſſimorum patrum (quos ea de re certum eſt nihil credidiſſe aliud, quàm quod credidit catholica Chriſti per orbem eccleſia, cuius extitere membra non vulgaria, imo præcipua, imo colũnæ quędam) idem cõprobare viſum eſt teſtimonio, vt ex omni ſeculo, omni ætate, omni loco orbis, conſonæ huius, imo vnius orthodoxę catholicæque fidei indubitatum accipias teſtimonium.

Quid in nobis operetur communio.

B

C

Diui itaque Ioannis Chryſoſtomi, Antiocheni quidem natione, ſed Conſtantinopolitani epiſcopi, perlege obſecro homilias libro ſuper Matthæum, & in eundem de cœna domini, & in caput 9. epiſtolæ ad Hebręos, & clariſſimè intelliges, idem tunc Antiochiæ, Conſtantinopoli, & toto Oriente credidiſſe Chriſti fideles, imo toto orbe terrarũ crediſſe catholicã Chriſti eccleſiam, de ineffabili hoc ſacramẽto corporis & ſanguinis domini, quod nos in catholica didicim' eccleſia, & quod ſuis tẽporibus credidiſſe eandẽ ſuperioribus illis teſtificãtibus audiuiſti, videlicet ſemel paſſibiliter in cruce oblatum Chriſtũ à nobis quotidie offerri aut ſacrificari in altari. Iccirco, inquit, cum manum videmus porrigentis nobis corpus domini ſacerdotis, arbitrari nos oportet, non ſacerdotis, ſed chriſti manum ad nos porrigi, dicentis: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Et homilia decimaſeptima in dictam epiſtolam ad Hebræos: Hoc, inquit, ſacrificium noſtrum exẽplar eſt illius ſemel oblati in cruce. Idipſum autem ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnũ, craſtino alium, ſed ſemper idipſum. Nec quia multis locis offert, multi ſunt Chriſti, ſed vnus vbiq;, & hic plenus exiſtẽs. Rurſus homilia LX. de indignè ſumentibus ſacroſancta myſteria, docet per res ſenſibiles, donari nobis res intelligibiles & ſpiritales à Chriſto, vt per ſenſibilẽ & exteriorẽ baptiſmum, intus fieri intelligibilem regenerationem ac renouationem. Atq; in eo, quod dicit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, ipſum dare nobis ſeipſum, atq; in eo credere nos illi oportere, licet cogitationibus & oculis noſtris aduerſari id videatur. Eadẽ inculcat homilia ſubſequente. Et in oratione de beato Philogenio, dicit menſam dominicam vicem præſepis explere, nam & in hac reponi corpus dominicum, non quidem faſcijs inuolutum, ſed ſpiritu ſancto vndequaque conueſtitum.

Eucharistia sacrificium.

D

Eiuſdem fidei catholicæ eccleſię diuus quoque Hieronymus teſtis eſt, ad Hebidiam, quęſtione 2. ſcribens in hæc verba: Nos autem audiamus, inquit, panem quẽ fregit dominus, deditq́; diſcipulis ſuis, eſſe corpus domini ſaluatoris, ipſo dicente: Hoc eſt corpus meum, accipite & comedite. Et calicẽ illum, de quo

iterum

iterum locutus eſt:Hic eſt ſanguis meus no-
A ui teſtamenti,qui pro multis effundetur.Iſte
eſt calix,de quo in propheta legimus: Cali-
cem ſalutaris accipiam. Et alibi, calix tuus
inebrians quàm præclarus eſt,&c.Non Moy-
ſes dedit vobis panem verum, ſed dominus
Ieſus,& ipſe conuiua,& conuiuium, ipſe co-
medens,& qui comeditur,illius bibimus ſan
guinem,& ſine ipſo potare non poſſumus. Et
quotidie in ſacrificijs eius,de genimine vitis
veræ,& vineæ Sorec (quæ interpretatur ele-
cta)rubentia muſta calcamus, & nouũ ex his
vinum bibimus de regno patris,nequaquam
in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus,
cantantes canticum nouum,quod nemo ca-
nere poteſt,niſi in regno eccleſię,quod eſt re
gnum patris.Hęc fuit fides orthodoxi illius,
ſanctiſsimiq́; Hieronymi,quam in catholica
didicerat eccleſia,eadem per omnia cum illa,
quam & nos à patribus noſtris in eadem didi
cimus & accepimus.

Idem D. Amb. confirmare teſtimonio.

Iam & D. Ambroſium audiamus, quã ipſe
fidem didicerat in catholica eccleſia, quam
doceat initiandos & nouitios in fide. Ita ha-
bet in ſermone,de myſterijs fidei ad Neophy
tos,ſacramentum hoc noſtrum cõparans illi
ſuæ figuræ veteri: Conſidera nunc, inquit,
B vtrum prętantior ſit panis angelorum, an ca
ro Chriſti,quæ vtiq; corpus eſt vitæ? Manna
illud è cœlo,ſed hoc ſupra cœlum illud cœli,
hoc domini cœlorum, illud corruptioni ob-
noxium, ſi in alterum diẽ reſeruaretur, hoc
alienum ab omni corruptione, quod qui-
cunque religioſe guſtauerit, mortem ſenti-
re nõ poterit:illis aqua fluxit è petra, tibi ſan
guis è Chriſto, illos ad horam ſatiauit aqua,
te ſanguis Chriſti diluit in æternum:Iudæus
bibit & ſitit,tu cum biberis,ſitire non pote-
ris,& illud vmbra, hoc autem in veritate. Et

Humanæ incredulitatis argumenta in contrarium ſoluit.

paulo poſt. Potior itaque eſt lux quàm vm-
bra, veritas quàm figura, corpus autoris,
quàm mãna è cœlo. Obijciẽs deinde ſibi ipſi,
veluti ex perſona Neophytorum, humanæ
apparentiæ & Incredulitatis in contrarium
argumenta:Forte dicas,inquit, aliud video,
quomodo tu mihi aſſeris, quòd corpus Chri
ſti accipiam?Et hoc nobis ergo ſupereſt, tibi
vt probemus. Quantis igitur vtimur argu-
mentis, corpus hoc non eſſe id quod natura

Benedictione mutari naturam.

formauit,ſed quod benedictio conſecrauit,
maioremq́ue vim eſſe benedictionis quàm
naturæ? Quia benedictione, inquit, etiam
ipſa mutatur natura; virgam tenebat Moy-
ſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens, rur-
ſus prendit caudam ſerpentis,& in virgæ na
turam reuertitur. Vides igitur prophetica
gratia his mutatam eſſe naturam, & ſerpen-
tis & virgæ? Currebant Aegypti flumina pu-
ro aquarum meatu,& ſubito de ſontium ve- C
nis ſanguis cœpit erumpere. Non erat potus
in fluuijs, rurſus ad prophetæ vocem ceſſa-
uit cruor fluminum,aquarum natura remea-
uit.His atque alijs eiuſmodi miraculis, quæ
ineffabili diuinitatis operatione fiunt, enar-
ratis, poſt aliqua ſubiungit: Aduertimus igi-
tur maioris virtutis eſſe gratiam quàm natu-
ram.Et adhuc tamen propheticæ tantum be
nedictionis numeramus gratiam.quod ſi tan
tum valuit humana benedictio, vt naturam
conuerteret,quid dicemus de ipſa conſecra-
tione diuina,vbi verba ipſius domini ſaluato
ris operantur?Nam ſacramentum illud quod
accipis,Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi
tantum valuit ſermo Heliæ, vt ignem cœlo
deuocaret,non valebit Chriſti ſermo,vt ſpe-
cies mutet elementorum? De totius mundi
operibus legiſti,quia ipſe dixit & facta ſunt,
ipſe mãdauit & creata ſunt.Sermo ergo Chri
ſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non e-
rat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare,
quod non erant?Non enim minus eſt nouas
rebus dare, quàm mutare naturas. Si argu-
mentis vtimur,ſuis proprijſq́ue vtamur, in-
carnationiſq́ue exemplis huius myſterij ad-
ſtruamus veritatem. Nunquid natura opera- D
ta eſt,cum dominus Ieſus naſceretur ex Ma-
ria virgine?Si naturæ ordinem quærimus,vi-
ro mixta fœmina generare conſueuit: Li-
quet igitur,quod pręter naturæ ordinem vir
go generauit. Et hoc quod conficimus cor-
pus,ex virgine eſt. Quid hic quæris naturæ
ordinem in Chriſti corpore, cum præter na-
turam ſit ipſe dominus Ieſus partus ex virgi-
ne?Audis hic,quam ille catholicam fidem do
ceat initiandos in fide,nõ tropis,figuris, aut
circumlocutionibus verborum,ſed planiſsi-
mo,quantum fieri potuit,apertiſsimoq́; ſer-
mone.Audis in hoc ſacramento veram Chri
ſti carnem,verumq́ue ſanguinem. Audis in-
effabili Dei potentia mutari naturas panis &
vini in id,quod non erant,hoc eſt,in corpus
domini noſtri Ieſu & ſanguinem, quod po-
ſteriores haud inſignificanter tranſſubſtan-
tiari dixerunt, nouo quidem vocabulo, ſed
antiqua catholicæ fidei ſententia. Rurſus li-
bro IIII. de ſacramentis: Tu forte dicis, in-
quit,meus iſte panis eſt,& vſitatus.Eſt quidẽ
panis iſte qualem dicis,ante verba ſacramen-
torum, vbi autem acceſſerit conſecratio, de
pane fit corpus Chriſti. Et paulo poſt: Cœ-
lum non erat,mare non erat, terra non erat,
ſed audi dicentem Dauid: Ipſe dixit & facta
ſunt,ipſe mandauit & creata ſunt. Ergo tibi
vt reſpondeam:Non erat corpus Chriſti ante

conſecrationem,ſed poſt conſecrationem,di
A co tibi,quia iam eſt corpus Chriſti.Ipſe enim dixit,& factũ eſt,ipſe mandauit & creatũ eſt. Et poſt aliqua:Antequam conſecretur,panis eſt,vbi autẽ verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt chriſti.Audi enim dicentem: Accipite & edite ex eo omnes,hoc eſt enim corpus meum.et ante verba chriſti calix eſt vini & aquę plenus,vbi verba Chriſti operata fuerint,ibi ſanguis efficitur,qui plebem redemit. Ergo videte, inquit, quantis generibus potens ſit ſermo Chriſti vniuerſa cõuertere. Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuũ accipiamus,& ſanguinẽ,nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare?Ex libro ſexto de ſacramẽtis: Sicut verus eſt,inquit, Dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus,non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius in ſubſtantia patris: Ita vera eius caro eſt,ſicut ipſe dixit,quã accipimus,& verus ſanguis eius eſt, quem potamus.Hæc ille Ambroſius,catholicæ fidei doctor & aſſertor fideliſsimus. cuius,vt audiſti, non captauimus trũca verba,noſtroq; ea ſenſui(quæ hæreticorum ſunt artes) ſeruire coegimus, ſed planiſsimis verbis,frequenter, & conſtanter eandẽ quam nos,orthodoxam catholicamq; fidem docere,prædicare,& vbiq;
B inculcare, fecimus euidentiſsimum.

Eadem ferè tempeſtate,quamuis ante Ambroſium,diuus ille Hilarius Pictauorum epiſcopus, orthodoxæ & catholicę fidei ſtrenuus propugnator,atque eo nomine ab impio Conſtantio relegatus exilio:audi,in illo ipſo exilio ,quod pro Chriſti fide conſtanter fortiterq; pertulit,quid ſcribat libro octauo de trinitate:Vbi probans vnius ſubſtantiæ & naturę filium,cum patre,ex illis Chriſti verbis apud Ioannem: Ego & pater vnum ſumus, aduerſus hęreticorum prauã detortamq; expoſitionem,qua Chriſti illa verba, ad voluntatum vnionem mutuamq; dilectionem referebant,etiam dominicis verbis, quæ alibi apud Ioannem legimus,hoc cõprobantes. Si quidem pro ſalute fidelium ſuorum patrem exorans:Pater,inquit,ſancte,ſerua eos in nomine tuo,quos dediſti mihi vt ſint vnũ,ſicut & nos,&c.Sicut & tu pater in me,& ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, &c. Ego in eis, & tu in me,vt ſint conſummati in vnum.Putant autem nullam inter nos,aut cum Deo habere nos realem vnitatem,aut quę ſit per veritatem naturæ,quam ille naturalẽ appellat, ſed per animorum concordiam & mutuam charitatem tantum. Quare nec filij ad patrẽ, aliam ex dictis verbis vnitatem comprobari poſſe cõtendunt.Aduerſus hanc,inquã,hæreticorum calumniam,quę prima facie nonnihil probabilitatis habere videtur,agens ſanctus & orthodoxus epiſcopus, & catholicæ
C eccleſię ſanam intelligentiam adſtruens:Eos nunc,inquit,qui inter patrem & filium volũtatis tantum ingerunt vnitatem, interrogo, vtrumne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit,an per concordiam tantũ voluntatis?Si enim verè verbum caro factũ eſt, & nos verè verbum carnem cibo dominico ſumimus,quomodo nõ naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt,qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit,& naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis,ſub ſacramento nobis cõmunicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnum ſumus, quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt.Quiſquis ergo naturaliter patrẽ in Chriſto negabit,neget prius,naturaliter vel ſe in Chriſto,vel Chriſtum ſibi ineſſe.Quia in Chriſto pater & Chriſt⁹ in nobis,vnum in his eſſe nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit,& verè homo ille, qui ex Maria nat⁹ fuit, Chriſtus eſt,noſq; verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus & per hoc vnũ erimus, quia pater in eo eſt,& ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas aſſeritur,cum naturalis
D per ſacramentum proprietas,perfectæ ſacramentum ſit vnitatis?Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum,neq; per violentiam atq; impudentem prædicationẽ cœleſtium dictorum ſanitati,alienæ atq; impiæ intelligentię extorquenda peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt,legamus, quæ legerimus,intelligamus,& tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus,niſi ab eo diſcimus,ſtultè atq; impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca,& ſanguis meus verè eſt potus.Qui edit carnem meã, & bibit ſanguinem meum,in me manet & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus.Nunc enim & ipſius domini profeſsione,& fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt.Et hæc accepta atque hauſta id efficiũt, vt & nos in Chriſto,& Chriſtus in nobis ſit.An ne hoc veritas nõ eſt?&c. Quod autem in eo per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus,ipſe teſtatur dicens : Et hic mundus iam me non videt,vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis, quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis,&c. Quod autem in nobis naturalis hæc vnitas ſit,ipſe ita teſtatus eſt:Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.

Nos communione corporis & ſanguinis Christi eidem & Deo uniri naturaliter, hoc eſt, verè & realiter.

Non

A

Euchariſtia perfectæ vnitatis noſtræ ſacramentum cũ Chriſto.

Non enim quis in eo erit,niſi in quo ipſe fuerit,eius tantum in ſe aſſumptam habens carnem,qui ſuam ſumpſerit.Perfectæ autem huius vnitatis ſacramentum ſuperius docuerat, dicens:Sicut miſit me viuens pater,& ego viuo per patrem,& qui manducat meã carnem, & ipſe viuet per me.Viuit ergo per patrem,& qno modo per patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præſumitur,vt id de quo agitur, ſecundum propoſitum exemplnm aſſequamnr. Hæc verò vitæ noſtræ cauſa eſt,quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per patrem.Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum viuimus, id eſt, naturam carnis ſuæ adepti, quo modo non naturaliter ſecundum ſpiritum in ſe patrem habeat,cum ipſe viuat per patrem? Hæc ille ſanctus Hilarius. Ex qno identidem intelligis,non modo orthodoxam catholicę eccleſiæ de veritate corporis & ſanguinis domini in ſacramento hoc ineffabili, indubiamq; fidem & ſententiam,verumetiam verborum Chriſti,quibus energiam, virtutemq́ue eius indicat, veram ſanamq́ue intelligentiam, quam eandem,& à Damaſceno,& Cyrillo ſu-

B

perius audiuiſti.Admonet tamen nos locus iſte, vti (quemadmodum idem ille Cyrillus alio loco) pręd ícta chriſti apud Ioannem verba,modò ab Hilario tractata,paulo clari⁹ explicemus.Siquidem commentariorum in Ioannem libro nono dictam Chriſti pro fidelibus ſuis orationem:Rogo vt ſint vnum,ſicut & nos vnum ſumus, explicans,cum præmiſiſſet de vnione inter nos conſenſus & mutuæ charitatis poſſe intelligi, quaſi charitatis,pacis & concordię nobis vinculum petijſſet Chriſtus,quo ad tantam ſpiritalem vnionem perduceremur,vt naturalis,conſubſtantialiſq́ue in patre,filio atque ſpiritu vnionis ſimilitudinem ea ipſa quodammodo imitaremur.Verum,inquit,quoniam propoſiti textus vis ſublimiora dicere cogit:Saluator quoque inuitat,dicens:Sicut tu pater in me, & ego in te,vt & ipſi in nobis vnum ſint, conſiderandum eſt, ſi ad vnitatem conſenſus & voluntatis,naturalem etiam inuenire poſsimus,per quam nos inter nos, & omnes Deo colligemnr,&c. Age igitur cum trinitas vnũ natura ſit,cõſideremus,quomodo etiam nos ipſi inter nos corporaliter,& cum Deo ſpiritualiter vnum ſimus. Ex Dei patris ſubſtantia vnigenitus prodiens,& totam in ſua genitoris naturam poſsidẽs,caro factus, ſeipſum naturæ noſtræ ineffabiliter coniunxit & vniuit,verus Deus ſimul & homo, quæ plurimũ inter ſe ſecundum naturam diſtant, in vno ſeipſo coniunxit,& naturæ diuinæ participes nos effecit,&c.Qui vt inter nos & Deum, ſingulos nos vniret, quamuis corpore ſimul & anima diſtemus,modum tamen adinuenit conſilio patris & ſapientiæ ſuæ congruentem.Suo enim corpore credentes per communionem myſticam benedicens,& ſecum, & inter nos,vnum nos corpus effecit. Quis enim eos, qui vnius ſancti corporis vnione in vno Chriſto vniti ſunt ab hac naturali vnione alienos putabit?Nam ſi omnes vnum panem manducamus,vnum omnes corpus efficimur,diuidi enim atq; ſeiungi Chriſtus non patitur.Iccirco etiam eccleſia corpus Chriſti effecta eſt,& nos ſinguli membra Chriſti,ſecundum Panlum,vni enim Chriſto per corpus ſuum coniuncti, quoniam in nobis illum,qui eſt indiuiſibilis,accipimus, ipſi potius,quàm nobis membra noſtra commodãtur. Quod enim eccleſia corpus Chriſti ſit, ex ſingulis hominibus tanquam membris compoſitum,Paulus oſtendit, dicens:Vt veritatem ſequentes in charitate creſcamus in illo per omnia,qui eſt caput,chriſtus,ex qno totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate. Quod autem corporalis hæc vnio ad Chriſtum participatione carnis eius acquiritur,Ipſe rurſus Paulus de myſterio pietatis differens teſtatur: Quod alijs, inquit, generationibus non eſt agnitum filijs hominum,ſicut nunc reuelatũ eſt ſanctis apoſtolis eius,& prophetis in ſpiritu eſſe gentes cohæredes,& concorpores, & comparticipes promiſsionis in chriſto.Si autem omnes inter nos in Chriſto vnum corpus ſumus,nec inter nos ſolum,verumetiam cum eo,qui per carnem ſuam ad nos trãſiuit, quomodo vniuerſi & inter nos,& in Chriſto vnum non erimns?Chriſtus enim eſt vnionis huius vinculum,qui Deus ſimul & homo eſt. Sed de vnione,inquit,corporali ſatis.De ſpiritali autem eandem viam ſequẽtes dicimus. Quia ſpiritu ſancto recepto & inter nos quodammodo,& cum Deo vnimur.Nam ſicut virtus ſacratiſsimæ Chriſti carnis vnum corpus facit participantes, eodem arbitror pacto,in quibus indiuiſibilis Dei ſpiritus inhabitat, eos omnes ad vnitatem ſpiritalem conducit, &c.Ergo,inquit,in patre,filio & ſpiritu ſancto omnes vnum ſumus.Vnum autem dico, habitudine & affectu,vnnm pietatis conſenſu,vnum ſanctę Chriſti carnis communione,

Qualem in nobis unionẽ operetur communio corporis & ſanguinis Chriſti, tam cum ipſo & Deo, quàm cũ proximo.

C

Ephe.4.

D

vnum vnius ſancti ſpiritus participatione. Et
A ego claritatem, inquit, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnũ, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. Naturalem, conſubſtantialemq́; vnionem cum patre, quamuis vnigenitus habeat, propter noſtram tamen ſalutem, à ſua illa dignitate, gloria & claritate quaſi exiuit (hoc eſt ſignificat: Exinaniuit ſemetipſum) atque ideo accepit rurſus cum carne claritatem & gloriam, quam ſemper vt Deus habet. Quoniam enim templum, quod à virgine accepit, quamuis conſubſtantiale Deo patri nõ ſit, vnum tamen cum Deo verbo eſt, datum ſibi vnigenitus ait, quod templo ſuo datum eſt. Datum ſibi à patre per ipſum in ſpiritu. Hanc igitur claritatem, inquit, & gloriam pater, quam mihi dediſti, quæ eſt, vt tecum vnum ſim, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus. Vniuntur enim inter ſe fideles illis modis, quos iam expoſuimus, vniuntur etiam Deo, & modum ipſe ſaluator aperuit, dicens: Ego in ipſis, & tu in me, vt in vnum ſint conſummati. Corporaliter enim filius per benedictionem myſticam nobis vt homo vnitur, ſpiritaliter autem vt Deus, ſui ſpiritus gratia noſtrum ad nouam vitam
B & diuinæ naturę participationem ſpiritum redintegrans. Nexus igitur vnionis noſtrę ad Deum patrem, Chriſtus eſt, nobis quidem vt homo, Deo autem patri, vt Deus naturaliter vnitus. Non enim erat poſsibile corruptioni ſubiectam hominis naturam, ad immortalitatem conſcendere, niſi natura immortalis atque incommutabilis ad eam deſcendiſſet, ac communione participationeque ſui, à mortalitatis noſtræ terminis ad ſuum bonũ reformatos eleuaret. Conſummati ergo ſumus, reductique ad vnionem Dei patris, mediatione ſaluatoris, id eſt, Chriſti, filium enim Dei natura patri vnimur corporaliter, ſubſtantialiterq́; (vt dictum eſt) accipientes, clarificamur, glorificamurq́ue ſupernæ facti naturæ participes. Hæc ille Cyrillus. Imo hęc catholica Chriſti per orbem eccleſia, cuius communem ſenſum & catholicam audis fidem, tot orthodoxis, tot ſanctiſsimis patribus, eiuſdem columnis pręcipuis, ex quatuor orbis terræ cardinibus conſona voce profitentibus. Idque eo ſeculo, quo pene ſimul effulſerũt in eccleſiam, tot illa luminaria, quot nunquam ante aut poſtea. Quorum adhuc lumen ita præfulget nobis, vt in eo ambulantes impingere non poſsimus. Dico illum orthodoxum Hieronymum, illum ſanctum Ambroſiũ, illos glorioſos orthodoxæ fidei propugnatores, Hilarium, Auguſtinum, Ioãnem

Quomodo claritatẽ, quam Chriſtus accipit à patre, dederit nobis, ita vt unum ſint, ſicut ipſe & pater unũ ſunt.

Quomodo mortalis natura ad immortalitatem conſcendat.

Chryſoſtomum, Ioannem Damaſcenum, il-
C los catholicæ eccleſię antiſtites, Leonem ter ſanctum (quo elogio adhuc viuũ honorauit vniuerſa Chalcedonenſis ſynodus) illũ quoque ſanctum Gregoriũ. Quorum (vt audiſti) non captauimus trũca verba, eaq́; noſtro ſenſui (qui hæreticorum mos eſt) ſeruire coegimus, ſed quos vno ore vnam fidem ex diuerſiſsimis orbis terrarum partibus, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in altaris ſacramento audis clariſsimè proferentes, irreuincibili ſanè teſtimonio catholicæ fidei eius, quę tunc erat per orbem eccleſię. Et quęcũq; tunc erat, tum non cœpiſſe, ſed eandẽ fuiſſe à principio certum eſt. Nunquam enim ceſſat clamare apoſtolica illa tuba: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et in Timotheo ſuo ſemper inculcat eccleſiæ aut præpoſitis eius. O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitãs prophanas vocum nouitates. O Timothee, ô ſacerdos, ô tractator ſcripturarum, ô doctor, depoſitum cuſtodi, catholicæ fidei talentum illibatum, inuiolatumq́; conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc à te tradatur, quod creditũ, inquam, non quod à te inuentum, quod accepiſti, nõ quod excogitaſti, quod ad te perductum eſt,
D non quod à te prolatum. Cuius tu nõ autor, ſed cuſtos eſſe debes, deuitans prophanas nouitates. Itaq; quæcunq; tunc fides catholicæ eccleſiæ fuit, noua non fuit, ſed quam à maioribus velut per manus accepit, quemadmodum eandem & ſucceſſoribus tradidit, & conſignauit. Quod tametſi aliter probare non oporteat, præſertim cum ab illis ad nos eãdem permanſiſſe clariſsimè demonſtrauerimus, percurrenti tamẽ etiam ab illis retro eorum ſcriptorum eccleſiaſticorũ monumenta, qui ea ſecula præceſſerunt, ad ipſum Chriſtianæ religionis initium, Cyprianum dico, Origenem, Tertullianum, Irenæum, Ignatiũ, Dionyſium, eandem per omnes, & apud omnes fidem catholicæ eccleſiæ fuiſſe, erit meridiana luce clarius. Sed non vacat hic hærere prolixius, nimis enim vni huic (quod exempli tantũ cauſa aſſumpſimus) immorati ſumus. Vnũ hic Tertull. prętenire non poſſumus, vt cuius alicubi verba ad ſuam impietatem detorquent hæretici. Ita autem ſcribit aduerſus Martionẽ lib. IIII. Profeſſus itaq; ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha, vtiq; ſuũ (indignum enim vt quid alienum cõcupiſceret Deus) acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo. Hactenus ille. Cui nõ aduerſatur, quemadmodum volunt hæretici, id quod velut exponendo prædicta, continuo

ſubiun-

ſubiungit,id eſt,figura corporis mei.Nam fi-
A gura non fuiſſet,niſi veritatis eſſet corpus.Si
quidem res vacua,quod eſt phantaſma,figu-
ram capere non poteſt.Hæc namq; Tertullia
ni velut expoſitiua adiectio,non refertur ad
illud,quod ante abſolutè pronũtiauit,videli
cet,acceptum & diſtributum diſcipulis pa-
nem,ſuũ corpus eum feciſſe, ſed ad id quod
proximè præcedit(hoc eſt corpus meum)ve-
rè equidem ſecit,& non figuratiuè panem ſu
um corpus.Nihilo minus hoc ipſum eius cor
pus,vt ex pane,vtq; eſt in ſacramento eucha-
riſtiæ,ſimul eſt figura ſui vt immolatum eſt,
& pependit in cruce, atq; in eius memoriam
iuſſum eſt à Chriſto in eccleſia celebrari &
offerri.Quare nihil à veritate orthodoxæ fi-
dei ea in re alienum dixit Tertullianus affir-
mans Chriſtum acceptum panem ſuum cor-
pus feciſſe,& nihilo minus hoc ipſum fuiſſe
eiuſdem ſui corporis vt in cruce tum immo-
landi figuram.Ita & diuus Auguſtinus,quem
toties audiuiſti veritatẽ corporis Chriſti in
euchariſtia prædicare, nihil veretur idipſum
etiam figuram dicere.In prologo Pſalmi III.
de proditore Iuda loquens:Cũ,inquit, Chri
ſtus eius cogitationes non ignoraret, eum ta
men adhibuit ad conuiuium,in quo ſui cor-
poris & ſanguinis figuram diſcipulis com-
B mendauit. Vides etiam Auguſtinum hic di-
cere figuram corporis & ſanguinis domini,
quod alibi toties verum corpus & ſangui-
nem eiuſdem affirmat, verè ſuum corpus,
quod de Marię carne ſuſcepit,in quo hic no-
biſcum ambulauit, in quo tanta perpeſ-
ſus eſt,nobis manducandum dediſſe, & ſan-
guinem in cruce effuſum, bibendum propi-
naſſe.Quod verò indubia fuerit & Tertullia
ni,& catholicæ eccleſiæ eiuſdem ſeculo ſen-
tentia & fides de veritate corporis & ſangui-
nis Chriſti in euchariſtia, idem ipſe clariſsi-
mè demonſtrat in libro de carnis reſurrecti-
one.In quo poſtquam multis carnem noſtrã
extulit præconijs,videamus,inquit, nunc de
propria etiã Chriſtiani nominis forma,quan
ta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ apud
Deum prærogatiua ſit. Et ſi ſufficeret illi,
quod nulla anima ſalutem poſsit adipiſci,ni
ſi dum eſt in carne,crediderit, adeo caro ſalu
tis eſt cardo, de qua cũ anima Deo alligatur,
ipſa eſt quę efficit, vt anima Deo alligari poſ-
ſit.Sed & caro abluitur,vt anima emaculetur,
caro vngitur,vt anima cõſecretur, caro ſigna
tur,vt & anima muniatur,caro manus impoſi
tione adumbratur,vt anima ſpiritu illumine
tur, caro corpore & ſanguine Chriſti veſci-
tur,vt anima de Deo ſaginetur.Audis hic cla
riſsimè Tertulliani atq; adeo catholicæ,quæ
tunc erat eccleſię,confeſsionem & fidem de
veritate corporis & ſanguinis chriſti,quibus C
paſcimur in euchariſtia.

Non poſſum,quantumuis abrumpere ora-
tionem quæro,hoc loco prætenire diui Ire-
næi(qui & ipſo Tertulliano fuit antiquior)
de fide catholicæ eccleſiæ,ſua illa ætate, hoc
eſt,in ipſiſsima primitiua eccleſia,luculentiſ-
ſimum hac de re teſtimonium. Hic Valenti-
nianos,atq; illius ſeculi hæreticorum porten
ta,cap.XXXIIII.lib.IIII. aduerſus eoſdem au
di obſecro, vt aggrediatur atq; etiam confi-
ciat ex ſententia catholicæ eccleſię de eucha-
riſtia.Quomodo autem,inquit, cõſtabit eis,
eum panem,in quo gratiæ actę ſunt, corpus
eſſe domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi
non ipſum fabricatoris mundi filium dicãt,
id eſt,verbum eius,&c.Quomodo autem rur
ſus dicunt carnem in corruptionem deueni-
re,& non percipere vitam,quę à corpore do-
mini & ſanguine alitur?Ergo aut ſententiam
mutent,vt abſtineant ab offerendo,quæ prę-
dicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſen-
tentia euchariſtiæ,& euchariſtia rurſus con-
firmat ſententiam noſtram. Offerimus enim
ei,quæ ſunt eius,congruenter communicati-
onem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiri
tus.quemadmodum enim qui ex terra eſt pa
nis,percipiens inuocationem Dei, iam non D
communis panis eſt, ſed euchariſtia ex dua-
bus rebus conſtans,terrena & cœleſti :Sic &
corpora noſtra percipiẽtia euchariſtiam, iam
non ſunt corruptibilia, ſed ſpem reſurrectio
nis habentia.Offerimus autem ei, non quaſi
indigenti,ſed gratias agentes donationi eius
ſanctificantis creaturam,Quemadmodum e-
nim Deus non indiget eorum, quæ à nobis
ſunt,ſic nos indigemus offerre aliquid Deo,
ſicut Salomon ait:qui miſeretur pauperis,fœ
neratur Deo. Qui enim nullius indigens eſt
Deus in ſe, aſſumit bonas operationes no-
ſtras ad hoc, vt præſtet nobis retributionem
bonorum ſuorum,&c.Hæc ille Irenæus glo-
rioſus Chriſti confeſſor & pontifex.Ex quo
clariſsimè intelligis etiam illo ſeculo, in illa
ipſa primitiua eccleſia,adeo indubitatam cõ-
feſſamque omnibus Chriſti fidem profeſsis,
ſeu orthodoxis,ſeu hæreticis,veritatem cor-
poris & ſanguinis chriſti in euchariſtia,vt ex
ea prodigioſam & pene palpabilem impieta-
tem Valentini & ſuorum redarguat,velut ſi-
bi non conſtantem.Nam cum illi ipſi, quan-
tumuis impudenter impij, veritatem tamen
corporis & ſanguinis domini,etiam in ſantiũ
linguis toto orbe decantatam in eccleſia con
fiterentur in altaris ſacrificio:Quomodo,in-
quit,conſtabit eis,panem,in quo gratiæ actæ

ſunt, corpus eſſe domini ſui, & calicem ſan-
A guinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi
filium dicant, id eſt, verbum eius? Quomodo
pręterea negant carnis reſurrectionem ad vi
tam immortalem, quę corpore domini, & ſan
guine alitur? Et adhuc dubitari poterit, quæ
fuerit illo ſeculo catholicę per orbem eccle-
ſię hac de re certa indubitataq́; fides & cõfeſ-
ſio, adeo vt nec hęreticiſsimi ea de re dubita-
re auderẽt, quos vide vt vrgeat. Aut ergo, in-
quit, ſententiã mutent, aut abſtineant ab offe
rẽda euchariſtia. Quin & hoc perpẽde, quod
ſequitur: Noſtra autẽ ſententia eſt conſonãs
euchariſtię, & euchariſtia rurſus cõfirmat no
ſtram ſententiam. Probátur controuerſa aut
dubia ex conſonantia eorum cum certis, cõ-
feſsis ac indubijs, atq; id, per quod confirma-
tur aliquid, debet eſſe aut certius aut notius
eo, quod per ipſum confirmatur. oicit autem
ſuam illã, quam aduerſus hæreticos adſtruit,
ſententiam conſonare euchariſtiæ, & euchari
ſtiam eius veritatem confirmare. Sed quę tan
dem erat illa eius ſententia, quam dicit con-
firmari per euchariſtiam? Hæc nempe, Ieſum
Chriſtum dominum noſtrum eſſe filium oei
creatoris cœli & terræ. Item, eundem in veri-
tate aſſumptæ naturę & carnis noſtrę poſt im
B pleta redẽptionis ſalutiſq́; noſtrę myſteria ve
rè reſurrexiſſe à mortuis, primitias reſurgen
tium, quæ tunc negabantur ab impijs hæreti
cis. Ergo his ipſis magis tunc indubitata ve-
ritas corporis & ſanguinis Chriſti in euchari
ſtia, in qua cum negare non auderent, dicit
eos ſecum non conſtare. Offerimus enim, in-
quit, ei quę ſunt eius, congruenter communi
cationem & vnitatem prædicantes carnis &
ſpiritus. Quemadmodum enim, qui ex terra
eſt panis, percipiens inuocationem Dei, iam
non communis panis eſt, ſed euchariſtia ex
duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti: Sic
& corpora noſtra percipientia euchariſtiam,
iam non ſunt corruptibilia, ſed ſpem reſurre
ctionis habẽtia. Et te non pudet impie Sacra-
mentarie nunc demum in dubium reuocare,
nunc demum negare veritatem corporis &
ſanguinis Chriſti in euchariſtia, quam vides
in primitiua eccleſia magis conſonanter atq;
indubitanter creditam, quàm aſſumptam à
verbo veritatem carnis noſtræ, quàm Chri-
ſtum filium creatoris cœli & terræ? quàm de-
niq; carnis noſtræ reſurrectionem? Non vos
pudet impudentiſsimi Lutherani ita impu-
denter nunc inſultare miſſæ ſacrificio, quod
vides quàm certa, conſona atq; indubitata fi-
de toto orbe ab initio obtulit catholica chri
ſti eccleſia? Proinde, vt hic tandem concluda
mus, clariſsimè demonſtratum exiſtimo, ean

dem quę nunc eſt, ſuiſſe ab initio, & deinceps
continuò catholicæ eccleſiæ fidem de ſacra- C
mẽto euchariſtię, ita, vt hoc ferè vnum omni-
um noſtrę fidei myſteriorum nullis vnquam
hęreticorum prophanatum, vexatum aut ęxa
gitatum fuerit nouitatibus ante illum prodi
gioſę, impięq́; temeritatis Berengarium. De-
mirari ſatis mecum non valeo tantã iſtorum
hominum excæcatę mentis impietatem, tan-
tam errandi libidinem, vt dimiſſa clariſsima
& apertiſsima fide catholica, Chriſtum con-
tra Chriſtum, in angulis domorum ac pene-
tralibus obfirmata duritia, ac animi obſtina-
tione pergant quærere.

Sed forte hic nobis occurret aliquis aduer
ſus id quod diximus, ante primum Berenga-
riũ nullis vnquam hęreticorum nouitatibus
exagitatam ſuiſſe fidem catholicã circa vnum
ſacramentum euchariſtię, videri enim ex epi
ſtola primi Epheſini concilij ad Neſtorium,
etiam tunc eodem autore exortã fuiſſe im-
piam quandam circa idem hoc ſacramentum
ſententiã, non quidem negantium veritatem
corporis & ſanguinis filij hominis in euchari D
ſtia, vtpote dicente Chriſto in euangelio: Niſi
manducaueritis carnem filij hominis, & bi-
beritis eius ſanguinẽ non habebitis vitam in
vobis, ſed dubitantium, quiſnam eſſet ille fi-
lius hominis, adeo, vt quem ſupra memoraui
mus, Lanfrancus, vir alioqui & eruditus &
emunctæ ſatis naris, coniecerit ex verbis il-
lius epiſtolæ, quę mox ſubijciemus, & cenſu
ra prędicti concilij, duas circa hoc exortas fu-
iſſe hæreſes, quibuſdam arbitrantibus filium
illum hominis oportere intelligi vnũquemli
bet hominem, in cuius carnem & ſanguinem
cõuerſa panis & vini ſubſtantia ſumeretur à
nobis in remiſsionẽ peccatorũ, alijs ęquè hæ-
retica pertinacia cõtrà contendentibus, non
hunc eſſe de turba quemlibet hominem, ſed
virum iuſtum, ſanctificatum, à communi ho-
minum vita per ſuæ vitę celſitudinem ſegre-
gatum, qui templũ oei eſſet, qui diuinam in
ſe habitationem veriſsimè poſsideret.

Sed ſalua tanti viri reuerẽtia, ipſe potius ex
illis verbis imaginatus eſt illas hæreſes, qua-
rum nemo vnquam aſſertor extitit, nec inue *Dictæ opinio nis cõfutatio.*
nitur apud aliquem eorum, qui nobis hære-
ſeωn perſcripſere catalogos. Quanquã ſint in
ter eos, qui illius autoritate decepti, poſt eun
dẽ has percenſeant inter hæreſes. Quis enim
dubitare poſſet, modo credẽs Chriſti verbis,
& ob ea, in corpus & ſanguinẽ filij hominis,
panis & vini ſubſtantias conuerti, non dubi-
tans, quiſnam eſſet ille filius hominis? Cum
idem ipſe pręmittat Chriſtus: Ego ſum panis
vitæ: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcẽ
di.

di. Si quis mãducauerit de hoc pane, viuet in
A æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea
eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Iudęi ad-
inuicem (inquit Euangeliſta) dicentes: Quo-
modo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad
manducandum? Dixit ergo eis Ieſus: Amen,
amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem
filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ
habebitis vitam in vobis. Qui manducat me-
am carnem, & bibit meum ſanguinem, habe-
bit vitam æternam. caro enim mea verè eſt ci
bus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c. In his
Chriſti verbis nunquid vlla eſt dubitandi oc
caſio, ei modo, qui Chriſto credit & euange-
lio, quiſnam ille ſit filius hominis, de cuius
carne à nobis manducanda, & bibendo ſan-
guine loquatur, qui ſuam ipſius, non alterius
carnem dicit eſſe illum panem vitæ & viuifi-
cum, ſuum ipſius ſanguinem illum potum
vitalem?

Cõfeſsio Ephe ſinæ ſynodi, de ueritate corporis, & ſanguinis Chriſti in eucharistia.

Verba verò epiſtolæ Epheſini concilij ad
Neſtorium, quibus ille imaginatur damnatas
eiuſmodi, quas fingit hæreſes, hęc ſunt: Ne-
ceſſario igitur & hoc adijcimus, inquiunt: An
nunciantes enim ſecũdum carnem, mortem
vnigeniti filij Dei, id eſt, Ieſu Chriſti, & reſur
rectionem eius, & in cœlos aſcenſionem pari
B ter confitentes, incruentam celebramus in ec
cleſijs ſacrificij veritatem, ſic etiam ad myſti-
cas benedictiones accedimus, & ſanctifica-
mur, participes ſancti corporis, & precioſi ſan
guinis Chriſti omnium noſtrum redempto-
ris effecti, non vt communem carnem perci-
pientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, &
verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnita-
tem, aut ſicut diuinam poſsidentis habitatio
nem, ſed vt verè viuificatricem, & ipſius ver-
bi propriam factam. Vita enim naturaliter vt
Deus exiſtens, quia proprię carni vnitus, vi-
uificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo
quáuis dicat ad nos: Amen, amen dico vobis,
niſi manducaueritis carnem filij hominis, &
biberitis eius ſanguinem, nõ tamen, vt homi-
nis vnius ex nobis æſtimare debemus. Quo-
modo enim ſecundum naturam ſuam viuifi-
catrix eſſe caro hominis poterit? Sed vt verè
propriam eius factam, qui propter nos filius
hominis & factus eſt, & vocatus. Ex his verbis
illius cõcilij Lanfrãcus ille duas apud ſe eiuſ-
modi finxit hęreſes, quaſi contra eas illa dice
rentur, & nõ aduertit omnia illa dicta aduet
ſus Neſtorium, non equidem, quod ille dubi
taret panem & vinum in ſacramento altaris
conuerti in Chriſti corpus & ſanguinem, ſed
quod aſſerebat Chriſtum natura eſſe purum
hominem, vt vnumquemlibet ex nobis, quẽ
poſtea inhabitaſſet Dei verbum. Aduerſus
cuius execrandam, impiamq; blaſphemiam,
ſanctum concilium etiam hoc vtitur argu- C
mento, quod Chriſtus affirmat carnem ſuam
mãducatam à nobis viuificatricem eſſe, & im
mortalitatis in nobis effectricem, quod non
habet communis hominis caro, ſed ſolũ Dei
verbi, qui eſt vita per naturam & eſſentiam.
Vnde poſt finem epiſtolę ſubnectunt articu-
los aliquot, qui conſequebantur ad impiam
aſſertionem ipſius Neſtorij, à ſe ſubiectos ana
thematí, inter eos hic eſt penultimus: Si quis
non confitetur carnem domini viuificatri-
cem eſſe, tãquam propriam ipſius Dei verbi,
ſed quaſi alterius cuiuſpiam præter ipſum cõ
iuncti quidem ei ſecundum dignitatem, ſeu
ſolam diuinam inhabitationem habentis, &
nõ potius viuificatricem, ſicut diximus, quia
facta eſt propria verbi omnia viuificare valen
tis, anathema ſit. Hunc anathematiſmum di-
uus ille Cyrillus Alexandrinus, cuius præci-
puè autoritas vigebat in eo concilio, aduer-
ſus Neſtorium, interpretatur hoc pacto: San-
ctam & viuificatricem & incruentam immo-
lationem in eccleſijs celebramus, nõ vnius ſe
cundum nos, hominiſq; communis corpus,
quod offertur, eſſe credẽtes. Similiter autem
& precioſum ſanguinem, ſuſcipientes autem
potius, tanquam proprium corpus factum, D
nec non & ſanguinem omnia viuificantis ver
bi. Communis enim caro viuificare non po-
teſt, & in hoc teſtis eſt ipſe ſaluator, dicẽs: ca-
ro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vi
uificat. Quia enim verbi propria facta eſt, ic-
circo intelligitur & eſt viuificatrix, ſicut ait
ipſe ſaluator: Et ſicut miſit me viuens pater,
& ego viuo propter patrem, & qui comedit
me, & ille viuet propter me. Quia verò Ne-
ſtorius & qui eius ſapiunt ſectas, indoctè vir
tutem deſtruunt ſacramẽti, icciroo rectè ana-
thematiſmus hic factus eſt. Hactenus Cyril-
lus. Ex quibus clarè conſtat, non in confictas
illas à Lanfranco hęreſes, ſed in Neſtorium
ea dicta fuiſſe à ſancto cõcilio, cuius impia de
Chriſti humanitate opinio etiam huius ſacra
mẽti virtutem deſtruebat, quamuis ipſe hoc
non animaduerteret, nec negaret verè à no-
bis manducari Chriſti corpus, & bibi ſangui-
nem. Id quod ex eiuſdem Neſtorij clariſsima
confeſsione conſtat. Ita enim aduerſus dictũ
anathematiſmum ſcribens & ſuam ipſe expo
nens ſententiam: Audite, inquit, verba reſpi-
cientes: Qui manducat meam carnem. Me-
moramini quia de carne ſermo eſt, & quia nõ
à me adiectũ carnis nomen, ne videar apud
eos malè interpretatus: Qui comedit, inquit,
meam carnem, & bibit meum ſanguinem, nũ
quid dixit: Qui comedit meam diuinita-
tem?

Etiam Neſtorij cõfeſsione in eucharistia verè ſumi corpus Chriſti et ſanguinem.

tem? Qui comedit meam carnem, & bibit me
A um ſanguinem, in me manet & ego in eo. Me
moramini quia de carne eſt quod dicitur. Sed
forſan malè interpretor. Audiamus ex reli-
quis: Sicut miſit me viuens pater. Ille dicit di
uinitatem, ego humanitatem. Videamus qui
malè interpretetur. Sicut miſit me viuens pa-
ter. Dicit hæreticus hic diuinitatem, dicit, mi
ſit me Deum verbum viuens pater. Secũdum
illos, & ego Deus verbum viuo propter pa-
trem. Deinde poſt hoc, & qui manducat me,
& ille viuit. Quem comedimus? diuinitatem,
an carnem? Hactenus Neſtorius. Quem audis
clarè confitentem nos comedere Chriſti car
nem, ſed quæ non Dei verbi eſſet propria ca-
ro, ſed Chriſti hominis, & puri, quantum ad
naturam attinet hominis. Aduerſus quem ad
caliginoſos ſenſus ſceleſtè (vt inquit) protra-
hentem mentes fidelium, & humanis cogita
tionibus conantem ſubijcere, quæ ſola & ex-
quiſita fide percipiuntur, diuus ille Cyrillus
orthodoxam ſancti concilij & catholicæ ec-
cleſiæ ſententiam aſſerens & inculcans: Per-
ſcrutantes, inquit, apoſtolatus modum, qui
in hoc dicitur, ex diuinis ſcripturis hunc
ſenſum colligimus. Ait enim per Eſaiæ
Eſa.61. vocem: Spiritus domini ſuper me, propter
quod vnxit me, euangelizare pauperibus mi
B ſit me, prædicare captiuis remiſsionem, & cę-
cis illuminationem. Miſſum itaq; chriſtum à
Deo patre, factum hominem. Decet enim ſa-
tis rectæ exinanitionis mẽſuris apoſtolatus,
id eſt, miſsionis, & nomen & res. Miſſum au-
tem eſt, non nudum & ſine carne ex Deo pa-
tre verbum, ſed magis natiuitatem pręferens
ſecundum carnem, ſeu corpus ſumens ex ſan
cta virgine, & hoc ineffabiliter & inconfuſe
ſibi vniens illuxit nobis Deus dominus ſecũ
dum ſcripturas, quoniam verò vita ſecun-
dum naturam eſt ex Deo patre verbum, viui-
ficatricem oſtendit ſuam carnem, iccirco ſa-
cta eſt nobis benedictio viuificans. Denique
dicebat Chriſtus: Amen dico vobis, ego ſum
panis viuus, qui de cœlo deſcẽdi, & vitam de
di mundo. Et rurſus: Panis autem quem ego
dedero, caro mea eſt pro mundi vita. Et ite-
Vt Chriſtus ſuam ſe carnẽ dicat. rum: Qui manducat meam carnem & bibit
meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.
Conſidera itaq; quemadmodum ſe vbique
ſuum corpus quod ex muliere eſt, nominat,
propter ſummam vnitatem hanc habẽte my-
ſterio rationem, &c. Quanquam autem diui-
nitatis non comedatur natura, non tamẽ pro
pter hoc ſanctum Chriſti corpus commune
eſſe credendum eſt, ſed proprium omnia viui
ficãtis verbi. Quoniam verò eſt corpus vitæ,
viuificans eſt. Per ipſum namq; mortalibus
corporibus vitã elargitur, vt etiam deſtruat
mortis imperium. Hæc aduerſus expoſitio- C
nem Neſtorij Cyrillus.

Et hactenus quidem de fide catholicę eccle
ſiæ, circa ſacramentum euchariſtiæ. In qua ex
plicãda ſentio quidem præter inſtitutum me
prouectum longius. Nam exempli tãtum cau
ſa hæc commemoranda aſſumpſimus, vt in
vno exemplo & altero exercitatus lector in
promptu haberet de quocunq; dogmate in-
uenire catholicæ eccleſiæ fidem & ſententiã.
Quia tamen ea ad hoc exẽpla delegimus, quę
noſtri temporis requirebat calamitas, & hu-
ius ſacramenti (vnde præcipuè nobis ſalus vi
taq; dependet) ſynceram fidem conſtitui ad
uerſus Sacramentariorum inſaniã (quorum
proh dolor, adhuc eſt infinit⁹ numerus) ſum
mopere erat neceſſariũ, corroborariq; Chri
ſti fidelium fidem aduerſus errores eorũ pe-
ſtilentiſsimos, viſum eſt non ſine operæ pre-
cio illi aliquanto inſtitiſſe prolixius & accu-
ratius.

Quod ſi hoc pacto per ſingulas catholicæ
eccleſiæ ætates ad ſuum initium vſq; percur-
rens, de ſingulis prædictis quęſtionibus eiuſ-
dem catholicam fidem & ſententiam perſcru
tatus fueris, eandem prorſus fuiſſe cum ea,
quam nos à patribus noſtris in eadem eccle- D
ſia didicimus & accepimus, clariſsimè inue-
nies, atq; hoc perpetuò verum eſſe, re ipſa do
cebere, quemadmodum vna ab initio ad
conſummationem vſque ſeculi perdurat ca-
tholica eccleſia, ita & fidei catholicæ vnitatẽ
neceſſariò conſeruari, adeo, vt hoc ipſo ſatis
probatum cuiq; eſſe debeat, quid crediderit
catholica ab initio eccleſia, de quacunq; quę
ſtione propoſita, ſi conſtiterit, vel in pręſen-
tiarum ita credere eandem, vel ita credidiſſe
aliquo ſeculo.

De viuorũ ſuffragijs an proſint defunctis, *Catholicæ eccleſiæ fidem de ſuffragijs uiuorum pro mortuis, deq; igne purgatorij demonſtrare.*
& an poſt hanc vitam ſit purgationi peccato-
rum locus, quid teneat quæ in præſentiarum
eſt catholica per orbem eccleſia, nulli dubi-
um eſſe poteſt, vt quæ toto orbe terrarum
quàcunq; patet nomẽ Chriſtianum, orat pro
defunctis, & altaris offert pro eis ſacrificiũ,
anniuerſarias quoq;, ſolenneſq; pro eiſdem
ſupplicatiões inſtituit. Ita fecit & patrum no-
ſtrorum temporibus, à quibus catholicam fi-
dem didicimus & accepimus, ita ante nos an-
nis plus quadringentis diui Bernardi ſeculo,
qui nonnullos ſuo tempore catholicæ eccle-
ſiæ fidem ea in re contemnentes & deriden-
tes, vt inſanos & hæreticos inſectatur, quem-
admodum eodem referente audiſti ſuperius,
ita credidit & fecit ante nos annis mille ducẽ
tis, trecentis quadringentis.

Iſido-

Iſidorus ante annos D.CCCC.eccleſiaſti-
A corum, quę tunc per orbem vniuerſum ob-
ſeruabantur,officiorum rationem explicans,
tradit ex apoſtolicà inſtitutiõe hoc ab initio
recepiſſe eccleſiam,vt pro requie defunctorũ
altaris ſacrificium offerat,idq́; hoc argumen
to,quoniam, inquit, per totũ orbem ſemper
à temporibus apoſtolorum hoc cuſtoditum
eſt,credimus ab ipſis apoſtolis eſſe traditum.
Audis quo ille ante annos nongentos argu-
mento vſus ſit,quod ex apoſtolica inſtitutio
ne hoc obſeruarit eccleſia. Quoniam per to-
tum orbem ita obſeruauit ab ipſis apoſtolo-
rum temporibus.Neque (vt mox audies)hoc
mentitus eſt.Nã idem ducentis circiter annis
ante illum affirmauit Auguſtinus libro de cu
ra agẽda pro mortuis:Per vniuerſum,inquit,
orbem eccleſia pro defunctis ſupplicare con
ſueuit.Siquidem in precibus ſacerdotũ,quæ
domino Deo ad altare funduntur,locum ſu-
um habere commendationem mortuorum,
quin & ante Chriſtum antiquis patribus ean
dem hac de re oſtendit fuiſſe fidem & ſenten
tiam ex libro Machab.& probat iuxta catho-
licæ eccleſiæ obſeruationem ſepulturis &
exequijs honoranda eſſe defunctorum cor-
pora , quibus vſus eſt ſpiritus ſanctus ad o-
B mne opus bonum,quæ & in reſurrectione fu
tura ſunt glorioſa.Et pium eſſe obſequĩ deſi
derio morientium,vt in huius aut illius mar
tyris baſilica tumulentur. Rurſus homilia
LXXXIIII.ſuper Ioannem:Ad menſam domi
ni nõ ſic ſanctos martyres commemoramus,
quemadmodũ illos,qui in pace requieſcunt,
vt etiam pro eis oremus , ſed magis, vt orent
ipſi pro nobis, eorũq́; ſuffragijs adiuuemur.
Idem alijs locis innumeris inculcat.Et libro
de hæreſibus,capite LV.enarrat Aërij cuiuſ-
dam ſuo ſeculo hæretici prophana dogmata,
quę confinxit contra fidem catholicam,vt eo
pacto dolorem ſuum vlciſceretur,quod epi-
ſcopatum,quẽ impotenter ambierat, aſſequi
non poterat.Docuit autem,inquit,non opor
tere nos nec orare , nec offerre oblationem
pro mortuis,nec ſolenniter celebrare ſtatu-
ta ieiunia,ſed cum quiſq; voluerit , ieiunan-
dum eſſe,ne videatur eſſe ſub lege,& presby
terum ab epiſcopo nulla differentia diſcerni
debere.Hæc recitante Auguſtino,fuere Aërii
illius hæreſes.Conſtat ergo,quæ fuerit illis è
diametro catholicę eccleſiæ fides & cõfeſſio.
Idem libro IX. confeſſ. matrem ſuam com-
mendat, quod inſtante reſolutionis die,non
de ſepulchri honore,nec de funeris pompa,
ſed ſolum de hoc vno eſſet ſollicita , vt fre-
quens ipſius memoria fieret ad altare,in quo
ſciret diſpenſari victimam illam ſanctã, qua

Cur ſepulturis et exequijs honoranda defunctorũ corpora.

deletum eſt chirographum peccati.
Confirmat idem eodem ſeculo , quamuis C
ex alio orbis terræ cardine,ſanctus ille Chry
ſoſtomus homilia LXIX.earum,quas Latini-
tate donauit Bernardus Brixianus.Non enim
temerè, inquit, ab apoſtolis hæc ſancita fue-
runt,vt in tremendis myſterijs defunctorum
agatur commemoratio . Sciebant enim illis
multum inde contingere lucrum, vtilitatem
multam.Cum enim totus populus conſtite-
rit extenſis manibus,& ſacerdotalis plenitu-
do,ac tremendum propinatur ſacrificiũ,quo
modo Deum non exorabimus pro his ſuppli
cãtes?Rurſus ſuper Ioan.homilia LXXXIIII.
fidelem populum ad hanc erga defunctos
pietatem exhortans:Eam,inquit , morienti-
um curam habeamus,quæ & nobis & illis cõ
ferat ad gloriam Dei, largas pro his eleemo-
ſynas faciamus , & mittamus ei pulcherrima
viatica.
Ille ſacer Ambroſius ad Fauſtinum in con
ſolatoria ſuper morte ſororis epiſtola : Ego,
inquit,nõ tam deplorandam quàm orationi-
bus proſequẽdam reor, non mœſtificandam D
lachrymis, ſed magis oblationibus animam
eius domino commendandam.Idem in ora-
tione funebri pro Theodoſio imperatore,de
exitu vitæ & virtutibus eius hanc pro eodem
precationem ad Deum inſeruit : Tu domine
da defuncto ſeruo tuo Theodoſio requiem,
quam præparaſti ſeruis tuis,vt illò conuerta-
tur anima eius vnde deſcenderat. Dilexi eũ,
& idcirco proſequor eum vſq; ad regionem
viuorum , nec deſeram , donec fletu , preci-
buſq; inducam virum , quò illum ſua merita
vocant,in montem domini.
Diuus Hieronymus aduerſus Vigilãtium
eiuſdem fidei catholicæ eccleſiæ, non ſolum
teſtis,ſed etiam aſſertor & propugnator eſt.
Nam & ille inter cætera blaſphemiarum ſua-
rum portenta,quæ eructabat aduerſus catho
licam eccleſiam,etiam hoc aſſerebat, viuẽtes
tantum nos mutuo pro nobis orare poſſe, at
poſtquam mortui fuerimus,nullius , inquit,
pro alio eſt exaudienda oratio.
Ita & magnus ille Athanaſius quæſtione
XXXIIII.ad Antiochũ principem , docet de-
functorum animas ſentire beneficia viuenti-
um,cum ſuper ipſis fiunt conuentus & pera-
ctiones bonorum operum. Nã ſi in nullo,in-
quit,beneficia noſtra participarent,nõ fieret
in cura pro mortuis , & exequijs eorundem
cõmemoratio.At ſicut,inquit , vitis floreſcit
in agro , & odorem eius ſentit in vaſe vinum
recluſum , ſicq́ue conflorеſcit etiam ipſum,
ita intelligimus defunctorum animas parti-
cipare aliqua beneficia ab incruenta immo-

latio-

latione,& gratificatione pro ipſis facta, ſicut A ſolus ordinat & præcipit,qui viuorũ & mortuorum poteſtatem gerit Deus noſter.Hęc ille Athanaſius.

Lib.1.epiſt.9

Cyprianus ille ante hos annis ferè ducentis,non ita multum diſtans ab origine Chriſtianæ eccleſię,de Victore quodam ſcribens,quod aduerſus epiſcoporum decretum,presbyterum quendam rerum ſuarum actorem teſtamento conſtituerat, prohibet pro eius dormitione oblationem fieri,aut deprecationem aliquam in eccleſia. Cuius verba ſunt hæc:Iampridem, inquit, in concilio epiſcoporum ſtatutum eſt,ne quis de clericis & de miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat,quia ſinguli diuino ſacerdotio honorati,& cuncti in clericali miniſterio conſtituti,non niſi altari,ſacrificijſque deſeruire,precibuſq́; & oratiõibus vacare debent.Scriptum eſt enim:Nemo militãs Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus. Quod cũ de omnibus dictum ſit,quãto magis de his, qui diuinis rebus,& ſpiritualibus debent eſſe occupati,vt ſunt epiſcopi & ſacerdotes?cui' ordinationis formam prius in lege tenuerunt Leuitæ,qui altaribus,miniſterijſq́; diuinis vacantes,alijs terram colẽtibus, decimas ab eis percipiebant,vt nulla re auocarentur,nec cogitare aut agere ſecularia cogerentur. Quod B epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes,ſalubriter ſtatuerunt,ne quis frater excedens de ſeculo ad tutelam vel curam clericũ nominaret. Quia ſi quis hoc fecerit, non offeratur pro illo,nec ſacrificiũ pro eius dormitione celebretur.Neq; enim ad altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ſacerdotẽ ab altari voluerit reuocare.Et ideo Victor cum contra formam nuper à ſacerdotibus datam Geminium Fauſtum presbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua in eccleſia eius nomine frequentetur,vt ſacerdotum decretum religioſè & neceſsitate factum ſeruetur à nobis,ſimul & cæteris fratribus detur exẽplum,ne quis ſacerdotes Dei ad ſeculares moleſtias deuocet.Hactenus Cyprianus. Vides itaq; etiam eo ſeculo catholicæ eccleſiæ morem, pro requie defunctorum per ſacerdotes offerri ad altare preces & ſacrificium. Vides vigorem eccleſiaſticę diſciplinę,vtq́ne in aliorum exemplum & terrorem interdictum ſit à ſanctiſsimo pontifice & martyre pro eo defuncto preces offerri in eccleſia, aut eius ad ſacrum altare vllam mentionem fieri, qui Dei ſacerdotes ſeculari vlla grauarit moleſtia, quos liberos à munijs illis om̃ibus voluit eſſe domin',quod ſacroſancto altari ſuo deſeruire ac vacare poſsint liberius.

Catholicæ eccleſiæ fides Cypriani ſeculo,eiuſq́; teſtimonia.

C Idem epiſtola ad Antonianum,præmittens eccleſiam adulteris & mœchis concedere pœnitentiæ tempus:Sed aliud eſt,inquit,ad veniã ſtare, aliud ad gloriam peruenire,aliud miſſum in carcerem non exire,donec ſoluat nouiſsimũ quadrantem,aliud ſtatim accipere fructum atq; virtutum mercedem,videlicet,ſuam ſententiam de peccatorum poſt hanc vitam purgatione ſignificans: Quanquam ea ad priorem ſententiam neceſſariò conſequatur.

Eandem planè ſententiam apud Origenẽ, Tertullianũ & Dionyſium illum Areopagitam inuenies,atq; ita inuenies, vt clariſsimè teſtentur catholicæ per vniuerſum orbem eccleſiæ eam fuiſſe fidem & ſententiam. Apud Tertullianum libro de Monogamia.Item de corona militis:Oblatiões,inquit,pro defunctis,pro natalitijs annua die facimus.Et inter antiquas eccleſiæ conſuetudines numerat, quibus tribuit apoſtolicam autoritatẽ.Apud Origenem ita frequẽter,vt plus nimio. Nam & damnatorum ſtatum,poſt hanc vitam nihil aliud quàm peccatorum purgationem quandam eſſe cenſet. Tamen Homilia XV.in Exodum & Homilia III.in Pſalmum XXXVI.cõformiter ſententiæ catholicæ eccleſiæ,exponit illud Apoſtoli I.ad Corinthios III.(Si cuius opus arſerit,detrimentum patietur, ſic tamen quaſi per ignem) de igne, qui poſt hanc D vitam purgabit leuia peccata.Similiter in Leuiticum Homilia VIII. Dicendum ſecundò de illis ipſis peccatis, quæ nobiſcum tranſeũnt.Significari intelligendum eſt eſſe in ipſis quædam ita animabus infixa,vt nequeãt aboleri,alia verò,quæ purgationem poſſunt recipere,ſecundum inſpectionem & iudicium illius pontificis,quem occulta latere non poſſunt.Dionyſius verò capite VII.eccleſiaſticæ ſuæ hierarchiæ deſcribit etiam cæremonias, quas ſuo tempore in exequiis defunctorum obſeruabat eccleſia:Accedens,inquit,deinde venerandus antiſtes,precem ſuam ſuper mortuum peragit,poſtq́ue precem & ipſe præſul eum ſalutat, & ſuo deinceps ordine qui adſtant omnes.Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto,eũq́ue in luce ſtatuat & regione viuorum,in ſinibus Abrahæ, Iſaac & Iacob, in loco vnde effugit dolor,triſtitia & gemit'.Hæc ille Dionyſius Areopagita,in ipſo naſcentis eccleſiæ exordio.

Cum his itaq; aquilis quiſquis conſentire, quiſquis congregari recuſauerit,ad illud corpus eccleſiæ catholicæ, ſed potius ſequitur ſeducentes ab eodem Donatos, Vigilantios,

Concluſio.

Aẽrios,

Aërios, Ioninianos, Berengarios, Lutheros,
A Oecolampadios, & eiuſmodi peſtes, mon-
ſtrantes chriſtum in deſerto, in angulis & do
morum penetralibus, atque illic Chriſtum
contra Chriſtum pergit quærere, num ſanæ
tibi mentis videtur? num planè excæcatus &
datus in ſenſum reprobum, vt non ſulgeat
in eo illuminatio Euangelij glorię Chriſti?

De cultu diuorum catholicæ eccleſiæ fidem demonſtrare.

De cultu diuorum regnantium cum Chri-
ſto, & de veneratione ſacris eorundem reli-
quijs exhibẽda, quid ſentiat catholica per or
bem eccleſia quæ nunc eſt, quid ante nos ſen
ſerit & crediderit ab initio, ſi homines tace-
rent, ſi ſcriptorum monumentis ad nos per-
latum non eſſet, res ipſa eloquitur, teſtantur
baſilicæ, & templa antiquitatis venerandæ.
Quæ toto orbe terrarum ante annos mille,
magnifico opere in eorundem honorem ex-
tructa adhuc viſuntur. Clamant glorioſi eo-
rũdem natales, quos ab antiquo ſancta inſti-
tuit & obſeruauit vniuerſa Chriſti eccleſia.
Cui nunc occinunt obſcuri quidam & veſani
homunculi, non eſſe honorandos diuos, ſcri
ptum enim: Dominum Deum tuũ adorabis,
& illi ſoli ſeruies. Et apud Paulum: Regi ſe-
culorũ immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor
& gloria. Deinde fruſtra etiã à nobis implora
B ri illorum opem, & apud Deum ſuffragia, cũ
aduocatum habeamus Chriſtum apud patrẽ,
per quem nobis ad illum patet aditus, & in
cuius nomine poſtulantibus nobis idem ipſe
promiſit negaturum nihil, ſed omnia con-
ceſſurũ. Poſtremò internũcijs aut interceſſo-
ribus opus nos non habere, qui vota noſtra
Deo exponant, ſiquidem ipſum ſcrutari cor-
da noſtra & renes, ipſum noſſe quorum indi-
geamus. O cæcitatem prodigioſam, & impu-

Solutio.

dẽtiam cæcam. Quaſi catholica eccleſia igno-
rarit hactenus, quid ſcriptum ſit in lege aut
euangelio. Imo quaſi hactenus nulla fuerit
Chriſti eccleſia, & falſus mendaxq; Chriſtus,
qui promiſit ſe continuo & omnibus omni-
no diebus ad conſummationem vſq; ſeculi
permanſurum in eadem. Tota per orbem ca-
tholica eccleſia veneratur, & ante annos qua-
terdecies centenos, & interim ſemper vene-
rata eſt ſanctos regnantes cum Chriſto, & tu
hoc dicis idololatriam eſſe, contra primũ il-
lud & præcipuum legis pręceptum: Dominũ
Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies? O pluſ-
quam ſacrilegam temeritatem. Quid his ho-
minibus facias? Qui cum ſe ſolos chriſtianos
haberi volunt, & nos catholicæ eccleſiæ fi-
lios pro hæreticis, imo & ethnicis ducunt,
Chriſto tamen de ſeipſo non credũt. Pręmo-
nuit nos ille, ne alibi quàm in corpore catho
licę eccleſię monſtrantibus Chriſtũ credere-
mus, ſed ſequeremur aquilarum illarum con
ſenſum. At hi è diametro omnia, & non ſo- C
lum excidunt aut elabuntur incauti ex arca il
la catholicę eccleſiæ, ſed exiliunt, ſed aperta
inſania impugnant eandem, & probris, male
dictiſq; lacerant. Sed ſcriptum eſt, inquiunt:
Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli
ſeruies. Ita & nos ſcriptum nouimus, ita quo
que etiam ante nos ſcriptum ſciuit vniuerſa
Chriſti eccleſia. Nunquid propterea non eſt
venerata diuos regnantes cum Chriſto? Ado
rari ſcriptura ſolum Deum voluit, nõ ſolum
venerari. Neq; enim omnis qui colit ac vene

Inter adorationem & uenerationem differentia.

ratur aliquid, mox illud adorat. Veneramur
martyrum reliquias (inquit Hieronymus ad-
uerſus Vigilantium) non adoramus. Quan-
quam etiam generalius vtatur ſcriptura ado-
rationis vocabulo, vt non ſoli Deo, ſed etiam
à mortalibus hominibus ſibi mutuo, & ange
lis, diuiſq; impenditur. Ita Iacob adorauit ſe-

Gene. 33. Daniel. 2. 3. Reg. 1. Iudith 10.

pties obuiantem ſibi fratrem ſuum Eſau, ita
Nabuchodonoſor adorauit Danielem, ita
Bethſabee adorauit regem Dauid, ita Iudith
adorauit Holofernem in conopœo ſedentẽ,
ita quoq; & Abrahã, & Ioſue, & alij quàm plu
rimi angelos adoraſſe leguntur. Quid igitur
prohibet etiam hoc pacto diuos adorari à no
bis? Si autem abſque diſtinctionis & ſanæ in- D
telligentiæ condimento illa legenda exiſti-
mes, facis ſibiipſi repugnantem ſcripturam,
quemadmodum & in illo, quod mox ſubdi-
tur: Et illi ſoli ſeruies, & in illo Pauli citato
loco: Soli Deo honor & gloria. Nam & idem
Paulus: Gloria, inquit, & honor & pax omni
operanti bonum, Iudæo primum & Græco.
Neq; etiam hominibus ſeruiri idem interdi-
cit, quin potius, vt ſerui omni diligẽtia ſerui-
ant ſuis dominis, præcipit cum timore & tre
more, non ad oculum, ſed quaſi Chriſto, di-
cens illam eſſe voluntatẽ Dei. Si ergo adorati
onis, ſi honoris, ſi ſeruitutis diſtinctiõe opus
eſt, cur ſimpliciter pronũcias, quod eſt variũ
& multiiugum? cur in vnum ſectionis mem-
brum ſic inclinas, vt reijcias alterum? cur ſe-
cum pugnantes facis ſacras literas? Si rationẽ
audire vis, ea eſt, quoniam non ad amuſſim
illam ſuam eaſdẽ intelligis, quia non reſpicis
ad aquilarum illarum conſenſum & congre-
gationem, quia tuo, non catholicæ, quam op
pugnas, eccleſiæ ſenſu ſcripturas interpreta-
ris. Ita tibi factę ſunt in laqueũ, in captiõem,
in ſcandalum. Illa enim ſolum Deũ adorat, vt
omnium creatorem, vt dominum, vt redem-
ptorem ac ſaluatorem, vt remuneratorem,
ita & illi ſoli ſeruit, vt tali congruentem ho-
norem ſoli defert, & nihilo minus etiam di-
uos adorat ac veneratur vt Deo amicos, proxi
mos,

mos, & illius diuinæ excellentiæ quodam-
A modo conſortes: Quos & ille diuinus Pſal-
Pſalm. 8. tes Deos vocat, & filios excelſi omnes, quos
Deus prędeſtinauit conformes fieri imaginis
Roma. 8. filij ſui, quos deniq; Chriſtus ſuos fratres, ſo-
Matt. 12. rores & matres appellat. Digni ſanè honore
Marc. 3. maximo, vt quos rex ille regum voluit ho-
Ioan. 12. norare. Si quis, inquit, mihi miniſtrauerit, ho
norificabit illum pater meus. Illud adoratio-
nis genus ab aquilis illis, & ſacroſanctis ec-
cleſiæ doctoribus λατρεία, hoc verò δουλεία
appellari conſueuit. Quæ tu ſcire contem-
nens mauis errare in tenebris, quàm ſe-
qui Chriſtum in luce, quæ in catholica ec-
cleſia fulget.

Sed cineres & reliquiæ martyrum te offen
De venerãdis reliquijs ſanctorum. dunt, & doles, quod eas precioſo vaſculo aut
velamine incluſas ſeruamus reuerenter, &
nõ potius abijcimus in ſterquilinium. Quid
hic, te rogo, offendit, honorificentius haberi
à nobis ſanctorum venerandas reliquias?
Quid ſacra à nobis oſſa venerari, quibus cor
pus compaginatum fuit inhabitantis Chriſti
domicilium, & templum ſpiritus ſancti? Qui
bus olim diuina virtute rurſus coeuntibus,
redintegratum corpus ſimul cum anima bea
titudinis particeps erit? Quæ deus ipſe in ſan
B ctis ſuis mirabilis exiſtens, à nobis velut re-
uerenter, honorificenterque haberi, vt qui
frequenter ſanctis epiſcopis eorundem de-
foſſas reliquias indicauit, iuſsitq; effoſſas ho
norificentius collocari, & euidẽtibus ſignis,
miraculiſque atteſtatus eſt, ſibi ſe ferre acce-
ptum, quod illis venerationis impenditur.
Qua in re vt prætercam innumera certiſsimę
fidei exempla, ipſe de ſe teſtis eſt D. Ambro-
ſius, diuina ſibi reuelatiõe indicata fuiſſe cor
pora beatiſsimorum martyrum Geruaſij &
Protaſij deſoſſa ſub terra duodecim pedum
altitudine. Quæ & effodere iuſſus eſt, & ad ve
nerationem fidelis populi decenter colloca-
re, proſequente Deo honorem martyrũ ſuo-
rum euidenti miraculo. Siquidem concurrẽ-
te venerationis cauſa ad eorum corpora vni-
uerſo populo cæcus illuminatus eſt, viſumq;
recepit. Cuius etiam D. Auguſtinus, beatiſsi-
mi tunc Ambroſij auditor, & ſpectator & te-
ſtis luculentiſsimus factus eſt, vt in ore duo-
rum vel triũ ſtaret omne verbum. Qui libro
XXII. de ciuitate Dei, huic rei his verbis per-
hibet teſtimonium: Miraculum quod Medio
lani factum eſt, cum illic eſſemus, ad multo-
rum noticiam potuit peruenire, quia vniuer
ſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad
corpora martyrum Geruaſij & Protaſij, quæ
cum penitus neſcirentur, epiſcopo Ambro-
ſio reuelata, reperta ſunt, vbi cæcus depulſis
veteribus tenebris diem vidit. Refert idẽ, Vi
ctorianę (quæ villa eſt ab Hippone XXX. mil C
libus paſſuum) ad memoriam eorũdem mar-
tyrum adoleſcentem quendam liberatum à
dæmonio, reſtituto illi euulſo oculo, perfe-
ctæque ſanitati reddito. Plurima deinde nar-
rat facta ad memoriam aut reliquias glorioſi
protomartyris Stephani. Nã primò ad aquas
Tibilitanas, cum ſacrũ pignus deferret Pro-
iectus epiſcopus, mulieri cæcæ viſus reſtitu-
tus, cum oculorum veſtigijs flores à ſacris re
liquijs adhiberet, videntibus & ſtupentibus,
qui aderant omnibus, & Deum in ſanctis ſuis
glorificantibus. Lucillum epiſcopum eiuſdẽ
piæ ſarcinę geſtatione curatum à fiſtula, qua
moleſtiſsimè laborauerat. Martialem quoq;
virum quendam primarium, cum ægrotaret
ad mortem, & à noſtra religione abhorreret,
nec poſſet aut filiæ aut generi fidelium preci
bus, aut perſuaſiõe ad fidem induci, eiuſdem
meritis ſubito & miraculoſe cõuerſum, dum
gener pro eodem fuſa ad beatiſsimi marty-
ris memoriam oratione, ablatos ex altari flo-
res dormientis ſoceri capiti ſuppoſuiſſet, cõ-
tinuo enim expergefactus, clamat accerſi epi
ſcopum, qui mecum, inquit Auguſtinus, for-
te tunc erat apud Hipponem, quem vt abſen
tem audiuit, poſtulauit presbyteros, quibus
venientibus, fidelem ſe profeſſus eſt, & effu- D
ſo omnium gaudio ſacrum baptiſma ſuſce-
pit, totoque ægritudinis tempore (vnde pau-
lo poſt deceſsit) illam deinceps extremã bea-
tiſsimi martyris in ſuo ſupplicio vocẽ quam
uis eius fuiſſe ignoraret, in ore habebat: Do-
mine Chriſte accipe ſpiritum meum. Rerfert
præterea, quinque mortuos reſuſcitatos, An
duri puerum oppreſſum vehiculo, cũ ad me-
moriam eiuſdẽ beatiſsimi martyris delatus
eſſet à matre. Et ſanctimonialem quandam in
poſſeſsione Caſpaliana ad contactum veſtis
à beatiſsimi martyris memoria relatæ. Idem
contigiſſe & eodem prorſus modo Baſsi Sy-
ri cuiuſdam apud Hipponem filiæ. Et Hyre-
næi cuiuſdam filio, quem oleo eiuſdem mar
tyris reliquijs contactu perunxerant fideles
quidam. Et filio infantulo Eleuſini viri Tri
bunitij, qui poſitum ſuper memoria eiuſdem
martyris mortuum, poſt orationem viuum
recepit. Et præter innumera alia, ſcribit de
duobus germanis fratre & ſorore, matris ma
ledicto toto corpore & membris omnibus
deſormiſsimè tremulis, curatis ſub ſua & to-
tius ſui populi præſentia, ad memoriam eiuſ-
dem glorioſiſsimi martyris. Hæc & eiuſmo-
di plurima certiſsimæ fidei refert Auguſti-
nus loco memorato. Et te non pudet irreli-
gioſe diuorum contemptor, in eorundem ci
neres

A neres repoſitos nobiſcum,confingere mor-
dacem iocũ,& linguam coinquinatam exere-
re?Eccleſiæ catbolicæ atq; eius antiquiſsimę
obſeruationi,cuius Deum autorem habet,im
pudentiſsimè inſultare,atque vnus,veluti im
purus ille Goliath, exprobrare agminibus
Dei viuentis?

Quare venerandi diui regnantes cũ Chriſto, quia honore digni ſunt,ut eos intercesſores habeamus.

Honorat catholica per orbem eccleſia di-
nos iam regnantes cum chriſto,& dies feſtos
in eorundem venerationem quotannis cele-
brat,partim,quia honore digni ſunt,vt quos
rex ille ſeculorum immortalis voluit honora
re,partim etiã,vt eos interceſſores pro nobis
habeamus apud Deum,quem etiam hoc ipſo
in ſuis ſanctis ſolum adoramus, ſoliq; serui-
mus illo latrię cultu, ſiquidem ad illũ omnia
referentes,& propter ipſum amicos & proxi
mos eius honore proſequentes.Gratiori ni-
mirum,& magis accepto illi cultu,quo magis
ſub eo ita humiliamur,reputantes nos indi-
gnos,qui ſine medio ad illam maieſtatem ac-
cedamus,qnàm ſi per noſipſos ad illũ rogatu
ri præſumamus accedere.Decet namq; pecca
torẽ iam tantę maieſtatis reum,tot mortibus
obnoxiũ,profundè humiliari ſub manu omi
potentis Dei, iudicis ſui tremendi, à quo eò
plerunq; maiorem conſolationem impetrat,
B quò ab altitudine illa maieſtatis tantæ,quam
peccatis ſuis tam grauiter, tãq; multipliciter
offendit,veluti in ſeipſum,ſuamq; indignita
tẽ refugiens,cum illo publicano retrò ſe reci
piat, non audens præ verecundia vel ad cœ-
lum attollere oculos, ſed vel dicat cũ Petro:
Luc.18. Exi à me domine, quoniam homo peccator
Luc.9. ſum ego, vel cũ muliere Chananæa procuret
ſibi apud Chriſtũ amicos eius interceſſores.
Quos aut nolle, aut non poſſe opitulari ne-
ceſsitatibus noſtris,vtrunq; æquè ſentire eſt
impium.Si enim(vt aduerſus Vigilantium di
cit Hieronymus)apoſtoli & martyres cũ ad-
buc eſſent in corpore conſtituti, potuerunt
orare pro cæteris,quando adhuc pro ſeipſis
debebant eſſe ſolliciti,quãto magis orãt pro
alijs poſt coronas, poſt triumphos & victo-
rias?Vnus,inquit,Moyſes ſexcentis millibus
armatorum impetrauit veniam à Deo, Ste-
phanus imitator domini ſui,& primus mar-
tyr pro perſecutoribus veniam deprecaba-
tur,quomodo minus valebunt iam regnan-
tes cum Chriſto?Et diuus ille Ambroſius tra
ctans illud Lucæ quarto,Cum Socrus Simo-
nis magnis febribus cruciaretur,Petrus & An
dreas rogauerunt pro illa:Habes,inquit, pro
ximos qni Deo pro te ſupplicent,habes apo-
ſtolos proximos,martyres proximos, ſi ipſe
martyribus deuotionis ſocietate, miſericor-
diæ quoq; muneribus appropinques. Petrus
& Andreas tunc ſancti cum viuerent,poterãt
rogare pro viduis,nũc omnia poſſunt pro no C
bis & pro omibus impetrare. Lucas teſtis eſt,
mortua Thabita,diſcipulos præſentes graui-
ter ferentes eius mortem, vt cuius ſanctis
exiſtimabant neceſſarium miniſterium, non
tamẽ immediatè ad Deum, ſed ad Petrum cu
curriſſe.Hunc orant venire & Deum rogare,
vt illam reſuſcitet, de propriæ orationis effi-
cacia tantum non præſumentes,& impetrant
oratione aliena,quod non feciſſent propria.
Hoc ipſo,iſtorum ſuperbiſsimam de ſe præ-
ſumptionem confundens ſacer ſpiritus, & ca
tholicum hac de re ſenſum explicans Chriſti
fidelium ab initio. Theodoſius ille Chriſtia-
niſsimus imperator aduerſus Eugenium ty-
rannum, paganitatem reducere ſatagentem
bellum geſturus,nõ tam armorum telorum-
que(inquit Ruffinus)quàm ieiuniorum,ora-
tionumque ſubſidijs, nec tam excubiarum
vigilijs, quàm obſecrationnm pernoctatio-
ne munitus, circuibat cũ ſacerdotibus & po-
pulo omnia orationum loca,ante martyrum
& apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtra
tus,& auxilia ſibi fida ſanctorum interceſsio
ne poſcebat. Ita omnibus faciendum Cy-
prianus glorioſus martyr paſsim prædicat &
inculcat. Ita etiam ante illum Origenes, qui D
tractans illud Matthæi:Rachel plorans filios
ſuos,&c.Benè, inquit, quod ſecundum Dei
voluntatem horum innocentium memori-
am ſancti patres celebrare mandarunt,ſempi
ternam in eccleſijs veluti pro domino mori-
entium, vt primorum martyrum pro domi-
no occiſorum,vt ipſis parentibus interceſsio
filiorum apud Deum plurimum prodeſſet.
Eiuſdem ſeculo aduerſus banc ipſam, quam
hic traducimus magis quàm oppugnamus,
bæreſim ſcripſit Tertullianus vir eruditus
inſigne volnmen, cuius etiam D. Hierony-
mus aduerſus Vigilantium meminit.quo in-
telligas,eandem hanc ſemper fuiſſe ab initio
catholicę eccleſię de cultu diuorum fidem,
quam & nos didicimus in eadem eccleſia, &
à patribus noſtris veluti per manus accepi-
mus,nec iota vnũ illi aut additum,aut ſubtra
ctum. Nam quæ in angulis & penetralibus
muſſant aut latrant hæretici, Vigilantij,Van-
denſes, Vuicleſiſtæ,Huſsitæ, Lutheri,Oeco-
lampadii, & eiuſmodi peſtes humani gene-
ris,ac Dei diuorumq; hoſtes,ad catholicã ec-
cleſiam,aut eius fidem non pertinent.Nobis
certè valde honorati ſunt amici tui Deus.
Certè quid hac de re ſenſerint,non ſolũ chri
ſtianæ religionis duces & antiſtites ab initio,
quod iam ſatis ſuperq; demonſtrauimus,ſed
& ſancti illi & glorioſi in generatiõibus ſuis

 patriar-

patriarchæ noſtri, tam ſub lege, quàm ante
A legem, imo quid oeus ipſe & illos & nos ſen
tire voluerit, teſtimonio eſt ille Moyſes, qui
ita refert ad Iſaac loquutum dominum. Ne,
inquit, deſcenderis in Aegyptum, ſed quie-
ſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare
in ea. Tibi enim, & ſemini tuo dabo vniuer-
ſas regiones has, complens iuramentũ, quod
ſpopondi Abraham patri tuo, &c. eò quòd o-
bedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit
præcepta & mandata mea, & cæremonias le-
geſq́ue ſeruauerit. Si propter Abraham be-
nefecit Iſaac, & tot benedictionibus reple-
uit, qui adhuc à regno illius cœleſti extorris
agebat, propter ſuperbenedictam, & glorio-
ſiſsimam matrem ſuam cœleſtis aulæ reginã,
propter ſanctiſsimos apoſtolos & martyres
ſuos, qui ſuum pro eo ſanguinem effuderũt,
aliosq́ue nunc ſibi amiciſsimos, & regnantes
ſecum nihili faciet? Itaque & Iacob diuinum
implorans auxilium aduerſus timorem Eſau
fratris, per memoriam Abraham & Iſaac pa
trũ ſuorum, quos ſciebat placere & placuiſſe
Deo, non ignorauit illud ipſum imploran-
dum, & obtinuit. Ita quoque & ipſe Moyſes
orans pro præuaricato illo populo, cum ob
crimen adorati vituli aurei internecioni de-
ſtinaretur à Deo: Recordare, inquit, domine
B Abraham, Iſaac & Iacob, ſeruorum tuorum.
Vides, vt etiam hic per memoriam eorum,
quos amicos ſciebat Deo, tametſi illi non-
dum coniuncti eſſent in gloria, orauerit, at-
que etiam impetrauerit veniam tot centenis
millibus, aduerſus quos alioqui pro grauiſsi
mo idololatriç peccato decreta fuerat iræ &
furoris domini ſententia. In eundem modũ,
tres illi Hebraici pueri ab impio rege Baby-
lonico in ardẽtem fornacem miſsi, diuinam
implorarunt miſericordiam. Ne auferas, in-
quiunt, à nobis miſericordiam tuam, do-
mine Deus noſter, propter Abraham dile-
ctum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iacob
ſanctum tuum. Itaque & Ezechiæ regi Iu-
da, rebus humanitus deſperatis, ad diui-
num confugienti auxilium, hoc per prophe-
tam eſt reſponſum à domino: Protegam, in-
quit, vrbem hanc, & ſaluabo eam propter
me, & propter Dauid ſeruum meum. Et nos
nihil diuorum meritis & precibus ſeremus
acceptum? fruſtra nobis implorari dicis eorũ
apud Deum fida ſuffragia & auxilia.

Sed forte dicet aliquis, non inueniri in le
ge veteri ſanctorum iam vita ſunctorum à
quoquam implorata ſuffragia, tametſi per
eorum memoriam ſupplicatum Deo fuerit.
Nihil ſanè hoc mirandum eſt, nec tamen mi-
nus vtiliter hoc fit à nobis. Tunc equidem
fruſtra eorum fuiſſent implorata ſuffragia,
vtpote nondum coniunctorum cum Deo in C
gloria, ſed reconciliationem & regni aper-
tionem per ſanguinem redemptoris Chri-
ſti, loco quodam ordinato à Deo adhuc ex-
pectantium, & propterea non percipientium
orationes & vota viuentium. Attamen De-
um propter eorum merita contuliſſe viuen-
tibus beneficia, ipſo fideli teſte, & mortali-
um tunc certa & indubia fide per eorum me
moriam diuina beneficia implorantium,
certum atque indubitatum eſt. Quæ equi-
dem merita, ſi ſpeciali eorundem iam ſum-
ma charitate coniunctorum Deo & ſecum
triumphantium in gloria interceſsione adiu-
ta fuiſſent, tanto vtique efficaciora haud du
biè extitiſſent. Qua in re noſtra eſt, quàm
illorum veterum tunc fuit, conditio fœli-
cior. Siquidem diui iam regnantes cum Chri
ſto, etiam noſtras preces, votaq́ue exaudi-
unt, ea omnia in verbo velut ſpeculo inruen-
tes clariſsimè. Nec minori, imo longè vberi-
ori fructu, eorum nunc imploramus apud
Deum ſuffragia & auxilia, quàm ſi adhuc no-
biſcum hic viuerent, tanto, inquam, vberi-
ori, quanto ardentiori charitate illi iam con-
iuncti in gloria, plus apud ipſum valent, nec
minori erga nos affecti amore ac beneuolen
tia, nempe conſcij, ac velut compatientes no D
ſtræ miſeriæ, vnde iam erepti ſunt. Animę, in *Aug. lib. de co*
quit ille, ſanctorum, nõ clamorem vocis, ſed *gnitione ve-*
cordis exaudiunt, & ſe fideliter inuocanti- *ræ vitæ ca. 39*
bus ſubueniunt. Quare non ceſſat catholica
ipſa & ſancta mater eccleſia, nec ceſſauit ab
initio, neq; etiá ceſſabit, quàm diu erit in hac
militia, diuorum ſuffragia, vt rumpantur ilia
eorundem hoſtibus & impugnatoribus, pia
quotidie deuotione implorare.

Hac itaq; & iuſtiſsima ſanè ratione catholi
ca Chriſti eccleſia, poſtquam ille morte ſua
deuicta iam morte glorioſus triumphator
aſcendens in cœlum, ſuis regni cœleſtis ape-
ruit aditum, ſanctorum vita functorũ, velut
iam regnantium cum Chriſto, noſtraq́; vota
exaudientium implorat ſuffragia, quod ante
chriſtum non fiebat in veteri eccleſia, quam-
uis per memoriam eorundem & merita, vt
oſtendimus, Deo ſupplicandum non ignora-
rent, quemadmodum neque ſolennibus eti-
am gaudijs, vt nunc, celebrabant iuſtorũ exi-
tus. Quod indignum arbitrarẽtur quan-
tumlibet laudabili morti, quæ Chriſti mor-
tem præcederet, diem feſtum impendere, prę
ſertim cum ante illam ſalutiferam paſsioné
non feſtiua gaudia, ſed clauſtra tenebroſa mo
rientes quoſque exciperent. At pòſt non ſo-
lum eorum, qui Chriſtum ſubſequuti ſunt,
ſed

A ſed etiam eorum, qui præceſſerunt, glorioſos natales, Chriſti eccleſia celebrabat, Ioannis Baptiſtæ, ſanctorum innocentium, Machabæorum martyrum, & aliorum nonnullorum, qui etſi ſuis ſeculis morientes tranſierunt ad inferos, poſt Chriſtum tamen paſſum, & cum Chriſto migrauerunt io cœlum. Itaque tametſi ante Chriſti aduentum plerique fuerint glorioſi martyres, haud incongrua tamen ratione, in beati Stephani ſanguine primitias martyrum dedicauit eccleſia, quod ipſe primus fuit, qui peracto ſuę paſsionis triumpho, non ſicut pręcedentes ipſum, deſcendit ad inferos, ſed mox migrauit in cœlos, proinde in ipſo agone irruentium iaculatorumq́; in ſe lapidum, ait: Video cœlos apertos & Ieſum ſtãtem à dextris Dei. Sed hæc de venerandis diuis, & implorandis eorum ſuffragijs ſatis multa.

Affinis dictorum inſaniæ eſt impugnantium ſacras imagines, & non ferentium ea in re conſuetudinem conſenſumque Chriſtianæ eccleſiæ. Quam idololatriæ ream agunt, quaſi contra præceptum ſibi faciat & adoret ſculptile aut conflatile, homines reprobi, & meotis excæcatæ, qui veram ſcripturarum intelligentiam faſtidiunt, & contemnunt humiliter diſcere in catholica eccleſia, quæ horum damnauit præiudicium & amentiam in
B VII. vniuerſali concilio, Nicęno II. Quod celebratum eſt ſub Adriano Romano pontifice, inſtantibus Conſtantino VI. imperatore, & Hyrene eius matre. In quo cum declaratum eſſet, eum ab initio fuiſſe catholicæ per orbem eccleſię morem, ab ipſis vſq; apoſtolorum temporibus ad nos cuſtoditum, vt diuorum imagines in veneratiooe haberentur, earundem impugnatores perpetuò anathemati ſubiecerunt. Nam ex quo eccleſiæ Chriſti quietis & pacis apertę ſunt fores, conſtat depicta fuiſſe oratoria, baſilicas, templa, & exornata diuorum ſtatuis & imaginibus, quas illis honoris cauſa ponimus. Hoc enim veluti præcipui cuiuſdam honoris inſigne ab antiquo habuit conſenſus mortalium. Itaque ſolebant de publico benè meritis, ſeu viuẽtibus, ſeu mortuis, in publico ſtatuas ponere. Neque id ſine cauſa aut inutiliter, ſed velut ſtimulos intuentium ad virtutem, cui publico mortalium cooſenſu tantum honoris deferri cernerent. In illis etiam legit vulgus illiteratum, & aliquanto quàm in ſcripturis efficacius, fortia facta, glorioſoſq́ue triumphos & agones ducum noſtrorum. Grę cè enim pictura ζωγραφία, id eſt, viua ſcriptura vocatur. Proinde, quem imaginibus ſacris impendimus honorem, non ipſis impendimus picturis aut ſtatuis, ſed illis, quos nobis referunt, & vt D. Baſilij verbis dicam, refertur is ad prototypum. Illum, inquit ſanctus Gregorius, in toto corde diligis, cuius imaginem præ oculis habere deſideras. Neque enim ante imaginem, quaſi ante diuinitatem proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum, aut in cœleſtis gloriæ throno reſidentem recordamur. Et dum ipſa pictura, quaſi ſcriptura quædam, nobis ad memoriam filium Dei reducit, animum pium de paſsione demulcet, ac de reſurrectione lætificat. C

Per imagines honorari illos, quorum ſunt.

Proinde picturas paſsionis domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctorum martyrum, in templis, in oratorijs, in cubiculis ſuis, duplici (vt indicauimus) cauſa, magnaque vtilitate cuſtodit Chriſtianus populus, & illis virtutum, victoriarum, & triumphorum, veluti trophæa quædam honoris cauſa ſtatuens, & in eiſdem, ceu ſcripturis aut ſignis quibuſdam, redemptioois noſtræ myſteria, operaque ſanctorum martyrum, patriarcharum & apoſtolorum, quę imitetur legens, & aſsiduè ob oculos mentis ſtatuens. Ita magnus ille Conſtantinus, primus Romanorum principum, religionem noſtram honorare cupiẽs, crucis ſignum ſummo honore proſequutus eſt, ipſo D & militaria ſigna exornans, & numiſmata ſignans, & præcipua quæque imperialia inſignia in ſpeciem dominicæ crucis transformans. Quin & ſtatuæ ſibi de Maxentio triumphanti à S. P. Q. R. erectæ io dextera aptari iuſsit vexillum crucis dominicæ, hoc ſubtus adiecto elogio: Quia in hoc ſigno ſingulari, quod eſt veræ virtutis inſigne, vrbem Romã, Senatumq́ue & populum Romanum iugo tyrannicæ dominationis ereptum priſtinæ libertati, nobilitatiq́ue reſtituit. Itaq; quæ ſacris imaginibus irrogatur ab impijs contumelia & ignominia, nõ ad imagines pertinet, ſed ad eos, quorum honori illæ dicatæ & erectæ ſunt.

Sacrarũ imaginũ & picturarum duplex vtilitas.

Chriſtianiſsimus ille cordatiſsimuſq; Theodoſius imperator quàm indignè tulerit, ab Antiochenis populari ſeditione ob imperata grauius tributa, deiectam & contumelia affectam ſtatuam Placillæ coniugis ſuæ, laudatiſsimæ fœminæ, paulo antè defunctæ, teſtatur vindicta, quam idem meditabatur, atque etiam ſeriò comminabatur vrbi florẽtiſsimę, quam & priuilegijs mulctare, & in vici formam redigere cogitabat. Sed placatus libertate Macedonij eremitæ viri ſancti, reſcribẽs ad eoſdem, remiſit quidem vindictam omnem, iuſtam tamen ſuæ tam grauis indi-

gnationis cauſam aperiens: Non enim oportebat, inquit, me peccante mulierem omni fauore digniſsimam, poſt mortem tantam contumeliam ſuſtinere. Aduerſum me nanque furorem indignantes decebat armare. Vides ad quem pertineat contumelia illata imagini? Quod ipſum etiam communis hominum ſenſus comprobat. Quis enim imperatori aut principi non iudicaret irrogatam contumeliam, qui eius imaginem in publico ignominiæ cauſa, vel euerteret, vel atro colore obliteraret, aut luto, ſtercoréue impeteret, fœdaret, & conſpurcaret? Quis illum negaret læſæ maieſtatis reum, & iuſto ob idipſum ſupplicio affici? Quanto grauiori ſupplicio digni ſunt, qui domini maieſtatis, regis regum, & omnium noſtrûm imperatoris immortalis, & amicorum ſuorum iam ſecum regnantium, ignominiæ cauſa, aut euertat, aut obliteret luto, ſtercoreq́ue commaculet ipſis poſitas aut erectas honoris cauſa imagines ſacras aut ſtatuas? qui illud crucis trophæum à religioſiſsimo imperatore tanto in honore habitum confringat, & pollutis pedibus proterat? Certè non eſſe nouitium inuentum, qualia ſunt hæreticorum omnia, vſum in eccleſijs imaginum, ſed ab ipſis apoſtolorum temporibus continuo ad hęc tempora decurſu ſeruatum, Cæſarienſis Euſebius luculentiſsimus teſtis eſt.

Vſum ſacratū imaginū, ab initio fuiſſe in eccleſia ab ipſis apoſtolorum temporibus.

Qui in eccleſiaſtica ſua hiſtoria, poſtquam in Cæſareæ Philippi mentionem incidiſſet: Verum, inquit, quia huius vrbis mentionem fecimus, iuſtum videtur commemorare etiam illud in ea, quod hiſtoria dignum duximus. Mulierem, quam ſanguinis profluuio laborantem, à ſaluatore curatam euangelia tradiderunt, huius vrbis ciuem conſtat fuiſſe, domuſq́ue eius in ea etiam nunc oſtenditur. Pro foribus verò domus ipſius baſis quodam in loco æditiore collocata monſtratur. In qua mulieris ipſius veluti genibus prouolutæ, palmaſq́ue ſuppliciter tendentis imago ære videtur expreſſa. Adſtat verò alia ęre nihilo minus fuſa ſtatua, habitu viri, ſtola comptè circundati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedem ſtatuę, è baſi herba quędam noua ſpecie naſcitur, quæ cum exorta fuerit, excreſcere vſque ad ſtolæ illius ærei indumenti fimbriam ſolet, quam cū ſummo vertice creſcens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoreſq́ue conquirit, ita, vt quęcunque illa fuerit infirmitas corporis, hauſto exiguo madefacti ſalutaris graminis depellatur, nihil virium gerens, ſi antequam ærcę fimbrię ſummitatem creſcendo contigerit, decerpatur.

Vis viuifica & ſalutaris herbæ concepta attactu ſtatuæ.

Hanc ſtatuam ad ſimilitudinem vultus Ieſu formatam tradebant, quę permanſit ad noſtra vſque tempora, ſicut ipſi oculis noſtris inſpeximus. Et nihil mirum, ſi hi qui ex gentilibus crediderāt, pro beneficijs, quę à ſaluatore fuerant conſecuti, huiuſmodi velut munus videbantur offerre, cum videamus etiam nunc apoſtolorū Petri & Pauli, & ipſius ſaluatoris imagines deſignari, tabulaſq́ue depingi. Sed & antiquas ipſorum imagines à quibuſdam conſeruatas nos vidimus. Quod mihi videtur ex gētili conſuetudine indifferenter obſeruatum, quod ita ſoleant honorare, quos honore dignos duxerunt. Inſignia enim veterum ſeruari ad poſterorum memoriam, illorum honoris, horum verò amoris indicium eſt. Hactenus ille Cęſarienſis archiepiſcopus eruditiſſimus, ſimul & ſtudioſiſsimus noſtrę religionis aſſertor, quem habes horum teſtem oculatum. Qui tametſi dicat, ſibi ita videri ex gentili conſuetudine introductum (vt & alia noſtra pleraque) vti ſaluatorem noſtrum amicoſq́ue eius poſitis ſtatuis & imaginibus honoremus, illum tamen honorem Deo eſſe fuiſſeq́ue acceptiſsimum, euidenti, quod adſcribit, diuino miraculo comprobat. Eandem hanc ſtatuam Iulianus imperator apoſtata inuidens bonori & glorię Chriſti ſaluatoris noſtri, aliquandiu poſtea deiecit, & ſuam eodem in loco repoſuit. De quo Socrates eorūdem temporum ſcriptor in hæc verba perhibet teſtimonium: illud quoque, inquit, quod ſub Iuliano accidit, non ſilebo. Fuit enim ſignum quidem virtutis Chriſti, & indicium contra principem irę Dei. Cum enim cognouiſſet in Cęſarea Philippi ciuitate Phœniciæ, quam Paneada vocabant, inſigne Chriſti eſſe ſimulacrum, quod mulier illa ſanguinis liberata profluuio cōſtituerat, eo depoſito ſuam ibi ſtatuam collocauit, quę violento igne de cœlo cadente circa pectus eius diuiſa eſt, & caput cum ceruicis vna parte deiectum & in terra fixum, reliqua verò pars hactenus ſuperſuit, & fulminis indicium reſeruauit. Statuam verò Chriſti, tunc quidem trahentes pagani confregerunt, poſtea verò Chriſtiani recolligentes in eccleſiam condiderūt, vbi hactenus reſeruatur. Audis impie, quot miraculis euidenter ſit atteſtata diuinitas, gratum ſibi honorem, qui per ſtatuas & imagines à catholica per orbem eccleſia Chriſto diuiſq́ue impenditur. Sed illi qui te exagitat, ſpiritui, omnis honor impenſus Chriſto & amicis eius, ingratus eſt. Quem hoc malè babet, tranſlatum à ſe honorem illum, quem cæca & pręſtigijs eius capta illi impiè impēderat mortalitas, Deo verò Chriſto ſaluatori noſtro, & ſibi

A

B

C

D

A ſibi coniunctis chariſq; meritò deferri.

De cultu diuino & cæremonijs eccleſiaſticis Lutheri ſententia.

Ex eadem radice procedit, quod nunc illius apoſtoli, ipſo nimirum incentore, ſed pręcentore & magiſtro Luthero, vniuerſum omnino Dei cultũ abolere nituntur. Nã & templa & monaſteria ſimul cum omnibus, quæ in illis cultus diuini cauſa peraguntur, meras eſſe laruas & facies Antichriſti, impurus ille ante annos plus XII. docuit, & in eorum excidium ſeditioſos, & per ſe malè religioni chriſtianæ affectos inſtigauit atq; armauit, quos & charos Dei filios, & veros prædicat Chriſtianos, ſi in illud ſacrilegij barathrum ſe eouſque præcipitent, vt ſe, vitam, fortunaſq; in hoc deuoueant. Hi omnes omnino eccleſiaſticos ritus, obſeruationes & cæremonias, quos & in diuino cultu, & in ſacramentis eccleſiaſticis toto orbe obſeruat Chriſti eccleſia, & ex apoſtolica inſtitutione ſeruauit ante nos omnibus retrò ſeculis ab initio, contemnunt, rident, & vt veræ pietati officientes obliterare omnibus modis ſatagunt.

Lutheranæ perfidiæ impugnatio, & catholicæ fidei aſſertio.

Hoc nimirum per ſuos ſatellites agens antiquus ille humani generis hoſtis, vt pietatem omnem (quæ cæremonijs eiuſmodi ſouetur, nutritur & conſeruatur) tollat è mentibus hominum. Aufer enim cæremonias ab ec- B cleſia, & apud maximam Chriſtianorum partem (quod ille vnum agit) Dei cultum extinctum videbis, fac ne quiſquam orãdo ad cœlũ oculos aut manus leuet, nec flectat genua, nec pectus tundat, ne humi proſtratus adoret, ne caput orãs detegat, ne cum legitur euãgelium, audientes erecti ſtent in pedes, ne euchariſtia cum oſtenditur populo, omnia reuerentiæ & honoris ſigna exhibeantur (vtq; id genus cætera prætermittantur omnia) & intra paucos dies, quod illis vnicè cordi eſt, omnem pietatem & quam vocamus deuotionem, quæ ritibus modiſque eiuſmodi & excitatur, & fouetur augeturque, penitus extinctam videbis in pectoribus hominũ, & prorſus frigere Dei cultum. Nos verò, qui ſumus catholicę eccleſię filij, diligenter reuerenterque obſeruabimus, quicquid ab illa toto orbe terrarum obſeruari videmus, nec ab eius ſententia, conſenſu ac traditione, etiam ſi ex euangeliſtarum ſcripturis, aut apoſtolorum, quas legimus, epiſtolis ortum ea habere non videantur, trãſuerſum (quod aiunt) digitum diſcedemus, hoc nimirum ſcientes, antiquiorem eſſe Chriſtianam religionem, quàm ſint illæ ſcripturæ, antiquiorem eccleſiam, antiquiorem eius fidem, traditionem & obſeruationem, antiquiorem deniq; atq; etiam magis vniuerſalem, nec minus ponderis habentem eccleſiaſticæ traditionis autoritatem, quàm ſcripturarum eiuſmodi, quemadmodum ſuperius demonſtrauimus, nec quic- C quam dubitantes (vt illius ter ſancti Leonis verbis dicamus) quin omnis Chriſtianæ eccleſię cõmunis obſeruantia ſit eruditionis diuinæ, & quicquid ab eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de apoſtolica traditione & ſpiritus ſancti prodire diſciplina. De qua etiam ille eccleſiæ catholicæ per omnia conſentiens Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij, dicit inſolentiſſimę eſſe inſanię, reuocare in dubium, quæ tota per orbem frequentat eccleſia, aut de his diſputare, num facienda ſint. Illa enim, quæ in canonicis ſcripturis non continentur, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, datur, inquit, intelligi vel ab apoſtolis ipſis, vel à plenarijs concilijs) quorum eſt in eccleſia ſaluberrima autoritas) commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quod anniuerſaria ſolẽnitate celebratur dominica paſſio, reſurrectio, aſcenſio in cœlum, ſpiritus ſancti aduentus de cœlo, & ſi quid tale occurrerit, quod obſeruatur ab vniuerſis, vt quod corpus ſanguinem Chriſti vnuſquiſque ieiunus accipiat, obſeruatio diei dominicæ poſt ſabbatum, & quadrageſima, quam Chriſtus ſuo exemplo docuit, & eccleſiæ conſenſus ro- D borauit. Hactenus Auguſtinus. Quanquam, quæ hic exempli cauſa commemorat omnia obſeruata citra ſcripturam ab vniuerſa per orbem eccleſia, nõ ex vniuerſalibus, aut (vt ipſe loquitur) plenarijs ortum habuiſſe concilijs, ſed ex apoſtolica traditione ab initio, à primitiua eccleſia veluti per manus ſuccedentium ſibi patrum & epiſcoporum ad nos deriuaſſe, certum eſt, quemadmodum & cęremonias eccleſiaſticas vniuerſas, & ritus quos in cultu diuino, in eccleſiaſticis ſacramentis, cæteriſque adhuc generaliter obſeruari videmus in vniuerſa Chriſti eccleſia. Siquidem longè ante, ſeu plenaria, ſeu vniuerſalia dicere velis, concilia omnia, quorum primum Nicęnum extitit, Baſilio, Cypriano, Origene, Tertulliano, Dionyſioque teſtibus, ab illo ipſo naſcentis eccleſiæ exordio, veluti ex apoſtolica traditione obſeruata ea omnia, etſi aliud agẽtes, ſuperius demonſtrauimus. De quibus ille Origenes, quamuis aperta ac velata, ita vt eorum ex ſcripturis rationem ignoremus, dicit nos ea portare ſuper humeros, cum ita ea implemus & exequimur, vt à pontifice magno chriſto, & filijs eius tradita commendataq; ſuſcepimus. Et Tertullianus affirmat antiquas eiuſmodi catholicę eccleſię obſeruationes vniuerſas de traditione apoſtolica emanaſſe. Addità; Cyprianus, ęquam his eſſe autoritatem

A

(vt quæ dictante ſpiritu ſancto eccleſiæ tradiderũt apoſtoli)atq; illis ,quę ipſe immediatè ac per ſe inſtituit Chriſtus,& ab euangeliſtis deſcripta legũtur.Quid igitur?vniuerſa chriſti eccleſia hęc piè & religioſe obſeruat & honoris veneratiõiſq; Deo impẽdit obſequia,& ſuos filios ad veram pietatem atq; internam animi deuotionem his prouocat & excitat,& veneranda reuerendaque vulgò his exhibet ſalutaria ſacramenta, quæ nuda alioqui frigerent & venirent in contemptum. Ita obſeruauit & fecit ante nos ſemper ab ipſis eccleſiæ naſcentis incunabulis, ex inſtitutione nimirum apoſtolica, quam ſanctiſsimi patres haud minoris cenſent autoritatis & ponderis, quàm quæ perſcripta ſunt in euangelijs. Contrà, Lutherus cum ſuo Vuicleffo dicit hæc omnia meras laruas & facies Antichriſti. Nunquid hic dubitabit vllus Chriſti nomen profeſſus, cui aſſertioni credendum ſit?

Nota argumẽtum, Eccleſia probat, Lutherus improbat, cui ergo credendum.

Eodem carbone ab illis notantur,quæcunque ſine ſcripto ex apoſtolica traditione ſeruauit ab initio,& interim continuò obſeruat tota per orbem eccleſia,eò pertinẽtia,vt à nobis aſsiduè honoretur & laudetur Deus, vtq; maiori cum reuereotia & decentia cultus ille à nobis Deo impendatur, & ſacramenta nobis ad remedium & ſalutem data ſalubrius ſuſcipiantur.Et quæcunque in varios nobis vſus ſub diuini nominis inuocatione ſanctificata & conſecrata commendat, quæ & efficacia experiuntur, qui fide ſimplici & bona illis vtuntur. Hoc vnum agens ille paracletus, qui illos inſtigat & exagitat,vt aboleatur cultus omnis diuinus, vt pietas extinguatur è mentibus hominum, vt religio Chriſtiana ad nudnm & inane nomen recidat, id quod facilè & citò ſuccederet, ſi per hos ſuos nuncios & apoſtolos omnibus perſuaderet.

B

Itaque in primis illi rident eccleſiaſticum cantum,ſacerdotes Baal nos interim facientes.At cõtrà Chriſti eccleſia docta ſancto ſpiritu,& memor prophetice illius exhortationis,Cantate domioo canticum nouum, benè pſallite ei in vociferatione,dicit cum eodem propheta:Bendicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Et filios ſuos ad idem excitãs:Magnificate, inquit,dominum mecum,& exaltemus nomen eius in idipſum.Atque eodem doctore ſpiritu ordinauit,vt in templis,conuentibus & monaſterijs eſſent chori,qui omnibus horis vicibus alternis, ſancta quadam æmulatione laudes Deo concinerent, cœleſtem illam Hieruſalem hac parte quadantenus referẽtes. In qua ſcribuntur duo Cherubim clamare alter ad alterum:Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus, Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius.Ad idem angelico partim prouocata exemplo,qui nato ſaluatore laudabant Deum & gloriæ canticum illi concinebant, dicẽtes, Gloria in excelſis Deo.Partim verò diſcipulorum Chriſti,eo Hieroſolymam introeũte à ſuſcitato Lazaro, qui cœperunt (vt inquit Lucas)gaũdentes laudare Deum ſuper omnibus,quas viderant,virtutibus,dicentes,Benedictus qui venit rex in nomine domini, pax in cœlo,& gloria in excelſis. Quod quũ moleſtè ferrent phariſęi, quemadmodum nunc iſti Sathanæ & Antichriſti apoſtoli,& dicerẽt domino, vt increparet diſcipulos ſuos, illis ipſe reſpondit:Dico vobis, quia ſi hi tacerẽt, lapides clamarent.certè hunc ab initio fuiſſe catholicæ eccleſiæ morem vel ab ipſis eius incunabulis, clariſsimè atteſtatur Philo ille Iudæus in libello,quem inſcribit de vita contemplatiua ſupplicũ, quod videlicet cœleſtia contemplarentur,& ſemper Deum orarẽt, vt libri titulũ interpretatur diuus Hieronymus. In quo vir ille eccleſiaſticæ inſtitutionis initia,& originem apoſtolicę atq; euãgelicę traditionis,vt inquit Euſebius,intexuit, ſed fidei noſtrę myſteria perſpecta planè non habens,ſuæ genti id noſtræ laudis ducebat glorię,vnde videbatur primitiua illa noſtra eccleſia traxiſſe originem.Eſt,inquit,in multis orbis partibus hoc hominum genus: Oportebat nãmque perfecti huius boni participem fieri omnem Græciam,omnemq; barbariam. In Aegypto tamen maior eſt copia per ſingula quæq; territoria,præcipuè autem circa Alexandriam,&c.Eſt autem in ſingulis apud eos locis conſecrata,inquit,domus, quæ appellatur Conuentus,aut Monaſterium.In quo ſecedentes,honeſtæ & caſtę vitę myſteria celebrant.Et pòſt multis de vitæ eorum Inſtituto,exercitijs & ſtudijs, quod ad propoſitum attinet:Non ſolum, inquit,ſubtilius intelligunt hymnos veterum,ſed ipſi faciũt nouos in Deum,omnibus eos & metris & ſonis,honeſta ſatis & ſuaui compage modulantes.Addens deinde eius modulationis morẽ,dicit, vt vnus ex omnibus conſurgens, in medio pſalmum honeſtis modulis concinat,vtq; pręcinenti ei vnum verſiculum, omnis multitudo reſpondeat.Hęc ille Philo de noſtrę eccleſię(vt ita dicam)infantia,qui chriſti & apoſtolorum vixit temporibus.Idem ęquè comprobatur Plinij ſecũdi teſtimonio. Qui cum ſub Traiano io prouincia, quam adminiſtrabat, ſecundum edicta principalia, per magiſtratus locorum plurimi quotidie Chriſtianorum

C

Eccleſiaſtici cantus antiquitas Philonis teſtimonio.

Eccle. hiſtor. lib. 2. cap. 17.

D

tru-

A trucidarentur, eundem eius admonuit, teſtimonium dans innocentiæ eorum, & ſcribens multa quotidie hominum millia obtrũcari, in quibus nihil omninò ſceleris deprehenderetur admiſſum, neq; aliquid contrarium Romanis legibus, niſi hoc vnũ, quod ſacrificare nollẽt, & antelucanis cœtibus hymnos Chriſto cuidã canerent Deo, alioqui ſuo ipſorum inſtituto propriè abhorrentes ab omni crimine & ſcelere, homicidijs, furtis, adulterijs, latrocinijs, & his ſimilib᷑. Vides impie, quàm non nuper hæc cœperit conſuetudo canendi pſalmos & hymnos oeo in eccleſia? Quæ interim ſemper obſeruata eſt, & eò viguit magis, quanto maior religioni Chriſtianæ conceſſa eſt libertas ſe explicandi. Flebam, inquit Auguſtinus, vberrimè in hymnis & cantibus, ſuaue ſonantibus, eccleſiæ vocibus vehementer affectus, voces quidẽ influebant in auribus meis, & veritas eliquabatur in cor meum. Et diuus ille Ambroſius in quadam oratione aduerſus Maxentium, de baſilicis tradendis: Itaque & hodie, inquit, cum laudatur Chriſtus, Arrianorum amentia verberatur. Gezareni præſentiam Chriſti ferre non poterant, iſti nec laudationem chriſti ſuſtinere poſſunt. Videntes pueros Chriſti gloriam concinentes, quia ſcriptum eſt: Ex ore
B infantium & lactentium perfeciſti laudem, irrident iſtam ætatulam fidei plenam, & dicunt: Ecce quid clamãt. Sed reſpõdit ijs chriſtus: Si tacuerint hi, lapides clamabunt, hoc eſt, fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, clamabunt & ſenes. Hactenus Ambroſius. Vides itaque etiam hac in re obſeruationem catholicæ eccleſiæ ſibi per omnia conſonam. Et quemadmodum nunc ad præſentem vſque tempeſtatem per hæreticos hos excitatam toto orbe terrarum, quàcunque patet nomen Chriſtianum, obſeruari videmus, idem obſeruatum fuiſſe à patribus noſtris, à quibus fidem didicimus in catholica eccleſia, idem obſeruatum temporibus Auguſtini & Ambroſij, idem quoque ipſis apoſtolorum temporibus.

Rident impij Vuicleſiſtæ, quod catholica per orbem eccleſia aquam ſale exorcizet in vſus varios, quod baptiſmi fontem ſanctificet & benedicat, quod baptizatos & ordinatos in ſacerdotes, aut epiſcopos inũgat chriſmate aut ſacro oleo, quod templa, altaria, & vniuerſa diuino mancipata cultui, benedictionibus ſanctificet ac dedicet, nec rident tantũ, imo vt impia, & necromanticæ artis veſtigium referentia execrantur. Ex quorum fontibus hauſit execrandus ille Lutherus venenum, quod propinauit orbi, vtq; ſuos
C doceat ſacro chriſmate (quod fœtidum rancidumq; oleum appellat) inungere calceos, aquam benedictam fœdare ſtercore, fontem baptiſmatis ſanctum effundere velit noxium, & abſq; oleo ſancto aut chriſmate infantes aqua communi in deriſum catholicæ eccleſiæ baptizare, breuiter nullam ſacri & prophani habere diſtãtiam. Ex cuius ſchola prodierunt nobis hi Anabaptiſtę, qui hęc omnia, ſed aliquanto impudentius & efferacius prędicant, atq; etiam manu aſſerunt. Sed hęc Vuicleſiſtę, Lutherani, Anabaptiſtę, & eius farinę hęretici. Contrà, ex eccleſiæ catholicæ traditione vera pietate homines Dei, aëream poteſtatem, inimicam contrariamq́ue pietati, exorcizando eijciunt, non placando, omnes tentationes aduerſitateſq́ue eius vincunt, orando, non ipſam, ſed Deum ſuum aduerſus ipſam. In eius ergo nomine vincitur, qui hominem aſſumpſit, egitq; ſine peccato, vt in ipſo ſacerdote & ſacrificio fieret remiſſio peccatorum.

Antiquiſſimus uſus aquæ benedictæ.

Itaq; de aqua benedicta ſcribit ille ſanctus Alexander, eius nominis primus, qui ſub Traiano Romanæ eccleſiæ præfuit. Aquam, inquit, ſale conſperſam, populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur ac purificẽ-
D tur, quod & omnibus ſacerdotibus faciendũ eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat atq; mundabat, multò magis aqua ſale aſperſa diuiniſq; precibus ſacrata, populum ſanctificat & emundat. Et ſi ſale aſperſo per Helizęum prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis diuinis precibus ſacratus ſterilitatem aufert rerum humanarum, & coinquinatos ſanctificat, mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias diaboli auertit, & à phantaſmatis & verſutiis eius homines defendit? Nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti ſaluatoris ſaluatos infirmos non dubitamus, quanto magis virtute ſacrorum eius verborum diuinitus ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? Hæc illo tempore, ille Alexander catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Antiquiſſimus uſus cõſecrationis ſacrorum locorum, veſtiũ, vaſorum.

De ſacris veſtibus, pallis & vaſis, qua reuerentia contrectari debeant, ſcribit beatus Clemens martyr, & pontifex, beati Petri in Romana eccleſia ſucceſſor. Fuiſſe quoque, ab ipſis apoſtolorum temporibus toto orbe, Deo dicatas ædes & oratoria, in quibus conuentus & collecta fieret populi per vnam ſabbathi ad audiendum verbum Dei, & percipiendum domini

ci corporis & ſanguinis ſacramentum, vel ex
A ipſius Philonis (quod ſupra citauimus) euidés
eſt teſtimonio, & apoſtolicę confirmant epi-
ſtolæ, & ſanctorum omnium monumenta at
teſtantur. Quę licet ſalibus exorcizabantur,
nondum chriſmate inungebantur, nec ſtabat
erectum altare in titulum, in figura domini
noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt altare noſtrum, ſa-
cerdos & hoſtia. At poſtquam per Conſtanti-
num cõfirmata eſt pax eccleſiæ, Sylueſter pa-
pa primus publicè conſecrauit Lateranenſem
eccleſiam, & alteram in honorem principis a-
poſtolorũ Petri, in qua ſuper corpus apoſtoli
erexit altare lapideũ, & chriſmate perunctũ
benedixit & conſecrauit, moremq́; illum ob-
ſeruandum ſanciuit paſtoribus eccleſiarum
omnium. Quod tamen epiſcopalis tantũ eſſe
muneris, ex veteris tabernaculi figura beatiſ-
ſimus Damaſus & Leo illius Syluestri ſucceſ-
ſores definiuerunt.

Iã & baptizatos inungi chriſmate, ſeu oleo
in altari ſanctificato, aquam etiam ſontis ba-
ptiſmalis conſecrari, non nuper cœpiſſe, ſed
ab initio in eccleſia ex apoſtolica traditione
obſeruatũ fuiſſe, antiquiſſimos & omni exce
ptione maiores teſtes habes, Dionyſium in
hierarchia eccleſiaſtica, Clementem in reco-
gnitionibus, Cyprianum in epiſtola ad Ianua
B rium, Origenem in epiſtolam ad Romanos,
Magnum Baſilium libro de ſpiritu ſancto, cu
ius ſuperius audiuiſti teſtimonium.

Dies feſtos pręcipuè autem, quibus redem
ptionis & ſalutis noſtræ annua celebritate re
coluntur myſteria incarnationis, natiuitatis,
paſsionis, reſurrectionis, aſcenſionis in cœ-
lum, demiſsi in diſcipulos ſpiritus ſancti. Prę
terea diem dominicum per hebdomadas ſin
gulas (ita vocantes primam ſabbati) in memo
riam reſurrectionis dominicæ, ex apoſtolica
traditione, quæ ſpiritum ſanctum haud du-
biè doctorem habuit, ab initio magna cũ ve-
neratione religioſe obſeruatos fuiſſe ab vni-
uerſa Chriſti eccleſia, teſtes ſunt, in primis
ipſe Ioãnes euangeliſta, qui dominicę diei in
Apocalypſi meminit. Deinde glorioſus ille
martyr, & à beato Petro ſibi in Antiochena
eccleſia ſucceſſor conſtitutus Ignatius, qui in
epiſtola ad Magneſianos docet, in locum ſab
bati apud nos ſucceſsiſſe dominicũ diem, in
memoriam & honorem reſurrectionis domi
nicæ. Quo die iubet omnem populum vnani
miter concurrere in eccleſiam Dei. In epiſto-
la ad Philippenſes, quadrageſimæ & hebdo-
madæ paſsionis ſpecialiter meminit. Et de ce
lebrando paſchate, non cum Iudæis quarta
decima mẽſis primi, ſed dominica proxima.
Vtramque verò hanc epiſtolam illius indubi
tatò eſſe, B. Hieronymus affirmat in ſcriptori
bus eccleſiaſticis. Idem Origenes locis quàm C
plurimis. In Matthæum autem nõ ſolum præ
dictas noſtræ redemptionis annuas ſolen-
nitates, ſed etiam ſanctorum quorundam te-
ſtatur obſeruatas fuiſſe ab initio eccleſiæ. Si-
quidem ſanctorum Innocentum memoriam
ſempiternam dicit à ſanctis patribus manda-
tam celebrari in eccleſijs. Idem ex Maximo,
Cypriano, Baſilio, Ambroſio, Hieronymo, Au
guſtino, Chryſoſtomo, Theophilo Alexãdri
no, & alijs euidentiſsimum eſt videre, quorũ
extant plurimæ conciones, quas per ſingulas
anni feſtiuitates habuerunt ad populum, qui
etiam omnes quadragenarium ieiunium no-
bis commendant, non tanquam ab homini-
bus conſtitutum, ſed diuinitus conſecratum,
nec terrena cogitatione initiatum, ſed cœle-
ſti maieſtate præceptum, apoſtolorum ordi-
natione ac miniſterio. Quod tametſi quidam

Quadragenarium ieiuniũ diuinitus conſecratũ, & apoſtolorũ ordinatione traditum.

tradant à Theleſphoro inſtitutum, qui ſepti-
mus à beato Petro catholicæ eccleſiæ præ-
fuit, hoc ita accipiendum eſt, non quaſi autor
ipſe, ſed exactor fuerit, ſuoq́ue decreto negli
gẽtiores ac deſides coegerit obſeruare, quod
ante ipſum veluti ex apoſtolica inſtitutione
tota eccleſia certum eſt obſeruatum fuiſſe.
Contra impij iſti omnia hæc rident, contem- D
nunt, & abolere conantur, quia pręſcripta nõ
inueniuntur in euangelio & apoſtolicis lite
ris. quid igitur? nunquid dubitabit vllus, qui
Chriſtianus haberi voluerit, ſequetur ne ca-
tholicæ eccleſiæ traditionem, obſeruationẽ
& ſententiã? An verò execrandos illos, & iam
dudum à catholica eccleſia execratos, & ana-
thematizatos, Vuicleſum, Lutherum, & cęte-
ras peſtes eiuſmodi?

De votis monaſticis quid ſentiat catholi-
ca per orbem eccleſia, haud obſcurum cui-
quam eſſe poteſt, cum videre ſit eiuſce inſti-
tuti homines toto orbe Chriſtiano, non ſo-
lum apud eos, qui Romanam agnoſcunt, & ſe
quuntur eccleſiam, ſed etiam apud Græcos,
Aſiaticos, Armenos, Indos, breuiter quàcun-
que patet nomen Chriſtianum. Neq; cœpiſſe
nuper, ſed fuiſſe ab initio naſcentis eccleſiæ,
certum eſt. Cuius rei Philo ille, quem ſupra
citauimus, luculẽtiſsimum perhibet teſtimo
nium eo libello, quem inſcribit de vita con-
templatiua ſupplicum, quorum inſtitutũ, vt
pium, vt ſanctũ, & in primis fructuoſum, ſem
per probauit Chriſti eccleſia. Et quo pacto
poſſet à quoquam ſanę mentis non vehemen
ter probari, vt iuxta Ioannis euangeliſtæ con
ſilium, abrenunciato mundo hoc fallaci &
nequam, ſpeciali ſe voto & ſacramẽto adſtrin
gat aliquis aſsiduè ſtare in procinctu, in acie,
aduer-

De votis monaſticis catholicæ eccleſiæ ſententia.

A aduerſus inimicas phalanges, quibus ille nos quotidie oppugnat & oſcitantes ſecuroſq; capit, concupiſcẽtiam dico carnis & oculorum, & ſuperbiam vitæ, hoſtes ſanè quàm infeſtiſſimos, atq; aduerſus illos, obedientię, caſtitatis, & paupertatis ſe votis adſtringat, ſuperbiam vitæ, obedientiæ vinculo coercens, per quam quis ſemetipſum prorſus abnegat, ac ſe infra ſe deiicit, ſuperioriſque arbitrio totum committit, carnis verò concupiſcentiam frẹnans & alligans voto perpetuæ caſtitatis, & ſemetipſum caſtrans propter regnum cœlorum. Inſatiabilem verò illam concupiſcentiam oculorum circunſcribens, & prorſus eruens voto voluntariæ paupertatis, & omnium rerum huius mundi abdicatione. Sed nõ eſt omnibus datum aſſequi optima, qui verò poteſt capere, capiat, qui non poteſt, ſaltem ſuam ipſius imperfectionem agnoſcat & doleat, ſaltẽ admiretur meliora, & æmulari, quà poteſt, ſtudeat. Sed poſtquam quis appoſuit manum ad aratrum, ſi inſtar vxoris Loth reſpiciat retrò ad Sodomam, quam reliquit, vt ſe ſaluaret in monte, ſi quę diſtinxerunt labia ſua, fecit irrita, iam non eſt aptus regno Dei, ſed ſibi parauit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, inquit Apoſtolus. Si enim nolueris polliceri, abſque peccato eris, quod autẽ ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis & facies, ſicut promiſiſti domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es, ſiquidem requiret illud dominus Deus tuus. Hęc eſt, & ſemper fuit catholicę ecclesię de votis monaſticis & religioſorum inſtituto ſententia. Quam & pleriſque concilijs aduerſus prophanas hęreticorum nouitates, etiam per ſcripturę chirographum Chriſti fidelibus conſignauit, vt Carthaginenſi quarto, capite vltimo decretorum ſuorum, ſimiliter Toletano IIII. cap. XLVIII. LI. & LV. Item concilio Valentino, cap. vlti. Et Auraicenſi cap. XVII. Elebertino cap. XIII. Eandem hãc ſententiam in omnibus orthodoxorum, qui ab initio fuerunt, patrum ſcriptis, quorum pars non exigua eiuſdem inſtituti ſectatores & aſſertores fuêre, inuenies Dionyſio, Ignatio, Cypriano, Baſilio, Ambroſio, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, Gregorio, breuiter omnibus. Ex quibus prolixitatem fugientes, libet Auguſtini ad quendam Armentanum (qui abrenunciato mundo vnà cum vxore ſua ſe voto adſtrinxerat) verba adſcribere: Priuſquam, inquit, eſſes voti reus, liberum fuit quo eſſes inferior, quamuis non ſit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò, quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, ſi non feceris quod vouiſti, qualis fuiſſes, ſi nihil tale voluiſſes. Minor enim tunc eſſes, non peior. Modo autem tanto (quod abſit) miſerior, ſi fidem Deo fregeris, quanto beatior, ſi perſolueris. Nec ideo te vouiſſe pœniteat, imo gaude iam tibi ſic non licere, quod cum detrimẽto tuo licuiſſet. Aggredere itaque intrepidus & dicta imple factis. Ipſe iuuabit, qui vota tua expetit, fœlix eſt neceſsitas, quę ad meliora compellit. Hæc ille Auguſtinus. Imo hæc illi quos citaui, vniuerſi, ſed libuit communem omnium ſententiam his Auguſtini verbis referre.

1. Tim. 5. *Deut. 23.* B

Concors ſententia patrũ.

C

Aduerſus hanc catholicę ecclesię ſententiam inſurgit impurus ille & omni execratione ac odio dignus Lutherus, monaſtici inſtituti ſecundum regulam dicti beatiſsimi patris Auguſtini profeſſor. Qui pœnitens emiſſi ante annos quàm plurimos voti, reuertenſque velut canis ad vomitum, & cum vxore Loth reſpiciens retrò ad Sodomam quam reliquerat, & ſanctimoniali (quam miſeram ſecum pertraxit in perditionem & interitum) incœſta copulatus libidine, vt & illius & ſuæ cauteriatæ conſcientiæ blandiretur, & vlceri obduceret cruſtam (an ſibi perſuadeat, neſcio) ſaltem prædicat & docet, vota quæ diximus monaſtica, obedientiæ, perpetuæ caſtitatis, & voluntariæ paupertatis eſſe ſtulta & impia, vtpote impoſsibilia, & libertati Chriſtianæ contraria, & propterea nec obligatoria coram Deo, hoc vnum omnibus viribus agens, vt quàm plurimos vnà ſecum in perditionem pertrahat. Qui quàm multos hac peſtilentiſſima ſua doctrina & perſuaſione vtriuſque ſexus attraxerit ex ſancto inſtituto in fornices & proſtibula, & Deo mancipata vaſa conſpurcarit fœdiſsima libidine, in qua volutatur velut ſus in volutabro luti, horret meminiſſe animus, & reperiri pudet Chriſti nomen profeſſos, qui huius tam prodigioſam, tam inſanam impietatem ſequãtur, relicta clariſsima atq; omnibus nota ſententia catholicę eccleſiæ & aquilarum eius. Non pudet cynicum & impurum illum publicè aſſerere, æquè non eſſe arbitrij ſui, vt ſe ſeruet ab vſu & commixtione fœminę, quàm non eſt ſui arbitrij, mas ſit an fœmina. Credo ſanè illũ de ſe iam verè dicere, & quandoquidem ſe totum mancipauit Sathanę, non eſſe illum amplius ſui arbitrij, ſed ſeſe illi exhibere organum per omnia obſequentiſsimum. Sed abſit hæc impuritas, non dicam à Chriſtianis mẽtibus, ſed à caſtis pudiciſque auribus. Ille Philo de primis huiuſce inſtituti cultoribus in ipſo naſcentis

Lutheri impiiſsima de uotis monaſticis ſententia.

D

ſcentis eccleſiæ exordio: Cum viris, inquit, A quos dicimus, ſunt autem & fœminæ, in quibus plures iam grandæuæ ſunt virgines, integritatem caſti corporis, non neceſsitate aliqua, ſed deuotione ſeruantes, dum ſapientiæ ſtudijs ſemet geſtiunt, non ſolum animo, ſed & corpore conſecrare. Indignum ducentes libidini mancipare vas ad capiendam ſapientiam præparatum, & edere partum eas, à quibus diuini verbi concubitus ſacroſanctus & immortalis expetitur, ex quo poſteritas relinquatur corruptelæ mortalitatis obnoxia. Hoc ille Philo prædicat eo tempore vulgare per orbem inſtitutum fuiſſe, quod hi impoſsibile faciunt. Sed non obijciam impuro illi noſtras virgines, quæ ſequuntur agnum, quòcunque ierit, & quarum apud nos celebratur glorioſa & ſempiterna memoria, ſed ethnicas proferre poſſum innumeras, quæ aduerſus illum conſurgent in iudicio. Quid de Veſtalibus Romanis dicet hoc libidinis mãcipium, quarum inſtitutum durauit tot ſeculis, & præuaricatio mortis animaduertebatur ſupplicio? Viuæ ſiquidem deſodiebantur, ſi quę ſe polluiſſent inceſtu. Si illæ puellę, & mulierculæ dęmoni dicatam ſpontè caſtitatem corporis ſeruare pote-B rant, non potuerunt nec poſſunt hoc viri & fœminæ, qui ſe dicauerunt Chriſto & diuino cultui manciparunt? Illius præſertim adiuti auxilio, apud quem omnia ſunt poſsibilia, & qui ſuos ſibiq; fidentes nunquam deſerit? Quàm multæ ſine Chriſto, etiam aduerſus barbaricam & hoſtilem vim vi ſibi illata vindicauerunt pudicitiam & caſtitatem corporis, ita mori prçeligentes, quàm vt vel inuitę paterent virorum libidini? Et hic ille euangelicæ caſtitatis præco, abſque vlla prorſus verecundia mittit ſanctimoniales omnes, & monachos, qui Deo ſe conſecrauerunt, in fornices & proſtibula, nempe ad opus (vt dicit) magis neceſſarium, quàm ſit edere aut bibere, quàm ſcreare, expuere, aut ventrem exonerare, quàm dormire aut vigilare. Et hactenus quidem, ſed fortaſsis prolixius quàm requirebat inſtituti ratio (dum veluti catena quadam peſtilentiſsimarum hæreſium, quibus infœlici tempeſtate noſtra iactatur & miſerabiliter diuexatur eccleſia, trahor per ſingula erratorum capita) velut in multis exemplis exercitatum te reddere ſtudui, Chriſtiane lector, quo pacto per ſingulas quaſque, quę circa fidem religionemque noſtram incidunt, controuerſias, certò inuenire poſsis ipſius catholicæ eccleſiæ, quam ſequi debeas, fidem & ſententiam, eamque ab hæreticę prauitatis impietate diſcernere. Sed in altero tantum genere, quæ incidere poſſunt, quæſtio-C num & controuerſiarum, nempe de quibus etiam vulgus Chriſtianorum explicitam aliquam diſtinctamq; fidem habet. In quo hoc interim, velut vſuræ ſorti acceſsit, quod clariſsimè intellexiſti, eandem ſemper quęcunq; nunc eſt, etiam ſemper fuiſſe catholicę eccleſię de quocunq; dogmate fidem & ſentẽtiam, nec quicquam temporis proceſſu vnquam recepiſſe aut ſuperaddidiſſe noui, ſed diligenter cuſtodiuiſſe ſemper depoſitũ. Et quodcunq; ex apoſtolica ab initio traditione acceperat, quamuis politum aliquando, diſtinctum, explicitumq; magis, idem tamẽ, immutatumq; tranſmiſiſſe ad poſteros.

Peroratio de inueniẽda orthodoxa fide in controuerſiis primi generis.

In altero autem genere, eorum videlicet, quæ à captu vulgi ſunt remotiora, ſed ad reconditiora fidei noſtrę myſteria pertinent, vt in ſingulis catholicæ eccleſię fidem ac ſententiam inuenias, & ab hæretica falſitate diſcernas, aquilarum, vt ſuperius diximus, noſtrarum conſenſum vt exquiras, neceſſe eſt. Vbi enim illæ congregantur, ibi corpus eſt, ibi Chriſtus, & veritas. Quarũ conſenſus eſt communis ipſius eccleſiæ ſenſus, cuius illæ ſunt columnæ quædam, & membra præcipua, prę cæteris donata abundantiori menſura ſpiritus, & ſubtiliori quodam ſenſu prædita, ita vt in illis vniuerſi corporis ſenſus præcipuè D vigeat. Ab hoc tamen ipſo labore in omnibus ferè, quæ ſuboriri poſſunt, quæſtionibus, iam dudum ipſa nos liberauit eccleſia, & in ſanctis concilijs aduerſus impia pleraque hæreticorum dogmata, de ſacroſanctis & ineffabilibus illis noſtræ fidei, indiuiduæ (inquam) trinitatis & incarnationis aliiſq; myſteriis, quæ velut zizania quædam inimici illius aſtu triticeæ fidei ſeminibus ſuperſeminata fuerũt, hoc pro nobis ſubiit & deſudauit laboris, vt obſeruata aquilarum congregatione, quis earum, atque adeo catholicæ eccleſiæ de ſingulis conſenſus fuerit, ſcripturæ ſuæ chirographo nobis conſignauerit. Quod quotieſcunque factum inuenerimus, nihil dubitabimus ſequi, quicquid vniuerſalis concilii autoritate ritè decretum fuerit. Si quid verò nouæ quæſtionis exurgeret, vbi id factum minimè reperiretur, tunc tibi id laboris deſudandum erit, & recurrendum ad ſanctorum patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus & locis in vnitate communionis & fidei permanentes, magiſtri probabiles extiterunt. Et quicquid vno ſenſu & conſenſu tenuiſſe inueneris, eum catholicæ eccleſiæ verum catholicumque ſenſum, veram ſententiam, veram fidem abſque vllo ſcrupulo teneas. Quod ipſum

quoque

quoq; vt eccleſiaſtico tibi exẽplo aliquo cõ-
A probẽ,ex quo & certò ſimul intelligere poſ-
ſis veram inueſtigandæ ſententiæ ac fidei ca-
tholicæ eccleſiæ nos explicaſſe methodum,
& formã habeas,quam huiuſmodi in re abſq;
ſcrupulo ſequi poſsis & debeas, clarins nul-
lum adhibere poterimus , quàm ſancti illius
Epheſini cõcilij,quod ſub cœleſtino Roma
no pontifice,anno noſtræ ſalutis quadringẽ-
teſimo triceſimo quarto celebratum eſt , ob
Neſtorij Cõſtãtinopolitani epiſcopi, de ver
bi diuini incarnatione execrandam blaſphe-
miam,qui Chriſtum ex Maria purum homi-
nem,non Deum natum,diuinitatem verò il-
li pòſt dono collatam,velut pro merito,pro-
phana impiaq; nouitate adſerebat. Vbi cum
de ſanciendis antiquis & ſacròſanctis fidei
dogmatibus ageretur, ne qua ſorte etiã illic
obreperet prophana nouitas in modum Ari
minẽſis perfidiæ,vniuerſis ſacerdotibus, qui
illò circiter ducenti numero conuenerant,
pene ex maiori parte Metropolitani epiſco-
pi,tantæ eruditionis & doctrinæ, vt penè o-
mnes idonei eſſent,qui poſſent diſputare de
dogmatibus,vt tamen non ſolum in pręſenti
rem benè diſponerent,verum & poſteris exẽ
pla profutura relinquerẽt,hoc fidelisſimum
B atq; optimum factu viſum eſt. Quandoqui-
dem diuinæ ſcripturę verba (quæ perperam
intellecta etiam iactabantur ab hęreticis)pro
ſuo pleriq; arbitratu interpretantes, varias
inde opiniones erroreſq; conciperent, vt in
medium ſanctorum patrum proferrẽtur ſen-
tentiæ,quorum alios martyres,alios confeſ-
ſores,omnes verò catholicos ſacerdotes fu-
iſſe & permanſiſſe conſtaret,vt ſcilicet ritè &
ſolenniter ex eorum conſenſu atq; decreto,
& diuinę ſcripturę rectè intelligerentur pro-
loquia,& antiqui dogmatis regula confirma-
retur,condemnareturq; prophanæ nouitatis
blaſphemia. Quorum & nomina, & numerũ,
ne quid ad fidem rerum deeſſet,nobis ædide
runt,& ſcripto reliquerunt illi patres noſtri,
qui tempore eiuſdem celebrati concilij florẽ
tes,poſteritatis curam habuerunt,atq; eiuſdẽ
concilij ſaluberrimum exemplũ,vt fidisſimũ
& ſecurisſimũ in omni exorta nouitate hęre
tica imitandum nobis propoſuerunt. Fuerũt
ergo hi viri,quorum in illo concilio ſeu tan
quam iudicum, ſeu tãquam catholicę fidei &
ſentẽtiæ teſtium ſcripta prolata ſunt,ſanctus
Petrus Alexandrinus epiſcopus,& martyr be
atisſimus ſanctus Athanaſius eiuſdem ciuita-
tatis antiſtes,& confeſſor,multis hæreticorũ
perſequutionibus probatus & exercitus, ſan
ctus Theophilus,eiuſdem item vrbis epiſco-
pus,vir fide, vita & doctrina clarus. Cui ſuc- C
ceſsit venerandus cyrillus,qui tunc Alexan-
drinam illuſtrabat eccleſiam, atq; illi cõcilio
præſidebar,à quo illius,quamuis viuẽtis ſuf-
fragium ob ſingularem eius vitæ,fidei,doctri
næq; pręeminentiam,cęteris adnumerari me
ruit. Et ne ſorte vnius ciuitatis aut prouincię
fides,quatuor his teſtibus explorata, pro ca-
tholica fide imprudenter velut ſubdita puta-
retur,adhibita ſunt etiam illa Cappadocię lu
mina,ſanctus Gregorins Nazianzenus , ſan-
ctus Baſilius,Cæſareæ, Cappadocię epiſcopi
& confeſſores,ſanctus item alter Gregorins
Nyſſenus epiſcopus,fidei,conuerſationis,in-
tegritatis & ſapiẽtiæ merito Baſilio frarre di-
gnisſimus. Sed ne aut Gręcia ſola,aut Oriens
tantum,verum etiam Occidentalis & Latinus
orbis ita ſemper ſenſiſſe probaretur, lectę
ſunt quoq; ibi qnędam ad quoſdam epiſtolę
ſancti Fœlicis martyris , & ſancti Iulij vrbis
Romę epiſcoporum. Et vt non ſolum caput
orbis,verumetiam & latera,illi iudicio teſti-
monium perhiberent , adhibitus eſt à Meri-
die beatisſimus Cyprianus Carthaginenſis
epiſcopus & martyr , à Septentrione ſanctus
Ambroſius Mediolanẽſis epiſcopus. Hi ſunt D
igitur omnes apud Epheſum ſacrato decalo-
gi numero,Magiſtri,Conciliarij, Iudices,te-
ſteſq; producti,quorũ beata illa ſynodus do-
ctrinam tenens,concilium ſequens , credens
tęſtimonio,obediẽs iudicio, abſq; tædio aut
prę ſumptione de fidei regulis pronunciauit.
Et quanquam multò amplior numerus adhi
beri potuerit,poſteris tamen in hoc formam
& exemplum relinquentes,illis paucis cõten
ti fuerunt,vt quos non aliud ita conſonãter
ſenſiſſe de myſterijs catholicæ fidei,quàm cæ
teros collegas ſuos omnes , quàm deniq; ca-
tholicam eccleſiam vniuerſam, nemo dubita
bat,quorum deinceps exemplũ in omnibus
ſubſequentibus concilijs ſaluberrimo exem
plo ſemper ſecuti fuẽre. Id quod & nobis eo-
rundem poſteris & legitimis filiis diligenter
ſequendum atq; obſeruandum eſt,ſi quid no
ui prius non definitum emerſerit. cuius poſt
in proceſſu inſtituti operis ſubinde ex-
hibebimus exemplum. Nunc verò
ad eccleſiam, eiuſq; vnitatem,
hierarchiam & formam
redeundum
eſt.

FINIS LIBRI PRIMI.

Clariſsimum exemplũ epheſinæ ſynodi, et merito imitandum.

HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE LIBER SECVNDVS.

Vnitatem catholicæ eccleſiæ non conſiſtere in vinculo charitatis aut gratiæ, quo membra eius ſibi inuicem colligentur & capiti, Cap. I.

A CONſtitutis iam, conſtabilitiſq́; principijs, quibus in ſubſequenti, atq; adeo in omni, quæ de fide ac religione Chriſtiana eſt, diſputatione nobis vtendum eſt, vtpote, ex quibus omnis ea quæſtio certò reſolui demonſtrariq́ue poſsit, redeundum eſt ad id, quod propoſuimus à principio, videlicet ad catholicam Chriſti eccleſiam, eius formam, vnitatem, hierarchiam, qua eandem inſtituit, ordinauitq́; Chriſtus. De qua hoc primum inuenimus, eſſe multitudinem, cœtum, aut ſocietatem quandam Chriſti fideliũ, ſub vno inuiſibili duce & capite Chriſto, apoſtolorum miniſterio propagatam in fines orbis & ſeculi, eandemq́; hanc eſſe cum illa priori catholica Dei eccleſia, & quodammodo diuerſam, veterem, & quodammodo nouam, à Chriſto per apoſtolos ſumentem exordium, & propria ſua forma diſtinctam & deliniatã. Cuius quoniam tam omnibus eſt confeſſa ac
B cãtata, quàm neceſſaria vnitas, de ea prius agẽdum eſt. Ex ea enim inueſtigatione deducemur ad propriam eius formam, vnde vt & alterius cuiuſq; rei, etiam ipſius vnitas dependet. Scribit de ea glorioſus ille Cyprianus martyr & pontifex, quod eius vnitatẽ quiſquis deſerit, legem Dei non retineat, non teneat patris & filij fidem, vitam non retineat nec ſalutem. Sententiam hanc æquè probant omnes, tã catholicæ eccleſiæ filij, quàm ſchiſmatici & hæretici, quiſq; confitetur, eccleſiæ vnitatem niſi damnabiliter ſcindi non poſſe, & æquè nullum nunc extra eccleſiam ſaluũ fieri, quàm dudum extra arcam illam à diluuio. Sed quiſq; contendit vnitatem ſe ſeruare eccleſię, & intra eius gremium permanere. Quam apud ſe eſſe volunt tam ſchiſmatici, quàm hæretici, nos verò catholicæ eccleſiæ filios ab eadem extorres agere. Controuerſia hæc inter nos eſt, inquit Auguſtinus aduerſus Donatiſtas, vbi vera ſit eccleſia Chriſti, apud vos, an apud nos. Hoc igitur expediendum eſt, quo vinculo in vnitatem catholicæ eccleſiæ colligentur Chriſti fideles, ipſius eccleſiæ membra. Quod ſi notum erit, quiſnam C abrupto hoc vinculo ab eius vnitate ſe diuidit, latere non poterit.

Quo uinculo colligentur fideles in unitatem catholicæ eccleſiæ.

Donatus quidam Afer, aduerſus quẽ ſuo tempore decertabat diuus Auguſtinus, cum Ceciliano Carthaginenſi epiſcopo infenſus eſſet, & eius promotionem cõfictis aduerſus eum criminibus fruſtrà impedire moliretur, ſe diuidens à catholica eccleſia, & magnam Africę partem in ſui erroris conſenſum attrahens, docebat apud ſe ſolum & quos deceperat, remanſiſſe veram Chriſti eccleſiam. In diuerſa verò, quæ toto orbe erat, parte, quoniam Ceciliano communicabat, perijſſe eandẽ. Siquidem malos, qualem videri & haberi volebat Cecilianum, contendebat minimè pertinere ad eccleſiam, bonos verò malorum cõmunione pollui, & ob id vnà cum malis extra eccleſiam fieri. Ex cuius ſchola prodierunt etiam Montenſes, Rogatiani, Circumcelliones, & id genus monſtra alia. Aduerſus quorum errorem pro veritate & vnitate catholicæ eccleſiæ pręcipuè decertauit diuus Auguſti D nus, pleriſque ſuorum operum tractatibus, vt aduerſus Vincentium Donatiſtam. Itẽ aduerſus Fulgentium quendam eiuſdem farinę hominem, præcipuè autem aduerſus Petiliani epiſtolam, oſtendẽs illum lapidem de mõte abſciſſum ſine manibus non includi in vnum aliquem Africæ angulum, quandoquidem ipſe factus mons magnus impleuit vniuerſam terram. Habet, inquit ille, & ſemper habebit Chriſtus integram hæreditatem ſuam, & poſſeſsionem ſuam terminos terræ. Se verò huic hæreditati potius ſubtrahunt, qui illam Chriſto conantur detrahere. Non enim relinquet dominus plebem ſuã, quę eſt ſicut arena maris, nec contentus erit paucitate hæreticorum, qui venit omnes redimere, neque enim parua, ſed planè copioſa apud eum redemptio eſt. Quantus eſt verò iſtorum numerus, ad magnitudinem precij. Quo ſe magis fraudant, qui ipſum euacuare conantur. Ex dictorum etiam fontibus ſuam quoque impietatem hauſit Ioannes ille Huſsita, damnatus Conſtantienſi cõcilio. Cu

A ins (vt in alijs vniuerſis) Lotherum quoque ſuum aſſertorem inuenit. Hic tamen, non vt illi, charitate & gratum faciente gratia (vt dicam ſcholaſticè) ſecundum præſentem iuſtitiam, ſed gratia prędeſtinationis, velut vinculo quodam colligari dicit corpus Eccleſię, & quodlibet eius membrum, ipſi ſuo capiti indiſſolubiliter vniri. Hic itaq; non peccatores ſolũ, ſed & præſcitos omnes (tametſi ſint in charitate Dei & gratia ſecundum præſentem iuſtitiam) eliminat ab catholica Dei eccleſia, nec vult eius partem vllatenus poſſe fieri.

Horum omnium intelligere non poſſum impia magis, an ſtultior ſit aſſertio, qua inter nos dicunt pluſquàm Cimmerias tenebras, vt nec mutuò nos, nec catholicæ eccleſiæ miniſtros, Prælatosq; noſtros, nec ipſam deniq; eccleſiã, vbi aut quæ ſit, poſsimus agnoſcere. Quid eſt ergo, quòd Chriſtus nos iubet denunciare eccleſiæ, ſi peccãs in nos frater correptione noſtra emendari noluerit? vbi hanc requiremus? vt agnoſcemus? Certè non talem eccleſiam ſuam ipſe nobis depinxit eius autor, cùm eam aſsimilaret ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſciũ congreganti: Quam, inquit, cùm impleta eſſet, educentes ac ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt: Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mit- *Peccatores eſſe membra Eccleſiæ. Matth.13.*

B tent eos in caminum ignis. Vides in eccleſiæ ſagena malos & bonos contineri ad conſummationem vſq; ſæculi. Rurſus, & nuptiarum illa parabola (quas filio ſuo apparabat Rex ille Regum, quibus ſuum intra nos regnum, hoc eſt, eccleſiã ſuam idem filius iterum nobis explicat) etiã clariſsimè ſignificat bonos & malos permixtim contineri in eadem, ad tempus vſque iudicij, & donec ingrediatur Rex videre diſcumbentes. Nam cùm inuitati Iudæi, quorum erat adoptio filiorum, & gloria, & teſtamẽtum, & legislatio, & obſequiũ, & promiſſa, quorũ patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnẽ, ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula: Cùm, inquam, inuitati illi non ſolùm venire contemnerent, ſed etiam conuocantes ipſos ad nuptias ſummi illius Regis filij (hoc eſt, vt idem ipſe exponit, ad eccleſiam ſuam) ſeruos eius retinerẽt, & contumelijs affectos occiderent, præcepit Rex ſeruis, quandoquidem inuitati illi indignos ſe reddiderunt, qui inducerentur, vt irent ad exitus viarum, hoc eſt, in fines orbis vſque, & quoſcunq; inuentos vocarent ad nuptias. Et egreſsi, inquit, ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletę ſunt nuptię diſcumbentium. *Matthæ.* Vides iterum, bonos & malos congregatos ad nuptias, quibus regnum cœlorum, hoc eſt, eccleſiam ſuam, nobis Chriſtus explicat. C Et ne cauilleris hoc pertinere ad vocationis initium: intus verò ſolos bonos inueniri, illam tuam cauillationem quaſi præuidẽs ac præueniẽs idem excluſit Chriſtus, ita ſubiungens in eadem parabola: Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Cui ait: Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Vidit ibi, hoc eſt, in ipſis nuptijs, in ſua eccleſia: id quod clarius indicat ſubſequens illa interrogatio: Amice quomodo huc intraſti? Es ne peccatorẽ illum fuiſſe dubites, carentem veſte nuptiali gratię & charitatis, quæ operit multitudinem peccatorũ, ligatis manibus & pedibus, iuſsit illum mitti in tenebras exteriores: vbi erit fletus & ſtridor dentiũ. Iterum comparauit idem regnũ cœlorum, hoc eſt, eccleſiã ſuam huius ſtatus & temporis, decem virginibus, quarũ quinq; erant fatuæ, & ob ſtultitiam ſuam excluſæ à nuptijs ſponſi & ſponſę. Quare in magna domo eccleſiæ non ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia eſſe prædicat Apoſtolus: & quędam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. *Matth.25.* *2.Tim.2.*

Sed dicet aliquis, eccleſia vnum quoddam corpus eſt, cuius caput Chriſtus, & nos ſinguli eius membra de carne eius, & de oſsibus eius, vt docet Apoſtolus. D Non eſt autẽ membrum corporis, quod nullum habet vitæ officium, nullum influxum recipit à capite, aut membris eius cæteris, nullam cum eis conſpirationem habet aut conſenſum. Si enim gaudet vnum membrum (inquit Apoſtolus) congaudent omnia membra: ſi patitur vnũ membrum, compatiuntur omnia membra. Et rurſus ad Ephe.4. Veritatẽ facientes, creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactũ & connexum, per omnem iuncturã ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Ex quo conſtat, vt à capite illius myſtici corporis per mẽbra eius vniuerſa vitalis quidam ſpiritus diſcurrat, per quem arcano quodam inſtinctu ſympathian & conſpirationem inter ſe habeant. Sed peccatores, præcipuè mortali peccato obnoxij, vitæ illius ſpiritualis expertes ſunt, nullum influxum recipiunt à capite aut membris cęteris, nec vllam cum eiſdem conſpirationem aut conſenſum habere poſſunt. Quare non videntur pertinere ad corpus illud myſticum eccleſię, nec eius vllo pacto *1.Cor.12.* *Ephe.5.*

A membra eſſe: niſi planè mortua ac putrida; quæ reuerà membra dici non poſſunt: non magis quàm homo mortuus, homo. Prętereà dicit idem Apoſtolus, Chriſtum ſe tradidiſſe pro eccleſia, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitę, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt eſſet ſancta & immaculata. Ex quo cõſequens videtur, mortalis peccati maculam eſſe non poſſe in eccleſia: quæ vtiq; ineſſet, ſi eſſent in ea peccato mortali obnoxij.

Ephe. 5.

His vt reſpondeamus: Si dixerimus, inquit Ioannes, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: adeò, vt nemo ſit noſtrûm, qui opus non habeat quotidie pro ſuo ipſius peccato veniã precari. Chriſtus, & in ſagena illa, & in nuptijs, & in virginum illo denario (quibus aſsimilauit, nobiſque expreſsit eccleſiam ſuam) malos vnà cum bonis ineſſe affirmauit ad ſęculi vſq; conſummationem, & dum ingrediatur Rex videre diſcumbentes, aut ſponſus ſuam ſponſam introducat in thalamum, atq; eius coniungatur amplexibus. Quòd ſi non poſſunt eſſe peccatores in eccleſia, quorſum attinet id, quod præcipit Chriſtus, vt peccantem in nos fratrem corripiamus, primùm ſecretò & abſque arbitris, vt eius parcamus & famæ & verecũdię: deinde adhibito vno teſte

Manere peccatores membra eccleſiæ, quouſq; ab ea præcidantur.

B aut altero: & poſtremò ſi ita emendatus non fuerit, vt eũ denunciemus eccleſię? De fratre enim loquitur ac membro eccleſiæ, non de eo qui foris eſt. Eiuſmodi enim nõ iubet denunciari eccleſię. Quid enim mihi (inquit Apoſtolus) de ijs qui foris ſunt, iudicare? Nõne de ijs qui intus ſunt, vos iudicatis? (eccleſiæ Dei loquitur, quæ Corinthi eſt) nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Si peccatores non ſunt in eccleſia Dei, quid igitur Paulus ſcribens eccleſiæ Dei, quæ erat Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, hoc eſt, per baptiſmũ regeneratis in Chriſto, eoſdem de multis, etiam minitabundus redarguit? Cùm enim ſit inter vos, inquit, zelus & contentio, nónne carnales eſtis? nonne ſecundum hominẽ ambulatis? Et iterum: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in ſpiritu mãſuetudinis? Si peccatum nullum erat in eccleſia Dei, quid virgã minitatur Apoſtolus? Et rurſus: Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes. Inter vos, inquit, quos paulò ante eccleſiam Dei nominauit, & ſanctificatos in Chriſto Ieſu, quos etiam ob id redarguit, quòd eum, qui eiuſmodi fornicationem commiſerat, nimia conniuentia tam diu intra ſe paſsi eſſent, & non potiùs eieciſſent extra eccleſiam. Quare vt peccator extra eccleſiam fiat, neceſſe eſt, vt inde eijciatur. Idque aut ipſius eccleſiæ autoritate & iudicio, aut propria peccantis amentia & peruicacia, qua ſeſe extra eccleſiam præcipitet vltrò. Quod fieri in peccato ſchiſmatis & hæreſis certum eſt. De correpto à nobis fratre & deinde denunciato eccleſiæ, ſi eccleſiã, inquit Chriſtus, non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus & publicanus. Vides eccleſiæ iudicio fratrem peccatorem ab eccleſia eijci, & velut ethnicum fieri. Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita, inquit Apoſtolus, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eſt huiuſmodi, & ſuopte iudicio condẽnatus, hoc eſt, ſua ipſius ſententia extra eccleſiam factus. In ſchiſmatico idem eſſe indicat ipſa ratio nominis: ſed quandiu non conſtat in quo cõſiſtat eccleſiæ vnitas, nec quis ſchiſmaticus dici mereatur, poteſt eſſe perſpicuũ hoc tamẽ conſtat interim, eſſe peccatores in eccleſia, donec inde eijciantur, aut ſeſe ipſos inde præcipitent. C

1. Cor. 5.

Quod ergo ex Apoſtolo dicitur: Eccleſiam vnum quoddã eſſe corpus, cuius caput Chriſtus, & nos ſinguli membra eius, de carne & oſsibus eius, libenter amplectimur. Quod verò ſubiungitur, non eſſe corporis membrum quod nullum habet vitæ officium, nullum influxum recipit à capite aut membris cæteris, nullam cum eis conſpirationem aut ſympathian habet, neq; hoc diffitemur ſanè intellectum: præſertim, ſi de viuo corpore ſermo fiat, quale ſuo modo intelligimus myſticum hoc noſtrũ corpus eccleſiæ. Sed quando ſubſumitur: Peccatorem vitæ ſpiritalis myſtici illius corporis prorſus expertem, nec vllum à capite aut membris cæteris influxum recipere, aut conſpirationẽ cum eiſdem conſenſumque habere, hoc prorſus negamus. Neq; enim intelligendũ eſt, vniuerſum illud corpus, quatenus eiuſmodi, viuere vita charitatis, aut gratũ facientis gratiæ. Hæc enim ſingulorum, nõ totius eſt, ad quam, quæ toti illi vt eiuſmodi conueniunt, tanquam ad finem proximũ ordinata ſunt. Sed alia quædã vita intelligenda eſt illius corporis, quam ad ædificationem totius, influit membris eius caput Chriſtus per ſpiritum ſuum, quo facit totius connexionem & compaginem quandam, in vnum fidei ſacramentum, vnum gregem, vnum ouile, ſub paſtore vno, & cuique membro propriam conuenientemque operationem diſtribuit, ad totius augmentum, in ædificationem cuiuſque membri in charitate. Sicut, inquit Apoſtolus, in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra D

Peccatores nõ eſſe expertes vitæ corporis illius myſticæ, & membris eius caput Chriſtus per ſpiritum ſanctum influere.

Rom. 12.

A bra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando. Et rurſus: Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem antem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem totius corporis: alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientię ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodē ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult, & efficiens vt quodque membrum indigeat opera alterius: ne eſſet ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro inuicē ſolicita eſſent membra, & compaterentur congauderentq; inuicem. Et quoſdam, inquit, poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gu-

1.Cor.12.

B bernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Audis itaq; corpus eccleſiæ & eius membra, audis eorundem membrorū functiones, quas à capite in ea influit ille Chriſti vitalis ſpiritus. Nunquid autem hæ functiones vniuerſæ neceſſariò præſupponunt & requirunt in ſuis illis, qnorū ſunt, membris vitam charitatis & gratiæ? Poſuit, inquit, Deus in eccleſia ſua, primùm Apoſtolos. Sed nunquid etiam Iudas non erat Apoſtolus? & licet ſceleratus & auarus, in hoc electus à Domino fortè, vt iſtorum, quam præuidcrat, impietatem confunderet. An tu (inquit ille Bernardus) de illius apoſtolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nónne ego, inquit, vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt? Audis eundem electum Apoſtolum & extitiſſe Diabolum: & negas poſſe eſſe qualecunq; membrū eccleſiæ, quod non viuat vita charitatis & gratiæ? Nunquid Petrus Apoſtolatu excidit, poſtquam ſuum ter abnegauit Dominum? Poſuit, inquit, Dens in eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationnm. Sed nunquid non ſunt multi dicturi in die illa: Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc, inquit, confitebor illis, quia nunq̄ noui vos. Diſcedite à me operarij iniqnitatis. Nûquid ergo adhuc dubitas, diuiſiones ac donationes illas gratiarum, quas ad totius corporis vtilitatem, membris eccleſiæ ille ſpiritus influit, etiam malæ vitæ, & operarijs iniquitatis diſtribui, & per eoſdem ſi non in ſuam, in aliorum tamen vtilitatem exerceri? Itaque & Pontifices & Sacerdotes omnes, legitima ordinatione ſedentes in Apoſtolorū cathedra, aut ab eadem ordinationem habentes, quàm diu ſuam ſtationem retinent, & in vocatione permanet membrum eccleſiæ, nec ab eius vnitate ſe ſeparat, recipiunt influxum ſancti illius ſpiritus, quo per eorum miniſterium in eccleſia remittuntur peccata: tametſi ipſi mali ſint, & iniqnitatis operarij, audituri in die illa à Chriſto: Diſcedite à me, quia nunquā cognoui vos. Ad omnes enim illos pertinet illud Chriſti verbum: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Accipite, inquit, ſpiritū ſanctum, non qno vos ſancti ſitis, ſed per quē miniſterio veſtro aliorū peccata remittãtnr: vt doceret, non miniſtrorum merito, qui plerunque mali ſunt, ſed per eorum miniſterium (quod idem eſt & bonorum & malorum omnium) ſpiritus ſancti operatione, qui & ipſe idem eſt, hæc fieri in ſalutem fidelium, & augmentum corporis eccleſiaſtici, & in ædificationē vniuſcuiuſque membri in charitate. Alioqui ſi miniſtrorum merito, valerent miniſtrata per eos ſacramenta, à Chriſto relicta & commendata eccleſiæ in ſalutem fidelium ea ſuſcipientium, tanta erit in accipientibus baptiſmorum (vt exempli cauſa dicam) varietas, quanta in miniſtris diuerſitas meritorum. Meliorem igitur baptiſmum dedit Paulus quàm Apollo, qui meritis inferior erat Paulo. Hoc autem falſum eſt, & eiuſdem Pauli doctrinæ contrarium, qui de huiuſmodi errore Corinthios arguit: Cùm enim ſit inter vos, inquit, zelus & contentio, nónne carnales eſtis? & ſecundum hominē ambulatis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli, hoc eſt, baptizatus à Paulo, alius autem: Ego Apollo, nónne homines eſtis? Ago gratias, quòd neminem veſtrûm baptizaui, ne quis dicat, quòd in meo nomine baptizati ſitis. Non eſt ponēda ſpes in homine, inquit Auguſtinus, ſed in eo de quo dicitur: HIC eſt qui baptizat. Non eſt melius ſacramentum, quod per meliorem datur, nec deterius quod per deteriorem. Neque enim qui plantat aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementū dat Deus. Maledictus homo, qui ſpē ponit in homine.

Matth.7.

C

D

Sacramentorum efficaciā nō dependere à miniſtrorū merito.

H 2 Quid

A Quid eſt Paulus? quid Apollo? quid alius Sacerdos quilibet? niſi miniſtri eius, qui intus lauat, intus incrementum donat. Talis ergo, inquit, baptiſmus eſt, qualis eſt ille in cuius poteſtate datur, non qualis ille per cuius datur miniſterium. Non ergo exhorreat columba miniſterium malorum, ſed Domini reſpiciat poteſtaté. Ego, inquit, dico, & nos dicimus omnes, quia iuſtos oportet eſſe omnes, per quos baptizatur. Iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros, ſi miniſtrare iuſtè voluerint. Si noluerint eſſe iuſti, qui in cathedra Moyſi ſedent, ſecurum me facit magiſter meus, de quo ſpiritus eius dicit: Hic eſt, qui baptizat. Hæc Auguſtinus. Falſum eſt ergo, peccatorem non eſſe capacem influxus illius ſpiritus, qui à capite corporis illius myſtici diffuſus, membris ſingulis ſuas functiones tribuit, nullum vitę habere officium, nullam conſpirationem, conſenſum aut ſympathian cum membris reliquis. Sympathian ſiquidé illam facit identitas fidei, cohærentia in ſuper illa, & colligatio, qua in vnitatem vnius veluti corporis redigũtur glutino quodam, quod nunc venamur & inueſtigamus: ſed in excuſſis à nobis his Donatiſtarum, Huſſitarum, atque eius farinæ Hæreticorum angulis, penetralibus aut latibulis nõ inuenimus. Quare & alibi donec aſſequamur, pergendũ B eſt inueſtigare & quærere.

Ad id verò quod ſecundo loco adducitur ex Apoſtolo, quòd Chriſtus ſeipſum tradiderit pro eccleſia, vt illam ſanctificaret, mũdando eã lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſi ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, ſed vt eſſet ſancta & immaculata: non diffitemur illa feciſſe Chriſtum eccleſiæ ſuæ, & pro eccleſia ſua, vt tandem exhiberet eam ſibi glorioſam, non habentem maculam nec rugam. Non quidem in præſenti, quàm diu eſt in hac militia, quàm diu ſtat in procinctu, in acie, non ſolùm aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus Dominos mundi, rectores tenebrarum harum, aduerſus ſpiritales aſtutias in cœleſtibus, hac ſaucia, illa cicatricoſa, obſita ſudore & puluere, & à ſolis æſtu decolorata: quàm diu, inquam, hîc expurgatur ab illa ſcoria peccati, & malos vnà cum bonis intra ſagenam ſuam permixtim incluſos retinet, neque vllos perpetuò bonos, ſed velut in lubrico decertantes, nũc cadentes, nunc reſurgẽtes. Sed facta tandem ſeparatione in littore maris angelico miniſterio, & recollectis bonis piſcibus in vaſa, foras abiectis malis, accipiet iam illam vir ſuus Chriſtus glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed C ſanctam & immaculatam. Vide, inquit Hieronymus, quãta habeat loca eccleſia, & quomodo illud apoſtolicum, vt ſit ſine macula & ruga, in futuro & in cœleſtibus ſeruetur. Audis angulos, audis ſcabiem, audis ruinas & cineres: & de tua virtute & impeccantia gloriaris?

Quando eccleſia erit ſine ruga & macula.

In Hieremia cap. 31.

Et hactenus quidem, quòd charitas, aut gratia, ſeu gratum faciens ſecundum præſentem iuſticiam, ſeu prædeſtinationis, non ſit illud glutinum aut vinculum, quo in vnitatem myſtici corporis membra eccleſiæ & inter ſe & cum ſuo capite colligantur: vt non minùs ſtultè, quàm impiè aduerſus catholicę eccleſiæ ſententiam, & clariſsimam euangelicæ lucis veritatem opinati ſunt Donatiſtæ, Huſſitæ, & eius farinæ, aut potiùs amentiæ homines, ſatis ſuperque demonſtrauimus.

Vnitatem catholicæ Chriſti eccleſiæ, in eius ordine neceſſariò conſiſtere & conſeruari.

CAP. II.

NOn eſt eccleſia occulta aut abdita, in angulis, in domorum penetralibus, in deſerto & inuio, quæ inueniri facilè aut adiri nõ poſsit: qualem illi imaginantur, quorũ impietatem pręcedenti capite conuicimus: quum ad eã quotidie nobis ſit habendus recurſus, imò cum D omnibus qui ab aquis myſtici illius diluuij ſaluari cupiunt, intra eius ſepta & vnitatem ſe continere neceſſe ſit. Proinde, nec in angulis aut penetralibus domorum, nec in deſerto monſtrãtibus Chriſtum credere, ipſe nos Chriſtus docuit, qui eccleſiam ſuam comparauit inſigni alicui ciuitati ſupra montem poſitæ, quæ abſcondi non poteſt, ſed facilè ab omnibus conſpici. Quinimò eccleſiam Chriſtianam eſſe cœtum & ſocietatem Chriſti fidelium ab ipſo Chriſto, Apoſtolorum & Diſcipulorum eius miniſterio, ex omni gente, lingua, natione & populo congregatam, & propagatam in fines orbis & ſæculi, ſuperiùs demonſtrauimus. Quam & in indiuiduam quandam vnius veluti corporis vnitatem redactam eſſe, quæ ſcindi ſe omninò non patiatur, apoſtolicis æquè literis, & catholicæ fidei profeſsione, quã quotidie decantamus in eccleſia, manifeſtum eſt. Nam tametſi ab eius vnitate ſe quidam abſcindant, vt hæretici & ſchiſmatici faciunt, alij ipſius eccleſiæ autoritate & cenſuræ diſtrictione abſcindantur ab eadem: eccleſię nihilo minùs in ſe manet vnitas: ſiquidem abſciſſa illa putrida mẽbra, amplius ad eccleſiam non pertinent. Vna eſt,

Indiuiduã eccleſiæ vnitatem nõ ſcindi per Hæreticos aut ſchiſmaticos, tametſi ipſi ab ea ſe diuidãt.

A eſt, inquit ille Cyprianus, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo ſolis radij multi, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice ſundatum. Et cùm de ſonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate: vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, ſi potes: diuiſionem lucis vnitas non patitur. Ab arbore ſrange ramum, præciſus areſcet: Sic & eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit: vnum tamen lumen eſt, quod vbiq; diffunditur, neq; vnitas ſeparatur corporis: ramos tamē ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluētes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcūditatis ſucceſsibus copioſa. Et quiſquam credit, hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, ſacramentis cœleſtibus cohærentem, ſcindi in eccleſia poſſe, & voluntatem collidentium diſsidio ſeparari? Haud ſanè ita credimus, ô glorioſe martyr & pontifex: quin potiùs, indiuiduam planè eius vnitatem permanſuram in fines ſeculi.

Quo tamen vinculo, tam immenſa, tam diffuſa illa multitudo, in tam arctam, tam indiuiduam colligata ſit vnitatem, id nunc explicandum eſt. B Neque enim id eſſe charitatē, aut gratiam, ſeu gratum facientem, ſeu prędeſtinationis (quā nemo hic mortalium poſſet nec in ſeipſo noſſe, cùm neſciat homo, odio aut amore dignus ſit, & multo minùs in alio) ſed potiùs ſenſibile quippiam, per quod ſeſe mutuò, qui ad eandem pertinent, atq; ipſam etiam eccleſiam, poſsint facilè agnoſcere, ex his quæ ſuperiùs demonſtrauimus, confido cuique perſpectum fore.

Cyprianus ille prædictis verbis haud obſcurè ſubindicat, in quo conſiſtat hæc vnitas & requirenda ſit. Hoc tamen certiùs ita cognoſcetur, ſi antè demōſtrauerimus immutabili lege ſanciuiſſe naturā, vt omnis multitudo, ſi ſubſiſtere debeat, neceſſariò ordinetur per aliquod vnū quod principatum obtineat (ἡγεμονικὸν id Græci vocant) vnum eſſe ordinē, nō ſolùm qui ſpeciē det rebus & decorē, ſed etiā per quē ſeſe mutuò cōplexu, velut vnius alicuius animātis mēbra, fouēt, alunt, conſeruāt & ſympathian quandā, cōſenſumq; obtinent. Quod quando demonſtratum erit, ne hoc quid diffuſam illam toto orbe multitudinem, in vnitatem redigat, quid tueatur & conſeruet, in obſcuro remanebit.

Ad ipſam itaque nos rerum naturam admonentem, docentemq;, ſi attollamus mentem & oculos, hoc planè inculcant, docentq; C omnia, ſiue vniuerſam complexus fueris, ſiue in quamcunque eius te partem conuerteris. Sic enim videmus corporum omnium illa elementa, ſic totam hāc diuerſiſsimorum corporū ſub cœleſtem machinā, vt miro quodā ordinis concētu, in quo ſuā quodq; ſtationē perpetuò retinet, inter ſeſe contemperari, & inuicem (alioqui inter ſe pugnantia) ad totius decorem & conſeruationem conciliari, ita ſuperiorum cœleſtiumq; corporum virtute ſuſtineri, vegetari & gubernari. Sed & cœli enarrant hanc legem Dei, & firmamentum inſigne opus manuum illius. Quòd ſi animos oculosque noſtros ab terrenis his ſordibus auocare, & in ſe aliquādo conuertere potuit, ſit ille diuinus verè ornatus mundi, ſui illius opificis maieſtatem haud obſcuris vocibus prædicans, ille tot ſempiternorum ignium ſpecioſiſsimus ſulgor, tam varius, tam mirabilis, tā ordinatus inceſſus, & vix comprehenſibilē ſuam velocitatem, ſub ſpecie ſtātis immotiq; operis abſcondens, tantamq; rerum molem certa mirabiliq; lege, ſerie, connexione, ſub ſilentio illo ſuo euoluens ſecum, ſtatisq; temporibus ac limitibus diſpenſans & adducens orbi, oculos, mentemq; tuam perſtrinxit vnquam: ſcio nobiſcum cōfitebere, vt nihil iucundius aut mirabilius, ita nihil te ſpectaſſe ordinatius illo ordine cœleſtis mi- D litiæ. Quam verè militiam eſſe nō diffitebe-ris, ſi conſideres comprehendaſque animo, quemadmodum inter VII. illos errantiū (vt vocāt) ſyderum orbes, veluti in quodam exercitu, haud ſecus quàm dux quidam & imperator, ſol medius incedat, reliquis omnibus, quaſi ratione vterentur ſuorum motuum, progreſſuum, regreſſuū, ſtationumque certas velut leges præſcribens, quas præuaricari non audeant. Adeò videmus illos, nō niſi ad certam quandā præſcriptamq; cum ſole cōfigurationem tanquā accepto ab imperatore ſuo militādi ſigno, omnes motuum ſuorū varietates, numeroſq; abſoluere, & nunc quaſi aduocatos occurrere, nūc feſtinare peregreq; velociùs q̄ cœperāt, nūc ad aliud ſignū remorari inceſſum, nūc gradum ſiſtere, nūc etiam regredi, & venienti è regione ſoli pergere in occurſum, & quaſi honoris officijque cauſa obuiā procedere. A quibus, ſi adhuc altiùs mē tem attollamus & oculos, etiam hæc omnia, quamuis ordinatiſsima, à maiori quadam ſuperiorīq; vnitate cōtineri, gubernariq; videbimus, cui obediant & obſequantur inferiora vniuerſa. Vt enim illud primum, omniaq; continens cœlū, vno ſemper, maximè ſimili, regulari irrequietoque motu, ab exortu per

Ordo & militia cœleſtium corporum.

A ſummum cœlum in exortum recurrens, diei
vnius ſpacio immenſum illũ ſuum circulum
abſoluit:ita vniuerſos ſub ſe Planetarum or-
bes,imò & inferiorum corporum machinam
vniuerſam,ad infimam vſq; immotamq́; ter-
ram,tantillo temporis ſpacio circunducit ſe-
cum,vt planè ſit videre inferiorum multitu-
dinem vniuerſam,ſupremũ illud ſequi,vniq́;
primo,primęq́; vnitati ſemper eidẽ ac ſimili,
cuncta tamen mouenti,parere obſequiq́; alia
vniuerſa : ita vt in vniuerſo hoc rerũ ordine,
præcipuè appareat vnitatis quidam motus,
quædam vis & energia ab ipſo primo & ἡγεμο-
νικῷ veluti maximi cuiuſdã animantis capite,
diffuſa in corpus vniuerſum, per quam mem
bra ſingula contineantur,& conſpirent in v-
num,vegetentur ac moueantur. Et hæc num
clariſsimis tibi & ab omnibus intellectis vo
cibus loqui & atteſtari videntur,omnem ne-
ceſſariò multitudinem ordine contineri , in
quo ſit vnũ aliquod primum & præcipuum?
Nam ſi nec illa cœleſtia non tam numeroſa
corpora abſque mirabili illo ordine eſſe po-
tuerunt, nunquid diſsidentiũ hominum in-
numeram turbam abſque ordine ſubſiſtere
poſſe ſperabimus? Quòd ſi corpoream quoq;
machinam vniuerſam animo tranſcẽdere, &
cum Paulo ad tertium vſque cœlum euolare
potueris : videbis cum eodem etiam in ſacris
illis ſpiritibus,cœleſtem illam,vereq́; ordina
B tiſsimam hierarchiam : videbis in illis quoq;
præfecturas,principatus & poteſtates,domi-
nationes quoq; & virtutes. Aut ſi acies noſtra
caligat ad tam clarã lucem,ſi in ſolares radios
non ſit aſſueta intendere,aut in ea quæ vel ip
ſo ſole ſunt clariora natura,ſed lucifugarum
inſtar in hæc tantùm obſcura,craſſa, tenebri-
coſa ac terrena : agè,in aliud quoduis conuer
tamus intuitum. Quòcunque enim reſpexe-
ris,ſiue in teipſum,ſiue in ea quæ quaquà ver
ſum ſunt in circuitu:videbis vbique in omni
multitudine, quam conciliauit natura,ordi-
nem,& in omni ordine primũ aliquid & prę-
cipuũ . Et ne putes huius rei longè petenda,
aut diligenter perquirenda argumenta, paſ-
ſim & quotidie incurrunt in oculos, niſi dor
miamus animo. In proxima quæque,aut po-
tiùs in teipſum inſpice. Eſt enim & in nobis
quoq; multitudinem quandam cernere, ſed
haud numeroſam , ſi ad primas cõpoſitionis
noſtræ partes reſpexerimus. Nam animo tan
tùm , corporeq́ne componimur : nec tamen
hæc ipſa ſubſiſtebat dualitas, ſi non huic ille
pręeſſet imperio,illi verò hoc obſequeretur.
Nunquid enim & manus,& pedes,& oculi,&
totum corpus animo non gerunt negocium?
nunquid illius nõ iacemus iuſſu? illius & in

Hierarchia & ordo cœleſtium ſpirituum.

quieti diſcurrimus? nunquid nõ ad illius im C
periũ,ſi eſt auarus Dominus, terras, mariaq́;
lucri cauſa ſcrutamur? ſi ambitioſus,dextram
obijcimus flammis? breuiter, quid non agit,
obſequiturq́; corpus , etiam nulla ſui habita
ratione, vbi inſtat ille,exigitq́; vehementiùs
& importuniùs? Quòd ſi rurſus ſingulã quan
que harum per ſe expenderis partium,immu
tabili lege naturæ ſancitum , vt quæcunque
multa in vnum coaleſcere , coireq́; debeant,
ordine quodam inuicem concilientur , & in
idem conſpirãtia fiant, clariſsima intuebere.
Erat corpus noſtrum ex multis membris,or-
ganiſq́; neceſſariò componendũ , vt ſeruiret
animo. At inter illa ipſa,quædam principatũ
obtinere videmus,ex quibus videlicet defer
tur animalis illa vis, qua & ſentimus,& moue
mur,in corpus vniuerſum,alia deputauit na-
tura ad miniſterium principantium . Et quo-
niam nõ eſt bona multitudo dominantium,
niſi & illa moderetur & concilietur in vnum
ſuperiori quodam vnius imperio : inter has
ipſas principes noſtri corporis partes,conſti-
tuit vnam præcipuam, pro qua non dubitant
cæteræ certo etiam diſcrimini ſe exponere.
Ita enim videmus natura conſtitutum in bru
tiſsimis etiam animantium(ne rationis id po
ùs,quàm naturę inſtinctus eſſe putes)vt cun-
cta membra ſe deuoueant ac obijciant pro v-
no capite,eiuſque ſalutem propria ſua chari- D
orem habeant: neque enim alia ratione hæc
tam multa in vnum erant coitura . Ad animũ
nunc conuerte intuitum , eſt enim & ipſe ex
quibuſdam veluti partibus, ratione & appe-
titu. Inter quas eadem rurſus lege hic erat or
do neceſſarius,vt præeſſet ratio,ſubſequere-
tur verò appetitus. Qui ſi ab illa deſciſcat(vt
ſancti illius Baſilij verbis dicam) non ſolum
animum in præceps, ſed & corpus trahit. Bre
uiter ne fruſtrà te morer pluribus, ſi per ſin-
gulas rerum naturæ partes hoc pacto philo-
ſophari libeat , in omni multitudine conſpi-
rante in vnum aliquod, neceſſarium ordinẽ,
in omni ordine inuenies aliquid,quod præ-
ſit ἡγεμονικόν . Sic & brutis quoq; animantibus,
quæcũq; nõ degunt ſolitaria,ſed cõueniunt,
aggregenturq́; inuicẽ,communis vtilitatis &
reip. aliquẽ ſenſum, curãq́; prouida ingenera
uit natura,ordinẽq́; docuit, & obſequi inui-
cẽ,& præeſſe, ducẽq́; ſequi. Quorũ vt paſsim
innumera nec iniucũda occurrũt argumẽta,
quibus eſt ſtudium animantiũ ingenia,natu-
raſq́; perſcrutari : ita minutiſsimorũ quorun
dã & nuſquam non obuiorũ animalculorum
nobis propoſuiſſe videtur exemplũ , quibus
noſtrã induſtriam prouocaret , noſtrã nobis
exprobraret ſocordiã,cęcitatem, & amentiã.
Quid

A Quid enim formicis minutius, ad quas ſubinde nos remittit ſcriptura? at iiſdem quid laborioſius? quid magis induſtriũ? Sed & quæ in illis, quàm manifeſta reip. cura & ratio? Nullæ ſibi, ſed in commune laborãt omnes. at in opere qui tandẽ labor? quæ ſedulitas? quàm mira operarum, officiorumque diſtributio? Sed & apum illo regno quid mirabilius? quid ordinatius? quid iucundius? ſeu dum ipſæ è folijs natos & ſuauibus herbis ore legunt, ipſæ ſibi Reges, paruosque quirites ſufficiunt, & cerea regna refigunt? ſeu dum ſuas illas ciuitates intus ædificijs vario miroque ordine extruunt? foris propugnaculis, portisq; muniunt? In quo vno omnibus obuio, minimoque inſectili ipſa rerũ natura, aut eius autor & opifex, qualis humana vita politica eſſe deberet, miro quodam, ſtupendoque modo diligẽtiſsimè expreſsiſſe videtur. Quarum ſeu induſtriam, ſeu officiorum, operarumque ordinatiſsimam diſtributionem, ſeu publicam, eamq; exactiſsimam diſciplinam conſideres, abſolutum planè quoddam humanæ politiæ ſimulacrum inuenies. Qua profectò non tantùm nullius vnquam rei publicæ, ſed nec monaſtici vllius cõuentus, ad priſcum illum morem religioſiſsimè viuentis diſciplinã, perfectè aut præſtitit, aut exhibuit. Nunquid autẽ aut de formicis aut de apibus tanta hæc cura

B fuit Deo? An non potiùs ad nos erudiendos hæc effinxiſſe credẽdũ eſt? Mihi ſanè rerum omnium parentis in homine erudiendo diligentiã hanc fuiſſe videtur. Quæ non ad alios nos præceptores remiſit, ne queri poſſemus, quòd per Prophetã in perſona inertis & ingratę multitudinis dicitur: Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt enim lumen vultûs tui ſuper nos Domine, aperti vndique libri quoquò cõuerterimus oculos, nõ à Socrate, Platone, aut Ariſtotele: ſed ab ipſa rerum natura diligentiſsimè perſcripti. In quibus, quę lex ipſa naturæ nobis præſcribit ad benè viuendũ neceſſaria, niſi ocioſi, oſcitantesq; aut cæci potiùs ſpectatores fuerimus, haud obſcurè deſcripta conſpicimus, clariſsimè autẽ ea, quæcũq; erant maximè neceſſaria. Quare cùm abſq; ordine, abſque magiſtratibus, ſupereminentique vna aliqua poteſtate, nullus planè futurus erat conuentus, nulla ſocietas, aut potiùs nulla vita hominũ, nihil fecit magis obuium, nihil inculcauit frequentiùs, nihil docuit euidẽtiùs, quàm nullam in vnum conuenire multitudinem abſq; ordine, atq; in eo principante aliquo. Quem cùm non in brutis tantùm animantibus, ſed etiam in inanimis corporibus, in ipſis quoq; cœleſtibus orbibus: prætereà & in illis ſupercœleſtibus

Quibus nos aut libris aut præceptoribus ipſa rerum natura erudiat.

C ſpiritibus eſſe neceſſarium, & ab ipſo rerum opifice diligentiſsimè ſapientiſsimeque conſtitutum demonſtrauerimus: quo non bruto erit inſenſatior, qui hominũ conuentus abſque ordine principalique aliquo, quo contineatur imperio, ſubſiſtere poſſe exiſtimat? Aufer à ciuitatibus, cæterisque conuentibus hominum magiſtratus, poteſtatesque publicas, atq; inter eas ſupereminentem aliquam, quę moderetur, & in officio contineat cæteras: & quid relinques, quàm fœdiſsimas ſeditiones, rapinas, cędes, & horrẽdos quoſdam, confuſosq; tumultus? Numeroſum aliquem ſi contempleris exercitum, in quo vigeat militaris illa diſciplina, in ſuos illos manipulos, centurias, cohortes, legiones ritè diſtributus, & per ſuos decuriones, centuriones, primipilos, tribunos, cæteraq; militaris dignitatis, diſciplinæq; officia ita ordinatus, vt vnius Imperatoris iuſſa & ſentiant omnes, & exequantur. Quid eo aſpectu pulchrius? quid expeditius? quid validius? quid terribilius? A quo ſi mens illa imperij vnius ſubtrahatur, quid eſt eo informius? quid perplexius? quid imbellius, quid deniq; magis iniurię obnoxium? Quæ ſi perpẽdas, an tibi non videtur hoc in exercitu eſſe Imperator, cuius imperio, ductuq; cõtinetur, regitur & mouetur multitudo tam immenſa, quod caput in homine, in quo viget mens & ratio? Illa verò

D militaris diſciplinæ officia, illi gradus & ordines, quod neruorum à capite in corpus diſtributio, per quos ſibi inuicẽ & capiti cohærent continuanturq; membra, animalisq; ille ſpiritus, ab eodẽ capite defertur in corpus vniuerſum, per quem, vt rationis imperia etiam extremæ corporis partes, quãuis longiſsimè ſitæ à mentis domicilio, vno tamẽ veluti momento & percipiũt, & exequũtur. Ita in quantũuis magno exercitu, in officijs ordinibusq; tot millibus vndiq; pręſens eſt imperator, vndiq; ſentitur, & exequutioni mandatur vnius eius imperium. Et nunquid hoc veluti vinculo non cohæret, ſuſtentatur & mouetur, multitudo tã immenſa, alioqui ſeipſam ſtatura, ſuo pondere, ſuisq; ſe viribus oppreſſura? Regi incolumi, mẽs omnibus vna eſt, amiſſo rumpere fidem. Ex quibus ſanè omnibus ipſa luce clarius eſt, quemadmodum ipſa nos rerum parens natura clariſsimè doceat, nullã omnino multitudinem cõuenire poſſe abſq; ordine, qui ſit ad vnum aliquid, quod præſit, præcipuum: ſine quo nec vlla vnquã fuit humana ſocietas. Neq; in eas nunc deſcendimus diſputationum anguſtias, vnine, an pluribus supremã illam in rep. aut alia quauis ſocietate poteſtatẽ, committi magis expediat. Hacte-

A nus enim hoc demonſtraſſe ſuffecerat, abſq; principio & capite nullum eſſe ordinẽ, abſq; ordine nullam omnino ſubſiſtere multitudinem. quam etiam certum eſt, eo conuenire & conuiuere fœliciùs: quãto eſt diſpoſita ordinatiùs, & in arctiorem vnitatem redacta. Neque enim vnius modi eſt omnis humana ſocietas, neque in qualibet optimè degũt homines. Qualiſcunque tamen eſt, ordine aliquo contineri & ſuprema aliqua autoritate eam gubernari, neceſſe eſt. Quæ tametſi pluribus commiſſa fuerit, quia tamen ſuprema eſt, niſi vnica eſſe nõ poteſt. Quanquam hoc interim certum eſt, ſi ipſam rerum rationem contemplemur, ſi cœleſtium illorum corporum, quem memorauimus ordinem, ſi illam hierarchiam cœleſtem, ſi ipſam denique totius vniuerſi naturam, & totius naturæ tenorem conſideremus attentiùs, omnem eo rectiùs, fœliciùsq; multitudinem degere, quo magis per vnius imperium in arctiſsimam quàm fieri poteſt, redigatur vnitatẽ. In quo ſocietatis genere ſi quid occurrat nonnunquam, quod poſſet offendere, ac reprehenſione dignum ſit, ex hominum vitio, qui optimis etiam quibuſque abuti poſſunt: non autem ex ipſa ſocietatis ratione, quam nihil dubium eſt eſſe perfectiſsimam, id oriri certum eſt.

Perfectiſsimæ ſocietatis ratio.

B Principium enim malorũ, inquit ille Origenes, eſt multitudo & diuiſio: principium verò bonorum, vnio, & à turbis, à multitudine in vnitatem redactio. Itaque nos omnes ſi ſaluari velimus, ad vnionem niti neceſſe eſt. Proinde veriſsima eſt ſancti illius Dionyſij pontificis ſententia, ad hoc diuinæ diſpenſationis prouiſione, gradus diuerſos & ordines diſtinctos eſſe conſtitutos in humanis rebus, vt dum reuerentiam inferiores ſuperioribus exhiberẽt, & viciſsim iſti illis dilectionis, neceſſariæque gubernationis impenderent officia: vna concordiæ fieret ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim alia vniuerſitas, inquit, potuit ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi eam magnus differentiæ ordo ſeruaret. Quòd verò creatura in vna eademque æqualitate viuere non poteſt, cœleſtis militiæ exemplum nos inſtituit. In qua dum ſunt angeli, ſunt & archangeli, liquet, quia non æquales ſunt, ſed poteſtate & ordine differunt alter ab altero. Si ergo inter eos qui ſine peccato ſunt, cõſtat iſtam eſſe diſtinctionem, quis hominum abnuat huic ſe libẽter diſpoſitioni ſubmittere? Hinc enim & pax & charitas mutua ſe vice complectuntur, & manet firma cõcordię in alterna & deo placita dilectione ſynceritas. Hæc ille Dionyſius.

C Et hactenus quidem ſatis demonſtratum exiſtimo, immutabili lege ſancitum à natura, vt omnis multitudo, ſi ſubſiſtere debeat, neceſſariò redigatur in vnitatẽ, ordinis aliquo vinculo, quod tueatur & cõſeruet vnius alicuius ἡγεμονικοῦ principatus: atque inde ad humanas ſocietates facto tranſitu, vt omnis illà neceſſariò ordinata eſt, & ſuo quodã modo in vnitatem redacta, per ſupremam aliquã in vnaquaq;, qua continetur, gubernatur & dirigitur, autoritatem: ita requirere rationem ſocietatis perfectiſsimæ, vt ad exemplar cœleſtis illius militiæ, atq; adeò totius, quam memorauimus rerũ naturæ, ordine diligentiſsimè conſtituto, per ſupremi vnius prędidentis imperium in vnitatẽ redigatur arctiſsimam.

Ex quibus ad id quod inueſtigamus, proximus gradus iactus eſt, quo videlicet vinculo contineatur in vnum catholica Chriſti eccleſia. Quæ cùm ſit immenſa quædam infinitorum hominũ ſocietas, non terrenæ aut externæ alicuius vtilitatis cauſa, ab ipſis inter ſe cõciliata hominibus, ſed finis illius ſupernaturalis, ſalutis videlicet animarũ noſtrarum, cœleſtiſq; illius hæreditatis aſſequendæ gratia, ab ipſo conciliata Dei filio (qui hanc ſibi communitatem, hoc in quo ſuper nos regnaret, regnum elegit, imò precioſo ſuo ſanguine, & amariſsima morte redimendo conquiſiuit, & de manibus infernalium poteſtatum eripuit) omninò dubitari nõ poteſt, quin ordine diligẽtiſsimè conſtituto, per vnius in ea præſidentis imperium in arctiſsimam, quàm fieri poterat, vnitatem debuerit redigi, atque adeò ab ipſo ſuo autore redacta fuerit. D Si enim in vniuerſa rerum natura nulla omnino multitudo abſq; ordine in vnũ conciliari potuit, & in hominum ſocietate nec imaginari quidẽ ſit aliam quàm ordinis vnitatem, ſine qua nec vna domus aut cognata familia vel tantillũ poſſet ſubſiſtere: ipſa Chriſtiana eccleſia ex tam diſpari multitudine, tanta populorum, nationũ, linguarumq; diuerſitate congregata, quàm diligenti ordine diſciplinaq; per vnius principalis autoritatis poteſtatẽ in vnum continenda & gubernanda erat, ſi modò ex tãta, tam multiformi diſparitate aliqua futura erat vnitas, quis nõ intelligit? Quòd ſi inſuper, & autorẽ quoq; eius ęſtimemus chriſtum, cuius debebant eſſe perfectiſsima opera, & finem eius illum ſupernaturalem, qui omniũ humanarum ſocietatũ fines longiſsimè ſuperat, cui formã ſpeciemq; congruentẽ à ſuo illo autore ſortiri vtiq; debuit, quis nõ videat ad illius cœleſtis hierarchię exemplar eccleſiaſticam quoque hierarchiam effigiari debuiſſe, atq; ordine diligẽtiſsimè cõſtituto,

Concluditur ex prædictis, quo vinculo in unum contineatur catholica eccleſia.

per

A per vnius in eadem præſidentis imperium, in perſectiſsimam vnitatem redigi, atque adeò redactam eſſe, niſi illum cuius vbiq; perſecta ſunt opera in vno boc opere, quod omniũ illi operum ſuorum cauſa extitit, propter quod cœlum, terram & omnia quæ in eis ſunt condidit, ſuijpſius oblitũ voluerimus? Sed ſi oblitus ſuero tui Hieruſalem, inquit ille, obliuioni dctur dextera mea. Certè tali quadã ſpecie longè antè prǫuiderunt ſpiritu ſancto inſpirati propbetæ, & ſub nomine illius Hieruſalem nobis eam expreſſerunt. Ad quam aſpirabat & animo geſtiebat diuinus ille Pſaltes, cùm ita de ea præcineret: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus: ſtent pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem, Hieruſalem, quę ædificatur vt quælibet nobiliſsima ciuitas, cuius ciues in vnum coëunt. Ita elegantiùs & ſignificantiùs expreſsit quidam veritatem Hebraicam: in quam aſcendunt tribus, tribus Domini, cœtus Iſraëlis, ad confitendũ laudem nomini Domini. Iſtic enim conſiſtit iudicij ſolium. Sed hæc paulò pòſt explicabimus clariùs. Interim hoc audis, ædificatam noſtram Hieruſalem inſtar ciuitatis nobiliſsimæ, cuius ciues in vnum coeunt. Quam verò diligenti magiſtratuum & officiorum ordine, ordinatã oportereſſe in-

Eccleſia expreſſa à Propheta ſub nomine Hieruſalem.

B ſtitutã optimè ciuitatẽ, nulli obſcurũ eſt, docente id omniũ ſæculorum, omniũ ſe oculis vbiq; ingerente experiẽtia. De eadem etiam ita loquitur excelſus ille, qui eam condidit, ac deinde in eadem natus eſt: Quid videtis in Sunamite niſi cohors caſtrorum? Et rurſus: Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgẽs, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis velut caſtrorũ acies ordinata? Sed quali eam ordine conſtituerit, & in vnitatem redegerit ille eius conditor & opiſex, iam nunc videbimus. Certè ex his quæ nunc diximus, ſatis demonſtratum exiſtimo, ordine diligentiſsimè conſtituto in arctiſsimam, quàm fieri potuit, vnitatem redigi oportuiſſe.

Canti. 7.

Sacrum eccleſiæ ordinem diſcriminari à prophana multitudine, nec eſſe ocioſorum & ignorantium hominum figmentum, ut impiè blaſphemat ille Lutherus, ſed diuinum omninò opificium.

CAP. III.

INuentum eſt iam nunc illud vinculũ, quo in myſtici corporis redigatur vnitatẽ immenſa illa multitudo, toto orbe diffuſa, Chriſti fideliũ, atq; inuicem colligẽtur eius mẽbra & ſuo capiti, nẽpe ordinis, ſine quo nulla poteſt multitudo ſubſiſtere. Qui qualis ſit Chriſti eccleſiæ, ita perſpiciemus clariùs, ſi vmbram corpori, & figuræ ſuam vnitatem accommodauerimus. Superiùs enim docuimus, vniuerſam formam, ac ſtatum Chriſtianæ Eccleſiæ illum eius architectum, antequàm eam conderet, velut prǫludio quodam adumbraſſe & deliniaſſe in veteri illo populo, eius lege, ſacerdotio ac tabernaculo. Lex, inquit Apoſtolus, vmbram habet ſuturorũ bonorum, non ipſam imaginem rerum. Ab vmbra autem ad ſuum corpus, ab imagine illa ad ipſam ſibi correſpondentem rei veritatem, ſecundum eiuſdem Pauli dialecticam, efficax argumentationis locus eſt. Qui approbaturus diuini euangelicique iuris eſſe, vt qui Euangelium annunciant, poſsint de Euangelio & vinere, atque ita ordinatum fuiſſe à Cbriſto: nullis tamen id Chriſti ipſius verbis propriè adſtruit, ſed adducens primùm probabilia quędam ad id argumenta, quòd ita deceat. (Quis enim militat, inquit, ſuis ſtipendijs vnq̃? quis plantat vineam, & de ſructu eius non edit?) diuinę Chriſtique inſtitutionis nullum argumentum affert aliud, quàm quòd ita erat ordinatum à nomino in vmbra & figura veteri, & propterea ita etiam ſit in ſibi correſpondente ſolida veritate. Quare poſt dialectica illa argumenta, quòd ſic exigat & requirat ratio, ita ſubiungit: Nunquid ſecundum homi-

D nem hęc dico? hoc eſt: An humanis tantùm rationibus id adſtruo? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os boui triturãti. Nunquid de bobus hæc cura eſt oeo? An propter nos vtiq; hæc dicit? Nam propter nos vtique ſcripta ſunt. Quoniam debent in ſpe, qui arant, arare. Quod idẽ rurſus paulò pòſt cõfirmat ex vmbra ſua veteris illius tabernaculi: An neſcitis, inquit, quoniam qui in ſacrario operantur, quę in ſacrario ſunt, edunt? & qui altario deſeruiunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio & viuere. Hactenus Apoſtolus. Audis itaque, quo pacto hic oſtendat diuini iuris eſſe, & ita conſtitutum à Domino, vt viuant de Euangelio, qui annunciãt Euangelium: quandoquidem qui in veteri illo tabernaculo operabãtur, viuebant ex tabernaculo: & qui deſeruiebãt altari, participabant ex altari, perinde ac ſi diceret: Fuit in vmbra & figura, ergo eſt in corpore & veritate.

Agè itaque ipſam pauliſper vmbram, & figuram complectemur aliquanto exactiùs, & ab ea ad ſolidam rei veritatem transferamus oculos, ſuam cuiq; aptantes particulã. Quod enim in vtroque correſpondenter ſe babere videbimus, nihil dubitabimus eiuſdẽ id eſſe opificis in ipſa rei veritate, cujus fuit ea deli-

niatio

A niatio in vmbra & figura. In primis videmus in veteri illa ſynagoga, diſtinctionē prophanæ multitudinis ab his, qui numinis dicati mancipatiq́ue erant miniſterio. De Aaron & filijs eius notum eſt, vt ſeparati fuerint à vulgo filiorum Iſraël, & ſanctificati oleo vnctionis ſancto, conſecratiq́ue Domino. De Leuitis idem teſtatur vetus ſcriptura. Tribum Leui, inquit Dominus Moyſi, noli numerare, neq; pones ſummam eorum cum filijs Iſraël: ſed conſtitues eos ſuper tabernaculum teſtimonij, & cuncta vaſa eius, & quicquid ad cæremonias pertinet. Ipſi portabunt tabernaculum & omnia vtenſilia eius. Quiſquis externorum acceſſerit, occidetur. Vides, quanto diſcrimine hi ſegregātur ab externis, & prophana multitudine. Et rurſus, deſcripto ritu conſecrationis & ſanctificationis eorūdem: Statues, inquit, Leuitas in conſpectu Aaron & filiorum eius, & conſecrabis oblatos Domino, & ſeparabis de medio filiorum Iſraël, vt ſint mei, & poſteà ingrediantur tabernaculum fœderis, vt ſeruiant mihi.

Diſtinctio prophanæ multitudinis ab his, qui diuino cultui mancipati ſunt.

Num. 1.

Num. 8.

Deinde bipartitum illic ſacerdotalem videmus ordinem, nempe & Aaronem Sacerdotem & filios eius. Sed ille non ſolùm Sacerdos, ſed etiam Pontifex, hoc eſt, Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt ſanctæ vnctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt: filij autem B eius inferioris gradus Sacerdotes, quorum manus tantùm, non etiam capita, oleo ſanctæ vnctionis in ſacerdotio conſecratæ ſunt. Quin & ſacer ille veſtitus eorūdem, pontificalis eminentiæ à gradu ſacerdotali euidentē differentiam indicat. Nam illius vnionis ex auro, hyacintho, purpura, gemmisq́; precioſiſsimis refulgens ornatus, omnium excellentiſsimorum artificum exercuit & ſtupefecit manus & ingenia: cùm filijs Aaron inferioris gradus Sacerdotibus, lineæ tantùm paratæ eſſent tunicæ.

Leuit. 21.

Leuiticus autem ordo, tametſi vno conſecrationis ritu ſanctificaretur Domino ad excubias & miniſterium eius tabernaculi: varijs tamen officiorum & miniſteriorum ordinibus diſtinctus, & in tres ordines ſub ſuis capitibus ac principibus diſtributus, & ſuus cuiq; locus in excubijs & miniſterio aſsignatus eſt. His quidem, hoc eſt, filijs Caath, ſub principe Heliſaphan, ſacratiorum cura miniſterioq́ue demandatis, interiorum videlicet tabernaculi, hoc eſt, ſanctuarij, arcæ, menſæ ſacræ, candelabri, altarium, & vaſorum, vniuerſæque ſupellectilis ad prædicta pertinentium. Alijs, hoc eſt, filijs Gerſon, ſub ſuo principe Heliaſaphan, externorum tabernaculi curacommiſſa eſt, cooperimentorum, inquā, C eius cortinarum atrij, & tentorij in introitu atrij, atque id genus vtenſilium. Alijs verò, hoc eſt, filijs Merari ſub principe Suriele tabulamenta, vectes, columnæ cum baſibus, paxillis, & funibus ſuis, tam tabernaculi, quàm atrij per circuitum geſtanda, reponenda, erigendaque commiſſa fuerunt.

Princeps autem principum Leuitarum, inquit, Eleazar filius Aaron Sacerdotis, erit ſuper excubitores cuſtodiæ tabernaculi. Et hic quid videtis in Sunamite, niſi choros caſtrorum? Sed nunquid veteris illius tabernaculi, in quo nihil, quàm quod manu & opere humano fabrefactū fuerat, præter lapideas illas tabulas, cuius ſanctificatio in cruore aſperſo animantium & cinere vitulæ, cuius hoſtiæ, mactatio boum, vitulorum, hircorum, arietum: Illius, inquam, tabernaculi, nunquid propter ipſum tanta hæc cura fuit Deo: & nō potiùs propter nos vniuerſa hęc ita & acta & ſcripta ſunt? Et quemadmodum diximus in principio, vt in vno illo ex omnibus electo populo adumbraret, & velut præludimento quodam oſtenderet, qualem in plenitudine temporum deſcendens ipſe in terras catholicam ſuam toto orbe diffuſam ædificaturus eſſet eccleſiam: vt vera ſit apoſtolica illa, quā citauimus ſententia: Legem vmbram futurorum bonorum habere, non ipſam rerum imaginem. Et quod iterum idem affirmat Apo- D ſtolus: Omnia illis in figura cōtigiſſe, ſcripta verò ad eruditionem noſtram.

Ordinem veteris tabernaculi nihil fuiſſe, quàm præludium quoddā ordinis noſtra eccleſiæ.

Quid ergo hic dicturus eſt effrons ille & omni execratione dignus Lutherus, excæcatus odio, quod exercet aduerſus catholicam Chriſti eccleſiā, pluſquā diabolico, cui omnē ſuum decorem, omnem ordinem, quo velut caſtrorum acies quædam ab illo ſuo opifice ordinata eſt, ille auferre nititur, & confuſiſſimam quandam Babylonem facere? Nunquid enim ſoliditatem vmbratici illius ordinis veteris tabernaculi diligentiſsimè conſtituti à Deo, non oportuit in Chriſtiana eſſe eccleſia? Nunquid abbreuiata fuit manus Domini, aut infirma omnipotens illa ſapientia, quæ attingit à fine ad finem fortiter, quò minùs diſponeret etiam ſuauiter omnia? quò minùs talem potuerit formare eccleſiam ſuā, qualē adumbrauerat ac delinianerat in veteri illo populo & tabernaculo? Nunquid indignā exiſtimauit ille eius architectus & opifex, in qua ordinanda & ornanda tantum laboraret, quantū in ſynagoga illa veteri? Hanc, inquam, quā nō hircorū aut vitulorū, vt illam, ſed proprio ſuo precioſiſsimo ſanguine, ſua deniq; morte ſanctificauit, ſibiq́; dedicauit?

Certè

A Certè diligit Dominus portas Syon ſuper omnia tabernacula Iacob. Aut fortè nullo hic ordine opus erat, cùm vetus illa ſynagoga non poſſet abſque ordine diligentiſsimè conſtituto ſubſiſtere? Quaſi non luce clarius demonſtrauerimus, nullam omninò multitudinem in vniuerſa rerũ natura, abſq; ordine in vnum conciliari potuiſſe, aut ſubſiſtere; & multo minùs hominum: inter quos nec imaginari eſt aliam vnitatem, quàm ordine. Sine quo cùm nõ poſsit nec domus vna ſubſiſtere, aut cognata familia, quàm diligenti ordine ipſa Chriſti Eccleſia, ex tam diſpari multitudine, tanta populorum, nationum, linguarum diuerſitate congregata in vnum contineri, gubernarique debuerit, quis non intelligit? Certè tanto præ illa veteri, exactiori hæc ordine conſtituenda neceſſariò, ordinandaq; fuerat, quanto indiuiduam vnitatem & concordiam difficilius eſt ſeruare in tam diſpari toto orbe diffuſa multitudine, quàm in vno, cognatoq; populo eiſdem ſemper & moribus & ritibus aſſuefacto. et in hoc vno tantoperè neceſſariò, nunquid defuiſſe illi autor ille ſuus credendus eſt? Nunquid nõ perfecta eſt ab eodem illa hierarchia ſua, ſine qua non ſolùm imperfecta, imò nulla futura erat eccleſia? præſertim, quam idem ipſe, & vnam & perfectam prædicat, nõ confuſam, B velut Babylonem quandam, ſed decoram ſicut Hieruſalem, cuius ciues in vnum coëunt, & tanquam caſtrorum aciem ordinatã? Certè non dormitauit neque dormiet illa omnipotens ſapientia, quæ & ab initio condidit, & nunc etiam cuſtodit Iſraël.

Tametſi autem quod ad Lutherum attinet, ſcio me ſurdo canere; quandoquidem iamdudum ſubuerſus eſt, & datus in ſenſum reprobũ, non quidem meo, ſed apoſtolico præiudicio: mirari tamen mecum ſatis non poſſum, qua fronte, quantumuis effrons ſit, ab vmbra illa ad ſolidam (quæ in noſtra eccleſia eſt) veritatem reſpiciens, & ſingula conferẽs, dicere audeat, eccleſiæ Chriſtianæ ordinem ſacrum nihil aliud eſſe, quàm merum figmentum hominũ ignorantium, nec de ſacramento, nec de re eccleſiaſtica quicquã intelligentium, Chriſto autore, non eſſe in eccleſia, dignitatis & autoritatis imparitatem, omnes eandem à chriſto poteſtatem habere, omnes in eodem gradu conſiſtere, omnes æquè Sacerdotes eſſe, viros, mulieres, pueros, nulla ſtatus, ſexus, ætatis diſcretione facta, nullam eſſe ſacri & prophani differentiam. Tametſi nolit licere omnibus illa poteſtate vti, ſed his tantùm, quibus à communitate & populo hoc committitur. Quid igitur? Vilius eſt & indignius, quod ſumma cum veneratione C ac reuerentia tractetur, illud quod à noſtræ legis Sacerdotibus offertur ſacrificium, illa precioſiſsimi corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti hoſtia, veteris legis illis hoſtijs & ſacrificijs: taurorum, inquam, hircorum, & vitulorum ſanguine & cadaueribus? Ozias Rex Iuda lepra percuſſus eſt à Domino, quòd ſacerdotalis ordinis munus vſurpare præſumpſit, & offerre incenſum ſuper altare thymiamatis: & iam cuiuis ſuis erit, etiam ex infima fece plebis, etiam mulierum & puerorum, offerre illam ſacroſanctam & verè ſalutarem corporis & ſanguinis redemptoris noſtri hoſtiam: hoc incenſum, quod ille pro totius mundi ſalute adoleuit in ara crucis? Non licebat cuiquam in vmbra illa veteri vaſa ſanctuarij nuda tangere, nec Leuitis ipſis, etiam primi ordinis, niſi ſolis Sacerdotibus, à quibus præcipiebantur inuoluta tradi filijs Caath, qui ad ea portanda deſtinati fuerant, ne fortè ea nuda tangentes morerentur: & vaſa, quibus nos vtimur in ſacroſanctis noſtris, tremendiſque myſterijs, quibus excipitur & reconditur ſanctiſsima euchariſtia, communia, prophana & immũda erunt, & abſque vlla reuerentia viliſsimorum quibuſque contrectanda manibus? Balthaſar ille Rex temulentus, bibens ex ſacris vaſis templi, ilicò vindicem Dei manum ſenſit, vita ſi- D mul mulctatus & regno: & impio illo doctore & ſuaſore, calices & patinæ, quibus corpus & ſanguis Dei & redẽptoris noſtri excipiuntur, in eiuſdem ignominiã ac contumeliam à prophanis & ſceleratis hominibus tractantur indigniſsimè. Ozam percuſsit Dominus, quòd inclinatam arcam & minitantem ruinam ſuſtentaret, et laicas ad illam manus extenderet: & panis ille qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, quorumlibet cõtrectari debet manibus? O frontem effrontem & perfrictam. In veteris tabernaculi vmbra clariſsimè expreſſum videt, quàm diligenti ordine noſtra formanda erat eccleſia. Videt adſcriptos omnes altaris & tabernaculi miniſterio, conſecrari Domino, & ſegregari à reliqua prophana multitudine. Videt eiuſdem tabernaculi ſacrificia ſolis commiſſa Sacerdotibus, & ſub pœna mortis interdictum, ne quis vltra ſuam ſortem, ſuumque gradum, quid præſumeret, quod eſſet alterius, nec cuiquam impunè vnquam ceſsiſſe præſumptionem huiuſmodi, ſed præſenti vltione tanquam ſe irreuerentiùs habitum, contemptumque vindicaſſe Dominum. Requirebat ratio noſtræ legis ſacrificiorum, maiori longè apud nos ea haberi veneratione, & reue-

2. Par. 26.

Num. 4.

A & reuerentia, quàm illa in vmbra veteri. Conſtat autem communi omniũ ſenſu, quæ communia ſunt, & expoſita omnibus, vileſcere & in contemptum abire. Videmus prætereà, id quod requirebat neceſſariò ratio, quod expreſſum erat in illa vmbra veteri, nunquam defuiſſe noſtræ Eccleſiæ: ſed fuiſſe in eadem ab initio ab ipſis Apoſtolorum temporibus, & in hunc vſque diem toto orbe terrarum, quàcunq; patet nomen Chriſtianum, adhuc conſeruari, videlicet prophanæ multitudinis à clero, hoc eſt, Leuitico & ſacerdotali ordine diſcriminationẽ. Quid eſt ergo, quod hic quiſquã aut requirere aut dubitare poterit? Abſque ordine illo ſacro eſſe aut ſubſiſtere omninò non poterat Chriſti eccleſia. Quam talem longè antè, quàm faceret, deliniauit & expreſsit omnipotens illa ſapientia. Ordinatam prætereà videmus eandem varijs ſacrorum miniſteriorum gradibus correſpondenter ad vmbrã illam veterem: & de autore eius ordinis quiſquam dubitat? Toto orbe terrarum hunc ordinem agnoſcit, & agnouit ab ipſo ſui initio vniuerſa Chriſti eccleſia: quẽ ergo autorem alium habere potuiſſet, quàm Chriſtum ipſum autorem Eccleſiæ per Apoſtolorum doctrinam & miniſterium? Cuius alterius hominis traditionem tanto conſenſu recepiſſet, & tam diu retinuiſſet
B orbis vniuerſus? Fuiſſe autem ab initio ex Apoſtolorum doctrina & traditione in Eccleſia, fidem faciunt in primis Apoſtolorum canones, præſertim XLII. & XLIII. Beatus itẽ Ignatius S. Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus, glorioſus martyr & Põtifex, quem cathedræ ſuæ Antiochenæ beatus Petrus præfecit in locum Enodij, in epiſtola ſua ad Trallianos, & rurſus in altera ad Antiochenos. Deinde beatus Anacletus ſanctiſsimus martyr & Põtiſex etiã à beatiſsimo Petrœordinatus preſbyter, & pòſt ex interuallo eiūſdē ſucceſſor effectus in Romana eccleſia, in epiſtola ſua, de Patriarchis, Primatibus & reliquis Epiſcopis, cuius partẽ pòſt inſeremus opportuniùs. His conſonant & ſubſcribunt ſubſequentes orthodoxi vniuerſi, abſque vlla prorſus aut hæſitatione aut diſſonãtia, & in omnium ſanctorum patrum, ex omni ætate, omni totius orbis regione & loco ſcriptis, ac monumentis, eandem fidem & ſententiam, clariſsimè adeſt perſpicere.

Non eſt ergo humanum figmentum, vt blaſphemat ille, ſacer ordo eccleſiæ, ſed eiuſdem opificis, cuius & ipſa eccleſia. Nec communitatis electione aut conſenſu, confertur ſacerdotalis muneris exercitium: ſed ab ipſo Deo per ſuorum Sacerdotum & Pontificum miniſterium. Sicut in corpore noſtro, inquit C ſanctus ille Gregorius Nazianzenus, alia ſunt membra, quæ regunt corpus, atq; omnibus eius motibus præſident, alia quę reguntur & obſequium rectoribus præbent: ita & in eccleſia ſtatuit Deus, æquitatis eam legem diſpẽſans, & per diuinam prouidentiam ſuam, quæ vniuerſa componit, meritorum temperans priuilegia, alios conſtituit regi & gubernari, quibus hoc vtilius eſt, vt verbo & opere rectorum ad id quod expedit, imbuantur. Alios paſtores dedit & doctores ad perfectionem Eccleſiæ. Et hi, inquit, præ cæteris virtute animi præditi, familiariùs Deo aſsiſtũt, & id officij in eccleſia gerunt, quod vel anima in corpore, vel mens & ràtio operatur in anima, vt vtraq; pariter compaginata, & ſibi inuicem mixta, in quo quid deeſt, & in quo abundat, velut in membrorum diuerſitate conſonantia facta per ſpiritum, perfectum & integrum, atq; ad omnia aptum corpus exiſtat, & dignum quod chriſtum habeat caput. Hactenus ille Gregorius. Vides itaq;, cuius opificis figmentũ ſit ſacer ille ordo eccleſiæ. Ita, inquit, & in eccleſia ſtatuit, non homo, non communitas, ſed Deus. Similiter beatus Chryſoſtomus noſtri ſacerdotij dignitatem efferens: Agitur quidem, inquit, in terris, ſed Lib. 3. de officiũ eius cœleſtibus negotijs continetur. c. 4. Non homo, non Angelus, non Archangelus, non virtus, non alia quæuis creatura: ſed ipſe D ſpiritus ſanctus hoc munus inſtituit, atque adhuc manentes in carne miniſterio pręſtitit fungi Angelorum.

Paulus Apoſtolus effectus eſt & primi ordinis Sacerdos, nunquid commiſsione ſeu electione communitatis aut populi? Certè Galatis ipſe ſcribẽs teſtatur ſe non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum patrẽ conſtitutum fuiſſe Apoſtolum. Deinde etiam ipſe multos alios ordinauit Sacerdotes & Põtifices. Inter quos Titus & Timotheus, qui non plebis electione aut conſenſu: ſed vt idem ipſe Paulus teſtatur, ſuarum manuum impoſitione, Sacerdotes ac Pontifices effecti ſunt. Ita enim ſcribit ad Timotheum: Noli negligere gratiam, 1. Tim. 4. quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cũ impoſitione manuum presbyterij, aut (vt fortè ſignificantiùs vertit Eraſmus) autoritate ſacerdotij. Vides non plebis alicuius, ſed diuina autoritate Timotheum Sacerdotem factum & Epiſcopum, per ipſius Pauli ordinationẽ & miniſterium. Qui & in altera ad illum epiſtola eundem admonet, vt adſit gratię diuinę, quam in ea ordinatione acceperat: Vt reſuſcites, inquit, gratiam, quę eſt in 2. Tim. 1.

te

A te per impoſitionem manuum mearum. Similiter ad Titum ſcribens, ſuique illum officij admonens: Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quę deſunt corrigas, & cõſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Vides vt ex eius diſpoſitione & ordinatione Titus primi ordinis ſacerdotiũ adeptus ſit. Vides non plebis autoritate aut electione, ſed epiſcopali ordinatione conſtituendos eſſe per ciuitates ſacerdotes aut presbyteros. Quòd ſi inſuper ab vmbra & figura ad ſolidam ipſam rei veritatẽ reſpicias, num te pudebit Luthere impij tui figmenti, quo ſacerdotium noſtrum facis figmentum hominum? Illic non à plebis, ſed Dei electione erat, tam Leuitici ordinis ad miniſteria tabernaculi adſcriptio, quàm ſacerdotalis ad illius legis ſacrificia, propitiationes & hoſtias, vt Exodus, Leuiticus, & Numerorum libri demonſtrant. Et Hebræis ſcribens Apoſtolus: Nec quiſquam, inquit, ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, quẽadmodum Aaron.

Imò, quàm nihil ea in re plebẽ, reliquamq; multitudinem voluerit autoritatis habere, in Chore, Dathan, & Abiron, complicibusq; eorum, tam euidenti, quàm horrendo memorabilique in poſteros exemplo oſtendit. Qui cùm inſurrexiſſent aduerſus Moyſen & Aaron, alijque filiorum Iſrael ducenti quinquaginta viri Proceres ſynagogę, & qui tempore concilij per nomina vocabantur, & præſumerent (quemadmodum & nũc iſti) vniuerſam multitudinem ſanctificatam eſſe, nec ſolùm Aaron cum filijs ſuis, ſed etiã ipſos ad munia ſacerdotalia admitti debere, dicentes: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, cur eleuamini ſuper populum Domini? Reſpondiſſetque eis Moyſes, Dominum facturum iudicium in craſtinum, & demonſtraturum, quos ſanctificaſſet, vt ſibi fungerẽtur ſacerdotio. Nõ defuit iuxta verbũ illius diuinũ iudicium: ſed Chore cũ ducẽtis quinquaginta illis ſynagogę proceribus, qui ad ſacerdotalis dignitatis munus auſi ſunt ſe ingerere, egreſſa à Domino vltrix flãma abſumpſit: Dathan verò & Abyron dictis Moyſi inobedientes, rebelles, ſeditioſos, & ſchiſmaticos, inaudito à ſęculis ſupplicio, dehiſcens ſub pedibus eorum terra, cum omnibus, quę ad eos pertinebant, viuos abſorbuit, demiſitque ad inferos. Vides vt nihil permiſerit populo ac multitudini in ſacerdotio illius veteris manufacti & vmbratici tabernaculi. Et noſtrum hoc chriſti ſacerdotium (cuius tantum ſignificandi & præcurrendi cauſa illud vetus erat, tanto vtique præ illo auguſtius, quanto potioribus nos litamus hoſtijs & ſacrificijs) hoc inquam, noſtrum, velut ethnicum, aut idolorum ſacerdotium in manu erit & poteſtate prophanæ multitudinis, vt cuiuſcunque illi collibitum ſit de nouiſsimis populi implere manum, ille ſit Chriſti ſacerdos, vt quondam ſuos ſacerdotes excelſorum conſtituebat ille Hieroboam? Vt ergo illud vetus vmbra, hoc ſolida rei veritas? & non potiùs vice verſa, illud plus habebit ſolidæ dignitatis & noſtro erit auguſtius?

Num. 16.

3. Reg. 13.

Sed dicis ad omnes Chriſtianos pertinere, id quod dicit Petrus: Vos eſtis genus electũ, regale ſacerdotium, gens ſancta. Scio ego ita ſcriptum à Petro, ſciuit hoc ipſum ante nos vniuerſa Chriſti eccleſia: nemo tamen ab initio ante prophanum hunc & impium Lutherum prophanauit propterea Chriſti ſacerdotium, nemo omnes ſacerdotes fecit, etiã mulieres & pueros, nemo non diſcriminauit ſacerdotes à laicis. Vnde ergo huic ex illis Petri verbis tam noua & hactenus inaudita hæc opinionum portenta? Quia chriſtum contra Chriſtum quærit in deſerto, in angulis domorum & penetralibus: non in illo catholicę eccleſiæ corpore, ad quod congregãtur aquilæ, quia ſuum in ſcripturis, non catholicę eccleſiæ ſenſum ſequitur. Sed mirum eſt, eum qui nihil quàm ſcripturas vbiq; iactat, vbiq; crepitat, ad ſolas eas prouocat, ſolas obijcit communi, receptæque per orbem ſententiæ catholicæ eccleſię, quaſi aut primus aut ſolus legerit in dictis verbis Petri, ex quibus tam abſurdam, tam nouam, atq; omnibus ſeculis inauditam, omniumq; conſenſu damnatam opinionem ſtatuere ac ſtabilire nititur, adeò dormitaſſe ſupinè, in quibus plus omnibus videre debuiſſet, nec ſemel reſpexiſſe retrò ad ea, quæ in Exodo deſcribuntur à Domino veteri illi populo dicta verba, quæ Petrus inde ſumpta nobis accõmodauit. Ex illis enim & veram horum intelligentiã, & ſuæ ſententiæ falſitatem, impietatemq; facilè potuiſſet diſcere & cognoſcere. Moyſi ita dictum legitur à Domino: Hęc dices domui Iacob, & annunciabis filijs Iſrael: Vos ipſi vidiſtis, quę fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meũ, eritis mihi in peculium de cunctis populis (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnũ ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba, quæ loqueris ad filios Iſraël. Hic nota verba, & ſigna myſteria. Veteri illi populo dictum eſt à Domino: Vos eritis mihi in peculiũ de cunctis populis. Quod ipſum alijs verbis nobis dicitur à Petro: Vos eſtis genus electũ. Illis additur, & eritis mihi in

Sana intelligentia uerborũ Petri. vos eſtis regale ſacerdotium.

Exod. 19.

A in regnum ſacerdotale, gens ſancta. Nobis verò ſacerdotium regale, gẽs ſancta. Hoc itaq; in primis animaduertendũ eſt, vniuerſæ multitudini, ſeu cõmunitati collectim, vtrũq; dici: illud veteri illi ſynagogæ: hoc verò noſtræ Chriſtianæ eccleſiæ, & non vnicuilibet noſtrûm. Nemo enim noſtrûm, eſt gens ſancta. Quare ſicut ex illis Domini verbis dictis veteri ſynagogæ nõ poterat vnuſquiſlibet è plebe ſe regem facere, aut ſibi regnum præſumere, ſed alius erat rex, alius illi ſubiectus populus: ita neq; ex his nobis dictis à Petro, poteſt vnuſquilibet ſibi vendicare ſacerdotiũ: imò alius apud nos eſt ſacerdos, alius prophanus populus. Sumus tamen nos, hoc eſt, vniuerſa collectim Chriſti eccleſia, genus electũ & gens ſancta, habens in ſe regale ſacerdotium aut honeſtata regali ſacerdotio. Hoc inſuper ocioſe tranſeundum non eſt, ſed diligenter notandum, quòd veteris illius populi ſtatus regnum dicitur ſacerdotale, noſter verò non regnum, ſed ſacerdotium: nõ qualecunque, ſed regale, vt dignitatem oſtenderet, & efferret noſtri ſacerdotij. Illius ſiquidem populi ſtatus regnum magis dicitur quàm ſacerdotium: quia in illo regalis dignitas præfulgebat ſacerdotali, quàmuis eſſent vtriuſq; diſtincta munia. Rex imperabat ſacerdotibus eorum, & Leuitarum ordines in ſua officia

Cur veteris populi ſtatus regnũ ſacerdotale, noſter verò ſacerdotiũ regale dicatur.

3.Reg.2.

2.Paral.8.

B diſtribuebat. Inſuper illius ſynagogæ aut populi vnitas à regni, quã ſacerdotij, vnitate magis pendebat. Quare illic ſchiſmatici & velut ethnici habebãtur, non ſi qui ſacerdotij, ſed qui regni vnitatem diuiſiſſent: nõ Annas & Caiphas partiti ſummum ſacerdotiũ, quod per vices (quàmuis cõtra legem) annuum gerebant, ſed decem tribus, quòd ſe diuiſiſſent à domo Dauid, & regno Iuda. Et indignatus eſt, inquit, Dominus omni ſemini Iſraël, & demolitus eſt eos, & dedit in direptionem, donec abijceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſraël à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi regem Hieroboam filium Naboth. Quin & ipſe Dominus in euangelio, eoſdem velut ethnicos & gentiles habendos cenſuit, & clariſsimè indicauit. Nam Diſcipulis, quum primùm in ſalutis miniſteriũ eos mitteret, hoc in mandatis dedit: In vias gentium, inquit, ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne ingrediamini, ſed ite potiùs ad oues, quę perierunt domus Iſraël. Vides miſſos ad oues perditas domus Iſraël, & nihilo minùs prohibitos ire ad Samaritas, hoc eſt, reliquias decẽ illarum tribuum. Nõ ergo putauit illos pertinere ad domum Iſraël, quàmuis eſſent Iſraelis pars multo maxima, nẽpe tribus decem ex duodecim, eò quòd diuiſi fuiſſent à rege

Iuda, ſuo capite, & Hieroſolymis relictis ſe- C ceſſiſſent in Samariam, ſed cum gẽtibus eos connumerauit. At noſtrę eccleſiæ ſtatus, non regnum, ſed ſacerdotium regale dicitur, à ſacerdotio enim dependet præcipuè: & eius vnitatem, qui conatur ſcindere, non verò, qui regni aut imperij Chriſtiani, ille apud nos eſt ſchiſmaticus, & velut ethnicus ac infidelis, iure merito habendus.

Epiſcopatus apud nos vnus eſt, inquit ille Cyprianus, cuius à ſingulis pars tenetur in ſolidum: quomodo ſolis radij multi, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum, fons vnus, ſed riui plurimi. In quibus omnibus numeroſitas licet diffuſa ſit exundãtis copiæ largitate, vnitas tamẽ ſeruatur in origine, à qua ſi præſcinditur ſeu radius, ſeu ramus, ſeu riuulus, mox perit præciſum, ac areſcit: Sic in eccleſia nomini vnum ſacerdotium eſt, quod tametſi per orbem vniuerſum ſuos radios porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, vnum caput, & origo vna, vnus ſiquidẽ paſtor & grex vnus. Sed in quo cõſiſtat ſacerdotij noſtri vnitas, atq; adeò gregis Chriſti, ſeu Chriſtianæ eccleſiæ, pòſt erit euidentius. Interim cauſa à nobis explicata eſt, quur veterem ſynagogam dixerit Deus, regnum ſacerdotale, noſtram verò Chriſtianam eccleſiam Petrus Apoſtolus non regnum, ſed ſacerdotium, tamẽ regale, hoc ipſo dignitatem Chriſtiani ſacerdotij præ veteri illo ſignificans. Illud enim ſeruiebat & obſequebatur regali dignitati, vt euidenter demonſtrat regnorum ſacra hiſtoria. Nam Salomon eiecit Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini, hoc eſt, ne amplius fungeretur ſacerdotali officio, ſed iuſſit ſecedere in Anathoth agrum ſuum, & poſuit pro eo Sadoc ſummum ſacerdotẽ. Conſtituit inſuper iuxta diſpoſitionem patris ſui Dauid, officia ſacerdotum & Leuitarum in miniſterijs ſuis, in ordine ſuo. Nec prætergreſsi ſunt, inquit, de mandatis regis tam ſacerdotes quàm Leuitæ ex omnibus quę præceperat. Noſtrũ verò ſacerdotium tanto auguſtius eſt ab illo veteri, quãto potius eſt noſtrũ precioſiſsimi corporis & ſanguinis Dei & redemptoris noſtri ſacrificium illis veteribus hoſtijs & ſacrificijs, quanto noſtra ſancta ſanctorum prę illis veteribus ſacratiora ſunt. Proinde regale eſt noſtrum ſacerdotium, nec vt illud, ſubiectum regibus aut principibus: ſed cui etiam principes, reges & imperatores non dedignãtur ſua ſceptra ſubmittere, & ad ipſos vſq; pedes ſacerdotum noſtrorum exoſculandos ſe humiliare. Quem honorem ſi non requirunt merita perſonarum, ipſi tamẽ regali

In ſacerdotij vnitate præcipuè conſiſtere vnitatẽ noſtræ eccleſiæ

D

3.Reg.2.

2.Para.8.

A regali ſacerdotio impenderè non dedignantur. Et hactenus quidem ſatis, ni fallor, ſuperq́ue demonſtratum eſt, quàm turpiter hallucinatur prophanus execrandusq́ue Lutherus, qui ex prædictis verbis Petri ſacrum eccleſiæ ordinem, quo velut caſtrorũ quædam acies ab illo opifice ſuo cõſtituta & ordinata eſt, prorſus abolere conatur, & è medio tollere, figmentum ipſum faciens imperitorum hominum: omnes docens æquè ſacerdotes eſſe, viros, mulieres, pueros, nulla cõditionis, ſexus, ętatis diſcretione facta, nulla ſacri prophaniue differentia. quanquam eadem Petri verba ad myſticũ quendam ſenſum, myſticũ ſacerdotiũ & regnũ referant alij, quemadmodũ & illa Ioãnis in Apoc. Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnũ & ſacerdotes. Ita ſanè ſacer Ambroſius libro de ſacra: Quid hoc ad populum, ſi virga ſacerdotis aruerat, & refloruit? populus ipſe quid eſt niſi ſacerdotalis? quibus dictum eſt: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, vt ait Petrus: Vnuſquiſque vngitur in ſacerdotium, vngitur in regnũ: ſed ſpiritale regnum eſt, & ſacerdotium ſpiritale. Hactenus Ambroſius. Quanquam (vt ſuprà dixi) nulla ſit neceſsitas hic ad myſticam vllam intelligentiam recurrere, vt ſaluemus diſtinctionem auguſtiſsimi ordinis à prophana multitudine. Siquidem (vt ſuprà diximus) de eccleſia vniuerſa collectim loquitur, non de vnoquolibet noſtrûm: collectiua enim nomina hæc ſunt, genus, regnum, ſacerdotium. Neq; vnicuilibet noſtrûm hæc conueniunt, ſed eccleſiæ. Illa enim eſt gens ſancta, & regnum Chriſti, ſacerdotio ſancto ornatum: in quo idem rex & pontifex ſuper nos regnat.

Lib.4.cap.1.

B

De gradibus ſacri ordinis eccleſiaſtici.
CAP. IIII.

EAdem qua cœpimus via pergendũ eſt, & vmbra cum ſolida ipſa rei veritate conferenda diligenter. Ita enim, quod quærimus, inueniemus faciliùs, & rectè nos inueniſſe certiores erimus. Demonſtratum iam eſt, eſſe in eccleſia ſacrum quendam ordinem, diſcriminatum à prophana laicaque multitudine: eumq́ue nõ eſſe commentum hominũ, ſed diuinum planè inſtitutum & opificium. Quoniam autem omnis ordo ex multis neceſſariò cõſiſtit gradibus, eisq́ue imparibus, aut inæqualibus, vnius enim ordo non eſt, ſed plurium, non eodem gradu, ſed conſequenter ſe habentium, in quibus aliquod eſt primum, aliquod ſecundum, & ita deinceps: Inueſtigandum nunc eſt, qui & quot gradus ſint ſacri ordinis eccleſiaſtici, vt veniamus tandem ad ſacroſanctum regalis noſtri ſacerdotij ordinem, gradus, munia propria, ſacrumq́; qui in eodem conſiſtit, principatum. Ipſam itaq; vmbram & figuram conſiderãtes attentiùs, tres in eadem gradus ſacri illius ordinis demonſtrauimus, Leuiticum, ſacerdotalẽ & pontificium. Leuiticum ſub ſacerdotali, & ſacerdotalem ſub pontificio. Tribum Leui fac ſtare, inquit, in conſpectu Aaron ſacerdotis, vt miniſtrent ei. Et rurſus: Princeps autem principum Leuitarum Eleazar filius Aaron ſacerdotis. Sacerdotali æquè gradui præerat pontifex, hoc eſt, ſacerdos maximus inter fratres ſuos. Eſſe hos gradus ſacri ordinis, & diſtinctos, æquè manifeſtũ fecimus: primùm, quòd ſine conſecratione ad hos gradus nemo adſcriptus ſit. Deinde, quòd ſuo cuiq; gradui proprius ſuus diſtinctusq́; conſecrationis ritus extitit. Ritus ſiquidem conſecrationis gradus Leuitici deſcribitur Numerorum octauo capite: Statues, inquit, Leuitas in conſpectu Aaron & filiorum eius, & conſecrabis oblatos Domino, & ſeparabis de medio filiorum Iſraël, vt ſint mei, & poſteà ingrediãtur tabernaculum fœderis, vt ſeruiant mihi: ſicq́ue purificabis & cõſecrabis eos, &c. Sacerdotes illis etiam ampliùs conſecrari ſunt Domino. Induti equidem ſacro illo ſuo veſtitu, initiabantur manus eorũ, & conſecrabãtur ſacro chriſmate, iuxta ritum qui in Exodo & Leuitico deſcribitur. At Aaron maximus ſacerdotum & pontifex præ his eodem chriſmate ſacro inungẽbatur & caput. Quin & habitus ſacerdotalis, vt longiorem eorundẽ, non ſolùm à prophana multitudine, ſed etiam à Leuitis diſtantiam, diſcriminationemq́ue indicat: Ita & pontificius ille ornatus, eius gradus ſuper ſacerdotalem excellentiã clariſsimè demonſtrat.

C

Num.1.

D

Exod.29. Leuit.21.

Agè ab ipſa hac vmbra ad ſolidam veritatem conuertamus oculos, atq; eam præcipuè eius partem, quæ tractatæ iam à nobis illius vmbræ particulæ è regione reſpondet. Gradus hic inueſtigamus & inquirimus ſacri ordinis eccleſiaſtici: quem autore Chriſto eſſe in eccleſia diſtinctũ à prophana multitudine ſuprà demonſtrauimus. In vmbra autem tres vt minimùm gradus dictos inuenimus, Leuiticum, ſacerdotalem, & pontificium. Eoſdem nunquid nõ videmus in ipſa ſoliditate Chriſtianæ Eccleſiæ? Siquidem & apud nos Diaconi ſunt, Leuitis illis è regione reſpondentes; quorum & nomine nominantur ſubinde ob officij miniſterijq́; correſpondẽtiam. Sunt & ſacerdotes, ſunt & pontifices, quos & epiſcopos, functionis magis quàm gradus nomine

A dicimus. Hæ partes, hi gradus ſunt ſacri apud nos ordinis: nõ hominum figmenta, vt blaſphemat ille, ſed eiuſdem planè opificis, cuius ipſe ordo ſacer, atq; adeò ipſa chriſti eccleſia, eodem autore per Apoſtolorũ ſuorum conſtituti miniſteriũ. Conſtat enim diaconatus ordinem ab ipſis celebratũ Apoſtolis, quando (vt in Actis legitur) ſeptem viros plenos ſpiritu ſancto, ad hũc elegerunt gradum miniſterij, & oratione pręmiſſa manus eis impoſuerunt, conſecrationis eorundem formam tradentes & relinquentes poſteris. Vnde & conſuetudo inoleuit, vt in omni matrice eccleſia ſeptem diaconi, quaſi ſeptem columnę circa aram Chriſti aſsiſtãt. Quin & Paulus ad Timotheum, poſt deliniatum & ſuis virtutũ coloribus expreſſum, qualẽ requirebat epiſcopum, etiã diacones quales eſſe oporteat, ſubijcit. Nec eſt, vt ęquè incircũſpectè ac impiè poſt Lutherum affirmat Cardinalis Caietanus, ſuo q̃ catholicæ eccleſiæ ſenſui, (quod eſt omnis hæreticę prauitatis initium) nimio plus indulgens ac tribuens, in dictam Pauli ſcribens epiſtolam, diaconos inſtitutos ab Apoſtolis, non altaris, ſed menſarum prophanarum miniſtros, & qui temporalibus tantummodò menſis in cõmuni viuentium prę-eſſent: argumentum hinc ſumens, quòd Hie-

Improbatur Lutheri & cardinalis Caietani ſententia, qui diaconatum prophanum miniſterium faciunt.

B roſolymis, vbi communiter viuebant Chriſtiani, diacones illi ſeptem menſis legantur præfecti, & curæ adminiſtrandorum temporalium illius eccleſiæ. Quandoquidẽ Paulus Philippenſibus ſcribẽs, in ſalutatione diacones ſubiũgit epiſcopis dicens: Omnibus ſanctis qui ſunt Philippis, cum epiſcopis & diaconibus. Et in epiſtola ad Timotheum, qui Epheſinæ præerat eccleſiæ, deſcribit quales eligere deberet diacones. At nec Philippis, nec Epheſi, vt Hieroſolymis, communiter vixiſſe Chriſtianos, vt menſarum illic indigerent diaconibus, certum eſt, nec eccleſiam eo tempore in communi poſſediſſe temporalia, quorum adminiſtrandorum cura requireret præfectos diaconos. Quare altaris & ſacri miniſterij illic deſcribit diacones. Quanquã & in eo ſatis craſsè fallitur idem reuerendiſſimus, quòd exiſtimat menſas illas, quibus præfecti leguntur Hieroſolymis primi illi ſeptem diaconi, fuiſſe abſque ſacramento & ſacroſancto ſacrificio. Nã quum id nondum liceret nouellæ illi eccleſiæ, litare, & de eodẽ commmunicare in templo, adhuc ſeruienti vmbræ veteri ac Moſaicę, aut in alijs publicis locis, quæ nondum ei myſterio dicata & conſecrata habebãtur, per domos & menſas frangebant panem illum ſacroſanctum & viuificum. Et perſeuerabant, inquit Lucas, in

C fractione panis. Et apoſtolus in prima ad Corinthios Dominicam cœnam vocat, quando conueniebant ad participandum corpus & ſanguinem Domini: vnde & ordinat, quomodo in ea ſe habere honeſtè ac decenter debeant. Diaconi ergo illi ſacroſancti myſterij erãt miniſtratores. Alioqui quàm eſt indignũ, tam graues, tantique teſtimonij viros, ea cum ſolennitate, per ieiunia, per orationes, per apoſtolicarum manuum impoſitionem, præfectos fuiſſe tam vili prophanoq; miniſterio, & quemadmodũ imaginatur ille, ad fercula mulierculis miniſtranda paranymphos pocillatoresque factos. Nec tamen etiam temporalium rerum, eccleſiæ curam adminiſtrationemque, quò ſacerdotes forent liberiores, illis creditam fuiſſe, quando etiam illis cœpit abundare eccleſia, ad formam & exemplum illorum primorũ, qui conſtituti fuerant Hieroſolymis, imus inficias. Certè non prophano, ſed ſacro præcipuè miniſterio adſcriptos ab initio fuiſſe diacones, teſtatur Ignatius glorioſus martyr & pontifex, & Dionyſius ille Areopagita, ambo apoſtolorũ Diſcipuli. Ille in epiſtola ad Hieronem diaconum ſcribens in hæc verba: Sine epiſcopis nihil agas: ſacerdotes enim ſunt, tu verò miniſter ſacerdotũ. Illi enim baptizant, ſacerdotiũ agunt,

D ordinant, manus imponunt: tu verò eis miniſtras, ſicut ſancto Iacobo Stephanus. Dionyſius verò in eccleſiaſtica ſua, vt mox audies, hierarchia. In ea inſuper, quę ad Demophilum eſt epiſtola, in qua ſcribit in hæc verba: Si diſtinctiones ordinesque confundere ſacratiſsimas Dei ſanctiones iuraque tranſgredi eſt: omni profectò ratione caret, Dei cauſa peruertere traditum diuinitùs ordinem. Et paulo pòſt, gradus ordinis diuinitùs inſtituti ſubiungens: Neq; enim, inquit, ſancta ſanctorum ſimpliciter omnibus ſunt inacceſſa: verùm ijs appropinquat magis pontificum ſacra diſtinctio, deinde ſacerdotũ ordo, quos deinceps diaconorũ ſeu miniſtrorum ordo ſequitur. Vides hoc teſte, qui ab Apoſtolis eruditus eſt, diuinitùs inſtitutum ſacrum ordinem, cum ſuis etiam diaconorum ſeu miniſtrorum gradibus & ordinibus. Quod tametſi factum ſit per Apoſtolorum miniſterium, quos ad id maturandum excitauit & coegit communis vitæ, quæ tunc inter fideles Hieroſolymis obſeruabatur, neceſsitas: autorem tamẽ hoc ipſum habebat Chriſtum, doctoremque ſacrum ſpiritum, cuius ordinatione & inſtigatione etiam per vniuerſas orbis eccleſias, in quibus ea neceſsitas, hoc non requirebat, contiuuò diacones, cum presbyteris & epiſcopis ordinati ſunt, quemadmodum

A dum apoſtolicæ hoc teſtantur epiſtolæ.

Diaconus generis uocabulum, uniuerſum ordinem miniſtrãtium complectitur.

Quanquam autem diaconus propriè miniſtrum ſignificet, adeò vt Timotheo ſcribens Apoſtolus, & muneris ſui (qui tamen epiſcopus & pontifex extitit) ipſum admonẽs, illud ipſum diaconium aut diaconatum appellet. Quod enim nos legimus: Miniſterium tuum imple, eius locò Græcè διακονίαν legitur, hoc eſt, diaconatum tuum, miniſterium vocans offitium epiſcopi: eccleſiæ tamen vſus obtinuit, vt certo gradui ordinis ſacri, immediatè deputato ad ſacerdotalis ordinis miniſterium, vt quondã ille Leuiticus appropriaretur illa diaconatus appellatio ac denominatio.

Porro Leuiticum gradum in vmbra veteri, haudquaquam ſimplicem, indiſcriminatum, indiſtinctumque fuiſſe, ſed in tres primum veluti claſſes aut ordines ſub ſuis principibus diſtributũ, ſuprà demonſtrauimus. Ex quibus quidam proximiores erant illis ſacratioribus, alij ab iiſdem magis diſtantes ac remotiores. Deinde poſtquam per Salomonem ædificata eſſet domus domini, nec vltrà per Leuitas portari oporteret tabernaculum, atque eius vaſa ſuppellexque circumferri, rurſus ad eandem rationem ſortitò diuiſi ſunt per domos, familias familiarumque principes adſcriptiq; ſuis quique miniſterijs in tres ſimiliter claſſes & ordines. Nam ex his B adſcripti ſunt in opera miniſterij domus Domini, alij in cãtores & pſaltes, ad confitendũ & canendũ Domino, In organis muſicis quæ fecerat Dauid, tam manè quàm veſperi, alij verò in oſtiarios & ianitores domus Domini. Et prætereà ob honorem ordinis conſtituti ex Leuitis, ſcribę & prępoſiti regiorum negociorum, & toto regno ſuper populũ iudices, numero ſex millia. Hac etiam parte vmbræ ſuæ & figuræ veteri pulchrè ipſa reſpondet veritas. Nam adſcriptorũ ad ſacra miniſteria ſub ordine ſacerdotali, haudquaquã ſimplex æqualiſue apud nos gradus eſt, ſed ſecundũ incumbẽtia ſibi miniſteria decenter ornati.

1. Par. 24.

Septẽ gradus ordinis miniſtrantium ſub ſacerdotio.

Sunt enim primo loco, quos appropriato vocabulo & velut per excellentiam quandam diacones, atq; etiam Leuitas dicimus, deinde hypodiaconi, aut, vt nos dicimus, ſubdiaconi. His vaſorum ſacroſancti ſacrificij & materiæ, ex qua id conficitur, cura ordinatè commiſſa eſt, ſub ſuis principibus, nempe archidiãconis & archiſubdiaconis. Quos filij Caath referebãt in vmbra illa veteri. Poſt quos ſunt acolyti, quaſi ſequentes dicas, quos & ceroferarios adpellant. Deinde exorciſtæ, lectores, oſtiarij, & poſtremò clericorũ vulgus, quos & clericos, tanquam diuinæ ſorti ac miniſterio adſcriptos: & cantores, à Pſalmodijs in ecclesia decantandis, quin & pſalmiſtas inuenimus antiquitùs appellari. C Hi ſunt ſeptem gradus ordinis ſacri ſub regali eoque bipartito ſacerdotio: quos ab initio ex apoſtolorum doctrina & inſtitutione, autore nimirũ Chriſto & ſancto ſpiritu agnouit, quibusq; velut caſtrorum quædam acies ordinata eſt Chriſti eccleſia, ad exemplar quod illi monſtratum eſt in monte, illius (inquam) hierarchiæ cœleſtis, nouẽ Angelorum ordinibus ſub principe ac rege ſeculorum immortali Deo ordinatiſsimè ordinatæ: quemadmodũ iamdudũ deliniata & adumbrata fuerat in illa ſua vmbra & figura veteris tabernaculi. Qui quòd plures cernantur, & diſtinctiores in ipſa ſolida rei veritate, quàm in eius vmbra, nihil mirandum eſt, nuſquam enim vmbra diſtinctionem particularum ſui ſolidi corporis aſſequitur. Certè teſtantur in primis apoſtolici canones, deinde ſanctiſsimorum patrum monumenta, omnes hos gradus ſacri ordinis fuiſſe ab initio in primitiua eccleſia. Nam XLII. & XLIII. apoſtolicorum canonũ, diſcrimen inter epiſcopum, presbyterum, diaconum, ſubdiaconũ, lectorem, & cantorem indicant. Et ſanctus ille Ignatius Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, glorioſus martyr & pontifex, in epiſtola ad Antiochenos ſuos: Saluto, inquit, ſanctum presbyterũ veſtrum, ſaluto ſanctos D diaconos, ſaluto ſubdiaconos, lectores, cantores, oſtiarios, laborantes, exorciſtas atque cõfeſſores. Sic & beatiſsimus Cyprianus ſcribens ad Cornelium Romanum pontificem, meminit eius literas ſe accepiſſe per Satyrum acolytum ſuum. Quin & idẽ ſanctiſsimus põtifex & martyr Cornelius in ſua ad Flauianũ Antiochenũ epiſcopũ epiſtola, qua de Nouato ſingula quęque edocet, quis, qualis fuerit, vel vita vel moribus, & quomodo ab eccleſia Dei epiſcopatus, ambitione & impotenti cupiditate deſciuerit, faciem illius primitiuæ eccleſiæ in dictis omnibus gradibus ordinis ſacri, clariſsimè explicat, & velut oculis ſubijcit, tametſi obiter & agens aliud. Is ergo, inquit, qui euãgelium vendicabat, neſciebat in eccleſia catholica vnum epiſcopum eſſe debere, vbi videbat eſſe pręsbyteros quadraginta & ſex, diaconos ſeptem, ſubdiaconos ſeptẽ, acolytos quadraginta & duos, exorciſtas & lectores cum oſtiarijs quinquaginta & duos, viduas cum indigẽtibus mille quingẽtas, quos omnes Deus alit in eccleſia ſua. Hactenus ille Cornelius. Audis itaq; illius primitiuæ eccleſię faciem, quando ſub impijs ac paganis idololatriſque oppeſſa imperatoribus, decorem ſuum nondum penè explicare potuit. Ad hęc vetuſtiſsimam eccleſię ab initio

de

A de his obſeruationem, traditionem,& conſecrationis ritum, quartum Carthaginẽſe concilium comprobat, & velut chirographi ſui confirmatione conſignatum(ne quid hominum temeritate in diuinis rebus temerè mutaretur) tradidit poſteris. Omnes enim gradus prædictos ex antiquiſsima eccleſię obſeruatione, quæ per continuam ab initio eccleſiaſticæ traditionis ſucceſsionem ad ipſos peruenerat, & ſingulorum ordinationis ritum, ab epiſcopo ad nouiſsimum oſtiarium, nouẽ primis decretorum ſuorum deſcribit canonibus. Sed de inferioribus his ſacri miniſterij gradibus, ſingulorumq; officijs ac munijs proprijs nõ vacat feſtinãti ad inſtitutam nũc de eccleſiaſtica hierarchia, quæ in ſacerdotali præcipuè ordine conſiſtit, tractationem exactiùs perſequi, vt quæ ab alijs plæriſq; explicata ſunt diligẽter, & in forma ordinationis vniuſcuiuſque clarè eſt perſpicere. Tantùm conſerenti (ad demonſtrandum id quod inſtitutum eſt) eccleſiam noſtram cum vmbra ſua & figura veteri, obiter hæc percurrenda fuerant, vt clariſsimè intelligeretur vmbram ſuæ ſoliditati, & veritati figuram exactiſsimè reſpondere per omnia.

De euangelico ſacerdotio, & eius muneribus, & in primis de eius ſacrificio.

B CAP. V.

Tranſlationẽ legis cõſequi ad tranſlationem ſacerdotij.

PAulus ille gentium doctor, veteris legis imperſectionem approbaturus Iudæis, & propterea vt in perfectionem neceſſariò commutãda fuerat, oſtẽdit prouidiſſe in ſpiritu diuinum illum Pſaltem, ſurrecturum ſacerdotium nouum ſecundum ordinem Melchiſedech. Si enim conſummatio, inquit, per ſacerdotium Leuiticum erat, quid neceſſe erat ſecundum ordinẽ Melchiſedech adhuc alium ſacerdotem ſurgere, & non ſecundum ordinem Aaron dici? Trãſlato autem ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat. Perſuaſinne hac ex ſuis ipſorum ſcriptis opus habebant illi, quibus nondum illuxerat lumen veritatis euangelicæ, quibus adhuc erat velatus Moyſes, vt qui ignorabãt vmbræ ſe & figuræ ſeruire cœleſtium, veteraq; illa omnia adumbrationes quaſdam potiorum fuiſſe: eorum, inquã, quę ſunt exhibita ſub luce euãgelica. At nos huic luci aſſueti facilè credimus affirmanti Apoſtolo, vniuerſum illũ ſtatum veteris populi, vmbram fuiſſe eorum, quæ exhibita ſunt in Chriſti eccleſia. Et quemadmodum trãſlata vetus illa lex eſt in nouam & potiorem, ita tranſlatum & illud ſacerdotium in aliud auguſtius & multo excellentius. Veteris autem C illius ſacerdotij munera erant, offerre varia ſacrificiorum genera, holocauſta, hoſtias pro peccato, præterea panes ſanctos & mundiſsimos Deo, eoſque proponere in menſa propoſitionis, incẽſum inſuper ſuper altare thymiamatis in odorem ſuauitatis: quorũ ritus in Exodo & Leuitico longè lateque deſcribuntur. Quorum omnium quàm multiplicium, tam imperfectorum loco, in euangelico ſacerdotio vnicum tantùm, ſed perfectum ſacrificium, vnica, ſed munda ſucceſsit hoſtia & oblatio, corporis, inquã, & ſanguinis agni illius verè immaculati, qui tollit peccata mũdi. Hanc veteris ſacerdotij in noſtrum longè excellẽtius tranſlationem, veterum multipliciumq; ſacrificiorum in hoc vnum ſolum & perfectum commutationem, ex cuius virtute illa vetera omnem ſuam efficaciam habuerũt, ſpiritu afflatus Malachias, clariſsimè prędixit, atq; adeò per os prophetæ ſui ipſe Dominus, veteris illius tabernaculi ſacerdotibus loquens: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus nõ ſuſcipiã de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum magnum eſt nomen meũ in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Audis primùm denunciari vete- D ris illius, quod ſecundum ordinem Aaron erat, ſacerdotij oblationem ſuccedente nouo (de quo Apoſtolus) ſecundum ordinem Melchiſedech: Nõ eſt, inquit, mihi voluntas perpetua in vobis, vobis, inquam, Aaroniticis ſacerdotibus, nec vltrà ſuſcipiam munus aut ſacrificia de manibus veſtris. Quid ita? Quoniam non tantùm in vno hoc populo Iſraël, cui ſeruiebat illud vetus ſacerdotiũ, ſed in omnibus gentibus, ab ortu ſolis vſq; ad occaſum magnum erit nomen meum. Neq; ex vna hac familia Aaron, ſed ex omnibus gentibus nouos mihi ſacerdotes deligam, nouo ordine, abrogato veteri. Nec vetera illa vobis conſtituta & in vno loco offerenda ſacrificia ampliùs de manu veſtra ſuſcipiam: ſed in omni orbis loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda: propheta enim de futuro, ob certitudinem, vt ſolent, in pręſenti loquitur: non ſacrificia multa, ſed vna & ſola munda oblatio. Quid enim, vt Auguſtini verbis dicam, tam mundum pro mundandis vitijs mortaliũ, quàm ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero & ex vtero virginali? & quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri? Nullam imaginari

Veteris ſacerdotij & ſacrifitiorum eius tranſlatio, in nouum, auguſtius & vnicũ perfectum ſacrificium.

A ginari eſt oblationem mũdam aliam, quę per eccleſiam offertur in omni orbis loco, quàm in euchariſtiæ ſacramẽto caro & ſanguis agni immaculati. Nam ieiunia, eleemoſynę, orationes, ſacrificinm cordis contriti, breuiter vniuerſæ iuſticiæ noſtræ, ſunt veluti pannus menſtruatæ.

Hic iam rurſus aduerſns Chriſti eccleſiam inſurgit ter execrandus ille Lutherus, eamq́; precioſiſsimo illo omninmq́; perfectiſsimo ſacrificio ſpoliare contendit, vt quam etiam ſacerdotio ſuo ſpoliare conatus eſt, nullam ſacri inter nos prophaniq́ne relinquens diſtantiam. Qua in re tametſi impietas impietatẽ velut anſa anſam trahat, ſatis tamen oculatus extitit, ad conſequentiam attendens, & rectè intelligens hæc duo ſeſe conſequi, ſacerdotium, inquam, & ſacrificium, vt hoc ipſum clarè atteſtatur Apoſtolus: Omnis nãq; vt pontifex, ita & ſacerdos, ad offerendũ munera & hoſtias conſtituitur: vnde neceſſe eſt & hunc habere ſacrificium aliquod quod offerat. Itaq; vt primum abſtulit à Chriſti eccleſia, ne ſtatim ipſe pugnaret ſecum, & ſe euerteret, conſequentiam in hoc rectè obſeruãs, etiam ſecundũ auferre conatus eſt, quàmuis aduerſus clariſsimum, vt iam demonſtrauimus, ſcripturæ teſtimonium, totius ab initio

Catholicæ eccleſiæ de ſacrificio noſtræ legis ſententia aſſeritur.

B Chriſtianæ eccleſiæ, eandemq́; fidem & confeſsionem, quæ ſacroſanctũ hoc ſacrificium in omni orbis loco quotidie offert Deo patri, ſacrificinm equidem laudis & gratiarnm actionis, pro beneficijs, qnæ per Dominum Ieſum chriſtum ſalnatorem noſtrum accepimus: & in honorem ſanctorum omnium: ſalutem quoq; noſtram & peccatorum remiſſionem, & vinis hoc ipſum prodeſſe credens, & mortuis. Hæc eſt per totum orbem catholicæ Chriſti eccleſiæ ſentẽtia, fides & confeſſio, hęc & fuit ab initio, ſi modò vna vſq; nũc ab initio fuit catholica eccleſia. Cui conſona voce teſtimoniũ perhibet vniuerſus ille ſanctiſsimorum ab initio patrum ſibi ſuccedentium venerabilis chorus. Beatus Ignatius, Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus, in ea quæ eſt ad Smirnenſes epiſtola, ſacrificij noſtri, quod immolatur quotidie à noſtris ſacerdotibns & epiſcopis in eccleſia, meminit. Clemens quoq; beatiſsimi Petri in apoſtolica cathedra ſucceſſor, in ea, quam ſuperiùs citauimus, decretali epiſtola, ſacrificium offerre prohibet, & miſſas celebrare niſi in locis, in quibus epiſcopus iuſſerit. Sanctus Irenæus beatiſsimi Polycarpi Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli auditor, aduerſus inſana Valentini dogmata, ſacroſanctã euchariſtiam offerre nos Deo affirmat, nõ quaſi indigenti, ſed quaſi donationi eius gratias agentes. Ieſum ſiquidem Domi- C num noſtrũ, acceptum panẽ in ſuum corpus, & vini calicem vertẽdo in ſnnm ſanguinem noui teſtamenti, nouã docuiſſe dicit oblationem, quã eccleſia ab Apoſtolis accipiẽs, in vniuerſo mundo offert Deo, de quo Malach. Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum magnũ eſt nomen meũ in gentibns, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda. Hæc ille Irenęus Apoſtolis proximus, & quo tẽpore adhuc viuebant, qui cũ Apoſtolis vixerant, à quibus ille affirmat inſtitutã à chriſto noui teſtamenti nouam oblationẽ accepiſſe eccleſiã, & offerre in vniuerſo mundo iuxta pophetæ vaticiniũ. Alexander item eius nominis primus, cõtinuò poſt Apoſtolorũ tempora, ſub Traiano videlicet, etiam apoſtolicę cathedræ præſidens, in decretali quadam de nõ vexandis ſacerdotibus: Cyprianus quoq; glorioſus martyr & pontiſex in epiſtola ad Cecilium, & in ſermone de cœna Domini, eidẽ catholicæ veritati teſtimonium perhibẽt. Gregorius ille Naziãzenus, in præclaro quodam de ſacerdotali dignitate carmine, inter cętera ita cecinit: O ſacrificia mittentes incruenta ſacerdotes, ô animarũ cuſtodes glorioſi, ô magni figmentum Dei veſtris in manibus ferentes. Hilarij, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Cyrilli, Leonis, Damaſceni, Gregorij, frequentiora paſsim occurrunt in hanc ſententiam teſtimonia, quàm vt hic anxiè corroganda ſint. Ex quibus vnum illud chryſoſtomi hic libet adſcribere, quod in poſteriorem ad Timotheum epiſtolã ſcribit in hæc verba: Volo quidẽ adijcere planè mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Quid verò iſtud eſt? Sacra ipſa oblatio, ſiue Petrus, ſiue Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadẽ eſt, qnam dedit Chriſtus ipſe Diſcipulis, quamq́; ſacerdotes modò cõficiũt. Nihil habet iſta prę illa minus. Cur ita? quia non ſanctificant hãc homines, ſed Chriſtus, qui antè ſacrificauerat. Et paulo pòſt: Et hoc igitur Chriſti corpus, & illud eſt. Qui autẽ hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Chriſtũ eſſe, qui etiã nunc adeſt atq; operatur. Hęc ille Chryſoſtomus. Breuiter, in his omnibus catholicæ eccleſiæ columnis & mẽbris pręcipuis, eorundẽ monumenta diligenter euoluẽti (ne hic ſim in citãdis dictis eorũ prolixior) catholicæ eccleſiæ de veritate ſacroſancti excellẽtiſsimiq́; ſacrificij noſtri cõmunẽ fidem & confeſsionẽ clariſsimè adeſt perſpicere. quã ſi malueris totius eccleſiæ voce audire & intelligere, audi confeſsionẽ ſanctiſs. illius epheſini primi vniuerſalis cõcilij, quod ante annos 150. ſub Celeſtino, vt ſuprà

A diximus, Romano pontifice celebratum eſt, præſidente in eodem Cyrillo ſanctiſsimo & doctiſsimo Alexandrino pontifice. Hoc in ſynodali ad Neſtorium epiſtola (aduerſus cuius impietatem præcipuè congregatum extitit) ſcribit in hæc verba: Neceſſariò igitur & hoc adijcimus. Annunciantes enim ſecundũ carnem mortem vnigeniti filij Dei, id eſt, Ieſu chriſti, & reſurrectionem eius, & in cœlos pariter aſcenſionem confitentes, incruentam celebramus in eccleſijs ſacrificij veritatem, ſi etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes facti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omnium redemptoris effecti. Audis ex toto orbe in vnum conuenientium ſanctorum pontificum, atq; adeò vniuerſæ ſimul in eis Chriſti eccleſiæ confeſsionem: nos celebrare incruentam in eccleſijs ſacrificij veritatem, ſancti (inquam) corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omnium redemptoris noſtri. Et diuus Cyrillus, cuius in eo concilio præcipuè enituit antoritas, adiectum in fine eiuſdem ſynodalis epiſtolę anathematiſmum, in penultimum inter alios articulorum ad præfati Neſtorij aſſertionem impiam conſequentium, aduerſus detractores aſſerens, & eiuſdem ſancti, cui pręfuit concilij, atque adeò catholicæ eccleſiæ ſententiam clariùs explicãs: Sanctam, inquit, & viuificatricem & incruentam immolatio-

Ex teſtimonio catholicæ eccleſiæ in Epheſina ſynodo.

B nem in eccleſijs celebramus, nõ vnius ſecundum nos corpus hominis quod offertur eſſe credentes, ſimiliter autem & precioſum ſanguinem, ſuſcipientes autem potiùs tanquam proprium corpus factum, nec non & ſanguinem omnia viuificantis verbi. Communis enim caro viuificare non poteſt. Hęc ille ex dicti concilij, atque adeò totius chriſti eccleſię ſententia. Cui per omnia conſonat definitio Lateranenſis concilij ſub Innocentio tertio, in hęc verba: Vna eſt fidelium vniuerſalis eccleſia, extra quam nullus ſaluatur omnino. In qua idem ipſe ſacerdos eſt, & ſacrificium Chriſtus Ieſus, cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, &c. Et hoc vtique ſacramentum nemo conficere poteſt, niſi ſolus ſacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claues eccleſiæ, quas ipſe conceſsit apoſtolis eorumque ſucceſſoribus. Audis impie, audis impure, Chriſtianæ eccleſiæ & ſacrificium & ſacerdotium. Idque ipſius catholicæ Chriſti eccleſię cõfeſsione, & clariſsimo teſtimonio. Cui quòd impudenti ſacrilegoq; ore inſultas, quòd detrahis, quòd repugnas, quid aliud facis, quàm quòd te hæreticum eſſe omnibus palàm facis, nec pertinere ad Chriſti corpus, nec ſacroſancti ſacrificij eius promiſſionumq; participem fieri? C

Sed dicis ita ſcriptum ab apoſtolo, vt Chriſtus perfectorum bonorũ pontifex per proprium ſanguinem ſemel introierit in ſancta æterna redemptione inuenta: vt deinceps appareat vultui Dei pro nobis: neq; vt ſæpè offerat ſeipſum, qui ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, & nos ſanctificaret per oblationem corporis ſui ſemel: vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos. Si autem vnica ſemel oblata à Chriſto hoſtia conſummauit in ęternum ſanctificatos, ſi negat Paulus ſæpiùs offerri Chriſtum: quis igitur, inquis, tam multis miſsis, tam multis ſacrificijs, tam multis eiuſdem ſemel ſufficienter oblatæ atque immolatæ hoſtiæ repetitis oblationibus locus eſt? Quaſi contra claram doctrinam Apoſtoli non ſufficeret ſemel oblatam eſſe in cruce, niſi inſtar veterum illarum hoſtiarum repeteretur, ac offerretur, nõ ſolùm per annos ſingulos, ſed etiam infinitis penè locis per dies ſingulos. Hi ſumi ſunt, quos Chriſti fideliũ mentibus offundere conaris ex verbis Apoſtoli. Deinde ingeris etiam ſcrupulos huiuſmodi: Non inueniri ſcilicet ſcriptũ ab Euangeliſtis, ꝙ in vltima cœna oeo patri ſe Chriſtus obtulerit, ſed in cruce. Quòd ſi tunc ſacrificiũ nõ fuerit, nihilo magis nũc eſſe in miſſa, in qua ſacerdos dominicã illam cœnã refert. Quòd verò D ibi Chriſtus nõ ſe obtulerit patri, videtur ex dictis verbis apoſtoli, quibus affirmat ſemel tantùm ſeipſum obtuliſſe Chriſtum. Addis ex verbis Euangeliſtarũ magis apparere miſſam aut euchariſtiam, eſſe teſtamentum nouum, quàm ſacrificiũ. Nam de calice dicit Lucas: Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine. At diuerſa ſunt toto genere teſtamentũ & ſacrificium. Siquidem teſtamentũ promiſsio eſt, aut vltima voluntas teſtatoris, eius morte confirmata, qua bonorum ſuorũ, quos vult, hæredes inſtituit, vt etiam ad Hebræos innuit Apoſtolus. Inde & ridiculũ vis videri eccleſiæ catholicæ morem & fidẽ, quo miſſæ ſacrificium pro vniuerſa catholica eccleſia, & viuis offert atque mortuis, eiſdemq; prodeſſe fideliter credit: cùm non ſit aliud (vt tu exiſtimas) quàm aut promiſsio, aut donum & ſacramentum oei. Sed ſacramenta nõ proſunt alijs, quàm ea ſumentibus, quemadmodum baptiſmi efficacia vltra baptizatum non extenditur. Nemo enim baptizatur pro alio. Similiter nec alteri prodeſt alterius laici communio. Poſtremò, neque hæc cohærere, exiſtimas, ſacramentum euchariſtiæ, in miſſa, offerri Deo, eſſeq; ſacrificium: attamẽ totum

Rationes Lutheri aduerſus veritatem noſtri ſacrificij.

Cap. 22.

Cap. 9.

inſumi

A luſumi à ſacerdote: cùm hoc (vt tu dicis) ma-
gis ſit à Deo accipere nobisque tribui, quàm
ipſi offerre aliquid. Huiuſmodi ratiunculis
impudens ille audet laceſſere communem to
tius catholicæ Chriſti eccleſiæ fidem & ſen-
tentiam, audet ſolus velut alter Goliath ex-
probrare agminibus Dei viuentis.

Quibus priuſquàm reſpondeamus, ad me-
moriã tibi reuocare volui lector Chriſtiane,
fidele illud & planè Chriſtianum illius Ori-
genis conſilium, quòd homelia quadam in
Matthæum his verbis inculcat: Quoties, in-
quit, aduerſus ea quę obſeruat vniuerſa Chri
ſti eccleſia, canonicas ſcripturas aliqui profe-
runt, quibus omnis Chriſtianus orbis con-
ſentit & credit, videntur dicere: Ecce in do-
mibus eſt verbum veritatis. Sed nos illis cre-
dere non debemus, nec exire à paterna eccle
ſiaſticaque traditione, nec aliter credere, niſi
quemadmodum eccleſiæ tradiderunt nobis.
Huius, inquam, fidelis ſanctique conſilij ad-
monitum te volui lector, ne ſi fortè aut ego,
aut alius quiuis, in diluendis his ſimilibusq;
hæreticorum obiectionibus, indicio tuo mi-
nùs ſatisfecerimus, ne vel tantillũ propterea
apud te periclitetur catholica veritas, ne de
communi catholicę eccleſiæ fide & ſententia
propterea quicquã hæſites; nec propter quã-
B cunque, quæ tibi fortè videretur aut ſcriptu
rarum aut rationum in contrarium euiden-
tiam, à paterna eccleſiaſticaq; traditione exe-
as, ne credas aliter, quàm didiciſti in catholi-
ca eccleſia. Cuius certã indubiamq; hac de re
ſententiam diuinis concordantem eloquijs,
tam commune eiuſdem in ſanctiſsimis vni-
uerſalibus concilijs cõuenientis voce, quàm
membrorum eius præcipuorum, atque adeò
columnarum eius, quæ fuerunt ab initio; ex
omni orbis loco, omni ætate & ſeculo conſo
na confeſsione clariſsimè demonſtrauimus.
Et quæ obſecro, vel fingi à quoquam poteſt
alia munda oblatio, ſuccedens in locũ omni-
um illarum veterum, quam inter gentes in
omni orbis loco ſacrificãdam & offerendam
propheta affirmat, quàm ea quæ offertur in
miſſæ ſacrificio? Si dicas illã qua Chriſtus ſe-
metipſum ſemel in cruce obtulit, vnaq; con-
ſummauit in æternum ſanctificatos: certum
eſt illam, non inter gentes, nec in omni orbis
loco; ſed in vna Iudæa, in vnico orbis loco fu
iſſe oblatam. At illa, de qua propheta, ſacrifi-
catur in omni orbis loco, & offertur nomini
Domini. Si cordis cõtriti, humiliati & ſancti-
ficati, ſacrificium dicas prophetã intelligere;
quod etiam omni orbis loco nunc offertur
Deo: illud equidem non deſpiciet miſericors
Dominus: ſed non eſt illa munda & perfecta
oblatio, ſuccedens in priorum ſacrificiorum C
locum, de qua propheta. Siquidem vetera illa
omnia, ad agnum hunc verè immaculatũ re-
ſpiciebant: quæ ſola veritas ſuam figurã eua-
cuat. At noſtri cordis ſacrificiũ, & quicquid
ex nobis Deo offerre poſſumus, indignum
planè eſt, quod ita ſimpliciter mũda dicatur
oblatio: quandoquidẽ iuſticię noſtræ omnes
ſunt velut pãnus ſordidatus mulieris immũ-
dæ, quæ menſtruum fluxum patitur. Deinde,
vt veritas figuræ ſuæ reſpõdeat, totius catho
licæ eccleſiæ cõſenſu & Apoſtoli teſtimonio
certum eſt, illum agnũ paſchalem veterem,
typũ fuiſſe agni noſtri verè immaculati, qui
tollit peccata mundi. Paſcha noſtrum, inquit
ille, Chriſtus eſt. Nõ ſolùm vt ſemel in cruce
oblatus eſt, ſed etiã vt à nobis in miſſæ ſacri-
ficio offertur quotidie. Siquidẽ ille non im-
molabatur tantùm, ſed edebatur etiam: qui
noſtri, vt in miſſę ſacrificio typus eſt. De quo
catholicæ Chriſti eccleſiæ ille eius pontifex
ſanctiſsimus Leo, ita non minùs eleganter,
quàm verè in ſermone quodam paſchali lo-
quitur: Vt vmbræ cederent corpori, & ceſſa-
rẽt imagines ſub præſentia veritatis, antiqua *Serm.7.*
obſeruantia nouo tollitur ſacramẽto, hoſtia
in hoſtiam tranſit, ſanguis ſanguinem exclu-
dit, & legalis feſtiuitas dum mutatur, imple-
tur. Conſtat autem præceptum fuiſſe à Domi D
no in lege veteri, vt typicus ille agnus antè
immolaretur, deinde ederetur. Ita enim in
Exodo ſcriptum legitur: Immolabitque eum *Cap.12.*
vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſpe-
ram. Et rurſus de eodem: Ite tollentes animal
per familias veſtras, & immolate phaſe. Et ite
rum victima dicitur tranſitus Domini. Itaq;
à ſacerdotibus noſtris verus ille agnus offer-
ri immolariq; antè debet, deinde & comedi.

Quanquam autẽ lucè clarius demonſtrata
ſit à nobis catholicæ fidei hæc veritas & con-
feſsio, committere tamen non poſſum, quin
hic velut auctarij loco adſcribam beatiſsimi
Apoſtoli Andreæ clariſsimum teſtimonium: *Teſtimonio beatiſsimi Andreæ Apoſtoli.*
quod, ſi non ſcripturæ, at ſanguinis ſui chiro
grapho nobis cõſignauit. Et quàmuis à Luca
perſcriptum non ſit, vt cui vnius Pauli, quàm
diu illi adhæſit comes indiuiduus, magis quã
in vniuerſum apoſtolicorum actorum ſtudi-
um fuit perſcribere hiſtoriam: vniuerſus ta-
men ordo ſacerdotum Achaiæ, qui ſpectato-
res & teſtes extiterunt glorioſi eius martyrij,
literarum ſuarum certa fide, & tunc vniuerſę
Chriſti eccleſiæ perhibuerunt fidele teſtimo
niũ, & tranſmiſerunt ad poſteros. Autor eſt
Philatetus, eccleſiaſticarũ rerũ ſcriptor anti- *Philatetus*
quus. Aegeę itaq; dicẽti beatiſsimo apoſtolo, *cap.19.*
niſi cõſentias Dijs immortalibus ſacrificare,
in

A in ipſa quam laudas cruce fuſtigatum te affigi præcipiam, ita illis teſtificantibus reſpondit Andreas: Ego omnipotẽti Deo, qui vnus & verus eſt, omni die ſacrifico, non thuris ſumum, nec hircorum aut taurorum ſanguinẽ, ſed immaculatum agnum quotidie in altari ſacrifico. Cuius carnes, poſtquàm omnis populus credentium manducauerit & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt, nihilo minùs integrè perſeuerat, & viuus: & cũ verè ſacrificatus ſit, & verè eius carnes manducatæ ſint à populo, & verè eius ſanguis hauſtus: tamen, vt dixi, integer permanet, & immaculatus, & viuus. Hæc fuit illius, hæc & Apoſtolorum omnium fides, doctrina & confeſsio. Quam vt tradiderunt primitiuæ illi eccleſiæ ſub manifeſta diuinæ virtutis atteſtatione, & ſanguinis ſui ſigillo conſignauerũt: ita ab eo tempore vſque nunc immutatã permãſiſſe cernimus. Nam quòd tu & ſimiles tui aliquot, eandem allatratis, canes rabidi & ſerino morſu appetitis, veſtro hoc malo, in veſtramq́; facitis perniciem, quæ non expectat. Nam inferorum portę aduerſus eandem nunquam præualebunt. Aduerſus quam cùm Apoſtolum & ſcripturas inducis, & hic & alibi ſępè mecum mirari cogor, quidnam tibi perſuadeas: An ſolum & primum te legiſſe ſcripturas, an ſolum te rectè eas intellexiſſe & intelligere? Nam alterum eſt neceſſarium, vtrunque autem æquè nõ dicam temerarium,
B impudentiæ, impietatis & arrogantiæ pluſquàm diabolicæ, ſed ſtultitiæ, amentiæ, & euidentis inſaniæ pleniſsimum.

Quàm ſit eui dẽtis inſaniæ aduerſus communem catholicæ eccleſiæ ſententiã ſcripturis certare.

Ignorare non potes, etiam ſi velis, communem per orbem eccleſiæ de miſſæ ſacrificio ſententiam, aſſertioni tuæ contrariam, ſanctiſsimos præterea doctiſsimosq́; patres ab initio vniuerſos, conſenſiſſe huic catholicæ fidei: & tuam, quam ex Apoſtolo ſtabilire conaris, damnare aſſertionẽ, quî potes neſcire tantus doctor & magiſter in Iſraël, qui ſolus plus omnibus ſapis? Ignatium dico, & Clementem pontifices & Chriſti martyres Irenæum, Alexandrum primum, & ipſum apoſtolicæ ſedis Epiſcopum, Cyprianum etiam martyrio glorioſum pontificẽ: Gregorium præterea illum Nazianzenum, quem præ cæteris Theologi cognomine, eruditiſsima illa dignata eſt antiquitas: Hilarium inſuper, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Cyrillum, Damaſcenum, Gregorium alterum, & quotquot deinceps ſubſequuti ſunt. Vniuerſos denique totius orbis orthodoxos epiſcopos, qui aut congregati fuerunt in ſancto illo Epheſino vniuerſali concilio, aut eidem conſenſerunt & ſubſcripſerunt: qui omnes vno ore affirmãt nos of- C
ferre quotidie hoſtiam illam mundam & viuificatricem precioſi corporis & ſanguinis omnium redemptoris noſtri, & incruentam celebrare in eccleſijs ſacrificij veritatem. Aduerſus quos omnes cùm tu inducis Apoſtolum, quid aliud dicis, quàm vni tibi tandem illuxiſſe veram Apoſtoli & ſcripturarum intelligentiam, quam nemo illorum omnium aſſequutus ſit? Quod ipſum quis ſanę mentis feret, etiam priùs quàm è propinquo diſcutiatur ea de qua agitur ſententia? Quis non ſtatim te explodet, exibilabit, execrabitur, vt hoſtem catholicæ eccleſię? vt pertinacem hæreticum?

Sed quid obſecro aduerſus communem hanc totius eccleſiæ fidem dicit Apoſtolus? Chriſtus, inquit, perfectorum bonorum pontifex, per proprium ſemel ſanguinem introiuit in ſancta, vt deinceps appareat vultui Dei pro nobis. Nõ ſępè offerens ſemetipſum, ſed ſemel oblatus, ad multorum exhauriẽda peccata, ſemel nos ſanctificauit per oblationem corporis ſui, vnaq́; oblatione conſummauit in ęternum ſanctificatos. Et nos quidem hęc legimus in Apoſtolo, legerũt & ſancti illi doctiſsimiq́;, quos memorauimus, patres: nihil tamẽ in his contrarium fidei catholicæ eccleſię intelleximus, ęquè nos, ęquè & illi omnes cum catholica Chriſti eccleſia credimus, nos D
celebrare incruentam ſacrificij veritatem, & ſanctam viuificatricemq́; nos offerre hoſtiã. Sed negat, inquit, Apoſtolus, vt ſępè ſeipſum Chriſtus offerat, ſed vna oblatione affirmat conſummaſſe ſanctificatos. Et nos conſentimus Apoſtolo. Et nos quoq́; negamus Chriſtũ ſæpiùs obtuliſſe ſeipſum, hoc enim ſemel in ara crucis fecit: Sed nos ipſum quotidie offerimus in eccleſia. Non negat Apoſtolus ipſum ſæpiùs offerri, ſed negat ſępè offerre ſeipſum. Deinde & vnitatẽ apud nos ſalutaris hoſtiæ adſtruit. Vmbræ enim illius veteris hoſtiæ, repetitæ ſunt in annos ſingulos, quoniã nihil in ſe perfecti habebant, nec mundabant, nec conſummabãt accedentes. Nã ſi vna earũ fuiſſet perfecta aliqua ad remittẽda peccata, conſummandosq́; accedẽtes, nihil opus erat ſuccedente & repetita altera. At nos, inquit, ſanctificati ſumus per oblationẽ corporis Ieſu Chriſti ſemel, qui vnam pro peccatis offerens hoſtiã, in ſempiternũ ſedet ad dexteram Dei, vna enim oblatione cõſummauit in æternum ſanctificatos. Vides, quorſum vnitatem hoſtiæ ſemel oblatæ à Chriſto commẽdet Apoſtolus, nẽpe à plenitudine & perfectione. Vna enim illa ſatis eſt delendis ab initio totius mũdi peccatis, vna cõſummauit

Chriſtum ſemel quidẽ ſeipſum offerre, at nos ipſum offerre quotidie.

A in æternum eos, qui ſanctificantur. Nulla alia opus eſt, neque vt iterum ſeſe Chriſtus offerat, ſed nobis tantùm opus eſt, vt plenitudinis illius participes efficiamur. Nihilo plus faceret, ſi iterum in terras deſcendens, rurſus ſe crucifigi permitteret, ſi iterũ ſe Deo patri offerret in ara crucis, nihilo plus ſibi aut nobis mereri poſſet. Totum promeruit, quicquid mereri potuit, ſemel oblata illa hoſtia, quæ ſatis eſt, & ſufficit totius ab initio mundi peccatis omnibus, imò infinitorum, ſi eſſent, mundorum. Quid igitur? Nunquid vna illa oblata hoſtia, totius mũdi peccata deleta ſunt? nunquid ſanctificati & conſummati in æternum omnes? Non hoc dicit Apoſtolus, ſed vna oblatione cõſummaſſe aut perſectos feciſſe dicit in æternum omnes, qui ſanctificantur. Sed nunquid etiam infideles & increduli Iudęi, Saraceni, & gentes idololatrę, quę ignorãt Deum, vna illa oblatione omnes ſanctificati ſunt? Nunquid etiam ſanctificati omnes qui credunt in Chriſtum, etſi ſint adulteri, fures, homicidæ, ſacrilegi? Certè de his affirmat Apoſtolus, quòd regnum Dei non poſſidebunt. Nunquid propterea nõ eſt perfecta illa hoſtia? Nunquid amplius his fieret, ſi quotidie Chriſtus ſeipſum pro illis offerret in cruce? Certè, quantum ad hoſtiæ illius perfectionem attinet, inexhauſtæ plenitudi-
B nis eſt, omnibus patet, omnibus ſufficit, nunquam exhaurietur eius meritum, nec altera aut iterata hoſtia opus eſt, ſed per nos ſtat, quo minùs plenitudinis illius efficiamur participes. Quæ cùm tantùm fluat in Chriſti myſtico corpore, in eius mẽbra à capite, neceſſe eſt ante omnia, membrum ſit illius corporis, qui plenitudinis quę conſiſtit in capite, & ab eo in membra influit, particeps eſſe voluerit. Deinde, ne eiuſmodi influxui ponat obſtaculum, ſuiſque ipſum peccatis excludat. Duo enim ſunt, quæ impediunt influxum à capite in membrum aliquod corporis. Vnum, ſi diuiſa ſit eius ad caput continuitas, ſecto videlicet neruo per quem continuatur & coniungitur capiti: alterum, ſi ſalua ea continuitate neruus ille, per quem à capite animalis facultas in mẽbrum influit, impeditus ſit, hoc eſt, vel obſtructus, vel oppreſſus: ita vt influenti (quantum in ipſa eſt) parti principi ſeu capiti facultatiq; tranſmiſſę nõ pateat aditus. quod fit, ſi vel hamo, laqueoúe comprehenſus adſtringatur fortiter, alioqui ſanus neruus & integer. Videbitur enim ſtatim membrum hoc, quod per eũ neruum cõtinuatur capiti (quemadmodum in anatomicis Medicorum experimẽtis videre eſt) ſenſu & motu repentè deſtitui. Idẽ accidit, ſi viſcoſo aliquo craſſoque humore neruus conſtipetur immodi- C cè, aut ſi aliqua ſui parte, phlegmone aut ſcirro proprio occupetur, aut vicinæ partis affectu eiuſmodi ipſe veluti ab incumbente ſibi onere comprimatur extrinſecùs, aut vbi luxatis fractisúe oſſibus, meatus per quos incedũt, arctiores reddũtur. His omnibus modis principiò exigua admodũ facultatis portiuncula influentis à capite, admiſſa ad mẽbra, ob impeditũ tranſitum, eadẽ redduntur ſtupida: deinde aucto noxio affectu, excluſo planè influxu à capite, ſenſu omnino motuq; deſtituuntur. Nominatur à medicis paralyſis eiuſmodi eorum vicium. Quod ſi diutiùs hęreat, ipſa etiã membra excluſa diutiùs à cõmercio & influxu capitis, proprium vicium contrahunt, tandem planè irremediabile, etiã vt primum illud, quod in neruo eatenus hæſerat, amoliri potuiſſet. Idem ad rationẽ accidit in corpore chriſti myſtico. In primis hoc per ſe notum eſt, neminem participem fieri vitalis illius, ſalutarisque influxus à capite, niſi qui eius corporis membrũ eſt, & qui manens in vnitate eccleſię, eius capiti ſuo illo modo cõtinuatur & coniungitur. Poteſt tamen etiam ſalua illa vnitate & connexione, influxũ capitis excludere, vt ſi illi ponat peccati mortalis obicẽ. Quem niſi amoueat, niſi feneſtram & meatum aperiat, per quẽ influxus ille ad eum ingrediatur à plenitudine capitis, non poteſt D eius particeps fieri. Non quidem ob defectũ virtutis & plenitudinis, quæ exundat in capite: ſed, quia obſtructo meatu, excludit eandem. Qua ſi diutiùs careat, etiam peiorem affectum contrahit, per quem prorſus fit alienus à ſalutari illo viuificoq; influxu à capite. Peccator enim cùm in profundũ venerit, cõtemnit. Corpori Chriſti myſtico incorporamur per baptiſmũ, ſacramentum fidei, quod prima ianua eſt aut feneſtra, per quam ſalutaris illius hoſtiæ participes efficimur, per quã plenitudo illa meriti Chriſti & gratię, ad nos influit à capite. In cuius innocentia quandiu permanemus, ea nos ſanctificat & perfectos efficit. Quòd ſi feneſtram illam obturauerimus, per mortalis peccati obicẽ, neceſſe eſt, vt relictis peccatis ad ſalutaria, quæ ſuperſunt, & nobis à Chriſto ad remedium & ſalutem relicta ſunt, ſacramenta confugiamus, quibus amoliamur poſitum obicem: neceſſe eſt, vt ieiunijs, eleemoſynis, orationibus & ſacrificio cordis contriti, noxium quẽ contraximus, amouere ſtudeamus affectum, vt nos rurſus exhibeamus aptos & idoneos influxui meriti ac plenitudinis illius ſalutaris hoſtiæ à Chriſto capite: neceſſe eſt, vt illum noſtra culpa à nobis auerſum, diuinæ miſericordiæ

Sacramẽtum baptiſmi prima ianua, per quam plenitudo illius hoſtiæ & meriti paſſionis Chriſti in nos influit.

prouoca-

A prouocatione rurſum allicere,& ad nos con-
uertere ſtudeamus. Ad quod cùm multa no-
bis remedia reliquerit diuina benignitas,nul
lum certè efficacius, quàm quòd eiuſdem il-
lius hoſtiæ mundæ Deo patri gratiſsimæ il-
lius inæſtimabilis ſacrificij(quod anteà in ara
crucis ille ipſe ſummus ſacerdos noſter & pō
tiſex eidem obtulit) quoties placeret, etiam
nobis eidem offerendi poteſtatem copiamq́;
fecit. Quæ plenitudinē ſui,vt ſemel in cruce
oblata eſt,ad nos refundit,diuinamq́; ad nos
benignitatem deuocat, & nos Deo eiuſdem
ſalutaris hoſtiæ glutino, ineffabili quodam
modo coniungit,atque ad caput noſtrum mi
rabilem quandam cognationem familiarita-
temq́; tribuit,atq; eius influxibus percipien-
dis, quàm aptiſsimos paratiſsimosq́; reddit.
Vides, quàm pulchrè nobis conueniat cum
Apoſtolo. Quem quòd tu aliter, quàm nos,
intelligis, hinc eſt, quia tuum,non Apoſtoli,
non ſcripturarum ſenſum quæris in ſcriptu-
ris & Apoſtolo. Is enim ſcripturarū verè ger-
manus ſenſus eſt, qui eſt communis catholi-
cæ per orbem eccleſiæ. Ad quem perpetuò
reſpicit, quiſquis in tractandis ſcripturis hal
lucinari noluerit.Nihil ergo mirum,ſi tu con
tempta vnica illa infallibilique rectæ ſcriptu
rarum intelligentię amuſsi,tuorum ſomnio-
B rum portenta impia,pro ſcripturis eorumq́;
natiuo ſenſu intrudis.

Sed iam reliquum rationum tuarum, qui-
bus communem eccleſię fidem conaris euer-
tere,expendendum eſt.

An Chriſtus etiam in nouiſsima cœna ſe ſacrificauerit.

Dicis nō eſſe ſcriptum in euangelijs, quod
Chriſtus in nouiſſima cœna ſe ſacrificauerit
aut obtulerit Deo patri. Sed etiā hoc ſcriptū
meminiſti in euāgelio,multa feciſſe Chriſtū
quæ in euangelio ſcripta non ſunt. Itaq́; hac
tua collectione per ſe infirma, & quam ride-
rent atque etiam exibilarent ac exploderent
dialectici,q̃ nihil,non dico,demonſtras,imò
quàm nullam veri ſimitudinem facis,primo
libro clariſsimè demonſtrauimus. Itaque ſi
hic dixero, quod ab alijs ante nos orthodo-
xis dictum inuenio,trifariam ſeipſum obtu-
liſſe Chriſtum. Primùm typicè, in agno paſ-
chali ex ritu veteri,vt qui implere & conſum
mare venerat legem,non ſoluere: deinde in
ſacramēto,vt completa iam illa legali hoſtia,
noua ſuccederet, nouumq́; quod tunc inſti-
tuit ſacedotium(dicendo, hoc facite in meā
commemorationem)nouum haberet iugeq́;
quod offerret ſacrificium: poſtremò, in ara
crucis de qua Paulus ad Hebræos, quod vna
illa ſic oblata hoſtia conſummauit in æternū
eos qui ſanctificantur.Si,inquam,ad hūc mo
dum, nec improbabiliter diſtinguerem de

Trifariam ſe obtuliſſe chriſtum.

Chriſti ſacrificio,de tertio hoc intelligens lo C
qui ad Hebræos Apoſtolū, alijs quàm adhuc
audierim, rationibus conuincendus eſſem.
Certè verborū, quibus hoc nobis myſteriū
euangeliſtę explicant, energia maniſeſtè hoc
innuere videtur, vt in nouiſsima illa cœna
Chriſtus ſeipſum verum & innocentiſsimū
agnum,ſub ſpecie panis & vini immolauerit,
iuxta ritum noui ſacerdotij ſecundum ordi-
nem Melchiſedech.Iurauit enim ille deus pa
ter, quòd ſacerdos eſſet ſecundum ordinem
Melchiſedech,cuius in pane & vino oblatio-
nem fuiſſe teſtatur ſcriptura. At nuſquam ali
bi,quàm in nouiſsima cœna hoc ſacrificij ge-
nus obtuliſſe & conſummaſſe Chriſtus legi-
tur,quādo ſub panis & vini ſpecie ſuum cor-
pus & ſanguiuem cum gratiarū actione Deo
patri obtulit, ſimul & ſumenda Diſcipulis dī
ſtribuit. Ita iam verè exercens nouum illud
ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſe-
dech, & nouo inſtituto adimplens figuram
phaſe illius veteris.Ita enim recumbens cum
apoſtolis ſuis duodecim,loquitur apud Luc.
Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare
vobiſcum, antequàm patiar. Hoc paſcha,in-
quit,non illud vetus, typicum & veruecinū,
in quo nihil dignum erat tanto Chriſti deſi-
derio,ſed nouum illud,quod in locum vete-
ris ſubſtituit. Hoc certè diligēter annotauit
ille Tertullianus aduerſus Marcionem, ſcri- D
bens in hæc verba: Profeſſus eſt itaq; ſe con-
cupiſcentia concupiſſe edere paſcha,ſed ſuū:
indignum enim, vt quid alienum tantoperè
concupiſceret Deus,acceptumq́; panē, diſtri
butumq́ue Diſcipulis,corpus ſuum illnm fe-
cit. Vides, quod paſcha ille tanto deſiderio
deſiderauit manducare cum Diſcipulis ſuis,
priuſquàm pateretur, nempe ſub nouo ſacra
mento, ſuū corpus & ſanguinē. Tot antè an-
nis Iudæorū paſcha manducauerat, etiam cū
Diſcipulis manducauerat, & ſemel & iterum
atque iterum. Quare de eo minimè loquu-
tum, certum eſt. Nouum ergo verumq́ue il-
lud erat,quod tantoperè deſiderabat cum ni
ſcipulis comedere. Si autem paſcha, ergo vt
reſponderet figuræ ſuæ adumbrationiq́; ve-
teri,immolari priùs, deinde & māducari de-
buit. Hic enim veteris illius phaſe ritus præ-
ſcriptus fuerat à Domino. Ita ſanè ante nos
hoc intellexerunt ſancti patres noſtri, quos
ſi in hoc imitabimur, nihil profectò aberra-
bimus.In primis ſanctus ille Cyprianus glo-
rioſus martyr & pontiſex ita docuit fidelem
populum,in ſermone de cœna Domini.Cœ-
na itaq; diſpoſita, inquit ille, inter ſacramen
tales epulas, obuiauerunt ſibi inſtituta anti-
qua & noua, & conſumpto agno quem anti-
qua

A qua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis. Nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia inuitantur populi, ſed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantię retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeūt ſacramenta, & filijs Abrahæ, facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert & vinum. Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manducauerāt & biberant de eodem pane ſecundum formam viſibilem, ſed ante verba illa, cibus ille communis tantummodò nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed poſtquam à domino dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem, hęc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemq́; proficit, medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens. Hactenus Cyprianus. In quibus verbis hoc primùm annotabis, quod in illa cœna dicit obuiaſſe ſibi inſtituta antiqua & noua in figura veteri, & in eius exhibita veri B tate, paſcha vetus, & paſcha nouum. Deinde ꝙ clarè affirmat nouū hoc paſcha in euchariſtiæ ſacramento, duplicem habere rationem, & medicamenti ad ſanandas infirmitates, & holocauſti ad purgandas iniquitates. Eodem modo hoc intellexit diuus Hieronymus in commentarijs in caput vigeſimum ſextum Matthæi, in hæc verba ſcribens: Et finem carnali feſtiuitati volens imponere, vmbraq́ue tranſeunte, paſchæ reddere veritatem, dixit: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar, etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Hæc Hieronymus. Eodem quoque modo hoc ipſum Auguſtinus intelligit libro II. aduerſus Petiliani epiſtolā: Aliud, inquit, eſt paſcha quod Iudæi de oue celebrabant, aliud quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus. Eandem ſententiam Chryſoſtomus in concione quadā inculcat fideli populo: Et ideo, inquit, in ipſa menſa, vtrunque paſcha & typi & veritatis celebratū eſt. Nam ſicut pictores pingendam tabulam veſtigijs quibuſdam adumbrare conſueuerunt, & ſic colorum varietate perficere: ita & Chriſtus fecit in menſa, & typū paſchæ deſcripſit, & paſcha veritatis oſtendit. Ille etiam Leo ſanctiſs. pontifex, in his quæ paulo antè citauimus paſchalis cuiuſdā ſermonis verbis: Vt, inquit, vmbræ cederent

Chryſoſtom. home. de proditione Iudæ

corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruātia nouo ſacramento tollitur, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguis ſanguinem excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur. Vides vmbram paſchæ veteris, & reſpondēs ſibi corpus noui paſchatis quod cum diſcipulis edere tantoperè deſiderauerat Chriſtus. Vides imagines excludi præſentia veritatis, antiquam obſeruantiam nouo ſublatā ſacramento, & hoſtiam tranſire in hoſtiam, & excludi ſanguine ſanguinem. Hoſtia ergo etiam tunc fuit paſcha illud noſtrum. Ita ſanè etiā hoc ipſum catholica Chriſti intelligit eccleſia: quę toto orbe terrarum poſt prolata illa myſtica conſecrationis verba (Hoc eſt corpus meū, hic eſt calix ſanguinis mei. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis) ita ſubiungit: Vnde & memores Domine nos tui ſerui, ſed & plebs tua ſancta eiuſdem Chriſti filij tui tam beatæ paſsionis, &c. offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis & datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam & immaculatam. Vides, quid ſibi præceptum intelligat eccleſia à Chriſto dicente in illa cœna nouiſsima. Hoc facite in meam commemorationem, cuius ſe memorem eſſe teſtatur: nempe, vt offerat diuinæ maieſtati hoſtiam illam ſanctam & immaculatam, quemadmodū Chriſtus ſuo præmonſtrarat & inſtituerat exemplo. Vbi ergo tuæ illæ frigidæ, nugaciſsimæq́; ratiunculæ, quibus hunc communem eccleſiæ ſenſum, communemq́ue fidem conaris euertere? Scilicet, non eſſe ſcriptum in euangelio, quòd in illa nouiſsima cœna ipſe ſeſe obtulerit chriſtus? O impietatem cæcam, & cæcitatem impudentiſsimam. Quanquam vt daremus, non ſignificatum hoc ab vllo Euangeliſtarum, quòd Chriſtus in illa cœna ſub nouo ſacramento habuiſſet etiam rationem hoſtiæ, quemadmodum neque hoc ſatis clarè explicant, quibus ipſe verbis conſecrauerit, imò vt etiam hoc daremus, quòd Chriſtus ſeſe non obtuliſſet, tunc in ſacramento, nondum videlicet oblatus in cruce, ſed tantùm ſe exhibuiſſet ſuis diſcipulis, vt panem viuificum, vt medicamentum ad ſanandas eorum infirmitates, vt immortalitatis arrabonem, vt pignus immenſi ſui erga nos amoris, ſicut cùm veluti communio exhibetur laicis: quid obſecro impediret, quo minùs nobis poſſet habere rationem ſacrificij? Nunquid res ipſa talis nō eſt, quæ poſsit diuinæ maieſtati offerri? Nunquid quæ accepta non eſt? Nunquid non eſt illa vna & ſola Deo placens perfectiſsimaq́; hoſtia? Nunquid nō ille agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi? Cuius cùm miſericordiſsimus

Ex catholicæ eccleſiæ ſententia.

Etiam ut non obtuliſſet ſe Chriſtus in ſacramento, à nobis nihilominus poſſe offerri.

C D

K

A

OMnis ſacerdos ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cõſtituitur in his, quæ ſunt ad Deũ. Quod tametſi de pontifice dicat Apoſtolus, de ſacerdotio tamen in vniuerſum hoc ipſum intelligere, idem ille ipſe haud obſcurè ſignificat, ad Chriſti hoc ſacerdotium applicans. Nam cùm ſubiungeret, honorem ſacerdotij neminẽ ſibi vſurpare poſſe, ſed qui vocatur à Deo, quemadmodũ Aaron. Sic, inquit, & Chriſtus nõ ſemetipſum clarificauit, vt põtiſex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodũ & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos

Sacerdos mediator quidã inter Deũ & populum.

in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Vides, vt de põtificio & ſacerdotio indiſtinctè illic loquatur Apoſtolus. Omnis itaque ſacerdos conſtituitur pro hominibus in his, quæ ſunt ad Deum, vt ſit velut mediator quidam inter Deum & populum. Quod

Sacerdotalia munia.

autem hominum ad Deum eſt, nequaquam ſimplex eſt, nec vnius generis, ſed multa & varia, vt plurali locutione ipſe etiam Apoſtolus indicat. In eis, inquiens, quæ ſunt ad Deum,

Sacrificium.

non in eo quod ad Deum eſt. Quorum primum eſt, offerre diuinæ maieſtati pro peccatis tam viuorum, quàm mortuorum ſacrifi-

Oratio.

cium. Deinde orare pro eiſdem. Hæc in veteri vmbra fuiſſe ſacerdotalis muneris, vniuer-

B

ſa penè eiuſdem teſtatur hiſtoria. Si peccauerit omnis turba filiorum Iſraël, oblata pro eius peccato iuxta ritum præſcriptum conſtituta hoſtia, & rogante pro eis ſacerdote, pro-

Leuit. 4.

pitius erit eis Dominus. Hęc Dei ipſius verba ſunt: Similiter ſi peccauerit ſeu princeps ſeu vnuſquilibet è populo, oblata pro eius peccato ad pręſcriptum ritum conſtituta hoſtia, rogabit, inquit, pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Audis ſacerdotale officium, audis quoq; nec fruſtrà illum ſuo defungi officio. Rogabit, inquit, pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Hoc dicit illa æterna veritas, cuius verba cœlo, terraq; firmiora ſunt: cuius non imputare peccata, eſt eadem eſſe remiſſa. Beatus equidẽ vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Sed nunquid etiam ſanctus eſt omnis ſacerdos, vt ob vitæ ſanctimoniã præ cæteris mereatur pro aliorum peccatis, eius exaudiri oratio? Nam & ipſum infirmitate & peccatis circundatum ſi fortè dubitas, teſtatur Apoſtolus. Et proptereà, inquit, debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Quid igitur? Orabit, inquit, pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Ideo dimittetur, quia orat ſacerdos, non quia vir ſanctus, nulli peccato obnoxius. Itaque cùm poſt diuinam vltio-

C

Num. 16.

nem in Chore, Dathan, Abiron, & complices ſynagogæ proceres præſumentes vniuerſam multitudinem ſanctificatam eſſe ad ſacerdotium, imputaſſet populus ipſis Moyſi & Aaroni, tot virorum optimatum necem, quaſi pro ſua ipſorum dignitate zelantibus, & ob id aduerſus eos tumultuarentur, & ſeditionem commouerent, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini: egreſſaque à Domino plaga ea propter graſſaretur in populum, & iacerent tam Moyſes quàm Aaron proni in terra, orantes coram Domino, dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populũ, vt roges pro eis. Iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit. Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama, & ſtãs inter viuos & mortuos, pro populo deprecatus eſt, & ceſſauit plaga. Vides, quàmuis vitæ merito & ſpecialis gratiæ prærogatiua apud Deum magis valeret Moyſes, quàm Aaron, atque etiam hoc ipſum videret in ſpiritu, quod latebat Aaronem, vltricem flammam iam in populum egreſſam à Domino: tamen vt ſacerdotalis autoritatis dignitatem & efficaciam commendaret, ac demõſtraret poſteris, Aaronem iuſ-

D

ſit currere ad populũ, & orare pro eis. Quod cùm feciſſet, & miſſo incenſo pro eis deprecatus eſſet, plaga ſubſtitit.

Et quanquam de viuis tantùm hęc dici videãtur, quibus profit ſacerdotale ſacrificium & oratio, etiã defunctis efficaciter prodeſſe, ſacra teſtatur Machabæorum hiſtoria, de fortiſsimo Iuda Machabæo ſcribens, vt pro his qui ceciderãt in prælio, proptereà quòd contra legem ſe polluiſſent in anathemate, & ſuſtuliſſent de idolorum donarijs, à quibus lex prohibet Iudæos, conuerſus ad preces cum ſuis, Deum rogauerit, vt id quod factum erat delictũ, obliuioni traderet. Et facta, inquit, collatione, duodecim millia drachmas argẽti miſit Hieroſolymã, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium. Vides etiam ante Chriſtum, fide illorum veterum ſacerdotale ſacrificium, tametſi vmbraticum, & orationem prodeſſe ac profuiſſe etiam defunctis. Neque eſt, quòd autoritatem librorum Machabæorum hic quiſquam in dubium reuocet, eo quòd reijciantur ab Hebræorum canone. Indubiam ſiquidem illis autoritatẽ tribuit eccleſiæ Chriſti autoritas, vnde ſcripturarum omnium autoritatem nobis dependere, libro primo luce clarius demonſtrauimus. De quibus Diuus Auguſtinus libro XVIII. de

A ciuitate Dei, hoc ipſum quod nunc diximus, conſtantiſsimè affirmat: Machabæorum libros, inquit, non Iudæi, ſed eccleſia Chriſti pro canonicis habet. Nec temerè aut ex ſuo capite hoc de illis ſanctiſsimus epiſcopus & ſingularis eccleſiæ doctor confinxit teſtimonium, ſed catholicæ eccleſiæ ſenſum conſenſumq́; expreſsit. Nihil ipſe pręſumit definire de ſcripturis canonicis, ſed eccleſia, inquit, Chriſti pro canonicis habet. Non vt nunc miſeri homunciones quidam execranda impudentia Ariſtarchos ſe conſtituũt diuinarum ſcripturarum omnium, atque adeò ſacri ſpiritus, easq́ue pro ſuo ſpiritu & ingenio, in claſſes deſcribunt ac diſtribuunt, quaſdam etiam ad viuum reſecãt, alias eorum autorum pernegant, ſub quorũ titulo ante annos mille legũtur à catholica eccleſia, homines vt in alijs pleriſq; corrupti mente & reprobi circa fidem, ita hac in re intolerandæ temeritatis, præſumptionis & ſuperbiæ exagitati ſpiritu. Ita Eraſmo plus ponderis habet vnus quàm alius canonicæ ſcripturæ liber, etiam quem nihil dubitat eſſe de canone. Eidem non videtur prima illa epiſtolarum canonicarum eſſe Iacobi Apoſtoli, nec referre maieſtatem illam aut grauitatem apoſtolicam. Hoc

Libros Machabæorũ eſſe de canone Chriſtianæ eccleſiæ, cap. 37.

B præcentore hic ſubſultat Lutherus, & obeliſco hanc epiſtolam iugulat (ô definitores temerarios, & ex ſuo ſpiritu metientes apoſtolicum ſpiritum) indignam affirmantes, quæ profecta ſit ab apoſtolico ſpiritu, quòd ipſius impietatem per eandem euidẽtiſsimè conuellit diuinus ille ſpiritus. Petri epiſtolã ſecundam tametſi à canone non amoueat, Petri tamen eſſe non credit. Sed mirum eſt, virum tantum, & qui cenſorem diuinarum ſcripturarum omnium agere non erubeſcit, tam ridiculè & pueriliter labi, nec conſequentiam attendere, ſed ſibi euidenter contradicere. Nam in vna hac epiſtola euidentiſsimè ſequitur, ſi Petri non ſit, canonicam eſſe non poſſe. Imò impoſtoris alicuius & mendacis hominis neceſſariò fuerit oportet, ſi Petri non ſit: cùm autor Simonem Petrum & Apoſtolum Ieſu Chriſti ſe faciat, affirmetq́ue ſe fuiſſe cum Domino Ieſu in mõte ſancto, ſpeculatoremq́; eius maieſtatis & gloriæ, audiſſe cœlitùs delapſam illam patris vocem: Hic eſt filius meus dilectus. Aut ergo canonicam neget oportet, aut veracem fuiſſe eius autorẽ, qui ſe Simonem Petrum affirmat, Ieſu Chriſti Apoſtolum, & qui præſens interſuit cum Chriſto, cùm transfiguraretur. Ita quoque epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe non credit, ſub cuius nomine & titulo, longè ante mille annos, & inde continuò legitur ab vniuerſa Chriſti eccleſia. Sed de eius, inquit, autore, vt C ingenuè fatear, adhuc dubito, dubitaturus, donec expreſſum ſuper hac re iudicium eccleſiæ videro. Neq; enim Nicenũ concilium aut Carthaginenſe ex ſeſe obligabat vniuerſam eccleſiam. Hæc ille ad verbum in ſupputationibus. Sed miror, quale hic iudicium eccleſię, cui acquieſcat, expectet, cui nõ videtur definitio Niceni concilij eſſe iudicium eccleſiæ. Quo enim pacto aliter poſsit videre iudicium eccleſię, niſi vel in totius eccleſiæ cõſenſu (quẽ alicubi facilè adeſt perſpicere, & pręſertim in eo, de quo ipſe expectat iudiciũ eccleſiæ, ſiquidem toto orbe terrarum epiſtolã ad Hebręos legit ſub nomine Pauli Apoſtoli) aut in definitione vniuerſalis concilij legitimè cõgregati & celebrati. In quo vnà cũ ſuo capite, vniuerſalis eccleſiæ antiſtite, aut eius legatis congregantur, & conueniunt ex toto orbe terrarum eccleſiarum antiſtites. Aut ex definitione catholicæ eccleſiæ præſulis, quæ ex cathedra Petri profertur. Quo, inquã, pacto aliter, quàm aliquo horum trium modorum, quiſquam poſsit videre iudicium eccleſiæ, ego ſanè nõ intelligo. Ipſe ſi quem alium modum expectet, per quem videat iudicium eccleſiæ, eũ doceat nos oportet. Nobis certè vt nullus conſtat modus alius, ita quilibet eorum ſatis eſt ad vidẽdum eccleſię iudicium. D Quod enim toto orbe terrarum videmus eccleſiam tenere & credere, quî dubitari poteſt hoc eſſe eccleſiæ iudiciũ? Quod inſuper vniuerſi ex toto orbe terrarum, aut ſaltem præcipui & ſaniores eccleſiarum antiſtites vnà cũ ſuo totius eccleſiæ præſule credunt & definiunt: an non ipſius eccleſiæ hæc eſt fides, hæc ſententia, hoc iudiciũ? Sed de duabus his vijs ad intelligendã eccleſię fidem, ſententiam ac iudiciũ, lib. I. prolixiùs egimus. Tertiam verò viam magis expeditã & æquè certã, lib. IIII. euidenter adſtruemus. Cui verò his modis compertũ eſſe non poteſt eccleſiæ de re quacunq; iudicium, ſed expectat, vt vniuerſa eccleſia, toto orbe diffuſa aliter, quàm vt dictũ eſt, ſibi loquatur, ſuumq́; ſibi iudicium exprimat, hærebit perpetuò, neceſſe eſt: nam aliter iudiciũ eccleſię non intelliget. Nos verò illis valere iuſsis, certi de iudicio eccleſię (vt redeamus ad id, vnde nos diſtraxit iſtorum impia temeritas) dicimus cum Auguſtino Machabęorum libros, non equidem Iudęos, ſed eccleſiã Chriſti pro canonicis habere. De cuius hac de re ſententia, ſi nihil aliud, certos nos reddidit definitio III. Carthagineñ. concilij, cui idem B. Auguſtinus interfuit, cuius decreto XLVII. vterq; Machabæorũ liber inter canonicas & diuinas ſcripturas connumeratur.

Sed

A

Certa fides catholicæ eccleſiæ de efficacia ſacrificij, & orationis ſacerdotalis pro defunctis

Sed quomodocunque autoritatem ſacræ Machabęorum hiſtoriæ quiſquam aut poſſet aut vellet reuocare in dubium, dubia eſſe nō poteſt catholicæ per orbem eccleſiæ (quam velimus nolimus confiteri oportet columnā & firmamentum veritatis, & cuius vnius autoritas ſcripturarum nobis omnium autoritatē ſtatuit) de hoc ipſo de quo agitur, catholica fides & ſententia. Quæ non ſolùm nunc, ſed annos mille, atq; adeò à ſui initio, ex apoſtolica traditione ſacrificiū hoc noſtrum agni immaculati in miſſa offert pro viuis & defunctis: quemadmodum lib. I. cùm de viuorū ſuffragijs, an defunctis prodeſſent, catholicæ eccleſiæ explicauimus ſententiam, ex Iſidoro, Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, Cypriano, cæteriſq; clariſsimè demonſtrauimus. Et cuiq; ſacerdoti in ſua ordinatione dicit eccleſia: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſaſq; celebrandi pro viuis & defunctis in nomine Domini.

Iam & ſacerdotalis muneris eſſe, benedicere populo, & inuocare nomen Domini ſuper eū, vt in ſacerdotio Melchiſedech (quod fuit ſingularis quędam, expreſsiorq́ue noſtri ſacerdotij figura, hoc teſtāte Apoſtolo) oſtendit vetus ſcriptura: ita in ordinatione noſtrorum ſacerdotū clariſsimè indicat ſancta mater eccleſia. De Melchiſedech, cùm Abraham

B

victor, & opimis ſpolijs onuſtus à cæde regum illorum Orientalium reuerteretur, ita habet ſcriptura: At verò Melchiſedech rex

Gene. 14.

Salem proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei altiſsimi) benedixit Abrahæ & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei Abrahā decimas ex omnibus. Vides ſacerdotalis muneris eſſe, benedicere populo. Melchiſedech benedixit Abrahę. Quare? quia erat ſacerdos Dei altiſsimi. In ordinatione quoque vniuſcuiuſq; ſacerdotis ſancta mater eccleſia ordinandum, vt tam ſublimē gradum dignè ſuſcipiat primū admonēs, quæ eius munera ſunt, ſubijcit dicens. Oportet enim presbyterum offerre, benedicere, præeſſe, prædicare & baptizare. Deinde ſancto oleo manus ordinandorum conſecrans, dicit: Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas, per iſtam vnctionem, & noſtrā benedictionem, vt quæcunque benedixerint, benedicantur: & quæcunq; conſecrauerint, conſecrentur, & ſanctificentur in nomine Domini Ieſu, amē. Quem equidem ordinationis ritum, ex apoſtolica traditione acceptum toto orbe ſeruat ſancta mater eccleſia. Qui quòd Deum Chriſtumq́; autorē habeat (vt omnis ab Apoſtolis

C

accepta & ab eccleſia conſeruata traditio) clariſſimè demōſtratur ex illa eius vmbra in tabernaculo veteri. Siquidē ad Moyſen ita locutus eſt dominus: Loquere filijs Aaron & dices ad eos: ſic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dn̄s faciem tuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det pacem tibi. Inuocabuntq́ue nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis. Vides ſacerdotalis muneris eſſe benedicere populo, & inuocare nomen Domini ſuper eum. Vides inſuper Deum neque hac parte ſacerdotū ſuorum deeſſe functioni, neq; inefficax, aut vanū deſtituere ſacerdotiū ſuū. Quin potiùs ipſo ſe teſte & ſponſore fideli, ad ſacerdotalem benedictionem, etiā diuinam benedictionē ſubſequi. Itaq; & per Ezech. ita præceptū eſt à Domino: Primitiua ciborum veſtrorū dabitis ſacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuæ. Quid autem nobis cum ſacerdotali benedictione, ſi quàm alterius cuiuſuis è populo nihilo eſſet efficacior, & niſi ad eandē ſubſequeretur benedictio Domini? Sed hæc de ſacerdotalis orationis, benedictioniſq; efficacia hic in tranſcurſu dicta ſufficiant.

Num. 6.

Efficacia benedictionis ſacerdotalis.

Cap. 42.

D

De ſacerdotali quadam diuina poteſtate ſuper remittendis peccatis, utq; ſit omnibus à Chriſto impoſita neceſſitas ſacerdotū ſuorum medio ac miniſterio per humilem diſtinctamq́; peccatorum ſuorum confeſsionem, ſacerdotalemq́; abſolutionem eorundem quærere & impetrare remiſsionem à Deo.

CAP. VII.

TAmetſi in vmbra ſit videre effigiem ſui ſolidi corporis, nulla tamē vmbræ ad ſuū corpus eſt ratio aut proportio. Ita ſanè in vmbra ſacerdotij veteris videmus noſtri haud obſcuram, ſed expreſſam, claramq́ue quandam effigiem. At ſoliditas, ſi rationem ineas, abſque vlla ratione vmbram ſuam excedit, & figurā veritas. Veteris ſacerdotij ſacrificia, tauri erant, vituli & bruta pecora: at noſtri, munda illa, perfectaq́; oblatio agni illius verè immaculati, qui tollit peccata mundi. Cuius ad illa vetera, quæ comparatio? Ita & reliqua noſtri ſacerdotij vniuerſa tāto certum eſt excedere ſibi reſpondentia in illo veteri, quanto ſolidam ipſam rei veritatem ſuam vmbram in omnibus par eſt excedere.

Collatio umbræ et figuræ ad ſolidam ueritatem.

Erat veteris illius & vmbratici ſacerdotij officium, inter ſanctum & prophanum, inter mundum & pollutum, inter lepram & non lepram dijudicare ac diſcernere. Habebat

A equidem vetus illud tabernaculū ſuum ſan-
ctum ſeculare, & iuſtificationes culturę, vt di
cit Apoſtolus, ad cuius miniſteria nihil pro-
phani admitti fas erat. Inſuper & lex à qui-
buſdā vt immūdis abſtinere iubebat, quorū
non ſolùm eſu, ſed fortuito etiam pollueban
tur contactu. Erant præterea & immundicię
quędam legales, nonnullæ quidem leuiores,
ad quarum purificationem ſacerdotali mini-
ſterio opus non erat, ſed à quibus quiſq; ſe-
metipſum emaculare & abluere poterat: aliæ
à quibus non niſi ſacerdotali miniſterio, ſa-
crificio & oratione purificari poterāt. Primi
generis eiuſmodi erant, quas euitari vix erat
poſsibile, vt quas cōtrahebat quis ex alterius
immundi vel fortuito contactu, item mulier
ex fluxu mēſtruo, & ex emiſſo ſemine coitus,
Leuit. 12. vir & mulier. Ab his atque eiuſmodi, ſeipſos
veſtimentaque ſua lauantes mundificaban-
tur, poſt præſcriptum ad rationem cuiusque
immudiciæ tempus. Ad ſecundū genus per-
tinet, quam contrahebat ex partu mulier, ſi-
quidē poſt expleta à partu purificationis ſuæ
tempora, iuſſa eſt ad oſtium tabernaculi ad-
ducere ſacerdoti hoſtiam: qui, inquit, offeret
illam coram Domino, & rogabit pro ea: & ſic
mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Vir
B item & mulier à fluxu ſeminis & ſanguinis.
Deinde omnis lepræ contagio in ſex ſuas ſpe
cies à legiſlatore ordinatè diſtincta. In qui-
bus vt vmbram & imaginē habentibus eorū,
quæ in euāgelica luce clarè & manifeſtè ſunt
exhibita, cuicunq; de lectione veteris teſta-
menti velamen abſtraxit Dominus, cui appa
rent illa mirabilia ſub cortice literæ clauſa in
lege Domini, ad quæ cernēda oculos ille ſibi
aperiri poſtulabat à Domino, vnamquamque
peccatorum ſpeciē, & animarum noſtrarum
lepram & vlcera, maculaſq; quas ex peccatis
contrahimus, deinde vt ab illis emundari, pu
rificarique oporteat, is clarè perſpicit ac in-
telligit. Leproſus primùm, in qno contuma-
Lepra animæ ut emundāda ſit figuræ ueteris ad ſuam ueritatem accommodatio. citer adhuc viget, dominaturque lepręconta
gio, ad ſacerdotis arbitrium ſeparatur & eij-
citur extra caſtra, communionemq; eccleſiæ.
Quòd ſi non ampliùs efferbuerit lepręvirus,
ſi reſederit vitium, ſi ſanitati quoque reddi-
tus fuerit: non ſuffecerit illi, ſuæ ea in re con
ſcientiæ teſtimonium, nec propria ſua auto-
ritate, ſen temeritate potiùs, ad caſtra regredi
poterit, ſed ad ſacerdotem adducitur, vt ab
eodem mundetur, primùm ligno cedrino,
cocco torto, ſeu vermiculo & hyſſopo. Indi-
get enim, vt per lignum cedrinū purificetur,
is qui purificandns eſt. Impoſsibile namque
eſt, ſine ligno crucis, peccati leprā poſſe pur-
gari, impoſsibile, inquam, niſi adhibeatur &
lignum, in quo, ſicut Apoſtolns dicit, exuit & C
ſpoliauit principatus & poteſtates triūphans
eo in ligno. Iungitur ad huius lepræ emun-
dationem etiam coccum tortum, ſeu vermi-
culus, ſociatur & hyſſopus. Coccum tortum
figuram ſacri ſanguinis continet, qui de agni
illius immaculati latere per lāceæ vulnus ef-
fluxit, ſine cuius virtute nulla emaculari po-
teſt lepra animæ, nullius fit peccati remiſsio.
Et hæc ad emundationem & purificationem
eius, qui lepręcontagioni fuit obnoxius, ad-
hibentur ſacerdotali miniſterio. Siquidem
per adhibita ab illis ſacramēta, quæ ſuæ Chri
ſtus reliquit eccleſiæ, virtus nobis applicatur
paſsionis Chriſti, & nos aſpergimur ſangui-
ne illius ſalutaris hoſtiæ. Ad lepræ tamen e-
mundationem neceſſariò ahhibetur & hyſſo
pus. Hyſſopi ſiquidem naturam hanc tradūt
Medici, vt extennare & diluere craſſum, len-
tumque humorem, qui hęret in præcordijs,
vniuerſiſque viſceribus, atq; illum educere
vel in primis ſit idonea. Quare eius decoctū D
peripneumonicis, diuturnętuſsi, ſuſpirioſis,
orthopnoicis, & io vniuerſum, quibus à len-
to, noxioque humore occupātur præcordia,
mirè auxiliari, Dioſcorides autor eſt, & quo-
tidiano experimento cognitum. Itaq; ad ex-
purgationem peccatorum neceſſariò & hu-
ius graminis figura ſuſcepta eſt. Oportet nā-
que, vt quia lepra animæ ſacerdotali miniſte
rio emundanda eſt, eijciat vomicam, quæ re-
cluſa latet in viſceribus: vt noxiū humorem
vniuerſum, qui obſidet & grauat præcordia,
per os reijciat, vt deducat latentia omnia ſub
ſacerdotis noticiam, vt illi per humilem, aper
tam, integramque latentium delictorum ſu-
orum confeſsionem, ſe nudum clarè inſpici-
endum, contemplandum, dijudicandumque
exhibeat. Intuebitur, inquit ille, eū ſacerdos,
hoc eſt, intùs tuebitur etiam latentia quæq;.
Quem ſi quicquam celare conabitur, ſe, non
ſacerdotē decipit, & pro expectata quam per
eius miniſterium accepturns erat, ſalute &
mundicie, inſuper grauioris peccati ſe inuol
uit contagio. Siquidem Deus ſacerdotū pror
ſus hac in re nos ſubiecit iudicio. In vmbra
illa veteri, vmbratica illa lepra exhibebatur
neceſſariò ſacerdotis oculis & examini, ad v-
nius eius ſeparabatur arbitriū, ſi digna ſepa-
ratione illi videbatur cōtagio: etſi ſanitatem
recepiſſe videretur plaga, ad eius tamē ſolius
iudicium reddebatur mundiciæ. Si fortè re-
cruduerat curata ſemel plaga, ſacerdotalique
luſtrata ac mundata miniſterio, iterum ad ſa-
cerdotis indicium adductus eiuſmodi com-
demnabatur immundiciæ. Et contaminabit, Leuit. 14.
inquit, eum ſacerdos, vt intelligas à ſacerdo-
tibua

Clara lux veritatis euangelicæ lecta ſub cortice legis veteris.

A tibus hac in re aliquid fieri in partem vnam & alteram. Quod ipſum, an tibi in luce veritatis euangelicæ, cùm veteri legi detraheret velamen literæ, non luce clariùs expreſsiſſe videtur ſaluator noſter, ſuorum ſacerdotum autoritatem illam ſupra humanam conſummans ac ſtatuens, cùm ita eoſdem poſt reſurrectionem ſuã alloquitur: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt? Nam quod tunc ille dixit præſentibus, quotidie per eccleſiam ſuam dicit ordinatis ab eadem ſacerdotibus omnibus. Nunquid hic non audis, quid abſque omni inuolucro imaginum & figurarum, clariſsimis apertiſsimisq; verbis dicat æterna veritas? Nunquid non vides detracto velamine literæ Moſaicæ legis, clariſsimã, quæ ſub illo veteri purificationis leproſorum ritu latebat, relucẽtemq; veritatem? Vtq; purificatio lepræ animarum noſtrarum à ſacerdotibus neceſſariò requirẽda ſit? illis ſiquidem ſuam ipſius poteſtatẽ Chriſtus impartitus eſt, remittendi videlicet peccata hominibus, eademq; retinendi, vt aptiſsimè reſpondeant figura & veritas.

Hic iam prodeat aut Vviclefiſta, aut Lutheranus, aut alius quilibet ex hæreticorum C antris & latibuſis, atque hac etiam in re Chriſtum quærat proſcribere, & fidelibus ſuis oblatã ab eo certiſsimam ſuorũ peccatorum & contagionis ſpiritalis lepræ medicinam, ſub- B dola (vt antiquus ille ſerpens) perſuaſione conetur eripere, dicẽdo, non eſſe diuinum, ſed humanum inſtitutum, vt latentium peccatorum maculas ſacerdoti oſtẽdamus, vt ei animæ noſtræ vulnera, & vniuerſam lepræ contagionẽ detegamus. Cuius enim eſt obſecro ea vox apud Ioannem: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt? An non Chriſti? Et quibus dicta? nunquid alijs, quàm Apoſtolis & diſcipulis illis ſuis, quos coadiutores, ob meſsis magnitudinem, ſuis Apoſtolis Chriſtus elegerat, hoc eſt, quàm ſuis presbyteris & ſacerdotibus? Dicit ergo Chriſtus ſanatam illi & mundatam plagam lepræ, illi remiſſa peccata à Deo, cui remiſſa erunt ſacerdotali autoritate ac miniſterio. Affirmat ille retentũ à Deo, quod ab eis remiſſum non eſt. Idque verbis tam claris & apertis, vt nihil præ ſe ferant dubij, nihil vnde cuiquam ſuboriri poſsit vel tenuiſsima figuratæ alicuius locutionis ſuſpicio. Imò, quòd tantam, qualem præ ſe ferunt verba, & planè diuinam autoritatem ſuis ſacerdotibus illis ipſis verbis tribuere volebat Chriſtus, hoc eſt, remittendi peccata, quod alioqui ſolius Dei

Ioan. 14.

eſt, & nobis imponendi neceſsitatem, vt qui C Deo eiusq; præceptis elatæ mentis ſuperbia ſubijci nolẽtes, eius offenſam, indignationẽque incurrimus, pro eius venia impetranda, non ſolũ ſub Deo, ſed etiã ſub mortali homine nos ſubmittamus ac humiliemur: vtq; ab illis peccatorum noſtrorũ remiſsionem humiliter quæramus & impetremus, retenta denuncians, quæ ſacerdotali non remitterẽtur miniſterio: ipſius Chriſti verbis & actu, inſuper & tempore quo illa dixit diſcipulis, clariſsimè nobis expreſsit euangeliſta. Neque enim in mortali carne cum eis manens (cùm etiam de ipſius illa tanta poteſtate, atq; adeò diuinitate, nec ipſis fortaſsis diſcipulis omnibus, firma omninò fides haberetur, cũ multa illis diceret in parabolis & prouerbijs) ſed poſtquã reſurrexerat à mortuis, quando iam clarè viderent circumueſtitũ immortalitatis gloria, mortalis carnis iã remoto velamine, ſub quo antè latitauerat diuinitas, quum iam tranſiſſet parabolarum tempus, cùm iam veniſſet illa hora, quando non ampliùs in parabolis ſe illis locuturum, ſed clarè, idem ipſe pollicitus fuerat. Tũc, inquam, dixit eiſdem: Sicut miſit me pater, ecce ego mitto vos. Vides in primis, cuius defungantur legatione ſacerdotes, nẽpe Chriſti, ſicut ipſe Dei patris ſui legatione defunctus eſt. Quid deinde? Et D hæc, inquit, cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctũ. Magnum profectò ſubſequuturum aliquid oſtendit magnificum eiuſmodi præmiſſum procœmium. Inſufflauit & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum. Nunquid eouſq; planè deſtituti fuerãt Apoſtoli, atq; illi eorum coadiutores diſcipuli, ſpiritus ſancti gratia? Nunquid etiã paulo pòſt fruſtrà demiſit in eoſdem eundem illum ſacrum ſpiritũ? quid igitur hoc eſt, quod cum eiuſmodi inſufflationis actu dicit: Accipite ſpiritum ſanctũ? Sed hic nobis ſuccurrit Apoſtolus, dicens eſſe diuiſiones gratiarum eiuſdẽ ſpiritus, non omnia tribuentis omnibus, ſed vnicuiq; illius myſtici corporis membro ſuam facultatẽ influentis, per quam propriam functionem ſuam exerceat: Quemadmodũ in humano corpore animalis ille, qui in vniuerſum corpus à capite influit ſpiritus, non vnam & eandem, ſed ſuam cuique membro & organo propriam facultatem inuehit, per quam ſuum quodq; opus proprium exerceat, oculis facultatem viſoriam, olfactoriam naribus, auribus verò per quam audire poſsint, & ſonorum diuerſitatem omnem percipere, linguæ & palato, per quam ſaporum diſcernere differentias, atque vniuerſo penè corpori ſenſum & motũ tribuit. Idem

Quomodo cũ inſufflatione dederit diſcipulis ſpiritũ ſanctum, quẽ antè acceperant, & paulo pòſt iterũ acceperũt in die Pentecoſtes.

1. Cor. 12.

A tamen hic ſpiritus eſt (ſi Galeno credimus,
non medicorum tantũ, ſed philoſophorum
naturaliũ facilè principi) qui in diuerſis mẽ-
bris & organis adeò operatur diuerſa. Itaq;
etiã hic cũ ſuis Chriſtus Apoſtolis cũ præuio
ſenſibili illo inſufflationis ſigno dixit: Acci-
pite ſpiritum ſanctũ, quem iamdudum quã-
tum ad iuſtificationis gratiam, haud dubiè
acceperant, hoc vtiq; ſignificauit, quo ad no-
uæ facultatis, nouæque functionis & opera-
tionis gratiam, eundem iam tribuere denuò.
Quemadmodũ cùm non multo pòſt iam iam
aſcenſurus ad patrem, præcepit eiſdem, vt ex-
pectarẽt Hieroſolymis promiſſum patris ſpi
ritum ſanctum, quo, inquit, baptizabimini
nõ poſt multos hos dies, quo & repleti ſunt
completis diebus pentecoſtalibus. Nõ quòd
alium tunc acceperint ſpiritum, quàm iam-
dudum acceperant, quàm hic cum inſuffla-
tione eiſdem tribuerat: ſed aliam gratiam,
alia dona eiuſdẽ ſpiritus, quæ & in ſignis quę
aderant, ſenſibilibus ſignificarentur, nempe
in linguis igneis ſuper eoſdem viſibiliter ap-
parentibus, in repentino ſonitu facto de cœ-
lo. Nam quia eoſdẽ inde miſſurus erat in or-
bem terrarum vniuerſum, quem velut ingẽti
tonitru de cœlo facto ſua prædicatione con-
B cuſſuri erant, opus habebant in primis intel-
ligentia myſteriorum nouæ legis omnium,
quæ eatenus intelligere non poterant, opus
quoque noticia linguarũ omnium & vſu ex-
pedito, vt omni in omnem terram, quo mit-
tebantur creaturę euãgelizare, eſſent idonei:
opus denique virtute & conſtantia, vt eſſent
velut murus ęneus aduerſus gentes & regna,
principes & poteſtates, & mundi Dominos.
Hæc partim antè promiſerat ſe daturum eiſ-
dem vnctione ſpiritus, partim præſentibus,
vt dixi, ſignis dare atteſtatus eſt. Omniũ ſci-
tu neceſſariorum intelligentiam illis promi-
Ioan.14. ſit à cœna nouiſsima, dicẽs: Hæc locutus ſum
vobis, apud vos manens, paracletus autem il-
le ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in no-
mine meo, ille vos docebit omnia, & ſugge-
ret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.
Hæc, inquit, locutus ſum vobis apud vos ma
nens. quaſi diceret: Neq; omnia locutus ſum,
neque hęc ipſa quæ locutus ſum, aut intelle-
xiſtis, aut meminiſtis. Quod in eodẽ ſermo-
ne paulo pòſt claris verbis expreſsit, dicens:
Ioan.16. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed nõ po-
teſtis portare modò. Cũ autẽ venerit ille ſpi-
ritus veritatis, docebit vos omnem veritatẽ.
De dono conſtãtię & virtutis promiſſum ac-
ceperant ab iam aſcenſuro ad patrem: Ego,
Luc.24. inquit, mittam promiſſum patris mei in vos.
Vos autem ſedete in ciuitate, quoaduſq; in-
duamini virtute ex alto. Donis linguarũ ad- C
erat ardentium linguarum ſuper eos viſibile
ſignum. Hæc itaq; dona, hæc chariſmata, mu
neri cui deſtinabãtur neceſſaria, eis tunc con
tulit idem ille, quem iamdudum acceperant,
quo iamdudum ſanctificati fuerant, ſacer ſpi
ritus. Quid itaque noui doni, nouæ gratiæ,
nouæ facultatis, autoritatis, functionis illius
ſacri ſpiritus etiam hic ſuis Apoſtolis & Di-
ſcipulis Chriſtus tribuerit, cùm eos deſigna-
ret legatos ſuos, cùm eiſdem cum inſufflati-
one diceret: Accipite ſpiritum ſanctum, con-
tinuò exprimit, dicens: Quorum remiſeritis
peccata, remittuntur eis: & quorum retinue-
ritis, retenta ſunt. Quaſi diceret: Ad hoc nũc
accipite ſpiritum ſanctum, vt per vos peccata
remittat. Magna planè & diuina autoritas cõ
municata & tributa hominibus dimittendi
peccata. Ob quam cùm ſibi oblato paralyti-
co diceret Chriſtus: Fili remittuntur tibi pec
cata tua, blaſphemare eũ blaſphemabant im-
pij Iudæi, elatæ mẽtis excęcati ſuperbia. quid
inquiunt, hic loquitur? blaſphemat. Quis po Marc.2.
teſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? At no
bis Deo agendæ gratiæ ſunt, qui poteſtatem
talẽ dedit hominibus. Nunquid enim & nos
dubitabimus increduli cum Iudæis incredu-
lis, an ſuis ſacerdotibus talem poteſtatẽ com D
municare potuerit Chriſtus? Potuit certè, ſi
ipſi credimus. Siquidem qui apud Matthæ-
um vicariam illam pro ſe (quam diximus) le-
gationem, eiſdem illis committens, præmiſit
dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo
& in terra, is ille ipſe eiſdem dixit: Quorum
remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorũ
retinueritis, retenta ſunt: & quiſquã qui cre-
dit Chriſto, de poteſtate eorũ dubitat? Quan
quam vicaria hæc ſit, qua hac in re ſacerdo-
tes deſungũtur, poteſtas & autoritas. Remit-
tunt equidem peccata, & verè, efficaciterq́ue
remittunt. Quis enim hoc audebit negare,
quod affirmat ęterna veritas? Quorũ, inquit,
remiſeritis peccata, remittuntur eis. Proinde
quiſquis laboras ſub peccatorum mole & ſar
cina, cuicunq; ſaucia eſt & vulnerata conſci-
entia, cui lepræ alicuius contagio infecta ani
ma, breuiter, quiſquis tibi conſcius es offen-
diſſe Deum, quiſquis remiſsione peccatorũ
indiges, arripe præſens, quod tibi Chriſtus
auxilium offert, confuge ad medicum, quem
tibi ille conſtituit animę tuę, cui medicinam,
quam tibi exhibeat ſalutarẽ, impartitus eſt,
ſubmitte & humiliate ex animo ſub Chriſti
ipſius vicario, quàmuis mortali homine. Nec
tibi ille vilis ſit, cuiuſcunq; alioqui tibi pre-
cij videatur, miſelluſq́ue homuncio, quem
Chriſtus ſuum non dedignatur vicarium.

A Illi tua vulnera detege, lepram oſtende, peccata, quibus Deum offendiſſe tibi cõſcius es, humiliter, fideliterq́; confitere, & corde contrito ac humiliato remiſsionẽ expete, & fidelis Chriſti verbis cõfide, quæ ille, qualis qualis alioqui fuerit, ſua illa legatione defungẽs tibi remiſerit, hoc remiſſum fore apud Deũ. Ille enim ſuæ fidei deeſſe nõ poterit, non magis falli, quàm fallere. Ipſe iudex noſter erit. Remiſſum ipſe refert, quod eius nomine ſacerdos remiſerit. Ipſe enim eſt, qui dixit remiſſa fore illorum omnium peccata, quibus à ſacerdotibus ſuis remiſſum eſt. Diuus Ambroſius aduerſus Nouatianos diſputans, qui negabant in ſacramento pœnitentiæ remitti peccata à ſacerdotibus: Cur, inquit, baptizatis, ſi per hominẽ peccata dimitti non licet? In baptiſmo vtique remiſsio omnium peccatorum eſt. Quid intereſt, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent? vnum in vtroque miniſterium eſt. Sed dices: Quia in lauacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitẽtia? nónne Dei nomẽ operatur? Quid ergo? Vbi vultis, vendicatis vobis Dei gratiam: vbi vultis, repudiatis? Hęc ille Ambroſius. Audis itaque, quæ ante annos mille ducẽtos de ſacerdotali autoritate, quò ad remittenda pœnitentibus peccata, fuerit orthodoxa catholi-

Lib. 1. de pœnten. cap. 7.

B cæ eccleſiæ ſententia, quam ille ſanctiſsimus epiſcopus aduerſus hęreticam perfidiam defendit & aſſerit.

Sed dices, audiſſe equidem te autoritatem à Chriſto datam ſuis ſacerdotibus, audiſſe dictum illis: Quorũ remiſeritis peccata, remittũtur eis: & quorũ retinuetitis, retenta ſunt. At confeſsionis latentium peccatorum tuorum ſacerdoti neceſſariò faciendæ hic nullã mentionem fieri.

Non occludam hic os tibi, quàmuis verè poſſem, illis Iacobi verbis: Confitemini alterutrum peccata veſtra. Et eo quod eòdẽ pertinet dictum à Ioanne: Si confitemur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, qui remittat nobis. Nam de confeſsione ſacerdoti neceſſariò facienda locutos hos Apoſtolos, pòſt luce clariùs intelliges. Quin tu ipſe vide, quemcunq; momorderit ſerpens in ſilentio, cuicunq; lethali peccato, quod intra ſecreta cordis tui commiſiſti, ſaucia & vulnerata eſt conſciẽtia, cui inſecta latente in animo qualicunq; contagione lepræ. Tu, inquam, vide, vt illati vulneris, latentisq́ue plagę tibi ſanitatem procures, & peccati à Deo remiſsionem impetres. Quod quo pacto facere poſsis & debeas, modum audiſti tibi pręſcriptum à Chriſto. Nam ille promittit remiſſum fore, ſi ſuus ſibi ſacerdos remiſerit.: negat remiſſum, etiã quicquid tu feceris, quod per ſacerdotes ſuos retentum eſt, hoc eſt, remiſſum nõ eſt. Torque te vt volueris, aſcende in cœlum, deſcẽde in abyſſum, & aliam poſt baptiſmum tibi relictã tabulam non inuenies, qua te poſsis ſubducere à naufragio, nec aliam viã, qua poſsis tuorum peccatorum veniam, ac remiſsionem conſequi, quàm ſi corde contrito ac humiliato à ſacerdote Chriſti ea tibi remitti impetraueris. Tibi itaque incumbit, tuæ partes illæ ſunt, vt latentium in corde tuo delictoru m à ſacerdote remiſsionem impetres. Ille equidem poteſtatem ea tibi condonandi accepit à Chriſto, ſed tibi incumbit, vt remitti ea fideliter & humiliter ſaltem poſtules. Quod quo pacto facias, niſi illi quæ tibi ſoli nota ſunt, indicaueris? niſi illi aperias & confitearis te cõmiſiſſe, quod remitti ab illo poſtules? Aut quomodo ille, vt tibi remittat, diuinabit, quæ tu ſolus in ſecreto cordis tui cõmiſeris? Quomodo latenti in intimo conſcientiæ tuæ plagæ malagma ſalutare imponet, niſi eam aperias medico, niſi te nudum ſacerdoti oſtenderis? Hic nemo tibi perſuadeat, aliam nobis viam patere, qua veniã & remiſsionem peccatorum noſtrorũ poſsimus conſequi, quàm per ſacerdotale miniſterium: nẽpe, ſi coram Deo de commiſsis peccatis ingemuerimus, ſi ſacrificium illi cordis contriti & humiliati obtulerimus, ſi toto ad illũ corde cõuerſi fuerimus. Scriptum equidem per prophetam: Quacunq; hora ingemuerit peccator pro peccatis ſuis, & conuerſus fuerit, omninm iniquitatum eius non recordabor ampliùs. Et rurſus: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum ac humiliatum Deus non deſpiciet. Itaq; non eſſe nobis neceſſarium, peccatorum noſtrorum remiſsionem impetrare à ſacerdotibus, tametſi illi autoritatem ea remittendi à Chriſto habeant: proinde nec illis confiteri, niſi quando eorum opera vti voluerimus, & per miniſterium eorundem, peccatorum noſtrorum remiſsionem cõſequi. Sed cùm eius etiam alia nobis via pateat, in noſtra dimiſſum hoc electione & arbitrio, hac an illa vti voluerimus. Nemo, inquam, his ſimilibusq́ue verbis ſibi aut alijs perſuadeat, ſed Chriſto potiùs, eiusq́ue verbis credat. Voluit mitis & humilis magiſter noſter nos humiliari, non ſolùm ſub potenti manu Dei, ſed etiam ſub manu mortalis hominis, ſui tamen ſacerdotis & vicarij, eidem ſibi datam à Deo patre ſuo poteſtatem dimittendi peccata, committens, & communicans: atque ita communicans, vt planè teſtetur à ſe quoque reſeruatum iri,

Demõſtratur confeſsionis peccatorũ ſacerdoti faciẽdæ à Chriſto nobis impoſita neceſsitas.

C

D

quicquid

A quicquid non quæſieris remitti illius miniſterio,quo ita magis frangeretur noſtra elatę mentis aduerſus Deum ſeſe efferentis ſuperbia,& quo rubore & verecundia confuſi, detegere cogeremur ſacerdoti & presbytero, mortali alioqui & nullius precij homini,quibus diuinæ maieſtatis oculos offendere non erubuimus.Quo igitur pacto cor contritum ac humiliatum exhibebis Chriſto,ſi obſtinatæ mentis ſuperbia,recuſas vltrò oblatam ab eo ſalutẽ, ab eius ſacerdote requirere? Si hoc verecundiæ & ruboris deuorare non vis, vt illi tua peccata detegas,quo poſsit remittere, ſi ab illo peccatorum tuorum remiſsionẽ humiliter poſtulare contemnas:quæ obſecro erit hæc contriti cordis humiliatio? quæ totius ad Deum noſtri cordis conuerſio?

Contritioni ſuæ neminem cõfidere poſſe, ut ſufficienti ad peccatorum remiſſionem impetrandam.

Non imus inficias, quin ob humiliati cordis vehementẽ contritionem,ſacerdotũ ſuorum remiſsionem aliquando prçueniat Dñs, ſed tunc,quãdo illa verè humiliati cordis cõtritio,ſaltẽ virtute includit votũ impetrandę à Chriſti ſacerdote,quã primùm oportunum fuerit,remiſsionis huiuſmodi.nec debet ſibi quiſquã facilè perſuadere,ſe merito propriæ contritionis, impetraſſe à Deo remiſsionem eiuſmodi, ſed cum ſancto illo Iob veteri omnia opera ſua, & ne quid minus fecerit,ante-
B quàm per ſacerdotem remitti ſibi impetrauerit: niſi impoſsibilitas eius oportunitatẽ excludat. Quo articulo miſericordiæ Dei fidendum eſt,vt ipſe ſuppleat, quod noſtra ex parte minus eſt. Alioqui vbi & certum & facile remedium ad manum eſt, qui ſuæ contritioni & conuerſioni ad Deum fidens, illud negligit ,an ille ſalutem ſuã videtur magni facere? Non ex noſtro merito,noſtra contritione,noſtra ad Deum conuerſione:ſed ex merito & virtute illius ſalutaris pro nobis oblatæ hoſtiæ, illius immaculati agni, atque aſperſione eius ſanguinis, fit peccatorum noſtrorum remiſsio. at ſanguine illo ſacerdotũ nos miniſterio aſpergimur :quemadmodum demonſtrat vmbra & figura veteris illius tabernaculi. Meritum ſiquidem illius hoſtiæ, per ſacramenta ſua, quæ nobis reliquit & inſtituit Chriſtus,& quorũ ſacerdotes miniſtri ſunt, veluti per canales quoſdam ad nos deriuare,& influere ordinauit ęterna illa Dei ſapientia.A noſtro ergo merito,noſtra contritione, noſtra conuerſione, contempto agni illius immaculati ſanguine, quo per Chriſti ſacramenta aſpergimur,peccatorum noſtrorum remiſsionẽ,ſalutemq́; noſtram expectabimus. Nunquid tantillum nos pudoris impediet,quandoquidem ciſternæ noſtræ aquã non continẽt, quo minùs etiam cum gaudio

C hauriamus aquas ſalutares de fontibus ſaluatoris?Et hæc nunquid aut noſtra eſt,aut à nobis excogitata in dictis Chriſti verbis ſententia?Certè ſi noua eſſet,& non potiùs ea quam ab initio accepiſſet, & intellexiſſet in eiſdem catholica chriſti per orbẽ eccleſia,mea ipſius ante omnes damnaretur ſubſcriptione,& iudicio,etiam quantumuis mihi probabilitatis habere videretur. Quo animo vtinã fuiſſent omnes, qui nunc tractant ſacras literas, vtinam perpetuò memores illius apoſtolicę cenſuræ: Si quis vobis euangelizauerit noui aliquid præter id quod accepiſtis,anathema ſit, & non paulo tranquilliores nunc eſſent res Chriſtianæ. Non videremus vna hac tempeſtate noſtra,tot ſimul prophanis nouitatibus tot impijs, execrandisq́; hæreſibus, exagitari eccleſiam Chriſti,quot nunquã retrò ſeculis vniuerſis. Sed vnde certiùs intelligemus catholicæ eccleſiæ hac de re, quam tractamus, ſententiam & fidem, quàm ex ore eiuſdem catholicæ eccleſiæ epiſcopi,apoſtolicæ illi cathedræ præſidentis: pro cuius vnius, vt pòſt audies,fide,ne deficeret ad confirmandos toto orbe chriſtianos fratres in fide,ſi quando (quod ſæpiſsimè vſu venit) hæreticę alicuius tempeſtatis procella ea tentaretur, ille rogauit, qui exauditus eſt pro ſua reuerentia? Sed cùm plurimos eodem ex hoc albo proferre poſſemus eius, quam hic ſtatuimus, fidei & ſententiæ catholicæ teſtes indubitatæ fidei, vnum pro omnibus proferemus Leonem,illum,inquam,cui ab vniuerſo illo,atq; omnium,quæ vnquam extiterunt,frequẽtiſsimo, œcumenico Chalcedonenſi concilio (cum in eodem pulcherrima illa,& verè digna pręſule catholicæ eccleſiæ, de incarnatione verbi, aduerſus Euthiceten, ad beatum Flauianum Conſtantinopolitanum epiſcopum recitaretur eius epiſtola) ter ſancto acclamatum eſt, vt cuſtodi & aſſertori orthodoxæ ac ſynceræ fidei, qua velut aureum quoddam flumen vniuerſam irrigaſſet eccleſiam.hunc, inquam , aut potiùs Chriſtum ipſum per os eius nobis loquentem è nauicula & cathedra Petri audiamus,quid ſcribat ad Theodorum Foroliuienſem epiſcopum : Multiplex, inquit, miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis dona violaſſent,proprio ſe iudicio cõdemnantes, ad remiſsionem criminum peruenirent : ſic diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicatione ſacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim nei & hominum,homo Chriſtus Ieſus, hanc

Catholicæ eccleſiæ ſententiam de neceſſitate confeſſionis demonſtrare ex patrum concordi teſtimonio

D

Leonis.

Epiſtola LXIX.

A hanc præpoſitis eccleſię tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalnbri ſatisfactione purgatos, ad cómunionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui vtique operi ipſe ſaluator interuenit, nec vnquam ab his abeſt, quæ miniſtris exequenda commiſit, dicens: Ego vobiſcum ſum ad conſummationam vſque ſeculi: vt ſi qnid per ſeruitutem noſtram bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per ſpiritum ſanctum fuiſſe donatum. Hactenus ille. Quem audis prædicantem diuinæ bonitatis ita ordinata præſidia, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicatione & interuentu ſacerdotū neqneat obtineri. Ne quiſquā tibi perſuadeat, in remiſſione peccatorum obtinenda, ſacerdotali miniſterio opus te non habere.

Auguſt. Quin & Auguſtinum interrogemus, quam & ipſe fidem didicerit in catholica eccleſia, quam docuerit fideles ſibi commiſſos populos: quos in homelia quadam ita alloquitur: Qui poſt vxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter vxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in eccleſia, vt oret pro vobis eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoſcit, qnoniam in corde ago. Ergo ſine cauſa dictū eſt: Quæ B ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa datæ ſunt claues eccleſiæ Dei? Fruſtramus euangelinm Dei, fruſtramus verba Chriſti, promittimus nobis, quod ille negat, nónne nos decipmns? Er rurſus libro ſecundo de viſitatione infirmorum: Sunt, inquit, C.IIII. quidam, qui ſufficere ſibi exiſtimant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua confiteantur crimina. Nolnnt enim, aut erubeſcunt, ſiue dedignantur oſtendere ſe ſacerdotibns: quos tamen inter lepram & nō leprā diſcernere per legiſlatorē conſtituit Dominus. Sed nolo, vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Chriſti vicario, tabeſcens præ rubore, vel ceruicoſus prę indignatione. Nā ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges ſacerdotē, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem. Non te ſedncat ſomniantium illa ſuperſtitio, quæ in viſitādo confirmat, quia ſaluat ſacerdote inconſulto ad Deūm peccatorum confeſsio. Nos autem non abnegamus, quin ſit ad Deum frequenter referenda peccatorum confeſsio. Beatus etenim, qui tenebit & allidet paruulos ſnos vel maximos ad petram, petra autem Chriſtus eſt. Sed teſtamur & teſtatur & illud ſana doctrina (ne tibi applau- C dentium faueas auribus) quoniam priùs eges ſacerdotis, qui mediator ſit ad Deum tuum, ſalubri iudicio. Alioqui & ſub lege & ſub gratia: Ite & oſtendite vos ſacerdotibus, reſponſum diuinū qnomodo conſummaretur? Confitemini alterutrū peccata veſtra, quomodo compleretur? Audis, quam & ille fidem orthodoxus, doctiſsimusque pontifex didicerit in catholica Chriſti eccleſia, quam docuerit ſibi commiſſum fidelem populum? Euangelium Dei & verba Chriſti fruſtrare, ſe, aliosque decipere, ſibi promittere quod negat Chriſtus, qui perſuadent ſibi aut alijs peccatorum ſe remiſsionem conſequi, qui non humiliter ſe ſubmiſerint ſacerdotis indicio, qui aut dedignantur aut erubeſcunt ſe illi oſtendere, ſua illi peccata confiteri, ſuam aperire conſcientiam. Hoc, inquit, teſtatur, ſana doctrina, catholicæ videlicet eccleſiæ, quòd ſacerdote opus habeas, qui inter Deū & te mediator ſit: hoc Dominum in vmbra & figura illa veteris tabernaculi, hoc docuiſſe Chriſtū in luce veritatis euangelicæ, qua illam ipſam figuram expreſsit, hoc continere apoſtolicū præceptum, quo iubet nos confiteri peccata noſtra, nō Deo tantùm, ſed confratri mortali homini. Hoc enim ſignificare volebat Apoſtolus, dicens: Confitemini alterutrum pecca D ta veſtra, hoc eſt, frater fratri: homo homini: ſed presbytero, quem accerſi inſsit ad infirmum. Et ne nos remoraretur verecūdia, ſubiunxit eiuſmodi confeſsionis fructum: Vt, inqnit, ſaluemini. Quaſi diceret: Ita facite, ſi modò ſaluari volueritis.

Eodem ſanè modo hoc ipſum intellexit Magnus ille Baſilius, libro quem ſcripſit de inſtitutione Monachorum, docēs nobis neceſſariò confitēda eſſe peccata, non quibuſlibet: quemadmodum nunc quidam affirmāt intelligenda verba Iacobi: ſed ijs, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei credita & commiſſa eſt.

Eandem fidem, & apoſtolicorum & Chriſti verborum intelligentiam in catholica didicit Chriſti eccleſia ſanctiſsimus eruditiſsimusq; ille Chryſoſtomus, eandem docuit fidelē ſibi commiſſum populū, quem in homi quadā ſeu concione ita alloquitur: Cōfeſsio peccatorum, teſtimonium eſt conſcientiæ timentis oeum. Qui enim timet iudicium Dei peccata ſua non erubeſcit confiteri: qui autem erubeſcit, non timet, perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confeſsionis aſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nūquid neſcimus, quia confeſsio peccatorum habet pudorem

A & quia hoc ipſum erubeſcere, inquam, pœna eſt grauis? Sed ideo magis iubet Deus confiteri peccata noſtra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Andis, quid vir ille in dictis Chriſti, apoſtolicisque verbis intellexerit, nempe neceſsitatem nobis confitendi impoſitam, & non poſitā confeſsionem in noſtro arbitrio: quaſi aliud nobis poſt baptiſma relictum ſit aſſequendæ remiſsionis peccatorum noſtrorum remedium. Sed ideo, inquit, magis Deus iubet confiteri peccata, vt verecundiam patiamur pro pœna. Cuius vnius teſtimonio, & Antiochenæ (in qua nomē Chriſto dedit, in qua & presbyterij honore poſtmodū ſublimatus erudiendæ plebis einſdē eccleſiæ prouinciam, quod plurimæ eius bomeliæ teſtantur, cum laude & fructu exercuit) ſimul & eccleſiæ Conſtantinopolitanæ (cuius deinceps epiſcopus factus eſt) fidem, quā hac de re eo ſeculo, boc eſt, longè ante annos mille habuerint, diſcimus.

Eandem catholicæ eccleſiæ ſententiam etiam ex verbis diui Ambroſij ſuperiùs recitatis partim audiuiſti. Quam adhuc clariùs explicat lib. II. de pœnitentia. Idem docet Cyrillus ille Alexādrinus epiſcopus (vt ex omni orbis loco catholicæ eccleſiæ fidei teſtimonium audias) exponens illud Leuitici 5. Ani-
B ma quæ iurauerit & protulerit labijs ſuis, vt vel malè quid faceret aut benè, & nō fecerit, pronunciet, ſeu confitebitur peccatum quod peccauerit. Ita ipſe legit iuxta veritatem Hebraicam. Quem locum ipſe detorquet ad peccatorum confeſsionem, quæ nunc agitur, ita etiam tunc peragebatur in eccleſia. Ex illo confirmans eſſe neceſſariū, vt omnia peccata noſtra pronunciemus, aut confiteamur, neq; vllum celemus, ſi modò Diaboli volnerimus accuſationem effugere. Cùm Cyrillū audis, cùm Leonem, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Ambroſium, Baſilium, ſuis quemque temporibus docentem Chriſti eccleſiam, nolo imagineris, totidem hominum, ſanctiſsimorum quidem & doctiſsimorum patrum, attamen totidem hominum te audire ſententiam: (Quanquam nec parui momenti tot aquilarum congregatio & conuentus nobis habendus eſt, ſi modò fidem habuerimus Chriſto, ibi eſſe corpus, vbi aquilæ congregātur) quin potiùs ita cogita, per vnumquemque eorum ipſius eccleſiæ catholicæ te fidem audire & ſententiam. Certum eſt enim tales, tantosq; patres & ſanctiſsimos epiſcopos nibil aliud credendum inculcaſſe & docuiſſe fideles, quibus præerant, populos, quàm quod ſciebant credi ab orthodoxa & catholica Chriſti eccleſia.

Concluditur ex dictis fides catholicæ eccleſiæ de confeſsione peccatorū.

Obiectionum quarundam aduerſus iam demonſtratam neceſsitatem confeſsionis peccatorum ſacerdoti faciendæ diſſolutio. C

CAP. VIII.

SEntio me hic remorari diutiùs, quàm pro inſtituto. Sacerdotalia enim munia hic percurrere magis, quàm exactè aſſerere decretum ſuerat, quo citiùs perueniremus, quò properamus, ad hierarchiam eccleſiaſticam. Sed retinet me zœlus domus Domini, vt videlicet diligentiùs expungerem receptam pleriſq; peſtilentiſsimam opinionem, quam hauſerunt, & adbuc hauriunt indies ex ſcriptis Eraſmi Roterodami, hominis quidem eruditiſsimi: ſed qui in tractandis ſacris literis ſuit liberiore quàm fas eſt iudicio, nec ſatis didicit religione captiuare intellectum ſuum in obſequium fidei. Qui in pleriſq; annotationibus ſuis in diuum Hieronymum omnes couiecturas captat, quibus perſuadeat, Hieronymi tempeſtate & anteà, fuiſſe quidem confeſsionem nonnullam, ſed tantùm apertam, eamq; in genere, nec exactam à quoquā, ſed cuiuſq; permiſſam arbitrio. Eam verò, quæ nunc recepta eſt, clanculariam & in aurem, natā ſibi videri ex priuatis conſultationibus, quæ ſolent apud epiſcopos fieri, ſi quis ſcrupus cuiuſquam vrgeret animum. Et in methodo, D quam docet ſtudij Theologici (quam vtinam didiciſſet feliciùs, antequàm docuiſſet alios) ridet Theologos quaſi ſuum dogma ingerentes: Confeſsionem, quoniā neceſſaria eſt ad conſequēdam remiſsionem peccatorum per ſacramentum pœnitentiæ, inſtitutam à Chriſto, & non à patribus aut eccleſia. Et престереà in libello, quem ſcribit de cōfeſsione, ita de ea agit, trutinatis hinc inde veluti in bilance eius commodis & incommodis, vt planè declaret, tametſi ſub inuolucro verborum, in quam partem ſuo iudicio lanx præponderet. Contendens equidem probari non poſſe inſtitutā à Chriſto, ita dubitat, an humana conſtitutione tantum onus imponi potuerit hominibus, vt clarè ſubindicet imponi non potuiſſe, & cùm ſit impoſitum, præſtare rurſus aboleri, eo quòd plus officiat, quàm conducat pietati. Addens oneris eiuſmodi impoſitionem aduerſari charitati fraternę, quæ ſuadet, vt aliorum potiùs onera ſubleuemus: adductis etiam Apoſtolorum Petri & Pauli exemplis, quorum hic (vt ait) indulgens infirmitati hominum etiam remiſit aliquid de præcepto Domini, ille nō eſt paſſus iugum legis Moyſi imponi gentibus. Qua igitur fronte, qui cum Petro, inquit, & Paulo comparandi

Eraſmi de confeſsione peccatorum ſententia.

non

A non ſunt, imponunt talem ſarcinam confeſ-
ſionis vltra legẽ Domini?Interim tamẽ nihil
hic vult videri velle aſſerere,ſed alijs cogitã-
di anſam ſuggererere. Quin & dialogis pleriſq;
quos ſcribit rudi illi imperitæque ætatulæ,
nunc hoc inſinuare & inſerere puerilibus a-
nimis ſuo illo artificio oititur, ſufficere vi-
delicet Deo confiteri, qui ſolus remittit pec-
cata, nunc etiam petulantiùs confeſsionem
traducit, & ridiculam facit pueris. Quibus ſa
nè dialogis (vt dicam ingennè, qnod ſentio)
nihil ad noxám religionis excogitari potuit
à Diabolo efficacius, non ſolùm ob vnũ hoc,
de quo nunc agitur (tametſi hoc ipſum ſatis
graue & magnum ſit) ſed ob eiuſdem impie-
tatis plurima, quæ illic ſub compoſitæ & ele-
gantis orationis lenocinio mira verborũ fe-
ſtiuitate ætati propinat incantę, melle oblitũ
ſcilicet veneoum lethale, & animæ toxicum.
Quo ſemel imbuta receos teſta, ad quos ſit
vſus valitura in poſterũ, quos deinceps pro-
mittat fructus præoccupata ſemel eiuſmodi
ſeminibus noxijs indoles tenera, quis non
videat? Meo ſanè iudicio minùs lęderent voi-
uerſi blaſphemiarum libri ter execrandi illi-
us Lutheri, quibus ex profeſſo, & aperto Mar
te exporrectaque fronte conuellit vniuerſa
dogmata hacteous recepta catholicæ Chriſti
B eccleſiæ, ſi legantur à viris, quibus vel tantil-
lum eſt iudicij (quàmuis penè nullis oon ſit
periculoſa eiuſmodi lectio, qnæ ferè affricat
cootagionis & ſcabiei aliquid, & noxios ali-
qnos ſcrupulos relinquit in animis legentiũ,
vt de certis diſcant ambigere) minùs, inqnã,
læderẽt vniuerſa hęc lecta ijs, quibus eſt rati-
onis & iudicij aliquid, quã dialogi eiuſmodi
lecti pueris, & illi cui ſcripti ſunt ætati teoe-
ræ: ex quibus religione ſoluti eorum animi,
qua maximè eam ætatem cõſtringi oportuit,
diſcant deinceps de rebus diuinis, de eccleſi-
aſticis dogmatibus & inſtitutis, liberè iudi-
care ac pronunciare, pro ſuo quiſque captu
& ingenio: diſcant flocci pendere, cootemne
re, deridere. Ex qua ſemeote, quam meſſem
factura propediem ſit Chriſti eccleſia, quis
oon intelligit? Vtinam nõ ſolùm pontificio,
ſed etiã imperiali edicto & anathemate exu-
larent perpetuò à ludis literarijs omnibus,
aut ita emacularentur, vt abſq; pietatis peri-
culo & iactura legi poſſent à pneris. Et quod
nunc fit à quibuſdam ludimagiſtris, qui ſele-
ctos aliquot legendos pueris exhibent, reli
quos vt noxios ſubtrahunt, ita in vniuerſum
fieret.

Voluiſſem ſanè Eraſmum hic pręterire ſi-
létio, ſi tuliſſet inſtituti ratio, ne qui eins ſtu-
dioſiores, mortuo detrahere nos calumnien-
tur, quod viuo nõ auderemus. Sed qnoniam C
noui plurimos eius lectione perſuaſos (vt
cætera taceam) negligere & contemnere vnã
ſolamq; oobis poſt baptiſma relictam à Chri
ſto ſalutis tabulã, per quam enatare & ſaluari
poſsimus è naufragio, ſacramẽtum, inquam,
pœnitẽtię, per quod ſolum remiſsionem pec
catorum ſacerdotali miniſterio cõſequimur,
& quotidie, quã velim, magis experior. Quo-
rum cauſa, quod bic obiter tranſire & percur
rere requirebat ſuſceptum oegocium, cùm
ſim coactus tractare exactiùs, & demonſtrare
aliam ſalutis & aſſequendæ remiſsionis pec-
catorum viam poſt baptiſmum nobis non pa
tere, nec relictam à Chriſto, quàm ſi humili
confeſsione præuia eam impetremus à Chri
ſti ſacerdotibus, ſicut neceſſariò & inuitus in
eius mentionem incidi, ita dolorem meum
diſsimulare non potui, neq; de eo nõ liberè,
quod ſentio, proloqui. cui ſi adhuc ſatis pro-
batũ oon ſit, confeſsionem inſtitutam à Chri
ſto, & non ſuperimpoſitam nobis ab homi-
nibus, oeſcio quando quid ſatis probatũ eſſe
poterit, quod ipſe oon improbauerit.

Aduerſus Eraſmi opinionem de confeſſione peccatorũ catholicæ fidei aſſertio.

Demõſtrauimus libro priore, duo nos ha-
bere certa indubiaq; principia, quibus veluti
à Chriſto traditũ aliquid neceſſariò nos cre-
dere & tenere oportere in his, quæ ad fidem
religionemq; pertinent, certò demonſtrari
poſsit, nempe ſcripturam canooicam & eccle D
ſiaſticæ traditionis autoritatem. Quam in eo
conſiſtere etiam demõſtrauimus, non ſolùm
ſi eccleſiæ proceres in generali aliquo con-
uentu quippiam definiant velut ex Chriſti
traditiooe tenendum: tametſi oon poſsit ita
euidenter deduci ex ſacris literis, vt proter-
uus oihil habeat, quod contrà diceret: ſed e-
tiã, ſi ſine ſcripto, qualia ſunt plurima, velut
ex apoſtolica traditione ita obſeruauit, te-
nuit & credidit catholica per orbem eccleſia.
quandoquidem certum eſt, noo omnia fidei
ooſtræ myſteria ſcripta ab euangeliſtis, neq;
etiam in paucis illis, quæ leguntur, Apoſtolo
rum epiſtolis. Et æquè certum eſt, quicquid
primitiuæ eccleſiæ tradiderunt Apoſtoli, au-
tore Chriſto, & doctore ſpiritu ſancto, qui e-
orum doctrinam & traditionẽ confirmauit
ſignis, prodigijs, & varijs virtutum operatio-
bus, tradidiſſe eoſdem. Apoſtolicę autem tra
ditionis eiuſmodi hoc certum eſſe documen
tum & infallibile, quod magno cooſenſu ita
tenuit & obſeruauit per orbem vniuerſum
catholica eccleſia, priuſquã daretur facultas
eccleſiæ proceribus & epiſcopis conuenien
di in vnũ generale concilium. Nam quæ coo
cilia præceſsiſſe inueniuotur communis per
orbem conſonæque obſeruationis eccleſiæ,

A eorum præſertim quæ in ſcripturis non con
tinentur euidenter, nec imaginari eſt aliud,
quàm apoſtolicæ traditionis fuiſſe initium.
Nos verò ex vtroque hoc principio demon-
ſtrauimus, confeſsionem peccatorum ſacer-
doti faciendam, velut ex Chriſti inſtitutione
neceſſariò tenere nos oportere. Primũ, quo-
niam ille non ſolùm ſacerdotibus ſuis remit
tendorum peccatorum poteſtatem apud Io-
annem impartitus eſt: ſed etiã clariſsimè affir
manit, niſi illorum miniſterio eorundem re-
miſsioné nos minimè conſequi, dicens apud
Deum retentum fore, hoc eſt, minimè remiſ-
ſum, quicquid ab illis remiſſum non fuerit.
Sed ſine præuia humili confeſsione ſacerdos
ſuo defungi non poteſt officio. Neceſſe eſt e-
nim, vt ſciat, quid tu tibi remitti poſtules, aut
quid ipſe remittere debeat. Conſtat ergo ex
dictis verbis Chriſti, confeſsionis ſacerdoti
faciendæ neceſsitatem nobis impoſitam. His
addidimus & alteram demonſtrationem ex
ſecundo illo, quod ſtabiliuimus, principio.
Oſtendimus enim magno conſenſu tenuiſſe
& crediſiſſe catholicam Chriſti per orbem
eccleſiam, quòd ſacerdotibus neceſſariò faci-
enda eſſet peccatorum confeſsio, priuſquàm
per eccleſiæ proceres de confeſsione facien-
da vllum eſſet verbum ſtatutum in vllo con-
B cilio. Eiuſmodi autem conſonæ obſeruatio-
nis & fidei aliã cauſam, aliudúe initium, nec
proſerri, nec imaginari poſſe, quàm traditio-
nem apoſtolicam, quæ vniuerſa Chriſtum au
torem habeat. Fidei verò & obſeruationis e-
iuſmodi teſtes produximus, in primis ſanctũ
illum Leonem vniuerſalis eccleſię pontificé,
etiam apoſtolicæ, in qua ſedit, cathedræ ſuf-
fultum priuilegio: Cui ab Occidente adiun-
ximus ſanctiſsimum Ambroſium Mediola-
nenſem epiſcopum: à Meridie ex Africa bea-
tiſsimum Auguſtinum: ex Alexandria & Ae-
gypto beatum Cyrillum, catholicæ fidei for-
tiſsimũ propugnatorem: ex Antiochia Con-
ſtaptinopoli, atque adeò vniuerſo Oriente,
beatum Ioannem cognomento Chryſoſto-
mum: ex Cappadocia & Septentrione, illum
Magnum Baſilium: qui omnes hoc ipſum cre
diderunt, & Chriſti fideles hoc credendum
tenendumque docueruut, ſacerdoti neceſſa-
riò faciendam confeſsionem peccatorum no
ſtrorum, vt eius miniſterio eorundé remiſsi-
onem aſſequamur: imò docuerũt hoc ita con
ſtitutum & ordinatum à Domino. Sic enim,
inquit ille, diuinæ bonitatis ſunt ordinata
præſidia, vt indulgentia Dei niſi ſupplicatio-
ne ſacerdotum nequeat obtineri. Mediator
enim Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus
hanc præpoſitis eccleſię tradidit poteſtatem,
vt & confitentibus actionem pœnitentię da- C
rét, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad com-
munioné ſacramẽtorum, per ianuam recõci-
liationis admitterent. Habes antorem huius
inſtitntionis Chriſtum Ieſum, qui hanc eccle
ſiæ præpoſitis poteſtatem tradidit, vt confi-
tentibus actionem modumq; pręſcriberent,
& per Ianuam reconciliationis aut remiſsio-
nis peccatorum ad ſalubrium ſacramentorũ,
corporis nimirũ & ſanguinis dominici, com
munionem admitterent. Et quanquam hi,
quos produximus, teſtes fidei catholicæ per
orbem eccleſię diuerſis locis ſanctiſsimi epi-
ſcopi, nõ pręceſſerint vniuerſa generalia con
cilia, quorum primum Nicenum extitit, ſed
illud ſint paulo pòſt ſubſequuti: nihil tamen
quod ad hoc, de quo agimus, perinde eſt, ac ſi
pręceſsiſſent omnia, nec in Niceno concilio,
nec in vllo alio conciliorũ omnium ante ip-
ſos, nec iota quidem vllum de cõfeſsione fa-
cienda ſtatutũ legitur. Quare concordis eius
per vniuerſam eccleſiam obſeruationis & fi-
dei, non conſtitutio ſynodica, ſed conſona &
conformis toto orbe traditio apoſtolica cau-
ſa extitit, neq; vel imaginari poteſt vlla alia.
Tametſi ijdem illi non tantùm neceſſariò fa-
ciendæ confeſsioni teſtimonium perhibeãt,
ſed etiam dicta Chriſti apud Ioannem, dein-
de Iacobi verba ita intelligũt, quaſi in illis ſit D
inſtituta à Chriſto, & in his inculcata & tra-
dita ab Apoſtolo. At aquilarũ eiuſmodi con-
gregationem in ſubortis his tẽtationibus ſa-
nè quàm periculoſiſsimis, in quibus multi
ſurgunt pſeudoprophetę quęrẽtes abducere
incautos & ſimplices ab orthodoxa fide ca-
tholicæ eccleſiæ, in deſertum, in angulos do-
morum & penetralia, dicentes: Ecce hic eſt
Chriſtus, ecce illic, ipſe nobis Chriſtus certũ
orthodoxæ & catholicę veritatis, infallibile-
que ſignum cõſtituit: qnemadmodum libro
præcedenti demonſtrauimus.

Aduerſus hæc omnia quid tandem habet
Eraſmus, quod ipſum dnbitare cogat, aut po
tiùs credere, confeſsionem peccatorum ſa-
cerdoti faciendã introductam conſtitutione
hominum? Sibi ipſe perſuaſit, non eſſe anti-
quum inſtitutum confeſsionis huiuſmodi.
Itaq; quoties in veteribus, præſertim Hiero-
nymo occurrit locus, vbi confeſsionem pec-
catorum vt neceſſariam exigũt, ille Theolo-
gos noſtros taxat, quaſi parùm attentos, qui
eiuſmodi intelligunt de confeſsione, qualis
modò peragitur in eccleſia: quæ eo tẽpore in
vſu nõ fuerit, ſed ipſe ad publicam quandam
& generalem detorquet. Quam nihil putat
fuiſſe aliud, quàm ſignis quibuſdã & piamini
bus ab epiſcopo indictis aliquẽ ſe peccatoré
& ſa-

Imaginatio Eraſmi nuda, nec vllis argumentis ſuffulta.

A & ſacramentorum communione indignum agnoſcere. Eiuſmodi quædam in ſcholijs primi tomi in Hieronymum inſulcit. Nec his diſsimilia in annotationibus. Nam cùm negare non poſsit antiquiſsimum fuiſſe confeſsionis inſtitutum in catholica Chriſti eccleſia: non tamen ſuſtinet eam fuiſſe, qualis modò exigitur, diſtinctã, & ſacerdoti factam in aurem: ſed planè diuerſi generis, apertam videlicet quandam, & (vt ipſe dicit) in genere. Nec ipſam, inquit, legimus exactam abs quoquã. Cæterùm, quę nunc recepta eſt, clãculariam, natam videri ex conſultationibus priuatis, quæ ſolent apud epiſcopos fieri, ſi quis ſcrupus cuiuſquam vrgeret animum. Illa verò Iacobi Apoſtoli: Confitemini alterutrum peccata veſtra, non pertinere ad confeſsionem eccleſiaſticam. Sentire ſiquidem Apoſtolum de quotidianis offenſis Chriſtiannrum inter ipſos, quos continuò vult reconciliari, alioqui, inquit, ſi de illa quam partem ſacramẽti dicimus, intellexiſſet, non addidiſſet, vobis inuicem, ſed ſacerdotibus. Et hæc quidem atque eiuſmodi Eraſmus.

Falſitas opinionis Eraſmi de cõfeſsione. Tu verò ex ijs quæ ſuperiùs demonſtrauimus, animaduertes Chriſtiane lector, Eraſmi hæc eſſe haud ſana ſomnia: quibus ne ſeduceremur, admonitos cautosq; reddidit ſanctus B ille orthodoxę fidei Doctor Auguſtinus. Nõ te ſeducat, inquit, ſomniantium illa ſuperſtitio, quæ in ægroto viſitando confirmat, quia ſaluat ſacerdote inconſulto ad Deum peccatorum confeſsio. Et paulo pòſt: Teſtamur, inquit, & hoc ipſum teſtatur ſana doctrina catholicę eccleſię, quòd ſacerdotis egeas, qui mediator ſit ad Deum tuum ſalubri iudicio: alioqui, & ſub lege & ſub gratia: Ite & oſtẽdite vos ſacerdotibus, reſpõſum quomodo cõſummaretur? Cõfitemini alterutrum peccata veſtra, quomodo compleretur? Audis quàm graphicè hic nobis explicarit Eraſmi ſomnia. Sed quàm falsò ſomniarit Hieronymi temporibus aliam confeſsionẽ in vſu non fuiſſe, quàm publicam quandam & generalem, qua tantùm ſe peccatorem quis confitebatur, idẽ tibi Auguſtinus teſtis eſt, qui fuit Hieronymo contemporaneus. Pręterea ex ijs, quos ſuprà induximus, Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, qui omnes Hieronymo contemporanei, teſtimonium perhibent fuiſſe tunc in eccleſia receptum vſum confitendi, non illum qualem Eraſmus ſomniat, in genere, ſed quo detegũtur ſecreta conſcientiæ. qui quoniam erubeſcẽtiam neceſſariò habet comitẽ, adhibet aduerſus illam Chryſoſtomus timorem diuini iudicij. Illic enim, inquit, turpitudo confeſsionis aſpicitur, vbi futuri iudicij

Lib. 2. de viſitat. infirmor. cap. 4.

pœna non creditur. Quin & ipſe Hieronymus multis locis falſam diuinationem Eraſmi coarguit. Ita ſcribit in XVIII. caput Eccleſiaſtes: Si quem ſerpẽs Diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eum veneno peccatũ infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro ſuo voluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandũ, ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcit ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, nõ curat. Vides hic, qualem confeſsionem Hieronymus doceat faciendam illi, quem ſerpens momorderit in occulto, qui peccati veneno infectus eſt nullo conſcio, nempe talem, per quã hoc ipſum latens conſcientiæ ſuæ vulnus detegit: non Deo, cui nihil occultum eſt: ſed fratri & magiſtro, ſacerdoti videlicet, quem nobis Chriſtus animarum noſtrarum conſtituit medicum: denuncians, niſi illi confeſſus fuerit, curationem minimè recepturum. Si tacuerit, inquit, qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam. Vides illũ clariſsimè ſignificare confeſsionem neceſſariò prærequiri ad pœnitentiam peragendam. Nec ſemel hoc dixiſſe contentus, continuò ipſum repetit, & alijs verbis iterum inculcat: Si vulnus, inquit, ſuum fratri & magiſtro ſuo noluerit confiteri, ille cui à Chriſto data eſt medicandi, hoc eſt, peccata remittendi poteſtas, prodeſſe ipſi non poterit: ſi erubeſcat ægrotus vulnus confiteri medico, quod ignorat medicina, non curat. Vides vt hic doceat nõ generalem, ſed ſpecificam vulneris cõſcientiæ detectionem, alioqui ipſum curari non poſſe pœnitentiæ medicamento, & remiſsionis curatione, quam impartit animarum magiſter & medicus. Quòd ſi adhuc perſiſtas eum de publica confeſsione loqui, nihil promoues. De ea enim loqui certũ eſt, per quam cordis intima deteguntur animarum medico: non tantùm, qua ſe quis peccatorem cõfitetur in genere, ſed ſpeciatim, quę in ſecreto cordis ſui ſola cogitatione perpetrauit, aperit, non Deo, ſed fratri, mortali homini, non qualicunque, ſed magiſtro ſpirituali. Eiuſmodi confeſsionem ille docet & exigit, vt quis dignè pœnitcat, & commiſſorũ veniam ac remiſsionẽ poſsit percipere. Quæ ſi malis publicè & ſub multorum teſtimonio confiteri, per me licet vt facias: modò ita exigat aut peccati qualitas, aut aliorum tuaque ædificatio. Neque enim ex parte confitentis omninò eſt de neceſsitate cõfeſsionis ſecretum, ſed eſt neceſſarium, vt ſecreta ſacerdoti palàm facias, quò te poſsit impartiri abſolutionis ac remiſsionis eorundẽ beneficio. Sed

C … D

 vt ſecre-

A vt ſecretò atq; vni in aurem cõfiteri ſatis ſit, noſtræ hoc verecũdiæ datum eſt. Nam graue nimiùm eſſet & plenum euidentibus periculis, ſi publicè ſecreta quęque noſtra confiteri cogeremur, neque vnquam hoc exactum eſt à quoquam, cuius occultũ peccatum extitit.

Quid ergo ſit, quod ille ſomniat, Hieronymi tempore non fuiſſe, niſi publicam generalemq́; confeſsionem quandam, eamq́; nec exactam à quoquam, haud ſanè intelligo, nõ quòd receptarum opinionũ noſtrarum imagines nõ ſolùm per quietem & inſomnium, ſed & vigilantibus ſæpè occurrũt, etiamſi nihil ſit, quod eiuſmodi ſuggerat. Quemadmodum ſebrienti, cui guſtandi ſenſorium flaua bile inſectum eſt, etiam dulcia quæq; amara vidẽtur. Sed non ſentit is, quod in re ipſa eſt, ſed noxium humorem, qui linguam ſuam palatumq́ue occupauit.

Quod ante Hieronymi tẽpora, ab initio Eccleſiæ vſitata, & ut neceſſaria exacta fuerit peccatorum etiam occultorum diſtincta coram ſacerdote cõfeſsio Cypriani teſtimonio.

Imò quòd non ſolùm Hieronymi, ſed etiam Cypriani, Origenis, Tertulliani, & Dionyſij temporibus, hoc eſt, annis circiter ducentis ante Hieronymum, vſitata in eccleſia, & tanquam neceſſaria exacta fuerit peccatorum, quantumuis occultorũ diſtincta, & non illa generalis, quam Eraſmus ſomniat, coram ſacerdote confeſsio, idem ipſi luculentiſsimi teſtes ſunt. Cyprianus ille ſanctiſsimus martyr & pontiſex ſermone quinto de lapſis, de his loquens, qui in corde tantùm lapſi ſunt: B Hi, inquit, quàmuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti ſunt, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteantur, exomologeſim conſcientiæ ſuæ faciant, animi ſui pondus exponant, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirant. Et paulo pòſt: Confiteãtur ſinguli, quęſo vos ſratres, delictũ ſuum, dum adhuc qui delinquit, in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dũ ſatisſactio & remiſsio per ſacerdotem, apud Dominum grata eſt. Hactenus Cypria. Et adhuc illum non pudebit ſui eius inſomnij, quòd diui Hieronymi temporibus, nondum ſuerit in eccleſia, niſi publica & generalis quædam confeſsio, eaq́; nec exacta à quoquam? Cùm Cyprianus ſerè ducentis ante Hieronymum annis, doceat ſola cogitatione lapſos, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteri debere, & obſecrando exhortetùr omnes, delictum quemque ſuum, dum tempus habet, dum remiſsio per ſacerdotem facta, apud Dominum grata eſt, cõfiteri.

Origenis teſtimonio.

Ante hunc etiam Origenes ille audi quale confeſsioni eccleſiaſticæ, qualis vſque nunc celebratur, perhibeat teſtimonium. Ita ſcribit in pſalmum triceſimumſeptimum: Vide, inquit, quid nos edocet ſcriptu C ra diuina. Quia oportet peccatum non celare intrinſecùs: ſortaſsis enim ſicut hi, qui habẽt intùs incluſam eſcam indigeſtam, aut phlegmatis humorem ſtomacho grauiter, & moleſtè imminentem, ſi vomuerint, releuãtur: ita etiã hi qui peccauerunt, ſiquidem & occultãt & retinent intra ſe peccatum, intrinſecùs vrgentur, & propemodùm ſuffocantur à phlegmate aut humore peccati. Si autẽ ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſeipſum & confitetur, ſimul euomit delictũ, atq; omnem morbi digerit cauſam. Tantummodò circunſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatũ tuum, proba prius medicũ, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit diſciplinam: vt ita demùm, ſi quid ille dixerit, ſi quid cõſilij dederit, ſacias & ſequaris. Et ſi intellexerit & præuiderit talem eſſe languorẽ tuum, qui in cõuentu totius eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo ſortaſsis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc delibetione & ſatis perito medici conſilio procurandum eſt. Vide, vt hic doceat quodcunque delictum lethale in animi penetralibus latẽs euomendum per confeſsionem, ſi modò ſanari peccator voluerit: quod quàm diu factũ nõ eſt, miſeram intùs vrgeri & ſuffocari conſcientiã. D Vide inſuper, & diligenter attende, quàm hic clarè diſtinguat publicam (non tamen qualem ille ſomniat) confeſsionem & pœnitentiam à priuata & in aurem, quę quotidie de omni lethali delicto facienda eſt. Nã de priuata & clancularia hoc nos admonet, vt circunſpiciamus cautè, cui credamus ſecreta noſtra, vt antè probatus nobis ſit medicus, cui exponamus languorẽ noſtrum, qui ſciat condolere & compati infirmitati alienæ. De publica verò docet, non facilè nec temerè ad ipſam veniendum eſſe, nec niſi præuia confeſsione priuata apud ſacerdotem peritum, & de eius matura deliberatione & conſilio.

Ob quas cauſas imponẽda et peragenda publica pœnitentia.

Idq́ue ob cauſas, quas idem commeminit, videlicet ſi peccatũ eiuſmodi ſit, vt & tua correctio & aliorum ędificatio publicam tuam requirere pœnitentiam videantur: vt publicè commiſſum homicidium; ſtuprum aut adulterium notoriũ, item ſi qui in perſequutione ſuppliciorũ aut mortis metu Chriſti nomen abnegarũt. Si qui ſeducti in ſchiſma aliquod aut hæreſim, à catholica ſe diuiſerunt eccleſia. In ijs atq; eiuſmodi, tamen iuxta conſiliũ prudẽtis medici & ſacerdotis, cui ſecreta primùm ſacta eſt peccatorum cõfeſsio, publica pœnitentia in totius eccleſiæ conſpectu imponenda

A ponenda eſt, vt qui ſcandalizati ſunt de peccato, emendentur de correctione & pœnitentia. Quin & in epiſtola Dionyſij ad Demophilum monachũ, clariſsimè eſt videre eundem ritum confeſsionis ſecretæ, qui adhuc hodie obſeruatur in eccleſia. Ita enim ſcribit inter cætera: Tu verò vt tuæ literæ indicant, procidentem ſacerdoti impium (vt ais) atq; peccatorem, neſcio quo pacto contra ordinem diſciplinæ adſtãs, calce abieciſti: quum ille quidem verecundè, quod oportuit, fateretur ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe. Neque exhorruiſti inſuper ſacerdotem optimum lacerare conuitijs, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iuſtificaſſet. Hactenus ille. In quibus verbis hoc in primis notandũ eſt, quòd Demophilum grauiter arguat, quòd cùm in ordine ſacerdotali non eſſet, contra eccleſiaſticæ diſciplinæ ordinẽ adſtitiſſet ſacerdoti, cùm ante eum pœnitentiæ cauſa procideret peccator peccatorum ſuorum quærens remedia: clarè indicãs ordinem eccleſiaſticæ diſciplinæ etiam tunc in pœnitentia & confeſsione ſecretum requiſiſſe. Deinde, & illud obſeruandũ, quòd ſcribit peccatorem ante ſacerdotem procidiſſe, peccata detexiſſe, veniam eorundem poſtulaſſe, eademque deinde à ſacerdote fuiſſe re-
B miſſa. Ob quod ille etiam ſacerdoti conuitium fecit, quòd iuſtificaſſet impium, ſed pœnitentem, & peccatorum ſuorũ remedium, remiſsionemque humiliter expetentem: qui manifeſtè etiam noſtratis confeſsionis, vt hodie celebratur in eccleſia, ritus eſt.

Hæc itaque eiuſmodi, mallem annotaſſet ille, & vbiq; inculcaſſet, pro confirmãda fide catholicæ per orbem eccleſiæ, quàm aduerſus eam etiam vi detorſiſſet omnia, quę tamẽ nihil contrà faciunt, & arma ſtudioſe ſubminiſtraſſet ijs, qui nunc impiè lacerant & proſcindũt ſacramẽta, & dogmata vniuerſæ eccleſiæ, & prætereà impoſuiſſet ſimplicioribus, quos parùm cautos aduerſus tẽtationem huiuſmodi, nec ſatis memores Moſaicæ illius, quam libro primo inculcauimus, Chriſtique aduerſus eandem præmonitionis & doctrinæ, cepit ſua illa ſuadela & compoſitæ orationis dulcedine. Quibus perſuaſum eſt, quicquid annotat aut obſeruat Eraſmus, ipſo Euãgelio eſſe certius, & remerarium, atq; adeò nephas eſſe illi contradici à quoquam. Non quòd hoc ipſum dicam requiſiſſe ab alijs, ſed ꝙ plurimis ex ijs eius ſectatoribus ita perſuaſum eſſe re ipſa quotidie experior. Tanto equidẽ cautiùs exulcerato hoc ſeculo ſibi ſcribendum fuerat, quanto maiori applauſu ſua ſciebat à pleriſque recipi, quanto etiam vide-
C bat ad nouitates & hæreſes hãc tempeſtatem procliuiora habere ingenia.

Non poſſum hic aut diſsimulare aut prætcrire quorundam, qui ex eadem lacuna cœnoſam turbidamque hauſerunt aquam, aduerſus antiquitatem (quam demõſtrauimus) concordem eccleſiaſticæ obſeruationis, circa confeſsionis, qualem adhuc hodie obſeruamus, ritum detortas violentasq; annotationes ex Tripartita, quam vocant, hiſtoria: hoc eſt, centone eccleſiaſticæ hiſtoriæ ex tribus Græcis autoribus, Theodoreto Cyri epiſcopo, Socrate quodam Cõſtãtinopolitano, & Zozomeno. De quibus hoc in primis præfari cõuenit, Caſsiodori ſtudio verſos à quodam Epiphanio, vtriuſq; linguę haud ſatis perito, qui in pleriſque ſuam diuinationem, non autorum illorum ſententiam, pro germana lectione lectori ſuppoſuit. Deinde illos ipſos autores præfato Caſsiodoro minutatim conciſos, & truncatim commixtos in continuum (vt ipſe vocat) hiſtorię compendium, adeò vt in pleriſq; ob conciſionem truncationemq; eiuſmodi meritò dubites, quænam fuerit cuiuſq; autoris certa ſententia, quod ex præcedentibus ſequentibuſq; verbis (dũ breuitati ſtudet) reſectis, certiùs clariuſq; appariuiſſet.

D Nunc vt veniamus ad id, de quo agitur, dicta quædã Socratis & Zozomeni, quibus antiquiſsimum ritum noſtratis & clanculariæ confeſsionis clariſsimè ea adſtruunt, detorquent quidam ad confeſsionem publicam, quaſi eam ſolam agnouiſſet primitiua eccleſia, eamque ipſam nec ab initio, ſed quaſi introductã primùm poſt Nouatianorum ſchiſma & hæreſim. Ita autem loquitur Socrates de tempore, quo Nectarius Conſtantinopolitanę præerat eccleſiæ, anno circiter quadringenteſimo, cùm diuus Auguſtinus floreret in Africa: Hoc porrò tempore placuit, vt presbyteri, qui erant ſuper pœnitẽtes conſtituti, remouerentur ob cauſam huiuſmodi (quam priuſquàm explicet, antiquitatem repetens ritus confitendi, tũc per eam occaſionem eo tempore aboliti Conſtantinopoli) Ex quo, inquit, Nouatiani ab eccleſia ſunt diuiſi, cum ijs qui deliquerant ſub perſequutione imperatoris Decij communicare nolentes, ex illo tẽpore epiſcopi pro eccleſiaſtica regula preſbyterũ ſuper pœnitentes eſſe conſtituerunt. Ex quibus verbis demonſtratum volũt, tum primùm cœpiſſe & inoleuiſſe ritum confitendi in eccleſia. Sed hic memineris lector, truncata te verba audire illius Socratis, de initio (vt iſtis videtur) ac inſtitutione confeſsionis peccatorum, qualis in eccleſia peragitur, videlicet per occaſionem ſchiſmatis & hæreſis Nouatiano-

Quo argumẽto cõfeſsionis ritum primũ introductum volũt poſt Nouatianorum ſchiſma & hæreſim.

A uatianorum, quæ ipſius tempora penè ducen
tis annis præceſſerat, ſub Cornelio Romano
pontifice, & Cypriano Carthaginenſi glorio
ſis martyribus initium capiens. Ex quibus
quod notât illi qui confeſsioni eccleſiaſticæ,
quaſi bumana conſtitutione introductæ de-
trahũt, quòd ante illud ſchiſma non fuerint
ſuper pœnitentes presbyteri (qnod tamen &
ipſum, niſi de publicè pœnitentibus nolunt
intelligi aut veritatẽ obtinniſſe) tametſi nul-
lum ex dictis Socratis verbis conſequatur, vt
tamen vtrunq; adſtrueret, ex his quæ præmi-
ſimus, facilè quiuis iudicabit, quantum id ha
beret põderis & autoritatis. Cùm ex Cypria-
no, Origene & Dionyſio clariſsimè demon-
ſtrauerimus, falſum eſſe vtrunque, imò ante
Nouatianorum hæreſim conſueuiſſe pœni-
tentes peccata ſua diſtinctè & ſecretò confi-
teri. Quod verò innuit Socrates per occaſio-
nem ſæpè dictę hęreſis conſtitutum fuiſſe, vt
ſuper pœnitentes epiſcopi presbyterũ in ec-
cleſijs conſtituerent, quantum ex verbis Zo-
zomeni (quibus cœptam illius verbis narrari
proſequitur & abſoluit hiſtoriam) cõiectare
licet, id eſt huiuſmodi. Siquidẽ Nouatus Ro-
manæ eccleſiæ presbyter, elatione quadam
tumidus, & poſt baptiſmum lapſis, etiam ſi di
gnè pœniteamus, ſpẽ penitus ſalutis crudeli
B præſumptione nobis adimens, princeps hæ-
reſios Nouatianorum factus eſt, qui ſeparati
ab eccleſia, ſuperbo nomine ſeipſos, καθάρους,
id eſt, mundos appellarũt. Potuit igitur fieri,
vt in condemnationem ſuperbiſsimæ, inhu-
maniſsimæ & crudelis eius impietatis, ex de-
creto Cornelij, vrbis Rom. pontificis, & cõ-
cilij ſecnm congregati (de quo tamẽ nullnm
extat decretum eiuſdem pontificis aut conci
lij) per catholicam eccleſiam publicè ordina-
ti conſtitutiq; ſint ab epiſcopis per ſingulas
quaſque eccleſias presbyteri conuerſationis
honeſtæ & ſcientes ſeruare ſecretum. Quos
ad hoc ſpecialiter deputatos publicè in eccle
ſia, vt etiam nunc fit, veluti in theatro ſub te-
ſtimonio eccleſiaſtici populi audirent pœni-
tentes, delicta ſua tamen ſecretò & in aurem
confitentes, recipiensq́ue ſecũdum modum
culpę iniunctam pœnitentiam, vt hæc ex Zo-
zomeni verbis clariùs intelliguntur. Hoc, in-
quam, eſt, quod per occaſionem illins ſchiſ-
matis & hæreſis hac in re noui introductum
videtur, vt in ſingulis quibuſq; eccleſijs vnua
aut plures, velut ex officio publicè præeſſent
pœnitẽtibus, vt nunc parochiarum paſtores
ſingularum, quos audire tenerentur, cùm an
teà fortè liceret, aut mos eſſet etiam in locis
priuatis cuicunq; liberet ſacerdoti confiteri.
Hæc inquam, ſolennitas tunc ordinata vide-
tur, cùm ob cauſam quam diximus: vt ſic ca- C
tholica per orbem eccleſia peccantes quoſli-
bet & pœnitentes ſub conſpectum omnium
ad pœnitentiam recipiens, re ipſa vbique &
publicè deteſtari videretur crudelem Noua-
tianorum amentiam: tum etiam ob vitanda
pericula & ſcandala, quæ ex pœnitentium
confeſsionibus in priuatis locis aut ædibua
presbyterorum accidere poterant. Imò no-
uum tunc non fuiſſe, quòd pœnitentea ſe
ſubmitterẽt ſacerdotibus, idem ipſe eiſdem
truncis verbis ſatis innuit Socrates, dicena
illud tunc ita ordinatum fuiſſe pro eccleſia-
ſtica regula, circa pœnitentes nimirum, me-
liùs & commodiùs implenda. Quæ ita ſe ha-
bere, quemadmodum diximus, ex verbis Zo
zomeni, quæ in eadem cõtinuò ſubijciuntur
hiſtoria, clariùa eſt intelligere. Scribit autem
in hęc verba: quoniam omnino non peccare,
diuinum & vltra humanam naturam eſſe co-
gnoſcitur, peccantibns autẽ & pœnitentiam
agentibus veniã dari deus præcepit: qui verò
cõfiteri refugiunt, mains peccatorũ onus ac-
quirunt: propterea viſum eſt antiquis ponti-
ficibus, vt velut in theatro ſub teſtimonio ec
cleſiaſtici populi delicta pandantur, & ad hãc
rem presbyterum bonæ conuerſationis, ſer-
uantemq́ue ſecretum ac ſapientem virum ſta
tuerunt, ad quem accedentes hi qui delique-
D rant, delicta propria fatebãtur: at ille ſecun-
dum vniuſcuiuſq; culpam indicebat & mul-
ctam. Quod etiã hactenus diligenter in Occi
dentalibus ſeruatur eccleſijs. Hæc Zozome-
nus, veluti prolixiùs clariùsq; exponẽs illud,
quod ex Socrate conciſiùs obſcuriùsq; rela-
tũ fuerat. In quibus verbis clariſsimè diſtin-
guit ordinationem diuinam ab eccleſiaſtica:
Dininam ordinationẽ requirere ſignificans,
vt peccantes per humilem confeſsionem pec
catorum ſuorum recurrant ad pœnitentiam:
apertè affirmans eos, qui refugerent confite-
ri peccata ſua, grauius onns peccatorũ incur-
rere. Quod minimè eſſet, niſi ad confeſsionẽ
obligaremur. Et ob eam cauſam viſum eſt,
inquit, antiquis põtificibus, ſuper hoc edere
ordinationem eccleſiaſticam, per quam Dei
ordinatio impleretur decentius, & minori
confitentium periculo, electis ad id muneria
presbyteris bonæ cõuerſationis, ſapientibua
& prudentibns, & continentibus ſecretum:
qui non in ſuis ædibus priuatis (ne hoc præ-
textu matronis & virginibus machinari ali-
quid poſſet periculi) ſed velut in theatro &
ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi (quô ab-
eſſet omnis mali aut ſpecies aut ſuſpicio) con
fitentium peccata audirent, & ſalutarem eis
pœnitentiam iniungerent. Vides quàm clarè
hic

Antiquitas [illegible] confeſsionis clanculariæ, qui adhuc hodie obſeruatur.

A hic explicet eundem confeſsionis ritum, qui adhuc hodie obſeruatur per catholicam eccleſiam, ab antiquis pontificibus ordinatum fuiſſe. Vides inſuper, vt apertiſsimè loquatur de confeſsione ſecreta, non publica, quando illi pręfectus erat ſacerdos ſciens ſeruare ſecretum, cui in eo quod detectũ eſt confeſsione publica, quis locus eſſe poſſet? Fuiſſe tamen præter quotidianam illam priuatamq́ne confeſsionem & pœnitentiam, etiam aliam in vſu ſolennem quandam & publicam, ſed hoc ſolùm in qnibuſdam caſibus & criminibus publicis, ſuprà ex Origene annotauimus & demonſtrauimns. Ad quam pertinent, quę ſubijcit Zozomenus de eo modo pœnitẽdi, quem ſcribit etiam tum obſeruari in Romana eccleſia: ſignificans tamen Conſtantinopoli aut Orientalibus illis non ita vſitatum fuiſſe, ſed tantùm illam ſecretam, tamen publicè ſuſceptá à presbytero ſub teſtimonio eccleſiæ. Iam cuius occaſione altiùs illi hæc repetita fuere, hiſtoriam, quæ ſub Nectario accidit, ſubijciens: Porrò, inquit, Conſtantinopoli presbyter ſuper pœnitentes fuit vſq; ad illud tempus, quo quædam mulier nobiliſsima, cùm ſua peccata fuiſſet confeſſa, & ei à presbytero præceptum vt ieiunaret, & Deo operibus ſupplicaret, cùm hoc obſeruaret,
B crebriùs in eccleſia cum diacono ſe concubuiſſe confeſſa eſt. Hæc cùm populus cognouiſſet, ſęuiebat in ſacerdotes, quaſi per eos facta fuiſſet iniuria eccleſiæ. Tũ Nectarius epiſcopus amouit diaconum ſceleratum, & quibuſdam ſuadentibus, vt ſingulos ad communicandum iudicio conſcientię ſuę relinqueret, etiam presbyterum nequaquam ſuper pœnitẽtes eſſe præcepit. Ex illo tempore antiquitatis conſuetudo ſublata eſt, cũ, vt arbitror, minora peccata præ pudore confeſsionis & ſubtilitate examinantiũ perpetrarentur. Hactenus Zozomenus. Vides itaque, quòd ille refert de ſublata vetuſta confitendi conſuetudine, factum nõ per catholicam eccleſiam, ſed in vna Cõſtantinopolitana ciuitate. Idq; quorundam conſilio, an ſatis ſano, ipſi viderint: factum à Nectario, vt occurreret furori tumultuantis populi. Vides inſuper, nec ipſi Zozomeno probari illud conſilium auferendæ neceſsitatis confitendi, & relinquendi vnumquemque ſuæ conſcientiæ iudicio, cùm ipſe arbitretur pauciora ob pudorem neceſſariæ confeſsionis, patrari peccata. Et quemadmodum illi non probatum eſt hoc conſilium, ita nec probatum eſt epiſcopis, qui Nectarium ſubſequuti ſunt, ſub quibus antiqua catholicæ eccleſię conſuetudo & obſeruatio etiam illic reuocata & exacta fuit. Quod ex

Antiquã confitendi cõſuetudinẽ etiam Conſtantinopoli continuò poſt Nectarium reuocatã et exactã per Chryſoſtomũ

beati Ioannis Chryſoſtomi, qui Nectarium C continuò ſubſecutus eſt, verbis quę ſuperiùs citauimus, luce clariùs eſt cernere. Et hactenus obiectionibus quorundam aduerſus neceſsitatem confeſsionis peccatorum noſtrorum ſacerdoti faciẽdę, plus ſatis, & quàm pro inſtituto, reſponſum eſt.

Bipartitum æquè nouæ legis ac illius veteris, diſcriminatumq; diuina ordinatione eſſe ſacerdotium, & quæ pontificalis propriè ſint muneris & officij.

CAP. IX.

VEteris vmbraticiq; illius ſacerdotij, ſi formam, ſi dignitatem autoritatemq́ue (vt pręmiſſum eſt) conſideremus attentiùs, & ab eodem ad noſtræ legis Chriſtianũ ſacerdotium, velut ab vmbra ad ſolidum corpus, à figura ad ipſam veritatem, mẽtis noſtræ conuertamus oculos: haud puto cuiquã dubium fore, quin admirabilis quædam excellentiſsimaq; ſit eius dignitas, quæ tanta cernitur in illa vmbra & figura veteri, & ſingulari quadam autoritatis prærogatiua dotatũ & inſignitum à Chriſto. Cuius vt apud nos gradus clarè conſpiciatur, quo inter ſe pacto diſcriminentur, vtq; ſuæ etiam vmbræ exactiſsimè reſpondeant: in primis & apud nos quoque bipartitum vi- D dere eſt, ſacerdotalem gradus inferioris, qui genericum nomen retinet, & pontificium. Quorũ tametſi hic etiam illum includat, inſuper & vltra aliquid continet. Vterque etiam inſtar illius veteris, viſibili quoque ordinationis & conſecrationis ritu cõfertur, ſed ſuo quiſq; & proprio. Viſibilibus enim ſacerdotibus opus habem⁹, quos poſsimus internoſcere & requirere in his quæ eorum ſunt officij. Sacerdotibus manus initiantur in ſacerdotio, & cõſecrãtur ſacræ vnctionis oleo, pontificibus etiam caput inungitur: quin & propria horũ præ ſacerdotibus munia ſunt. Ad hos enim pertinet ordinare & cõſtituere cęteros in ſuis gradibus ordinis eccleſiaſtici: confirmationis quoq; ſacramẽto baptizatis abundantiorem ſpiritus gratiã tribuere, pręterea dedicare & conſecrare templa, altaria, & vaſa, & quæcunq; diuino mãcipata cultui, adhæc ſacræ vnctionis chriſma, cuius in illis omnibus vſus eſt, cõficere & cõſecrare: inſuper & oleũ ſanctificare ac benedicere in varios vſus eccleſiæ. Hæc magno totius per orbẽ cõſenſu eccleſiæ, pontificalis tantũ apicis munera ſunt: nec aut requirũtur, aut adminiſtrãtur ab inferioris gradus ſacerdotibus. Neq; hoc epiſcoporũ faſtu & vſurpatione potiùs q̃ iure factum eſt, vt blaſphemant impij plerïq;

A quibus aduerſus catholicam eccleſiam & hierarchiam eius exitiale bellum eſt. Sed quod hac in re toto orbe terrarum nũc ſeruat Chriſti eccleſia, hoc ipſum eodem inconcuſſoque tenore omnibus retrò ſeculis obſeruauit ab ipſis apoſtolorum temporibus. Quod vt demonſtremus per ſingula, ab ipſo ſacro chriſmate exordiendũ eſt, cuius & in cæteris pontificijs muneribus penè omnibus neceſſarius vſus eſt.

Sacri chriſmatis conſecrationem ex apoſtolica traditione ab initio accepiſſe eccleſiam, ex Dionyſio capite 4.

Diuus ille Dionyſius beati Pauli Apoſtoli auditor & diſcipulus, autore Chriſto, doctoreq; ſpiritu ſancto, teſtatur eius inſtitutionẽ factam per Apoſtolorum miniſterium. Ita enim ſcribit in ſua hierarchia eccleſiaſtica: Alia eſt, inquit, venerãda confectio vnguenti ſeu chriſmatis, conſecrationẽ eam vocant præceptores noſtri, &c. Vnde opinor iuxta ſacratiorem ſenſum traditione diuina ſancti noſtræ ſacerdotalis functionis duces, honeſtiſsimũ iſtud vnguenti conſecrandi munus, teleten, hoc eſt perfectionem, & ſanctificationem, ab effectu ei, quæ in eo perficitur, nominant. Et ibidem ritum deſcribens, quo ſanctum illud chriſma apoſtolicis primiſq; illis temporibus conficiebatur & ſanctificabatur à pótifice: Vbi, inquit, præceſsit pontificis circa omnem phani ambitum redolens thure profe-
B ctio, pſalmorumq; modulatio, & lectio diuinarũ ſcripturarum, ſumptum deinde vnguẽtum ſacrum imponit altaribus, duodecim ſacris alis tectum, reſonantibus omnibus voce ſanctiſsima melos ſacrũ, quod diuinitùs afflati prophetæ cecinerũt (hoc eſt, illud angelicũ apud Eſaiam canticum: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus ſabaoth) completa ſuper eo oratione ſolenni, in ſanctiſsimis conſummationibus eo vtitur, ad omnẽ fermè ſacerdotalis officij functionẽ. Audis quid ſcribat ſacer ille Dionyſius, videsq; in ſacris illis cæremonijs, quas magno cõſenſu adhuc obſeruat tota per orbem eccleſia, nihil eſſe immutatum ab ipſis vſq; Apoſtolorũ temporibus. Eodẽ enim modo ac ritu & nunc ſacrũ chriſma à pontificibus cõſecratur, quo ille deſcribit ex apoſtolica traditione tunc conſecrari conſueuiſſe. Huic & alter accedit æquè idoneus teſtis, ſanctiſsimus Fabianus martyr & pontifex, qui annis circiter ducẽtis poſt chriſtum Romanæ & vniuerſali eccleſiæ præfuit. Hic iuxta morẽ eccleſiaſticę diſciplinæ ſuper eccleſiaſticis quibuſdam negotijs conſultus ab Orientis epiſcopis, eiſdem reſpondens, etiam hac de re inter cætera ſcribit in hæc verba: Literis veſtris inter cætera inſertum inuenimus, quoſdã regionis veſtræ epiſcopos nõ per ſingulos annos in cœna Domini chriſma conficere, ſed duos aut tres annos confectio- G nem ſancti chriſmatis ſemel actam conſeruare. Errant, qui talia excogitant. Siquidem in illa die dominus Ieſus, poſtquàm cœnauit cũ diſcipulis ſuis, & lauit pedes eorũ, ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſq; reliquerunt, chriſma conficere docuit. Cuius diei ſolennitas ſicut per ſingulos annos eſt celebrãda: ita ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt peragenda: quia nouum ſacramentum eſt per ſingulos annos, & iam dicto die innouandum, & vetus in ſanctis eccleſijs cremandum. Iſta à ſanctis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus accepimus, vobiſque tenenda mandamus. Hæc ſancta Romana & Antiochena eccleſia à temporibus Apoſtolorum cuſtodit, hæc Hieroſolymorum & Epheſiorum tenet, in quibus Apoſtoli pręſidentes hæc docuerũt. Hæc ille Fabianus. Quæ epiſtolæ eius verba ſuæ cõpilationi Gratianus inſerit. Literis, de conſec. diſt. III. Audis itaq; quid ille tanquã vniuerſalis eccleſiæ epiſcopatum gerens martyr ſanctiſsimus Orientis epiſcopos doceat ex apoſtolica eatenùs traditione & doctrina tenuiſſe & cuſtodiſſe Romanã eccleſiam, Antiochenam, Epheſinã, & Hieroſolymitanam, in qui-
D bus præfuerſit Apoſtoli, atq; adeò eccleſiam catholicam, quid deniq; illis velut ex eadem traditione tenendum præcipiat, idq; eo tempore, quod non multum diſtabat ab illo ipſo noſtræ religionis initio, & quo apoſtolicę illius traditionis tam lõgè lateq; patentis nõdum obliterata eſſe poterat memoria. Vides inſuper atq; ex his clariſsimè perſpicis, quàm ſit fida cuſtos apoſtolicæ traditionis catholica eccleſia. Nã quod ille annis ante hac mille trecẽtis prædicauit obſeruatum ab initio, etiam hodie, eodem tenore & conſenſu obſeruatur ab vniuerſa per orbem eccleſia.

Hic iam prodeat catholicę eccleſiæ hoſtis, contemptor irriſorq; Lutherus, eidemq; inſultans, ſacrum chriſma, rancidum oleum appellet, & ſuos doceat ex eo inũgere calceos: Sacerdotes noſtros, quòd hoc chriſmate vncti ſunt, vnctos raſoſque nominet, à quo etiam hoc expectamus propediem, vt Chriſtianos omnes per deriſum, lotos lymphatoſq; appellet: & ſacrum etiam baptiſma, quòd viſibili & exteriori peragatur corporis abſolutione, irrideat: & in his omnibus ſectatores inueniat æquè vt ipſe eſt impios, & excęcatos diuino iudicio. Quid tandẽ his perficit aliud, quàm vt clariſsimè oſtendat ſe nõ pertinere ad catholicã eccleſiam, ſed eius ſe eſſe hoſtẽ & perſequutorẽ, cui inſultat ſuis conuitijs?

In vmbra veteri, quę efficacia fuerit ſanctę

illius

Demõſtratur efficacia ſacri chriſmatis ex umbra ueteri.

A illius vnctionis olei ſacerdotali ore benedicti & conſecrati, teſtatur ſacra vetus hiſtoria. Siquidem illo inuncti ſunt reges à ſacerdotibus ad gubernationẽ populi. Illo & ſacerdotes & pontifices, ad ſua quique, quæ ſuprà explicauimus, obeunda perficiendaq́; munera. Neq; vana fuit aut inefficax eiuſmodi vnctio, nec nugator Deus, qui eandem inſtituit & prçcepit fieri. Quin potiùs internam ſpiritus gratiam ad opus, cui deſtinabãtur, ac miniſterium contulit. Itaque mox vt à Samuele

1. Reg. 10.

inunctus eſſet in regem Saul, immutauit ei Deus cor aliud. Similiter cùm idem in regem vnxiſſet Dauid in medio fratrum ſuorũ: Di-

1. Reg. 16.

rectus eſt (inquit ſcriptura) ſpiritus Domini à die illa in Dauid & deinceps. Vides vnctionis illius efficaciam & effectum. Quàmuis de vngendis regibus nihil ſpecialiter conſtitutum ordinatumq́; legatur à Domino, nec pro illis principaliter inſtituta ſacra vnctio, ſed tantùm, quo ſacerdotalis ordinis nobis commendaret excellentiam, dignitatem, & efficaciam, quos ad regale faſtigium ſublimabat, aut populi ſui eligebat gubernationem & ducatum, ſacerdotali inunctione, aut manuum impoſitione adiutrice ſpiritus gratia, nempe ſapientiæ aut fortitudinis, ad tantum onus ſubeundum cõfirmabat. Ita moriturus Moy-

Num. 27.

ſes, cùm oraret Dominũ loco ſui prouidere B tantę multitudini de duce idoneo, dixit Dominus ad eum: Tolle Ioſue filium Nun, virũ in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdore & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuę, vt audiat eum omnis ſynagoga filiorũ Iſrael. Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum, ad verbũ eius egredietur & ingredietur ipſe & omnes filij Iſrael cum eo. Audis Moyſen ſummum ſacerdotem Domini, per impoſitionem manuũ ſuarum dediſſe Ioſue, quem ſibi ſucceſſorem in ducatum populi, non autem ſacerdotio ſuo (in quo nullum ſucceſſorem habuit) delegerat Dominus partem glorię ſuæ. At quæ nam eſſet ea pars gloriæ ſuæ, eodem exponẽte in-

Deut. ult.

telliges. Ita enim hoc ipſum in Deuteronomio replicatur: Ioſuæ verò filius Nun, repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Audis, quam partem gloriæ ſuæ Moyſes dederit manuum ſuarum impoſitione. Repletus eſt, inquit, ſpiritu ſapientiæ is, in quo tamẽ antè erat ſpiritus Dei. Audis quoq; efficaciam impoſitionis manuũ ſacerdotalium. Dabis, inquit, illi partem gloriæ tuæ: hoc eſt, ſpiritum ſapientiæ. Nunquid Moyſes dedit Ioſue ſpiritum ſapientiæ? nunquid non Dei ſolius hoc eſt? Tamen vt impo- C ſitionis manuum ſacerdotalium, ſuiq́; ſacerdotij efficaciam dignitatemq́ue nobis commendaret Deus, ita loquitur, quaſi à ſacerdote fieret, quod ſolus operatur Deus ad ſacerdotum ſuorum miniſterium. Quòd ſi tantũ valuit illa ſacra vnctio in vmbra veteri, nunquid in ipſo corpore ac veritate in Chriſtiana eccleſia, ex ipſius Chriſti inſtitutione per apoſtolicam traditionem & miniſterium, per per diuini nominis inuocationem ſanctificatum à pontificibus noſtris ſacrũ chriſma vanum erit, & omni effectu vacuum? nunquid rancidum id oleum ab eo qui chriſtianum ſe profitetur, per contemptum appellari feret Chriſtianus animus? quin audiat ille, quo pacto de eo loquatur ſanctus ille Cyprianus glorioſus Chriſti martyr & pontifex, vt confundatur os illud impudens & blaſphemum. Nõ hæc, inquit ille, medendis corporibus eſt vnctio inſtituta: quia ſanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentiùs operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & virtus ſacramento, vt & ipſis rerum efficiẽtijs gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quãta ex his detur autoritas, Deiformi conuerſatione & ſanctis moribus innoteſcat. Hoc oleo antiquitùs ſacerdotes ſacrabãntur & regẽs, & ipſi altarium lapides D delibuti ſpiritalem intelligi volebant ſacris myſterijs ineſſe pinguedinem, & ſicut oleum fluidis & humidis quibuſlibet ſuperfertur: ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis ſecundum formam Dei & Chriſti ſub ſe omnia continens regimen & munimen tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ continet, & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas ſpiritus ſanctus, prout vult, ſingulis diſtribuit & largitur. Hęc ille Cyprianus. Audis itaq; irreligioſe, Chriſtorum Domini hoſtis, irriſor & cõtemptor, quàm diuerſa ſit à te ſanctiſsimi illius Chriſti ſacerdotis & martyris, atque adeò catholicæ eccleſiæ, de ſacro chriſmate ſententia. Quod tametſi tu irrideas, & mordacibus inſecteris dicterijs, nos minimè erubeſcimus, ſed ſeriò gloriamur illo nos perũctos in chriſtos Domini, ſcientes, quẽ habeamus noſtræ dignitatis aſſertorem & vindicem. Qui enim vos tangit, inquit ille, tangit pupillam oculi mei. Et per diuinũ illum Pſaltem: Nolite tangere Chriſtos meos. Sed de chriſmate ſacro ab epiſcopo conſecrando, hæc ſatis ſuperq́;.

Iam & ſolius pontificalis eſſe muneris, cõfirmare baptizatos ad percipiendam abundantiorem ſpiritus gratiam, æquè docet communis per orbem eccleſiæ obſeruatio,

quæ

Ex apoſtolica traditione ad ſolos epiſcopos pertinere, confirmare baptizatos, ex actis Apoſtolicis.

A quæ ex apoſtolica traditione ab ipſis eccleſię incunabulis ad nos perducta eſt. In ipſis ſiquidem actis apoſtolicis legitur: Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum, nôdum enim in quenquam eorum ſuperuenerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Ieſu. Tunc imponebãt manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Vides apoſtolicarum demũ manuum impoſitione, illos baptizatos à Philippo diacono accepiſſe ſpiritum ſanctum. Cuius tametſi gratia non omninò deſtituti eſſent, ritè percepto baptiſmate Chriſtiano, haud tamen perceperant ea plenitudine, quę etiam ſenſibilia ſui ſigna exhibebat. Ita & Paulus baptizatis in nomine Ieſu poſtquam impoſuiſſet manus, venit, inquit, ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebãtur linguis, & prophetabant. Itaq; in illo naſcentis eccleſiæ principio à nemine præſumptum eſt confirmare credentes, quàm à ſolis apoſtolis. quare beatus Damaſus ante annos mille & fermè ducentos, ita ſcripſit in epiſtola de coepiſcopis. Quòd autem ſolis Apoſtolis eorumq́ue ſucceſſoribus proprij ſit officij tradere ſpiritum ſanctum, liber actorum apo-

B ſtolicorum edocet, præſertim cùm nullus ex LXX. diſcipulis, quorum officium presbyteri in eccleſia gerunt, legatur donum ſpiritus ſancti per manus impoſitionẽ tradidiſſe. Et Innocentius hanc confirmationem, & quam Lucas manuũ impoſitionem indiſtinctiùs vocat, vſitato tunc vocabulo, conſignationẽ appellans, ex ritu quo tunc vſa eſt, & etiam nũc vtitur in confirmatione Eccleſia, conſignando videlicet frontem confirmati ſigno crucis ex ſacro chriſmate, qua ratione ab alijs etiam chriſmatio dicitur: ita ſcribit ad Decentium Egubinum epiſcopum: De conſignandis verò infantibus, manifeſtum eſt ab alio fieri quàm epiſcopo non licere. Nam presbyteri licet ſint ſacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent: hoc autem pontificibus ſolis deberi, vt vel conſignent, vel ſpiritum paracletum tradant, non ſolùm eccleſiaſtica conſuetudo demonſtrat, verùmetiam & illa lectio actorum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent ſpiritum ſanctũ. Nam preſbyteris cùm baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab epiſcopo fuerit cõſecratum: nõ tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis epiſcopis debetur, cũ tradunt ſpiritum paracletum. Hactenus ille Innocentius ante annos vndecies centenos. Vides autem quam ille eccleſiaſticam obſeruationem & conſuetudinem, quæ ad hodiernũ diem perpetuo tenore obſeruatur, ab apoſtolica traditione & doctrina dicit traxiſſe originem. C Idem docet & inculcat Leo primus, ſanctiſſimus pontifex in epiſtola ad Germaniæ & Galliæ epiſcopos, qui LXVI. eſt in ordine. Et ante hos aliquot annorum centenarijs, Vrbanus papa, ſub Alexandro Mammeæ glorioſo cõſummarus martyrio, in ſua quadam decretali epiſtoia: Omnes, inquit, fideles per manus impoſitionem epiſcoporum ſpiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniãtur. Idem ante hunc docuit & inculcauit Clemens ille beatiſſim⁹ Petri diſcipulus & ſucceſſor, tã in apoſtolica cathedra, quàm in glorioſo, quo conſummatus eſt, martyrio, in epiſtola ad Iulium & Iulianum epiſcopos: Omnibus feſtinandum eſt, inquit, ſine mora renaſci Deo, & demũ deſignari ab epiſcopo, id eſt, ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiam percipere, quia incertus eſt vniuſcuiuſq; exitus vitę. Cùm autem regeneratus fuerit per aquã & poſtmodùm ſeptiformi ſpiritus gratia ab epiſcopo, vt memoratum eſt, confirmatus (quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuria aut voluntate reman- D ſerit) vt habeat quod à Petro accepimus, & cæteri ſancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt, &c. Hæc ille Clemens. Idem docet eiuſdẽ contemporaneus, ſanctus Dionyſius, beati Pauli Diſcipulus capite quarto hierarchiæ ſuę eccleſiaſticę, ſimul vniuerſum ritum explicans, quo tunc in eccleſia confirmabantur baptizati. Vt confundatur impius ille Vvicleſus iuſtiſſimè damnatus Conſtantienſi concilio. Cuius hic inter cæteros illic memoratur erratorum articulus: Confirmatio iuuenum & clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſeruantur papæ & epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris. Qui error ex alio pendet magis peſtifero, vt qui hierarchiam vniuerſam tollit Chriſtianę eccleſiæ. Affirmat enim is poſt Vvaldenſes ſuos, pontificum & reliquorum ſacerdotum nullum eſſe diſcrimen in chriſti eccleſia. Cui ſententiæ vtraque manu ſubſcribit inexhauſtum illud impietatum omnium velut barathrum quoddam Lutherus. Quin & longè nequiorem commentus eſt, veluti vniuerſos certans impietate vincere. Non enim inter ſacerdotes tãtùm & pontifices, ſed etiam inter ſacerdotes & prophanam multitudinem, omne diſcrimen tollit è medio. Hoc vbiq; conteſtatus ſibi admodũ placere, ſi quid

Eiuſdem impietas, quòd pontificum et reliquorũ ſacerdotum nullum ſit diſcrimen in eccleſia Chriſti.

A ſi quid vſquam in quibuſcunque hæreticorum antris, penetralibus ac latibulis poteſt offendere, diſsidēs à communi ſenſu, fide & ſententia catholicæ eccleſiæ: ſed ipſum pude re aliorum tantùm eſſe ſectatorem & diſcipulum,& ſemper vti inuentis. Quare impijs aliorum inuentis ipſe magis impia vbiq; ſuperaddere conatur. Sed magna iam parte detecta & traducta eſt horum impietas, eritque luce meridiana clarior, poſtquàm præſentem tractationem abſoluerimus. Ad penſum itaque redeundum eſt.

Pontificalis inſuper eſſe muneris conſtituere, ordinare, & conſecrare eos, qui ſingulis perſungantur gradibus ſacri ordinis eccleſiaſtici, æquè docet catholicæ eccleſiæ per orbem obſeruatio, ab ipſis vſque apoſtolorum tēporibus eodem tenore ad nos obſeruata. quòd enim ea etiam in re, vt in omnibus, ſuū morem ſeruarit eccleſia, apoſtolicæ ſemper doctrinæ memor, hoc eſt, quòd diligēter cuſtodierit depoſitum ab Apoſtolis, nec quicquàm præterea noui admiſerit, certò cognoſces, ſi obſeruationem, quam noſtro & patrū noſtrorum ſeculo per vniuerſam eccleſiam adeſt perſpicere, ad eam contuleris, quæ fuit in primitiua illa eccleſia, recēter erudita doctrina ac traditione apoſtolica. Quam ex bea
B to Dionyſio illo Pauli Diſcipulo luce clariùs eſt intelligere. Ita enim ſcribit in ſua hierarchia eccleſiaſtica: Pontificum ordo ſacratior primus eſt diuina ſpeculantium ordinum, idemq; & ſummus & vltimus, quippe in quo deſinit ſacerdotij noſtri omnis diſtinctio. Porrò pontificalis ordinis virtus in ſacris omnibus diſtinctionib⁹ capitur, & per omnes ſacros ordines operatur propria hierarchiæ myſteria. Et paulo pòſt: Et quàmuis à ſacerdotibus perficiantur quædam venerabilia ſigna, nunquam tamen diuinam regenerationē ſine ſacratiſsimo conſummabunt vnguento: neq; ſacroſanctæ communionis ſacramenta perficiēt, niſi ſignis tanti myſterij altaribus venerandis impoſitis: ne ipſe quidem ſacerdos erit, niſi pontificalibus officijs ad hoc promotus fuerit. Audis Dionyſij, atque adeò apoſtolorum temporibus morem Chriſtianæ eccleſiæ, vt ſacerdotes diuinæ regenerationis ſacramēta ſine ſacratiſsimo vnguento, hoc eſt, chriſmate, nō cōſummauerint, cuius cōſectionem & conſecrationem quoniā ille pontificij muneris eſſe præmiſerat, ex eo con ſectum volebat, etiam in conferendo baptiſmate epiſcopalis autoritatis indigere ſacerdotes. Idē in euchariſtiæ ſacramento illis vſu venire declarat. Neque enim, inquit, ſacroſanctæ communionis ſacramenta perficient, niſi ſignis tanti myſterij altaribus venerandis ſuperimpoſitis, hoc eſt, niſi altare ad hoc dedicatum conſecratumque à pontifice habuerit, ſacroſancta illa myſteria & ſacrificia ſacerdos non perficit. Imò hoc ipſum, quod ſacerdos eſt, totum debet, & acceptum fert pontificali officio. Itaq; Apoſtoli ordinarunt primū per loca oportuna pontifices aut epiſcopos, qui ſimilem ordinandorum aliorum, ſeu epiſcoporum, ſeu presbyterorum poteſtatem obtinuerūt. Ita Paulus Timotheum & Titum ordinauit epiſcopos: cuius idem ipſe teſtis eſt, cum eadem, quam diximus, autoritate & poteſtate. Quibus etiam præſcribit, quales ipſi debeant ordinare epiſcopos, presbyteros & diaconos. Noli, inquit, negligere gratiā, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cū impoſitione manuum presbyterij. Et rurſus Admoneo, inquit, te, vt reſuſcites gratiam, quæ in te eſt per impoſitionē manuum mearum. Et ad Titum: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Vides, cuius ſit coſtituere presbyteros aut ſacerdotes, reliquosque in ſuis gradibus eccleſiaſtici ordinis. Nō equidem prophanæ multitudinis: quæ ea in re(vt ſuperiùs demonſtrauimus) nihil poteſtatis, autoritatisq; obtinet, quemadmodum illi perſuadere conatur ille Chriſti eccleſiæ infeſtiſsimus Lutherus: ſed pontificum, aut epiſcoporum: Tito, nō Cretenſi alteriúe populo hoc munerís iniūgit Apoſtolus: & ſine epiſcopali, non autem plebeia promotione affirmat ille ſacerdotem non fieri.

Ex actis apoſtolicis. *1. Tim. 4.* *2. Tim. 1.* *Cap. 1.*

Neque huc pertinet, quòd non ſolebat antiquitùs ſine plebis aſſenſu electio fieri, ad quā impius ille diuino iure, vniuerſum hoc ius eligendorum & ordinandorū epiſcoporum & presbyterorum pertinere contendit. Siquidem ordinationem ab electione aliam eſſe non vult, conſecrationem etiam deridet & abominatur. Electionē verò ad ius populi pertinere, cōfirmare nititur ex Origene, qui in Leuiticum ſcribēs, affirmat in ordinando ſacerdote requiri & præſentiā populi, vt ſciāt inquit, omnes & certi ſint, quia qui eſt præſtātior ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad ſacerdotium: & hoc adſtāte populo, ne qua poſtmodùm retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret. Sed hic aut ignorat, aut diſsimulat ille, longo hæc interuallo diſtare, eligere & electioni aſſenſum ac bonum teſtimonium perhibere, electū deniq; ordinare aut conſecrare in gradu, ad quem electus eſt, poteſtatemq; & autoritatem gradui, officioque

A officioq́; ſuo congruentem tribuere. Siquidem ſancti patres noſtri conſiderantes ſpiritalem profectũ Chriſtianę plebis hoc requirere, vt ſacerdotes & epiſcopos ſuos omni, non ſolùm honore, ſed etiam amore proſequerentur, hoc in primis etiam ſacris ſanctionibus prouidendum curauerũt, ne quis inuitis obtruderetur epiſcopus. Ne, inquit ille, ciuitas epiſcopum non optatum contemnat aut oderit, & fiat minùs religioſa, quàm conuenit, cui nõ licuit habere, quem voluit. Itaque non plebis, ſed cleri erat eligere, gratum tamen, acceptumq́; plebi: cuius erat, electioni conſentire, & bonum electo perhibere teſtimonium. Et hoc eſt quod ſignificauit Origenes, requiri præſentiam populi, non vt eligeret, ſed vt electo perhiberet bonum teſtimonium: vt ſciãt, inquit, omnes & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, ille eligitur ad ſacerdotiũ, vt ſciant eligi præſtantiorem, non vt eligant. Cuius nobis formam in Saulis electione ſacra exhibet hiſtoria. Electus ſiquidem ille à Deo eſt, & ſacerdotis ſui viſibili conſecratus miniſterio. At iam electum ſtatuit Samuel in medio populi, dicens ad eum: Certè videtis quẽ elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Quanquam & plebis poſteà deſierit conſenſus

B expeti, eam ob cauſam, ob quã diuus Auguſtinus viuens ſibi in coadiutorem & ſucceſſorem in epiſcopatu ſuo aſſumpſit Eradium. Quã ob cauſam idem ipſe expreſsit quadam ſua epiſtola: Scio enim, inquit, poſt obitus epiſcoporum per ambitioſos aut contentioſos ſolere perturbari eccleſias: quod ſæpè expertus ſum, & doleo. Attamen nec illa ipſa cleri electione, nec plebis aſſenſu, ſed ſola põtificali ordinatione ac cõſecratione quiſquã fit ſacerdos aut pontifex. Cui non homo, ſed Deus ipſe ſacerdotalem, pontificalemq́; autoritatem planè diuinam tribuit. quare non ab homine, ſed à Chriſto ipſo & ſacro ſpiritu, tametſi humano miniſterio, ſacerdotes pontificesq́ue conſtitui affirmant ſacrę literæ. Paulus ipſe & Timotheus, ac Titus per ciuitates ordinarunt epiſcopos, quibus tamen idem dicit Paulus: Attẽdite vobis atq; omni gregi veſtro, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiam Domini Ieſu. Vides quos ille dicat ſpiritum ſanctum poſuiſſe epiſcopos ad regẽdam eccleſiam Dei. Itaq; pontificali miniſterio ordinati & conſecrati in ſacerdotes & epiſcopos, à Deo vocati ad honorem huiuſmodi dicuntur ab Apoſtolo. Nec quiſquam, inquit, ſibi ſumit honorẽ, ſed qui vocatur à Deo, quemadmodũ & Aaron. Quo verbo, neq; ordinatis à ſe Tito & Timotheo,

Sacerdotalẽ autoritatem à Deo tribui, quàmuis hominum miniſterio.

Autoritate Apoſtoli. Heb. 6.

neque eis etiam, qui ab illis vlteriùs ordinati C ſunt, honorem de quo loquitur, pontificium aut ſacerdotalem abrogat. Sed quemadmodũ illos, quàmuis humano miniſterio, tamen à ſpiritu ſancto conſtitutos epiſcopos affirmauit, ita eoſdẽ hic ſignificat vocatos à Deo. Dignũ eſt igitur, inquit ille glorioſus martyr Ignatius, & ipſe Apoſtolico plenus & imbutus ſpiritu, vos obedire epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere. Terribile enim eſt tali cõtradicere. Nõ enim iſtũ viſibilem quis ſpernit, ſed illum inuiſibilẽ in eo contemnit, qui nõ poteſt à quoquã contẽni: hic enim nõ ab homine, ſed à Deo habet promotionẽ. Vides illũ rectè intellexiſſe ex prędictis verbis Apoſtoli, epiſcopũ quàmuis ordinatũ & conſecratũ humano miniſterio, tamen à Deo, non ab homine promotionẽ habere. Eodẽ ſanè pacto idem intellexit eruditiſs. ille Origenes. Quid, inquit, loquar de parentibus & filijs? Si Ieſus Dei filius ſubijcitur Ioſeph & Mariæ, ego nõ ſubijciar epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? non ſubijciar presbytero, qui mihi Dei dignatione præpoſitus eſt? Et ille glorioſus Chriſti martyr & pontifex Cyprianus ad Pupianum, etiã diuinitùs ſibi reuelatum teſtatur: quòd qui Chriſto nõ credit, ſacerdotem facienti, poſteà tandem & ſerò incipiet credere ſacerdotem vindicanti, D pro fide ſibi factæ reuelationis ad Dei tribunal prouocans. Ex quibus quilibet facilè intelligit, qualis, quantiq́ue momenti ſit pontificalis ordinatio, per quam Deus ipſe ad ſui ſacerdotij honorem ordinatos eligit, & ſpiritus ſanctus conſtituit epiſcopos & presbyteros ad eccleſiæ Chriſtianæ regimen. Et hos execrandus ille polluto blaſphemoq́ue ore vnctos & raſos per contemptum appellabit? Cur nõ & lotos, lymphatosq́; derideat Chriſtianos vniuerſos, ſi adeò nihil in exteriore corporis ſeu ablutione ſeu vnctione exiſtimat ineſſe energiæ & viuæ virtutis?

Sed dicet aliquis: Ordinationis in apoſtolicis literis, non per conſecrationem, vnctionemq́ue ſacri chriſmatis, ſed tantùm per impoſitionẽ manuum mentionem fieri. quemadmodum Titum Paulus admonet reſuſcitare gratiam, quam per manuum ſuarum impoſitionem ſuſceperat, de chriſmate aut conſecratione nulla mẽtione facta. Et Timotheum, nõ temerè quenquam ordinandum docens ad ſacerdotium, ſed maturo, exactoq́ue iudicio: Manus, inquit, citò nemini impoſueris, neq; communicaueris peccatis alienis.

Hic ſi nihil dicam aliud, quàm quod primo libro demonſtrauimus, magis ex traditione, quàm ſcripto pendere religionem Chriſtia-

nam

ns n & legem Euangelicam, factũ ſatis cuiq; **A** piè affecto Chriſtiano nihil dubitauerim. Nihil enim ſcripſit legislator noſter, nihil ſcribendum mandauit Apoſtolis, ſed euntes, inquit, in mundum vniuerſum, prędicate Euãgelium omni creaturæ. Quod illi etiam ſtrenuè executi ſunt, viuæ vocis doctrina, non ſcripto commendantes primitiuæ illi Eccleſiæ quæ didicerant à Chriſto & ſacro ſpiritu. Nam nec Euangeliſtas quatuor, nec Petrum, Paulum, Iacobum, Ioannem, Iudam, illis ſuis Epiſtolijs complexos vniuerſa noſtrę fidei myſteria, imò plurima & grauiſsima quęque ſola nos Eccleſiaſticæ traditionis autoritate & ſucceſsione accepiſſe, ſuperiùs luce clariùs demonſtrauimus.

Deinde hoc etiam certum eſt, in rudi illo Chriſtianitatis initio, nondum videlicet ordinata & conſtituta Hierarchia & diſciplina Eccleſiaſtica, plurima perfunctoriè ex quadã ſpiritus ſancti diſpenſatione pro neceſsitate illius temporis peracta fuiſſe ab Apoſtolis. Quæ paulo pòſt eodẽ ductore & autore ſpiritu, qui ſuis quęq; diſpenſat vniuerſa temporibus, eorundem Apoſtolorum traditione & **B** ordinatione præſcriptam, certamq́; formam receperunt. Quam videmus ab ipſis Apoſtolorum tẽporibus continua Eccleſiaſticæ traditionis ſuccceſsione, eodem tenore, toto orbe terrarum ad nos vſq; ſeruatam. Certè ſacri chriſmatis inunctione, eodem quo nunc ritu etiam ab ipſis Apoſtolorum temporibus ordinari conſueuiſſe Sacerdotes & Epiſcopos, Dionyſij illius Pauli diſcipuli luculentiſsimo demonſtrauimus teſtimonio. Cui accedit & alter æquè teſtis idoneus, beatiſsimus Clemens Papa & martyr, æquè Apoſtolorũ, atq; adeò beatiſsimi Petri diſcipulus, & ab eodem in Apoſtolica Cathedra ſibi deſignatus ſucceſſor. Hic itaque quemadmodum de Eccleſiaſticæ Hierarchię ordinatione à ſpiritu ſancto cõſtituta à tanto præceptore edoctus fuerat, ex Apoſtolica Cathedra etiam alios docens & inſtruens, in hæc verba ſcribit cunctis Epiſcopis & vniuerſis ordinibus Eccleſiaſticis: Primus põtifex Aaron chryſmate compoſitionis perunctus, princeps populi fuit, & tanquam rex primitias & tributum per capita accepit, & iudicãdi populos ſorte ſuſcepta, de mũdis immmundiſq; iudicabat. Sed & ſi alius ex ipſo vngento perunctus eſt, virtute inde concepta, etiam ipſe Rex aut Propheta, aut Põtifex Sacerdóſue fiebat, &c. Quid autẽ in præſenti ſeculo Propheta glorioſius, Pontifice clarius, Rege ſublimius? Omnis enim Pontifex ſacro chryſmate perunctus, & in ciuitate conſtitutus, ſcripturis ſacris eruditus, charus & pretioſus, hominibus oppidò eſſe debet: Quem quaſi Chriſti **C** locum tenentem honorare omnes debent, eique ſeruire & obedientes ad ſalutem ſuam exiſtere, ſcientes, quòd ſiue honor, ſiue iniuria, quæ ei defertur, in Chriſtum redũdat, & à Chriſto in Deum, &c. Hæc ille Clemens Apoſtolorum diſcipulus & in Cathedra ſucceſſor. In quibus audis etiã tunc ab ipſis Apoſtolorum temporibus, atq; adeò ex Apoſtolica traditione ſacro chryſmate inunctos fuiſſe Sacerdotes & Pontifices. Eiuſdem ſucceſſor Anacletus, æquè Petri diſcipulus, in Epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos per Italiam, ſcribit in hæc verba: Ordinationes Epiſcoporũ autoritate Apoſtolica ab omnibus, qui in eadem prouincia fuerint Epiſcopis, aut ſaltem nõ minus quã à duobus aut tribus, reliquis omnibus aſſenſum præbentibus ſunt celebrandę. Qui ſimul conuenientes ſcrutinium diligenter agant, ieiuniumq́; cũ orationibus celebrent, & manus cum ſanctis Euangelijs quæ prędicaturi ſunt, imponentes, Dominica die, hora tertia orantes, ſacraq́; vnctione, exemplo Prophetarum & Regum capita eorum, more Apoſtolorum & Moyſi vngentes, quia omnis ſanctificatio cõſtat in ſancto ſpiritu, cuius virtus inuiſibilis ſancto chryſmate eſt permixta. Et hoc ritu ſolennẽ celebrẽt **D** ordinationem. Audis ritum ordinationis Epiſcoporum ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Conſona ſunt his quæ libro de vnctione chriſmatis ſcribit ſanctus ille Cyprianus glorioſus martyr & Pontifex, & ante hunc Tertullianus, libro quem de carnis reſurrectione edidit. Breuiter huic obſeruatiõi vno conſenſu teſtimonium perhibet venerabilis ille ſanctorum patrum omnium chorus, ipſa rei euidentia, & totius orbis conſenſus & cõcors obſeruatio ſubſcribit. Vmbra & figura veteris illius tabernaculi atq; eius ſacerdotij, ſuo corpori, ſolidæq́; veritati adſtipulatur & conſonat. Quid igitur hic dubij aut ſcrupuli cuiquam Chriſtiano eſſe poterit, haud ſanè intelligo.

Ex patrũ teſtimonio ab ipſis Apoſtolorum temporibus.

Anacleti.

Poſtremò, pontificalis propriè muneris & hęc eſſe, templorum, oratoriorum, altarium, vaſorum diuino cultui mancipatorum, reliquiq́; ornatus ſacri dedicationes & conſecrationes, teſtis eſt communis per orbem Eccleſiæ concors obſeruatio, quam non cępit ab heri aut nudiuſtertius, ſed ſicut ab initio normam fidei Chriſtianæ ſuſcepit, ita immutatã fideliter cõſeruauit. Cui rei ſanctus ille Leo Apoſtolicæ cathedræ, atque adeò vniuerſali Eccleſiæ præſidens luculentiſsimum perhibet teſtimonium, ad vniuerſos Germanię &

Galliæ eccleſiarum epiſcopos, ſcribens in
A hæc verba: In diuinis ſcripturis, præcipiente Domino, ſolus Moyſes in tabernaculo dei erexit altare, ſolus vnxit, qui vtique ſummus ſacerdos Dei erat, ſicut ſcriptum eſt de eo: Moyſes & Aarõ in ſacerdotibus eius. Ideoque id quod tantùm ſacere principibus ſacerdotum iuſſum eſt, quorum typum Moyſes & Aaron tenuerunt, omnino decretũ eſt, presbyteri, quorũ filij Aaron geſtabant figurã, arripere nõ præſumant. Hæc ille Leo ante tot ſecula nouellæ Chriſti per Germanias & Gallias plantationi ſuggerit, & inculcat antiquam obſeruationem catholicæ eccleſiæ, & quid ad quenque gradum eccleſiaſticum propriè pertineat.

Hæc autem de muneribus pontificalibus, aduerſus hoſtes catholicæ eccleſiæ, & impugnatores hierarchiæ, quę à Chriſto ordinata, & ornata eſt, ideo tractauimus aliquãto prolixiùs, quò clariùs pateret etiam hac parte ab vmbra & figura ſua non diſſidere ſolidã rei veritatem. Quin & apud nos quoque diſcriminatum ac bipartitum eſſe ſacerdotalem ordinem, quemadmodum fuit in vmbra veteri, & in ſublimiori gradu ſacræ ordinationis cõſtitutos põtifices & epiſcopos prę ſacerdotibus. Id tam ex ritu conſecrationis, quæ vt
B illic, ita etiam hic, illorum propria eſt præ ſacerdotibus (quemadmodum conſerenti noſtrum hunc, quem ab initio obſeruatum demonſtrauimus, ad illum veterẽ, erit luce clarius) quàm ex proprijs pleriſq; horũ officijs, quæ ſimplicibus ſacerdotibus non conueniunt. Idq; atteſtante totius catholicę eccleſię (quæ columna & firmamentum veritatis eſt) conſenſu & obſeruatione, vt vniuerſali, ita antiqua ab ipſis vſq; Apoſtolorũ temporibus ad nos deducta.

Rationes quaſdam diſſoluere, quibus conantur hæretici pontificalis & ſacerdotalis gradus diſcrimen tollere. CAP. X.

Aerij hæreſis, quòd nullum ſit diſcrimen pontificis & ſacerdotis ſimplicis.

DIVVS Auguſtinus ſcribens de hęreſibus, quę eatenus Chriſti eccleſiam exagitauerant, inter cęteros hæreſiarchas meminit & Aerij cuiuſdam, qui cùm epiſcopatum impotenter & fruſtra ambiuiſſet, auerſus à catholica Chriſti eccleſia in hæreſim Arrianam prolapſus eſt, & ne in vulgo tantùm hæreticorum latere videretur, etiam ipſe Arrianæ impietati impia plura dogmata ſuperaddere conatus eſt. Quorum hoc vnum fuit & præcipuum: Nullum eſſe diſcrimen ſimplicis ſacerdotis, ſeu presbyteri & epiſcopi. Ita ſe ſtudens vindicare de catholica Chriſti eccleſia, quòd illum dignata non eſſet pontificali il-
C lo honore & ordine. Sed cũ paucisſimos aut nullos impiæ illius ſuæ & totius Chriſtianæ eccleſiæ communi ſenſu conſenſuque exploſæ aſſertionis ſectatores & aſſertores inueniſſet illo ſuo ſeculo: impij tandem idiotæ ſtupidiqúe Vualdenſes (quos & pauperes de Lugduno appellant) inter cætera execranda impietatum ſuarum portenta, etiam hoc illius Aerij dogma impium ab inferis reſuſcitare conati ſunt. At cùm nec tum latiùs ſerperet ea impietas, ſed in illis ipſis penè ſuis rurſus extingueretur profeſſoribus, vt quibus velut idiotis & ſimplicibus nec arma ſuppeterent, nec ingenium, quibus perſuaderent alijs paulo cordatioribus: tandem ex buſto & cineribus extincti tot ſeculis Aerij venenatisſimus quidam ſerpens prodijt Iohannes Vuiclefus in Anglia, qui venenoſo ſuo afflatu infecit plurimos, & multis peſtilentisſimis librorum ſuorum voluminibus perſecutus eſt Chriſti eccleſiam. Quibus dogmata impia plurima, de diuino & humano iure, de eccleſia & eius hierarchia, de cæremonijs eccleſiaſticis, de ſtatu monaſtico, de ſubditorum erga prælatos & ſuperiores ſuos obedientia, vulgo perſuadere conatus eſt, & velut claſſico ad ſeditionem commouere
D populos. Abuſus ad hoc opportunitate temporis, quo multis annis ſub ſchiſmate laborauerat Chriſti eccleſia, incerta quem cathedræ Apoſtolicæ præſidentem paſtorem ſuum ſequi deberet, cùm ſimul ſe tres gererent pro ſummis pontificibus, & eorum quiſque ſuos ſectatores haberet. Qua temporum iniquitate ille ad ſuam impietatem abuſus, non parua clade affecit Chriſti eccleſiam. Fuit enim vir, vt natura ſeditioſus, ita ingenio acer ac vehemens, & pro ſua illa ætate ſatis diſertus ac eloquens. Nam circa annum Domini octuageſimum ſupra mille trecentos vexauit Chriſti eccleſiam. Exagitauerat autem illũ idem ille ſuperbiæ & ambitionis ſpiritus, qui ſuum illum præceptorem Aerium. Nam cùm & ipſe aſſequi non poſſet epiſcopatum Vigorienſem, quem impotenter ambierat, aggreſſus eſt ſe vindicare de Chriſti eccleſia, Vualdenſium illorum impias hæreſes reſuſcitans: & quod illi non poterant, ſcripturarum eas colorauit & adſtruxit teſtimonijs. Itaque inter cætera diſcrimen auferens inter presbyteros & epiſcopos, atque vniuerſam inde eccleſiaſticam hierarchiam tollens è medio, vnde magnum impietati ſuæ profectum videbat, ex Apoſtolicis literis hoc ipſum perſuadere conatus eſt, inter ſacerdotes olim nullum fuiſſe diſcrimen; ſed huma-

Vualdenſes diſcipuli Aerij.

na

A na demum ordinatione illud ipſum intro-
1.Tim.3. ductum, tanquam ad tollenda ſchiſmata ne-
ceſſarium. Siquidem Paulus ad Timotheum
ſcribens, epiſcoporum & diaconorum tan-
tùm meminit, illos officij ſui admonens, &
quales eſſe debeant præſcribens: presbyte-
rorum nulla ibi facta mentione. Quare vide-
tur duos tantùm eo tempore fuiſſe gradus
ſacri ordinis eccleſiaſtici, vlteriorem autem
eius diſtinctionem poſtea ſuperinductam ab
hominibus. Idem innuere videtur Philip-
Philip.1. penſibus ſcribens. Siquidem in ſalutatione
epiſcopos coniungit diaconibus, ſacerdo-
tum aut presbyterorum nulla mentione ha-
bita. Quorum tametſi meminerit alibi, vt in
epiſtola ad Titum, tamen eodem loco eorun
dem & epiſcoporum appellationem in idem
confundit. Quos enim primò vocat presby-
teros, eoſdem continuò dicit epiſcopos.
Huius, inquit, gratia reliqui te Epheſi, vt cō-
ſtituas per ciuitates presbyteros. Qui qua-
les eſſe deberent cùm adſcriberet, ſubiun-
git: Oportet enim epiſcopum ſine crimine
Act.20. eſſe. Idem facit apud Lucam in Actis: Nam
vocatos ad ſe Epheſinæ eccleſiæ presbyte-
B ros, mox epiſcopos appellat: Attendite, in-
quiens, vobis & vniuerſo gregi, in quo vos
D. Hieronymi opinio, quòd olim inter presbyteros & epiſcopos nullũ fuerit diſcrimen ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos. Ex quibus
locis etiam Diuus Hieronymus hoc anno-
taſſe & intellexiſſe videtur, olim inter preſ-
byteros & epiſcopos nullum fuiſſe diſcri-
men: ſed humana poſtmodum ordinatione
illud ipſum, quod nunc cernimus, introdu-
ctum. Ita enim ſcribit in dictam Apoſtoli ad
Titum epiſtolam: Idem ergo olim presby-
ter, qui epiſcopus: & antequam diabnli in-
ſtinctu ſtudia in religione fierent, & dicere-
tur in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo,
ego verò Cephæ, communi presbyterorum
conſilio eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam
verò vnuſquiſque quos baptizauerat, ſuos
putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decre
tum eſt, vt vnus ex presbyteris electus ſuper-
poneretur cæteris, ad quem omnis eccleſiæ
cura pertineret, & ſciſmatum ſemina tolle-
rentur. Sicut ergo presbyteri ſciunt ex eccle
ſiæ conſuetudine ei, qui ſibi fuerit præpoſi-
tus, eſſe ſubiectos: ita epiſcopi nouerint ſe
magis conſuetudine, quàm Dnminicæ diſ-
penſationis veritate presbyteris eſſe maio-
res, & in communi debere eccleſiam regere.
In eandem ſenten tentiam idem ſcribit ad Eua-
grium: A principio nullum diſcrimen fuiſſe
epiſcoporum & presbyterorum: quòd au-
tem poſtea vnus electus eſt, qui præponere-
tur cæteris, in ſchiſmatum remedium eſſe
factum, ne vnuſquiſque ad ſe trahens eccle
ſiam Chriſti, eius rumperet vnitatem, Nam C
& Alexandriæ, inquit, à Marco Euangeliſta
vſque ad Eſdram & Dionyſium epiſcopos,
presbyteri vnum ſemper ex ſe eligebant &
in ſuperiori loco collocabant, quem nomi-
nabant epiſcopum: quomodo ſi exercitus
ſibi imperatorem faciat. Quid enim facit,
excepta ordinatione, epiſcopus quod non
facit presbyter?

Quibus priuſquam reſpondeamus, repe-
tenda ſunt breuiter argumentorum capita,
quibus bipartitum apud nos ſacerdotalem
ordinem demonſtrauimus, & catholicam ab
initio Chriſti eccleſiam ex Apoſtolorum do
ctrina & traditione agnouiſſe & recepiſſe diſ
crimen pontificum, ſeu vt nūnc dicimus, e-
piſcoporum à ſacerdotibus & presbyteris.
Et primum ab vmbra & figura ad ſolidam ſu
am euangelicę lucis veritatem arguendo, imi
tantes in hoc Pauli Apoſtoli dialecticam. In
veteri tabernaculo bipartitum illum ordi-
nem ſuprà demonſtrauimus, tam ex diſtin-
cto conſecrationis ritu, quem ſpecialem præ
cæteris ſacerdotibus requirebat pontifex,
quàm ex ſacro eius ornatu, qui multis para-
ſangis ſublimiorem eius gradum, dignita-
temque demonſtrabat, præ ſacerdotibus re-
liquis, & poſtremò ex proprijs quibuſdam
eius munijs, quę vni competebant pontifici, D
& non reliquis ſacerdotibus. Quòd ſi in vm-
bra hæc eſt diſtinctio, neceſſe eſt eandem aut
etiam maiorem eſſe in ſolida veritate: quum
rerum natura non capiat, vt diſtinctior ſit
vmbra quàm ipſa veritatis ſoliditas. Deinde
ex totius catholicæ Chriſti eccleſiæ commu-
ni conſenſu & obſeruatione, non eius tan-
tùm quæ nunc eſt, ſed etiam eius quæ fuit
ab initio. Quæ vniuerſa ex Apoſtolica doctri
na & traditione hoc diſcrimen agnouit inter
pontifices & inferiores ſacerdotes. Ad illos
ſolos credens pertinere confectionem chriſ
matis ſacri, confirmare baptizatos, ordinare
miniſtros eccleſiæ in ſingulis gradibus eccle
ſiaſticis, templa, altaria, & cætera diuino cul
tui mancipata conſecrare & benedicere: pręterea & ſpecialem ritum habuit conſecratio-
nis epiſcoporum præ ſacerdotibus reliquis.
Quare ſi verè affirmauit Apoſtolus eccleſi-
am columnam eſſe veritatis, ſi ſuperiori eti-
am libro rectè demonſtrauimus, non infe-
riorem eſſe eccleſiaſticæ traditionis autori-
tatem, quàm ſanctarum ſcripturarum, ſi non
malè hoc intellexerunt ſanctiſsimi patres
noſtri, qui columnæ quædam præcipuę fue-
runt catholicæ eccleſiæ, & viua templa in-
habitantis in eis ſacri ſpiritus, quod quic-
quid ante omnia vniuerſalia concilia per v-

niuerſum orbem tenuit Chriſti eccleſia, ab Apoſtolica id venerit traditione & diſcipli- A na (Quæ certò eſt doctrina Chriſti, quamuis non habeatur in Euangelio, vt qui vnctione ſacri ſpiritus omnem illos veritatem docuit) certum vtique & indubitatum eſt Chriſto autore, doctoreque ſacro ſpiritu ex Apoſtolica traditione, diſcrimen pontificum & ſacerdotnm intellexiſſe & accepiſſe Chriſti eccleſiam. Quæ enim eius præſentis per orbem diffuſæ aliquot ante nos ſeculis ſit hac de re ſententia, quæ obſeruatio ſecundum eam, quam libro I. explicauimus, methodū, cuique adeſt luce clariùs perſpicere.

Et quanquam etiam illic demonſtratum ſit, catholicam eccleſiam fideliſsimam eſſe cuſtodem depoſitorum ab initio apud ſe dogmatum, nec quicquam præterea noui admiſiſſe, illius Apoſtolicæ cenſuræ perpetuò memor, qua vniuerſis, qui præter id quod à principio accepit eccleſia, noui quicquam annunciant & ſuperinducere conantur, anathema denunciat idem Apoſtolns. Id quod multis exēplis velut inductiuè demonſtrauimus, adeò, vt eo ipſo ſatis demonſtratum ſit, quid & ab initio tenuerit catholica eccleſia de quacunque quæſtione propoſita, ſi certum ſit quid noſtro ſeculo te- B neat. Nihilominus etiam in hoc ipſo de quo agitur, ſui ſemper fuiſſe ſimilem, teſtantur illæ, quas ſuprà citauimus, eccleſiæ columnæ, illæ aquilæ, in quibus præcipuè viguit ſenſus eccleſiaſtici corporis, in quo Chriſtus eſt. Imò maiorem fuiſſe Apoſtolorum autoritatem (qui primi fuere noſtræ religionis pontifices & quibus ſucceſſerunt reliqui epiſcopi) præ illis ſeptuaginta duobus diſcipulis, quos Dominus deputauit in Apoſtolorum ſuorum adiutorium, & ante ſe præmiſit binos & binos in omnem locum, quò ipſe erat venturus, quorum formam presbyteri nobis exhibent, planè atteſtatur euangelica hiſtoria, nec minùs Lucas in Actis Apoſtolicis. Quòd enim non eadem fuerit Apoſtolica & illorum autoritas, ordo vocationis eorum à Chriſto indicat, & deinde confirmat Lucas in electione Mathiæ. Primùm deſignauit Dominus Apoſtolos duodecim, nec maiore numero, nec plures, quamdiu in terris ágeret, in eundem illos acciuit ordinem: ſed longè poſt electos illos deſignauit & alios ſeptuaginta duos, non Apoſtolos, ſed Apoſtolorum ſub eiſdem coadiutores, formam exhibens eiſdem ordinandorum ſub ſe preſbyterorum, maiore numero pro plebium & fidelis populi neceſsitate, remanente tamen Apoſtolica illa epiſcopalique autoritate (ne

Oſtenditur differentia inter autoritatē apoſtolicā & diſcipulorū LXXII.

Lucæ 10.

frequentia vileſceret) apud non ita multos. C Itaque cùm ex hoc ordine præuaricatus excidiſſet Iudas, Petrus velut Apoſtolici illius ordinis princeps, poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum, exurgens in medio Apoſtolorum & diſcipulorum vnà congregatorum, dixit de proditore, qui connumeratus fuerat inter Apoſtolos, & ſortitus ſortem eius miniſterij, vt ſuſpenſus crepuerit medius, vtque ſecundum prædictionem ſpiritus ſancti per os Dauid, epiſcopatum eius alter accepturus eſſet: Oportet ergo, inquit, ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph cognomento iuſtum, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende qnem elegeris ex his duobus accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum, & dederunt ſortes eis, & ſors cecidit ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Hactenus Lucas. In quibus verbis hoc primùm notandum eſt, qnòd Petrus Apoſtolicum gradum & ordinem, epiſcopatum dixerit. D Deinde, quòd ex illis ſeptuaginta duobus diſcipulis, qui vnà cum Apoſtolis ſemper ſequuti fuerant Dominum, vnum ſortitò elegerunt in locum Apoſtolatus, aut epiſcopatum Iudæ. Notum eſt autem ex inferiori gradu ad ſuperiorem electionem fieri. Ex quo conſtat Apoſtolos præ illis ſeptuaginta diſcipulis maiori, hoc eſt, pontificali aut epiſcopali autoritate fuiſſe præditos à deo. Quod ipſum diſcrimen etiam in eo adeſt perſpicere, quòd quamuis cæteri Apoſtolico ordini additi à principio, coadiutores illi ſeptuaginta duo presbyteri, deinde & ſeptem illi electi diaconi, etiam prædicarent verbum Dei, etiam plurimos Chriſto lucrifacerent, & baptizarent ad fidem conuerſos, ſacroſanctum, viuificumque illum panem per domos ac menſas Chriſti fidelium frangerent, cæteraque neceſſaria ſacramenta adminiſtrarent. Attamen baptizatos confirmaſſe dono ſancti ſpiritus ſoli leguntur Apoſtoli, quamuis in rudi illo principio nondum conſtituta ab illis forma hierarchiæ eccleſiaſticæ (quam conſtituerunt deinceps priuſquam à ſe diuiſi orbem terrarum inter ſe partirentur aggrediendum & excolendum euangelicę prędicationis vomere) quamuis, inquam, in primo illo initio religionis noſtræ pleraque adhuc agerentur ab illis perfunctoriè, & promiſcuè, diſpenſatione quadam ſacri ſpi-

Act. 1.

ſpiritus,pro neceſsitate illius temporis: quæ
A deinceps eodem doctore & autore ſpiritu,
decentiùs ordinata ſunt,& ſuum cuique prę-
ſcriptum officium,quod non liceat tranſgre
di:attamen illius confirmationis ſacramen-
tum nulli vnquam præſumpſiſſe leguntur,
Differentia epiſcopi & presbyteri ex canonibus Apoſtolicis oſtenditur. quàm ſoli Apoſtoli. Quæ autem conſtituta
iam per Apoſtolos forma hierarchiæ Eccle-
ſiaſticæ,hac etiam de re fuerit Apoſtolica do
ctrina & traditio,quæ illius primitiuæ Eccle
ſiæ communis ſententia & obſeruatio, atte-
ſtantur Apoſtolici Canones: quorum pluri-
mi euidens diſcrimen indicant inter epiſco-
pum,presbyterum & diaconos,ſeu ordinem
miniſtrãtium.Nam primus inbet epiſcopum
non niſi à duobus aut tribus epiſcopis ordi-
nari:cùm prębyterorum ordinatio non niſi
vnum requirat epiſeopum, inxta decretum
ſecundi canonis. Quintus enidẽter indicat,
vnius eccleſię nõ niſi vnnm eſſe epiſcopum:
cùm tamẽ multos presbyteros habeat.Qnin
tus decimus oſtẽdit presbyteros & inferio-
res omnes eſſe ſub poteſtate ſui epiſcnpi.
Breuiter, vniuerſi pene omnes gradus ſacri
ordinis eccleſiaſtici in tres dirimunt, epiſco
pos,presbyteros & diacones,ſub his vniuer-
ſum inferiorem ordinem miniſtrantium &
ſeruientium comprehendẽres. Nec eſt,quod
B Apoſtolicorum cannnum autoritatem quis
elenet, aut nothos, ſnbditicios & ab aliquo
qnouis impoſtore confictos, non autem ab
Apoſtolis quis dicat editos:vt iſtos homines
nihil pudet cõminiſci,qnantumuis ſit impu-
dẽs,quiduis dicere, reijcere, aſſerere pro ſua
temeritate &arbitrio.Primũ,qnoniã exijs ſo
lis nõ pẽdet negotiũ,quãdoquidem (vt mox
audies)ſuppetũt teſtes alij & plurimi & irre-
fragabiles:ſed tantũ ad maiorẽ veritatis cõfir
mationẽ eos canones adduximus. Deinde,
horum canonũ autoritatẽ receptam per ec-
claſiam ab ipſis mox Apoſtolorum tempori-
bus,probat Anacletus beati Clementis ſuc-
ceſſor, & beatiſsimi Petri Apoſtolorum prin
cipis diſcipulns, atq; ab eodem, vt idem ipſe
teſtatur,ordinatus presbyter in epiſtola,quã
ſcribit epiſcopis omnibns catholicę eccleſię.
Huins quoq; ſucceſſor Euariſtus in èpiſtola
ad Aegyptiorum epiſcopos,Sixtus item eius
nominis primus in ſua ad epiſcopos per ca-
tholicam eccleſiam, Victor præterea in epi-
ſtola ſua ad Theophilum Alexandrinum &
Aegyptiorum epiſcopos, Sixtus quoq; eius
nominis ſecundus, in epiſtola ad Gratum e-
piſcopnm, rurſus in altera ad epiſcopos per
Hiſpaniam, Marcellns etiam ad epiſcopos
Antiochenæ prouinciæ, Apoſtolicorum ca-
nonum autoritatem proferunt.Quibus om-
nibus præter vitæ meritum, & quod glorio-
ſo ferè conſummarunt martyrio, etiam ca- C
thedræ Chriſti & Apoſtolicæ in qua reſede-
runt,adſuit prinilegium. Quæ maiori haud
dubiè priuilegio à Chriſto dotata eſt præ il-
la Moſaica. Cui tamen præſidentibus etiam
ſceleratis & impijs,iubet Chriſtus credere &
obſequi per omnia in his quæ illius legis &
religionis fuerant. Ne quis de fide illorum,
quæ tam conſonanter ab illis affirmantur, *Idem demonſtrare ex concordi patrũ teſtimonio.*
quicquam dubitare poſsit. Quorũ hac de re
teſtimonia poſtea afferemus opportuniùs.
Præterea teſtes ſunt fidei,ſententiæ & ob-
ſeruationis illius primitiuæ recens ab Apo- *Clementis.*
ſtolis inſtitutæ eccleſiæ. In primis Clemens
B.Petri diſcipulus & ſucceſſor,qui in epiſto-
la ad Iacobum ſcribit ex eiuſdem Petri tradi
tione & doctrina,in ſingulis ciuitatibus ſin-
gulos, non binos aut ternos conſtituendos
epiſcopos,quibus per omnia ſubſint presby
teri.Porrò epiſcopos vicem Apoſtolorũ ge-
rere,at illorum LXX. diſcipulorum presby-
teros, atque hoc ipſum docuiſſe dominum.
Quin & ex Anacleto huius in Apoſtolica ca- *Anacleti.*
thedra ſucceſſore, atque B. Petri diſcipulo
proprium, diſtinctumq; ritum conſecratio-
nis epiſcopi, & inferioris gradus ſacerdotis
aut presbyteri intellexiſti ſuperiùs: Quorũ
diſcrimen in eadem epiſtola adſtruit ex vm- D
bra legis veteris.Primus,inquit,Aaron in le-
ge ſacerdotale nomen accepit,primusq; pon
tificali ſtola indutus victimas obtulit, iuben
te domino & loquente ad Moyſen: Accipe,
inquit, Aaron & filios eius, & applicabis ad *Exod. 29.*
oſtium tabernaculi teſtimonij.Cumq́ne laue
ris patrem cum filijs aqua, indues Aaron ve-
ſtimentis ſuis, id eſt, lineam tunicam & ſu-
perhumerale & rationale, quod conſtringes
baltheo,& pones thyaram in capite eius,& la
minam ſanctam ſuper thyaram,& oleum vn-
ctionis fundes ſuper caput eius,atq; hoc ritu
conſecrabitur domino, filios quoque illius
applicabis, & indues tunicis lineis, cingesq;
baltheo Aaron & liberos eius,& impones eis
mitras, eruntq́ne mihi ſacerdotes religione
perpetua.Quo loco cõtemplari oportet Aa-
ronem ſummnm ſacerdotem, hoc eſt,epiſco
pum fuiſſe: porrò filios eins presbyterorum
demonſtraſſe figuram. Hoc enim interfuit
inter Aaron ſnmmum ſacerdotem, & filios
eins,qui ſacerdotes erant,quòd Aaron ſuper
tunicam accipiebat poderẽ, ſtolam ſanctam,
& coronam auream,mitram & zonam aureã,
& ſuper humerale & reliqua quę ꝓfixa ſunt:
filij antem Aaron ſuper tunicas lineas cincti
tantummodo & thyarati aſsiſtebant ſacrifi-
cio domini.Hactenus ille. Vides comparan-

do vmbram & figuram ad ſuam ſolidam veritatem, quantum ex ipſa dei lege ſit diſcrimen epiſcoporũ & presbyterorũ noſtrorũ, & quæ fuerit ea de re ipſius primitiuæ eccleſiæ ſententia & obſeruatio. Qui & in alia epiſtola, quã ſcribit de hierarchia eccleſiaſtica: Sacerdotum, inquit, ordo bipartitus eſt, & ſicut dominus illum conſtitnit, à nullo debet perturbari. Vides à domino, nõ hominibus bipartitum eſſe ſacerdotalẽ ordinem. Idem confirmat ſacer ille Dionyſius. Qui, vt ſuprà oſtẽdimus, diuina ordinatione à ſanctis noſtrę ſacerdotalis ſunctionis ducibus, hoc eſt, ab ipſis Apoſtolis, dicit eandem recepiſſe ritum conſecrationis ſacri chriſmatis, à ſolis pontificibus peragendum. Quibus & cętera, quæ ſuprà memorauimus, põtificalia munia, non autem presbyteris conuenire affirmat. Quin & proprium, diſtinctumq́; ritum conſecrationis vtrorumq́; explicat. Ignatius itẽ & ipſe Apoſtolorũ diſcipulus & auditor in ea, quæ eſt ad Smyrnenſes epiſtola, clarè diſtinguit hos gradus ſacri ordinis. Omnes, inquit, epiſcopum ſequimini, ſicut Chriſtus Ieſus patrem: presbyteros ſicut Apoſtolos: diaconos autem veneramini, ſicut Dei mandato miniſtrantes. Vides ex comparatione, quantum & quàm immenſum ille diſcrimen indicat inter epiſcopos & presbyteros. Omitto hîc citare ſubſequẽtium ſanctiſsimorum patrum, Irenæi, Origenis, Cypriani, eorumq́;, qui deinceps magno numero ſubſequuti ſunt, eiuſdem indubitatæ ſentẽtię certiſsima teſtimonia. Quandoquidem quos iam citaui mus, idẽ quod nunc diſcrimẽ ſeruat & agnoſcit inter epiſcopum & presbyterum vniuerſa per orbem Chriſti eccleſia, etiam obſeruaſſe primitiuam illam recens ab Apoſtolis inſtitutam eccleſiam, velut ex Chriſti inſtitutione & magiſterio, certum & indubitatum faciunt, certamq́; & indubiam veritatem demonſtrant eius, de qua nũc agitur, veritatis catholicæ. A qua quoniam diſſentire non poteſt, eiuſdem ille magnificus præco, aſſertor doctorq́; Apoſtolus: nunc videndum eſt, quantum idem pro Aerio, Vualdenſibus, Vuicleſo, Luthero, cæterisq́; eius farinæ hæreticis faciat, quandoquidem illius autoritatem etiam nobis & vniuerſæ Chriſti eccleſię ſacroſanctam ſuæ impietati nituntur prætexere: atq; eorundẽ aduerſus catholicam hãc, orthodoxamq́; veritatem diluẽdæ obiectiones & calumniæ.

A

Dionyſii Hierarchiæ eccleſiaſticæ ca. 4 & 5.

Ignatij.

B

Ad rationes ex uerbis Apoſtoli quibus etiam Hieronymus tollere uidetur diſcrimen epiſcoporũ & presbyterorum.

Quod priuſquàm facio, ſi fortè id minùs accuratè facero, nec omnium in eo iudicio ſatis ſecero, iterũ meminiſſe te cupio Chriſtiane lector, fidelis illius & planè Chriſtiani cõſilij, quod ex Origene ſuperiùs inculcauimus. Quo idem nos admonet, ne ab ijs, quę obſeruat catholica Chriſti eccleſia, vlla canonicarum ſcripturarum, quę nobis fortè videretur, euidentia aut apparentia nos abduci ſinamus. Quæ quoties inducuntur aduerſus communem obſeruationem eccleſiæ, ea nos tentatione pulſari putemus, de qua nos cautos, præmonitosq́; fecit Chriſtus, nobiſque monſtrari Chriſtum, quamuis contra Chriſtum, in deſerto aut domorum penetralibus: qui ſeipſo teſte non eſt, niſi in corpore catholicæ eccleſiæ. Sed nos, inquit ille, credere illis non debemus, neq; exire à paterna eccleſiaſticaq́; traditione, neq; aliter vnquam credere, niſi quemadmodum eccleſiæ tradiderunt nobis: hoc eſt, ſucceſsio illa eccleſiaſtica. Quo verè fideli, ſanctoq́; cõſilio tuę commendato memoriæ, iam quem ex Apoſtolo fumum aduerſus præſertam catholicam veritatem fidelium mentibns offundere nituntur hæretici, clarę veritatis luce diſcutiamus.

C

Cùm dicitur, ex eo ſignificari nullum fuiſſe diſcrimen epiſcopi & presbyteri, quòd Paulus Timotheo ſcribens Epiſcoporum tantùm & diaconorum meminerit, presbyterorum nulla facta mentione: illos tantùm officij ſui admonens, & quales eſſe debeant, deſcribens.

D

Leue hoc admodum, neque vrgens argumentum eſt, & quale riderent & exploderẽt Dialectici: Vno hoc loco duorum tãtùm graduum ſacri ordinis Paulus meminit, ergo non fuit tertius. Ego verò omnium, quos ſuprà explicauimus, ſacri ordinis eccleſiaſtici gradnum, & non duorum aut trium illic meminiſſe Apoſtolum, nihil dubito. Siquidem omnes gradns ſacri ordinis eccleſiaſtici in duo omnino genera diuiduntur, in principantes aut ſuperintendentes ac miniſtrantes. Primum genus tametſi bipartitum ſit, vno tamen generico vocabulo propriè epiſcoporum dicitur. Siquidem epiſcopns Græca vox ſuperintendentem ſignificat. Vtriuſque autem eſt, hoc eſt, & pontificis & ſacerdotis, præeſſe populo, atque eius curę, regiminique ſuperintendere: ordinatè tamen, quemadmodum ſuperiùs etiam ex vmbra veteris tabernaculi demonſtrauimus. Ad vniuerſum ergo hoc genus pertinent, quæ illic deſcribit Apoſtolus: Oportet epiſcopũ irreprehenſibilem eſſe, &c. Secundum etiam genus graduũ ſacri ordinis eccleſiaſtici, tametſi in multas inſuper ſpecies ordine ſe habentes diſtributum (quemadmodum etiam in vmbra ſua cernebatur expreſſum) ſuperiùs demonſtrauerimus: omnes tamen illas ſub vna hac

Apoſtolum omnes gradus ordinis eccleſiaſtici ſub epiſcopi & diaconi vocabulo comprehẽdere.

hac generica appellatione contineri certum A eſt, diaconorum, inquam: Diaconus enim & ipſa Græca vox, propriè miniſtrum ſignificat, adeò vt Timotheum etiam pontificem & epiſcopum Paulus admoneat implere diaconatum, ſeu diaconium ſuum. Ita enim Grę cè dicitur. Cuius loco interpres noſter ita vertit: Miniſterium tuum imple. Quare quæ de diaconis ibi dicit Paulus, nō ad ſolos eos, quos nunc generico vocabulo ad precipuam ſpecierum appropriato, diacones dicimus, ſed etiam ad ſubdiaconos, reliquoſq́ue miniſtrantes ſacri ordinis gradus pertinēt, quamuis ad principaliores præcipuè. Itaque Pauli illa inſtructio & doctrina haudquaquam diminuta aut manca eſt, imò vniuerſos ſacri ordinis gradus comprehendit ſub duobus illis capitibus & vocabulis genericis, & ſufficienter præſcribit, quales eſſe debeant conſtituendi in ſingulis gradibus ordinis eccleſiaſtici. Quòd verò ita ſit vſus Apoſtolus his vocabulis epiſcoporum & presbyterorum, vt genericis, inquam, nō vt appropriatis, quemadmodum poſtea vſus obtinuit, idem ad Philippenſes clarè atteſtatur, ſcribens in hæc verba: Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt B Philippis, cum epiſcopis & diaconibus, gratia vobis & pax. Conſtat autem ſecundi ordinis ſacerdotes (quos presbyteros magis appropriatè, quàm propriè dici vſus obtinuit) non pontifices, quos nunc ſolos epiſcoporum dignamur vocabulo, illic per epiſcopos Paulum intellexiſſe. Quandoquidem vnius ciuitatis neque nunc eſt, neque tunc fuit niſi vnus pontifex, ſeu, vt nunc loquimur, epiſcopus: quemadmodum confirmant Clemēs, Anacletus, Dionyſius, Ignatius, Apoſtolorum diſcipuli & proximi ſucceſſores, & breuiter, omnis ille ſanctorum patrum venerabilis chorus. Hanc epiſcopi, presbyteriq́; genericam, indiſcretamq́; appellationē in prædictis verbis Apoſtoli mihi animaduertiſſe & notaſſe videtur Theophylactus ille, ſcribens in primum caput epiſtolæ ad Philippenſes, atque exponens ilud: Cū epiſcopis, & diaconibus: epiſcopos, inquit, ſacerdotes dicit. Neq; enim plures pręter vnū erant epiſcopi, qui ſingulis ciuitatibus præſiderēt. Quippe, cùm nondum eſſent huiuſmodi nomina diſpartita: ſed epiſcopi tantū, diaconi & presbyteri dicebantur. Hactenus Theophylactus, cui vides, vt etiam ſuboluerit in Paulo indiſcreta illa & confuſa, genericaq́; dictorum vocabulorum appellatio. Eodem reſpexiſſe mihi videtur Auguſtinus in quadam ad diuum Hieronymum epiſtola, qua ſcribit in hæc verba: Quanquam enim ſecundum honorū C vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, epiſcopatus presbyterio maior ſit: tamen Auguſtinus Hieronymo minor eſt. Quibus verbis clarè innuit, non ex propria vocabulorū ratione epiſcopatum presbyterio eſſe maiorem, cùm ſit vtrumque genericum, & ex ſua ratione æquè latè patens vocabulum, quorum vſus indiſcretus extitit ab initio, & indifferens, communisq́; vtriq; gradui ſacerdotalis ordinis: quemadmodum iam nunc demonſtrauimus: Sed vſu eccleſiæ introductum poſtea, vt alterum vni eius ſpeciei appropriaretur, & alteri aliud, hoc eſt, pontificali gradui epiſcopi, & inferioris ordinis ſacerdotij, vocabulum presbyteri. Itaque ex vſu vocabulorum quem iam obtinuit eccleſia, non autem quem obtinuit ab initio, epiſcopatus presbyterio maior eſt. Idque propterea, quòd per vſum loquendi ſunt appropriata ſpeciebus diuerſis, quarū altera non ex vſu loquendi tantùm, ſed re ipſa altera maior eſt. Itaque in diſtinctis ab initio ex ratione propria vocabulis, per abuſum & appropriationem ad res diuerſas, facta eſt diſtinctio. Hæc qui non obſeruant in verbis Apoſtoli, inuoluuntur difficultatibus vnde ſe facilè extricare non poſſunt. Itaque etiam ſacer ille Ambroſius dicta Pauli verba ſatis abſurde interpretari cogitur, quaſi Paulus & Timotheus ſecum & cū ſuis miniſtris pacem & gratiam imprecarentur Philippenſibus. Ita enim ait: Cum epiſcopis & diaconibus, hoc eſt, cum Paulo & Timotheo, qui vtique Epiſcopi erant, ſimul D & ſignificauit diacones, qui miniſtrabant eis. Ad plebem enim ſcribit: nam ſi Epiſcopis ſcriberet & Diaconibus, ad perſonas eorum ſcriberet. & loci ipſius Epiſcopo ſcribendum erat, non duobus vel tribus, ſicut & ad Titum & Timotheum. Hæc Ambroſius. Quem non animaduerſa generica illa Epiſcopi appellatio familiaris Apoſtolo, & ad eam, quam pòſt vſus obtinuit, appropriatam reſpicientem (ne euidentem falſitatem cogeretur admittere) videlicet, eiuſdem Pauli temporibus vnius ciuitatis plures fuiſſe Epiſcopos, id eſt, Pontifices, ad abſurdam illam, extraneamque expoſitionem declinare coegit. In hoc vtique commendandus, quòd Adamantij illius, atque adeò Chriſti conſilij memor, ob nullam quantumuis apparentem difficultatem ex ſcripturis, aduerſus ea, quæ tenet communis per orbem eccleſiæ obſeruatio quicquam admiſit ſcrupuli: ſed conatus eſt quacunque potiùs expoſitione lenire ingeſtam

Non animaduerſa illa generica epiſcopi & presbyteri appellatio, quæ multos difficultatibus inuoluit, & inter hos Ambroſium.

ſtam ex ſcripturis difficultatem, quam ob
A quamcunq; ſcripturarum in contrarium, vt cuiq; videretur, euidentiam, communem eccleſiæ conſenſum & obſeruationem reuocare in dubium. Quàm enim nihil tollat ingeſtam ex Apoſtolo difficultatẽ dicta Ambroſij expoſitio, ſi nõ aduertas genericam illam, propriamq́; rationẽ epiſcopi, ſecundũ quam in Apoſtolicis literis, quoties epiſcopi atque etiam presbyteri ſit mentio, ſemper accipiũtur hæc vocabula, eiuſdẽ Pauli apud Lucam verbis manifeſtũ eſt. Quandoquidem vocatos ad ſe Epheſinę ciuitatis presbyteros, eoſdem mox epiſcopos appellat, dicens: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit ſpiritus ſanctus epiſcopos, regere eccleſiam dei. Quod enim de inferioris gradus ſacerdotibus (quos nunc presbyteros vocari vſus obtinuit) illic loquatur Apoſtolus, certum eſt, cùm non poſsint vnius ciuitatis eſſe plures pontifices, aut (vt nũc loquimur) epiſcopi. Eadem ratione, primum hoc genus graduum ſacri ordinis principãtium aut ſuperintendentium, ſecundum totam illam genericam ſuam latitudinem, antiquitas illa appellauit presbyteros, honoris potiùs, quàm aut officij aut proprij gradus nomine: perinde quaſi aut patres aut ſeniores dixeris. Presbyter enim Greca vox eſt, Latinè ſeniorẽ ſigni-
B ficans, hoc eſt, honoratiorẽ. Quandoquidem honor ille etiam qui prudentiæ, ſenſuumq́; maturitati, & morum integritati competit, illo ſenioris aut presbyteri ſignificatur vocabulo: Senectus, inquit ille, venerabilis eſt, nõ diuturna, neque annorum numero ſupputatata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Et rurſus: Conſummatus in breui compleuit tempora multa. Itaq; Timotheus non ſolùm ſacerdos aut presbyter, ſed etiam pontifex, & (vt nunc dicimus) epiſcopus, haudquaquam ætate ſenex erat, eodem teſte Apoſtolo, qui ita ſcribit ad eundem: Nemo adoleſcentiam tuam cõtemnat. Quòd autem Apoſtolus ſecundum eam genericam indifferentiam vſus ſit hoc presbyteri vocabulo, & nõ quemadmodum nos, vni ipſum ſpeciei ſacerdotij applicãtes, idem ipſe teſtis eſt, qui nunc inferioris ordinis ſacerdotes vocat presbyteros, nunc epiſcopos, vt nunc loquimur, hoc eſt, pontifices. Primũ facit apud Lucam Actorum vigeſimo: A Mileto enim mittens Epheſum vocauit presbyteros (ita Græcè legitur, quod noſter vertit, maiores natu eccleſiæ) qui cùm veniſſent ad eum & ſimul eſſent, dixit eis inter cętera: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos. Presbyteros illic appellat ſecundi ordinis ſacerdotes,
quos nunc ſolos presbyteros dicimus, vt C
quos plures vna capit & capiebat ciuitas, tamen ſub vno pontifice. Rurſus etiam pontifices, aut (vt nunc dicimus) epiſcopos presbyterorum nomine appellari à Paulo, idem ipſe ad Titum ſcribens clariſsimè atteſtatur, cùm ait: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros. Nam præcipiens cõtinuò, quales vellet ordinari & conſtitui presbyteros, nẽpe, ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, nõ in accuſatione luxurię, aut nõ ſubditos, ſubiungit: Oportet enim epiſcopũ ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, cõtinuò epiſcopum vocans, quem antè presbyterum. Quòd enim illic de conſtituẽdis epiſcopis, hoc eſt, pontificibus præcipuè mandauerit, Diuus Chryſoſtomus in eundem locũ ſcribens, & poſt eum Theophylactus diligenter annotauit. Nolebat enim Apoſtolus immenſam, populoſiſsimamq́; Inſulam, cẽtum quõdam vrbibus nobilem, vnius tantum epiſcopi, ſed plurium per opportunas ciuitates diſpoſitorum demandari curæ & regimini, hoc magis exiſtimans fore è re Chriſti fideliũ, religionis ac fidei, vt inſignis quæq; ciuitas ſuũ haberet epiſcopum.
Ita & Petrus Apoſtolorum princeps & Chri D
ſtianorum pontifex primus (vt verè dicit Cęſariẽſis ille Euſebius) presbyterum ſe vocat, dicens: Presbyteros ergo qui in vobis ſunt, obſecro compresbyter. Similiter & Ioannes Apoſtolus in ſecunda ſua epiſtola: Presbyter electæ dominæ & natis eius. Et rurſus in tertia: Presbyter Gaio chariſsimo.

Hanc itaq; genericã, indiſcretamq́; horum vocabulorũ, epiſcopi & presbyteri, ad bipartitum ſacerdotalem ordinẽ, & vtrumq; eius gradũ cõmunem, indiſtinctamq́; appellationem, qui obſeruat in Apoſtolo, nulla in verbis eius hærebit difficultate, nec ob indiſcreta vocabula, in vnum cõfundet gradus, quos demonſtrauimus diſtinctos, ſacri illius ordinis eccleſiaſtici. Quę non animaduerſa etiam diuum Hieronymum inuoluit perplexitatibus, vnde ſe extricare non potuit. Cùm hinc ſtaret communis eccleſię ſenſus, inde & in diuerſum ſibi trahere viderentur verba Apoſtoli. Imò nec ſecum ipſe conſentit, ſed nunc diſcrimen tollit inter presbyteros (vt nunc loquimur) & epiſcopos, nunc rurſum ſtatuit, ipſa rei veritate coactus, & communi conſenſu eccleſiæ. Itaq; cauſam explicans, quare ad Timotheum ſcribens Paulus, tantùm epiſcoporum & diaconorum meminerit, presbyterorum nulla mentione habita: Cur, inquit,

Pau-

Act. 20.

Presbyter uocabulũ genericum demonſtratur.

1. Pet. 5.

Vt hæret Hieronymus in uerbis Apoſtoli ob non animaduerſam genericã appellationẽ epiſcopi & presbyteri.

A Paulus de presbyteris nullam facit mentionem, ſed eos in Epiſcoporum numero comprehendit? Quia ſecundus, imò penè vnus gradus eſt. Sicut ad Philippenſes Epiſcopis & Diaconis ſcribit, cùm vna ciuitas plures Epiſcopos habere non poſſet. Vides eum hîc fateri etiam Apoſtolorum temporibus diſcrimen inter presbyteros (vt nunc loquimur) & Epiſcopos. Cùm vna ciuitas plures habere non potuerit Epiſcopos, at benè preſbyteros: item quia ſecundus gradus presbyterorum eſt in ſacro ordine Eccleſię: primus ergo ſit Epiſcoporum, neceſſe eſt, & à ſecundo diſtinctus. Quod addidit, imò penè vnus, fecit reſpiciens ad illam ingeſtam ſibi perplexitatem ex non obſeruato indiſcreto vſu horum vocabulorum in Apoſtolo. Non tamen vnum dicere illic auſus eſt, qui iuxta Eccleſię conſenſum eoſdem vt duos, diſtinctoſque gradus apertiſsimè diſtinxerat, ſed addidit, penè vnus, vicinitatem eorundem, non identitatem ſignificans. Itaque in epiſtola ad Euagrium, tametſi ad reſrenandam diaconorum quorundam inſolentiam, qui presbyteris ſe ęquare, aut pręferre etiam nitebantur, immo dicè gradum eorundem efferat, in hoc abuſus dictis verbis Apoſtoli, per quæ (cùm in confeſſo eſſet omnibus Epiſcoporum excellentia & ſublimitas, vt ita presbyterorũ quoque dignitatem & excellentiam conteſtatam B faceret, Diaconorumq́; illorum inſolentiam magis deprimeret) inter presbyteros & Epiſcopos nullam olim diſtinctionẽ fuiſſe contendit: ſed poſteà in ſchiſmatum remedium eſſe factum, vt ex presbyteris electus vnus præponeretur cæteris: ne vnuſquiſque ad ſe rapiens Eccleſiam Chriſti, eius vnitatem rumperet: quomodo ſi exercitus ſibi imperatorẽ faciat. Mox tamen ipſa rei veritate & communi conſenſu (qui illi reclamabat) Eccleſiæ coactus, & veluti ſibi ipſi contrarius ſubiungit: Quid enim faceret, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod non facit presbyter? Si ordinationem excipis, confiteris vtique eandem à ſolo Epiſcopo & non presbyteris poſſe fieri. Magnum ergo diſcrimen inter Epiſcopos & presbyteros ſtatuis, idque diuina etiam ordinatione, Dei enim ſacramenta hæc ſunt, & ex diuina, non humana ordinatione ſortiuntur miniſtros, à quibus cõferri poſsint, proprios. Quod ipſum etiam in fine eiuſdem epiſtolæ eadem veritate coactus, rurſus confitetur: Et vt ſciamus, inquit, traditiones Apoſtolicas ſumptas de teſtamento veteri. Quod Aaron & filij eius, atq; Leuitæ in remplo fuerũt, hoc ſibi Epiſcopi, presbyteri & Diaconi vendicent in Eccleſia. Quod idem affirmat in epiſtola ad Nepotianum his verbis: Quod C Aaron & filios eius, hoc Epiſcopum & presbyteros eſſe nouerimus. Si vmbræ ſuæ, vt hîc affirmat Hieronymus, etiam hac parte reſpondet veritas, ſi hoc ſunt in Eccleſia Chriſti Epiſcopi, vt nunc loquimur, presbyteri & Diaconi, quod in veteri illo tabernaculo Aaron, filij eius & Leuitæ, conſtat autem, & luce clariùs à nobis ſuprà demonſtratum eſt, inter Aaronis pontificatum, & filiorum eius ſacerdotium, ex diuina inſtitutione interfuiſſe plurimùm: nihilominùs certum eſt, ex Chriſti inſtitutione tantundem, aut etiam plus intereſſe inter pontificalem apud nos, & ſacerdotum inferiorum ordinem: ſeu, vt nunc dicimus, inter Epiſcopos & presbyteros.

Iam verò neque hoc ſecum mihi quadrare videtur, ſed multas rimas ducere, vnde coargui facilè poſsit, quòd in epiſtolâ ad Titum ſcribens, idem ait Hieronymus, olim idem fuiſſe presbyterum & Epiſcopum, & antequàm Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, diceretúrque in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, communi presbyterorum conſilio Eccleſias gubernatas: poſtquàm autem vnuſquiſq; eos, quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto orbe decretum fuiſſe, vt vnus ex presbyteris electus ſuperponeretur, ad quem omnis Eccleſiæ cura D pertineret, vt ſciſmatum ſemina tollerentur. Quod ipſum tamen Eccleſiæ magis conſuetudini, quàm diuinæ diſpenſationis illic tribuit autoritati. Hæc, inquam, minimè ſecum mihi cohærere videntur. Libenter enim interrogarem Hieronymum, aut ſi quis alius hac in re eius aſſertor eſſe voluerit, quando fuerat illud olim, aut quàm diu ſe extenderat, quando dicit nullum fuiſſe diſcrimen Epiſcopi & presbyteri, ſed communi presbyterorum cõſilio gubernatas Eccleſias: Quandoquidem quæ Diaboli inſti[illegible] ſtudia in religione facta ſunt, ita vt di[illegible] populis: Ego Pauli ſum, ego Apol[illegible] Cephæ, ad quæ tollenda neceſſariò in[illegible]ctum fatetur diſcrimen inter Epiſcopu[illegible] & presbyteros, ſtatim ab initio Chriſtianę Eccleſię introducta ſunt. Scriptam enim primam illam epiſtolam ad Corinthios, qua eos eiuſmodi ſtudiorum arguit: circa annum quartum aut quintum Claudij, certum eſt, quo fames illa Agabi prophetia prædicta totum orbem inuaſerat, ob quam pro ſubuentione eorũ qui Hieroſolymis in commune viuebãt Chriſti fidelium, collectas per Eccleſias Achaiæ, Galatię, & Corinth. idẽ ordinauerat Apoſtolus, de quibus in eadẽ epiſt. mentionẽ facit: hoc

eſt,

eſt, annis tredecim aut quatuordecim a Chri-
A ſti aſcenſione in cœlum. Exiguum ergo eſt, & momẽtaneum penè illud olim, antequam diaboli inſtinctu in religione fierent ſtudia, & diceretur in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, aut Cephæ. Nam ab eo tẽpore quod introductum eſt, & toto orbe ordinatum & decretum, ab ipſis haud dubiè decretum eſt, & ordinatum Apoſtolis, autore nimirũ Chriſto & doctore ſacro ſpiritu. Nam eo tẽpore quî aliter per vniuerſam toto orbe eccleſiam conſonanter decerni id ordinariq; potuerit, niſi conſona traditione Apoſtolica, nec imaginari quidem eſt. Quomodo ergo diuinæ hoc diſpenſationis fuiſſe quiſquam negare poterit, haud equidem intelligo. Inſuper cùm idem ipſe rei euidentia conuictus fateatur Hieronymus, ad ſchiſmata tollenda ab eccleſia Chriſti neceſſariò introductũ diſcrimen presbyterorum & epiſcopi, idque ab ipſo ſtatim initio & vſq; nunc conſeruatum tenore perpetuo, certumq; eſt non defuiſſe Chriſtum ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ in neceſſarijs: quo pacto cuiquã credibile videbitur, eundem non fuiſſe autorem huius tam neceſſarij diſcriminis atq; ordinis inter presbyteros & epiſcopos, ſine quo non ſubſiſtebat
B eccleſiæ vnitas neq; ad modicum? præſertim ſi ab illa vmbra tabernaculi veteris (in quo hoc diſcrimine hunc ordinem à Deo prouidentiſſimè, diligentiſſimeque conſtitutum C
demonſtrauimus) ad Chriſti eccleſiam transferamus oculos.

In hæc itaq; abſurda, perplexa, minimeq; cohærentia, atq; adeò inter ſe pugnantia delapſus eſt vir alioqui doctiſſimus & eruditiſſimus, dum ſcripturarum, quàm eccleſiaſticæ traditionis autoritati nimio plus tribuens, in eorundem vero germanoq; intellectu (in quo facilis & procliuis lapſus eſt, præſertim ſi quis proprio fidat ingenio, & ad amuſſim illam rectæ intelligentię ſcripturarum non ſatis reſpiciat) ob non obſeruatam, quam demonſtrauimus, indiſcretam, genericamq; vocabulorum epiſcopi & presbyteri ſignificationẽ in Apoſtolicis literis, in eiſdem hallucinatus eſt. Et quis omnibus horis ſapit? Ab illo itaq; vno diſſentire, quò vniuerſæ Chriſti eccleſiæ conſentiamus, nullũ cuiquam piaculum videri debet. Et hæc ad hæreticorũ aduerſus catholicam veritatẽ argumenta & obiectiones, quibus diſcrimen epiſcoporum & presbyterorũ auferre nituntur, atq; adeò vniuerſam hierarchiam eccleſiæ è medio tollere, ſatis ſuperq; multa.

Hactenus de vnitate eccleſiæ, quòd in ordine conſiſtat, & quis ſit ille ordo ſacer, quo conſtitutus autore, qui eius gradus, quę ſingulorum munia propria, ſatis (ni fallor) dilu- D
cidè à nobis demonſtratum eſt.

LIBRI II. FINIS

HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE LIBER Tertius.

Eorum, quæ deinceps tractabuntur, ordo conſtituitur. Cap. I.

VNAM eſſe catholicam eccleſiam, omnibus in confeſſo eſt, & Niceno decãtatum ſymbolo. Nec pręterea aliud quàm ordinis eſſe vinculum, quod in vnum cõciliet tam immẽſam multitudinem, etiam demonſtratum eſt. Sacrum inſuper ordinem illum eccleſiæ, à Deo conſtitutum, in ſuos gradus partiti ſumus: quô tandem perueniremus ad hierarchiam, hoc eſt, ſacrum illum principatum eccleſiæ. Inuenimus autem duos gradus principantium, nempe presbyteralem, vt núc loquimur, & epiſcopalem. Quorum hic tametſi primus ſit, iſque vnus gradus, non finit tamen natura Chriſtianæ eccleſiæ hac in re, vmbræ ſuę veteri cõformari exactè: ſed maiorem diſtinctionem requirit veritas corporis, quàm ſit in vmbra aut figura cernere. Veteris ſiquidem illius ſynagogæ paucitas, vt vnius tantum cognatiq; populi, vni tantum templo, vni altari, tabernaculoque deſeruiens, vnico pontifice contenta erat. Quare illic in gradu pótificali ſuperuacuum erat alium ordinem quęrere. At veritati cedente vmbra veteri, cùm iam non vno tantum in templo, vno altari, vno orbis angulo, ſed in omni loco, iuxta Malachię vaticinium, offertur Deo oblatio illa múda, cum ſuum quęq; ciuitas pótificem, ſeu epiſcopum, ſuos preſbyteros requireret, æquè erat neceſſarium epiſcoporum penè infinitam illam multitudinem in vnum contineri & redigi, ne vnuſquiſque ad ſe rapiens eccleſiam Chriſti, eius vnita-

Epiſcopatum unicum eſſe, primũq; gradum ordinis eccleſiaſtici.

Epiſcoporum multitudinẽ neceſſariò ordinatam eſſe debere.

vnitatem ſcinderet. Quæ enim requirebat
A neceſsitas, particularis vnius eccleſię eum ordinem, vt vnī vnus præſideret epiſcopus, atque ad eum eius cura pertineret præcipua, eadem & multo maior eam requirebat vnitatem catholicæ eccleſiæ, enm ordinem, vt ſibi mutuo præeſſent & ſubeſſent tàm multi epiſcopi, atq; omnibus vnus pręſideret ac ſuperintenderet: alioqui quo non pacto vnoquoqne ad ſe rapiente Chriſti eccleſiam, tot derepẽte enata forent ſchiſmata, quot eſſent paſtores & epiſcopi?

Itaq; ſi ſuperiùs rectè à nobis demonſtratum eſt, nullam omnino in vnum conciliari poſſe multitudinem abſque ordine ad vnum aliquod ἐγνωσμένως: ſi omnem humanam ſocietatem aliquo ordinis vinculo neceſſario contineri, & in vnitatem redigi per ſuperintendentem aliquam, qua dirigitur ac gubernatur, autoritatem: inſuper hoc requirere rationem ſocietatis, vt maximæ, ita perfectiſſimæ, nempe Chriſtianæ eccleſiæ, vt ordine perfectiſsimo, ac diligentiſsimè conſtituto, per ſupremi vnius præſidentis imperium, in vnitatem redigatur arctiſsimam: idque ſiue hinc ad figuram atq; vmbram eius veterem, ſiue illinc ad ipſum eius exemplar (quod imitatur, & ad quod effigiata eſt) hierarchiæ cœleſtis, ſiue ad finem, ſiue aŭtorem eius reſpiciamus, omnipotentem illam dei patris ſapientiam Chriſtum (cuius vt debebant eſſe perfectiſsima opera, ita effuſiſsimum ſui in eandem amoris pretioſi ſui ſanguinis & amariſsimæ mortis, documentum certiſſimum præbuit) dubitari omnino non poteſt, quin ita ab eodem conſtituta ſit Chriſto, & velut caſtrorum qnædam acies ordinata ſicut eam ab initio perduraſſe videmus, ſacro illo preſbyterorum, epiſcoporum, archiepiſcoporum, primatumq; ordine, per loca opportuna Apoſtolico miniſterio diſtributo & diſpoſito: per quos ad vnum caput, vnā Petri cathedram, vnū ſummum põtificem, totius eccleſiæ cura ordinatiſsimè deferretur & cõflueret. Hunc enim ordinem talem ab initio viguiſſe in eccleſia, omnes ab initio eccleſiaſtici ſcriptores teſtimonium perhibent. Id quod libet vnius aut alterius verbis hic breuiter adſcribere, ne preter neceſsitatem ſim prolixior: nam exactiùs hæc deinceps demonſtranda ſunt. Occurrit autem inter cæteros beatiſsimus ille Leo in hæc verba ſcribens ad Anaſtaſium: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi ſumus vnum corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Hęc connexio to

B

Ab initio eccleſiæ viguiſſe in ea illum ſacrum ordinem.

C tius quidẽ corporis vnitatẽ requirit, ſed præcipuè exigit concordiam ſacerdotū. Quibus tametſi ſacerdotij ſit dignitas communis, nõ eſt tamen ordo æqualis. Quoniã & inter beatiſsimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datū eſt, vt cæteris prǽemineret. De qua forma epiſcoporum quoq; eſt orta diſtinctio & neceſſaria diſpenſatione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vendicarẽt, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſollicitudinẽ ſuſciperẽt ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis eccleſiæ cura conflueret. Hæc ille Leo. Ex quibus intelligis eccleſiaſticam, quam diximus hierarchiam, non ſolū ſuis illis temporibus, hoc eſt, ante annos mille centum, ſed ex ipſa Apoſtolorum inſtitutione ab initio viguiſſe in vniuerſa Chriſti eccleſia. Quod ipſum ſi alio quoq; teſte ęquè aut etiam magis idoneo audire volueris, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, Anacletum accipe, illum beatiſsimi Petri diſcipulum, atq; ab eodem ordinatum presbyterum, quiq; eo ſeculo in ea eccleſia dignus inuentus eſt, cui vniuerſalis eccleſię cõmitterentur gubernacula? Hunc, inquam, Anacletum audi, non præcedentium ſeculorum, aut longè ante ſe geſtam hiſtoriam, ſed
D cuius aut ipſe pars fuit, aut quę à beatiſsimo Petro audiuit, ſcribentem in hæc verba.

Anacletus ſeruus Ieſu Chriſti, in Apoſtolica ſede à domino cõſtitutus, & à ſancto Petro Apoſtolorum principe presbyter ordinatus, omnibus epiſcopis & reliquis Chriſti fidelibus ſalutem. Deinde continuò poſt exordiū epiſtolæ: De primatibus, inquit, chariſsimi ſuper quibus me quidam veſtrûm conſuluerunt, & Apoſtolicæ autoritatis (qua licet indigni Domino diſpenſante fungimur) decretum poſtularunt, ſi eſſe deberent an ſecus, quantum hactenus de his à beato Petro & reliquis Apoſtolis, ac à beato Clemente ſancto prædeceſſore noſtro & martyre nouimus ſtatutū, denegare vobis minimè poſſumus, &c. Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus eſt: & ſicut Dominus illum cõſtituit, à nullo debet perturbari. Scitis enim à Domino electos & conſtitutos Apoſtolos, & poſtea per diuerſas prouincias ad prædicandum diſperſos. Cùm vero meſsis cœpiſſet creſcere, videns Dominus paucos eſſe operarios, ad eorum adiumentum elegit ſeptuaginta diſcipulos. Epiſcopi verò Domini Apoſtolorum, preſbyteri quoque ſeptuaginta diſcipulorum locum

Anacleti De ordine eccleſiarum, qui fuit à principio.

locũ obtinent. Et paulo pòſt: Amplius quàm
A hos duos ordines ſacerdotum, nec Chriſtus
nobis contulit, nec apoſtoli docuerunt. Epi-
ſcoporum verò ordo vnus eſt, licet ſint pri-
mates illi, qui primas ciuitates tenent: qui &
in quibuſdam locis patriarchæ à nonnullis
vocantur. Illi autem qui in metropoli à bea-
to Petro ordinante domino, & à prædeceſſo-
re noſtro prędicto ſancto Clemente, ſeu à no
bis conſtituti ſunt, non omnes patriarchæ
aut primates eſſe poſſunt: ſed illarum vrbiũ,
quæ priſcis temporibus primatum tenuêre,
epiſcopi, primatum aut patriarcharum: reli-
quæ verò metropoles archiepiſcoporum aut
metropolitanorum, non autem primatũ aut
patriarcharum vtantur nominibus, &c. Aliæ
autem primæ ciuitates (quas vobis conſcri-
ptas in quodam tomo mittimus) à ſanctis A-
poſtolis, & à beato Clemẽte, ſiue etiam à no-
Romanã ab ipſo Chriſto obtinuiſſe primatum. bis primates prædicatores acceperunt. Hæc
verò ſancta Romana & Apoſtolica eccleſia,
non ab ipſis Apoſtolis, ſed ab ipſo domino
ſaluatore noſtro primatum obtinuit, & emi-
nentiam poteſtatis ſuper eccleſias vniuerſas,
& totum populi Chriſtiani gregem aſſequu-
ta eſt. Sicut ipſe dixit beato Apoſtolo: Tu es
Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccle
ſiam meam, & portæ inferorum non præua-
B lebũt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni
cœlorũ, & quæcunq; ligaueris ſuper terram,
ligata erũt & in cœlis: & quæcunq; ſolueris
ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlis: &c. Pri
ma ergo ſedes eſt cœleſti beneficio Romanę
eccleſiæ, quam beatiſsimi Apoſtoli Petrus &
Paulus ſuo martyrio cõſecrauerũt, &c. Secũ-
da autem ſedes apud Alexãdriam beati Petri
nomine, à Marco eius diſcipulo & euãgeliſta
conſecrata eſt. Qui in Aegypto primus ver-
bum veritatis directus à Petro prædicauit &
glorioſum ſuſcepit martyrium. Tertia verò
ſedes apud Antiochiam eiuſdem beati Petri
Apoſtoli nomine habetur honorabilis. Quia
illic priuſquàm Romam veniret, habitauit,
Cap. Apo. 35. & Ignatium epiſcopum cõſtituit. Illic etiam
primum Chriſtianorum nomẽ nouellę gen-
tis exortũ eſt. Reliquas verò (vt prædiximus)
primates ſedes prolixitatem vitantes epiſto-
læ, in quodam tomo vobis conſcriptas dire-
ximus. Hoc ipſum namque & beati Apoſtoli
inter ſe ſtatuerũt, vt epiſcopi ſingularum ſci-
rent gentiũ, quis inter eos primus eſſet, qua-
tenus ad eum potior eorum ſollicitudo per-
tineret. Nã & inter beatos Apoſtolos quędã
fuit diſcretio poteſtatis. Et licet oẽs eſſent A-
poſtoli, Petro tamẽ cõceſſum eſt à dño, & hoc
ipſum inter ſe ipſi voluerũt, vt reliquis om-
nibus pręeſſet Apoſtolis, & Cephas exiſtens,
principiũ & caput teneret Apoſtolatus. Ha- C
ctenus ille Anacletus. Quem audis affirman
tem, vt ab Apoſtolis, atq; adeò principe Apo
ſtolorũ Petro & ſucceſſoribus eius, ſe & Cle-
mente cõſtituta ſit hierarchia inter reliquas
eccleſias, earumq́; antiſtites ſub vna Romana
eccleſia, eiuſq́; põtifice. Vtq́; eadem ipſa Ro-
mana eccleſia, eiuſq́; põtifices, veluti beatiſ-
ſimi Petri in ea ſucceſſores, non ab homini-
bus, nõ ab Apoſtolis, ſed immediatè ab ipſo
dño ſaluatore noſtro, ſuper omnes omnino
eccleſias, & vniuerſum Chriſtiani populi gre
gem, primatum obtinuerint, & eminentiam
poteſtatis. Qui & in alia epiſtola, quam ſcri-
bit catholicæ Chriſti eccleſiæ: Si, inquit, diſ-
ficiliores ortæ fuerint quęſtiones, aut epiſco
porum, vel maiorũ iudicia, aut maiores cau-
ſæ, ad ſedem Apoſtolicam, ſi appellatum fue-
rit, referãtur. Quoniam Apoſtoli hoc ſtatue
runt iuſsione ſaluatoris, vt maiores & diffici
les quæſtiones ſemper ad ſedem deferantur
Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuer-
ſam ſtruxit eccleſiã, dicente domino ad bea-
tum principem apoſtolorum Petrum: Tu es
Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccle
ſiam meã. Vides itaq; quo autore, & per quo-
rum miniſterium ordinata & cõſtituta ſit ec-
cleſiaſtica hierarchia, ad quod caput vniuerſa
referenda ſit. De quorum indubia fide cer- D
taq́; veritate, tametſi nemo poſsit meritò am
bigere (omniũ ſiquidẽ ab initio, & totius ec-
cleſiæ Chriſtianæ conſenſu, illi perhibente
teſtimonium) nihilominus propter catholi-
cæ eccleſiæ, atq; eius hierarchiæ hoſtes & ad-
uerſarios, quibus vilis eſt & nullius ponde-
ris autoritas traditionis eccleſiaſticæ, ſcriptu
ras autem ad ſuum ſenſum detorquent, & ea
rum verum germanumq́; ſenſum adulterãt,
preſsiùs, articulatiùs, diſtinctiuſq́; hæc nobis
demonſtranda ſunt. Quandoquidem in his
pendet caput & cardo totius rei eccleſiaſticę.

In primis itaq; luce clariùs demonſtrabi- *Capita argumentorũ quæ hoc libro explicantur.*
mus, Petrum conſtitutum à Chriſto Apoſto-
lici illius chori principem, atq; adeò vniuer-
ſæ eccleſię paſtorem ſummum & pręcipuum,
aduerſariorum ſimul machinationes & argu
menta diluentes in contrarium. Deinde, qui
Petro ſucceſſerint in illo primatu eccleſiaſti-
co, quandoquidem & hoc nunc in dubiũ re-
uocant. Tertio loco, quam autoritatem con-
ueniebat habere totius eccleſię pręſidem. Et
quòd eadem ipſi Petro & ſucceſſoribus eius
ſingulari prærogatiua à Chriſto collata fue-
rit. Poſtremò, de conciliorũ autoritate diſpu
tabimus, qualẽ quantamq́; habeant: & an ea
ſubiecta ſit capiti hierarchię eccleſiaſticæ, an
verò contrà. Quæ vbi modũ finemq́; congru
entem

A entem fortita fuerint, haud longè à ſuo ſcopo ad præſens inſtituta aberrarit tractatio.

Petrum conſtitutum à Chriſto, Apoſtolorum atq; adeò totius hierarchiæ eccleſiaſticæ caput & principem. CAP. II.

TAmetſi ex his, quæ ſuperiùs demonſtrata ſunt, ſatis clarè pateat veritas eius, quod hic demóſtrandum aſſumitur. Quandoquidem cùm abſque diligentiſsimè conſtituta hierarchia eccleſiaſtica ordinataq; per vnius præſidentis ſupereminentem autoritatem, nec ad momentum ſubſiſtere potuiſſet eccleſia, & teſtes ſunt omnes ab initio. ſcriptores ab ipſis omnino Apoſtolorum temporibus ita conſtitutam ab initio, nec aliud caput, alium ſuũ præſidentem recognouiſſe, quàm Romanos pontifices, velut ſucceſſores Petri, nullum etiam nec ab ipſo initio ſe geſsiſſe pro eiuſmodi, nullum hæreticum aut ſchiſmaticum quantumuis arrogantem, ſibi præſumpſiſſe antoritatem huiuſmodi. Vniuerſos antem ab initio Romanos pontifices, quo ſupra nomine, magna confidentia exercuiſſe eandem ſuper vniuerſam eccleſiá. Idq; recognoſcente & approbante eadem, quacunq; patebat, catholica Chriſti eccleſia (quod partim teſtificantibus Anacleto & Leone ſan-
B ctiſsimis pótificibus paulo antè intellexiſti, & pòſt luce clariùs intelliges) cuius communem ſenſum & conſenſum ea perpetua ſucceſsionis ſerie ad nos deductum, haud minorem ipſis euangelicis literis autoritatem habere, libro primo euidenter demonſtrauimus. Quis dubitabit illam eccleſiaſtici primatus autoritatem à Chriſto cõmiſſam Petro, & ſucceſſoribus eius, Romanis pontificibus: niſi ſi quis fortè dubitet eodem autore eſſe aut ſuiſſe eccleſiá? Nicolaus ille ſanctiſsimus pontifex beati Petri in apoſtolica cathedra ſucceſſor, ad Michaelẽ imperatorem aduerſus eiuſdem autoritatem ferocientem, ante annos circiter ſeptingentos, ſcripſit in hæc verba: Priuilegia iſtius ſedis perpetua ſunt, diuinitus radicata atque plantata ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt: quę ante imperium veſtrum fuerunt, & permanent (deo gratiæ) hactenus illibata, manebuntq́; poſt vos, & qnouſque Chriſtianum nomẽ prædicatum ſuerit, illa ſnbſiſtere non ceſſabunt immutilata. Iſta igitur priuilegia huic ſanctæ eccleſiæ à Chriſto donata ſunt, à ſynodis donata non ſunt, ſed celebrata ac venerata ſolummodo: per quæ non tam honor quàm onus nobis incumbit. Licet ipſum honorem non meritis noſtris, ſed ordinatione gratiæ dei per beatum Petrum, & in beato Petro ſimul adepti, nos cogũt, noſq́; compellunt omnium habere ſollicitudinem eccleſiarum Dei. Hæc ille Nicolaus imperatori tunc ſe efferenti aduerſus huius ſanctæ ſedis autoritatem, cõfidentiſsimè obiecit. Hæc eadem comprobata videlicet circiter ſeptingẽtorum deinceps annorũ continua ſucceſsione, aduerſus gigãtes iſtos, qui Chriſto, eiuſq́; vicario, eccleſiaſticę hierarchię præſidi interniciale bellum inferre nó ceſſant, & lacerare ſacroſanctam illam autoritatẽ, multo obijciemus cõfidentiùs: Ante vos fuerũt, etiã nunc permanẽt, etſi vos ruperitis, permanebuntq́; poſt vos huius ſanctę ſedis illa priuilegia, nec quouſq; prędicatum nomen Chriſtianũ fuerit, eadem ceſſabunt immutilata ſubſiſtere. C

Ex euangelicis ſcripturis demõſtrare primatũ Petri in eccleſiaſtica hierarchia.

Sed quoniam ijdem illi ſacroſanctæ maieſtatis gigantei oppugnatores eccleſiaſticã autoritatem nullius faciunt, nihil recipiũt niſi demõſtratum ex ſacris literis: quas tamen & ipſas pro ſuo ſenſu & arbitrio probãt, reprobant: & ſi quãdo ſuæ impietati aduerſari maniſeſtè videntur, ex albo ſubmouent & exautorant, proſcindunt, lacerant, torquent, adulterant. Et impudenti ore, omnibus retrò ſcriptoribus, & vniuerſæ ab initio Chriſti eccleſię reclamantes, nullum in euangelicis aut Apoſtolicis literis verbum inueniri contendunt, quod pro Petri & ſucceſſorum eius in
D eccleſiaſtica hierarchia primatu faciat: quô cæcam eorundem impudentiam magis traducamus, ſi quo modo vt reſipiſcant, confundi poterunt, vtq́ue medeamur infirmioribus in fide, quibus illi de certis, & tot ſeculorum totius eccleſiæ conſenſu firmatis, vel ſcrupulum ingeſſerunt, vel etiam ſecum pertraxerunt in barathtum impietatis & perfidiæ: ipſæ nobis euangelicæ Apoſtolicæq́; literæ hic excutiendæ ſunt, & videndum, num quid in eis deprehẽdi poſsit, quod pro Petri in eccleſiaſtica hierarchia primatu faciat.

Mihi verò ita conſonanter omnia huic vni perhibere teſtimonium videntur, ita diligenter & accuratè, cùm in carne cum carnalibus adhuc ageret Apoſtolis, eundem conſtituiſſe & ſubinde repetiſſe & inculcaſſe Chriſtũ, vt nihil omnium maiori ſibi curæ fuiſſe videatur. Spero autem etiam te, quiſquis es lector, modò æquum nobis animum tantiſper acommodare volueris, idem nobiſcum iudicaturum.

Quod priuſquam demonſtrare aggrediamur, hoc te præmonere voluimus, pleraque inter illos adhue rudes & carnales Apoſtolos dixiſſe, egiſſeque Chriſtum, quibus latentis aliquid ſacramenti ſignificare & commen

dare eiſdem volebat: quorum tamẽ illi adeò
A nondum intelligebant myſteria, vt etiam in
apertiſsimis eius ſermonibus vel ipſa luce
meridiana clarioribus freqnenter hallucina-
rentur, quemadmodum vniuerſa fermè atte-
ſtatur hiſtoria euangelica. Quare toties au-
Matt. 16. diũt: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non-
Marci 8. dum cognoſcitis & intelligitis? Adhuc cæca-
Ioan. 13. tum habetis cor veſtrum? Oculos habentes
non videtis, & aures habentes non auditis.
Sic & Petro recuſanti ſibi lauari pedes, dictũ
eſt: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies au-
tem poſtea. Hæc itaq; vniuerſa, quamuis car-
nalibus adhuc nec intelligentibus, ideo ta-
men inculcabat præceptor optimus, vt eorũ
omnium recordarentur poſtea, induti ex al-
to virtute ſpiritus, qui eoſdem & myſteria ſi-
mul edocuit, omnemq́ue rectæ intelligentię
eorundem veritatem. Qua de re, cùm proxi-
ma iam morte in cuſtodia ſermonum ſuo-
rum doceret eſſe ſalutem, ne ex hoc turbarẽ-
tur, qnòd eoſdem nec fideli mãdaſſent me-
morię, nec ſanè intellexiſſent, ſubiunxit pius
Ioan. 14. & miſericors Dominus: Paracletus autẽ ſpi-
ritus ſanctus, quem mittet pater in nomine
meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vo-
bis omnia quęcunq; dixi vobis: ille me clari-
ficabit, hoc eſt, præſtabit meorũ & dictorũ &
actorum omnium intelligentiam veram.

B Itaq; ſi dictorum actorumq́; Chriſti om-
nium rationem myſteriaq́; diligenter perqui
ſieris, facilè confido te inuenturũ nobiſcum
quod pro Petri primatu in eccleſiaſtica hie-
rarchia faciat, imò vbi idem deſignarit Petrũ
eccleſiæ ſuæ caput & principem. Mihi ſanè vi
detur hoc ipſum feciſſe, cùm nomen illi mu-
taret, ac de ſuo illud petræ ſaxiq́; imponeret.
Neqne enim fruſtra, aut ſine magno myſte-
rio mutatum alicui nomen in ſcripturis inue
nimus. Sic Abrahę confœderato iam ſibi ma-
gnifico illo glorioſoq́; fœdere: Ego, inquit,
Gen. 17. ſum, & ponam pactum meum tecum, eriſq́;
pater multarum gentium: nomen impoſuit,
quod hoc ipſum ſignificaret. Nec, inquit, vl-
trà vocabitur nomen tuum Abram, ſed ap-
pellaberis Abraham, quia patrem multarum
gentium conſtitui te: faciam te creſcere vehe
mẽtiſsimè. Ita & Sarai, Iſaac, Iacob, Salomoni,
Ioanni quoq; pręcurſori cęteriſq́;, ne ſim pro
lixior, non ſine grandi myſterio aut commu
tatum nomen, aut naſcituris impoſitum le-
gimus. Quare neque hîc ſuum defuiſſe my-
ſterium confidendum eſt. Sed non vni, in-
quies, Petro inter Apoſtolos mutatum no-
men à Chriſto: qnin & Iacobo & Ioanni filijs
Marci 3. Zebedæi. Et impoſuit illis, inquit, nomina
Boanerges, quod eſt, filij tonitrui. Et his

quoq; fatemur nouum nomen impoſitum à C
Chriſto, aut potiùs commune quoddam co-
gnomen additum veriùs, quã mutatum prin
cipale ac proprium. Nuſquam enim aliter q̃
prioribus illis ſuis appellantur nominibus,
neq; etiã huius cognominis vſquam fit men
tio, niſi vbi hoc illis imponitur ſemel omni-
no apud Marcum. Nec tamẽ vel huius cogno
minis additio ſingulari carebat prærogatiua
& myſterio. Nam & hos duos vnà cum Petro Matt. 17.
ad ſecretiſsima quęq; admiſit, vnde exclude-
bat reliquos, hos ſolos adduxit ſecũ in mon-
tem, & regni ſui, ſuæq́; gloriæ prægustamen-
tum quoddam eiſdẽ exhibuit, ſpeculatoreſ-
q́ue fecit illius magnificæ gloriæ. Vnde hanc
cœlitus delapſam vocem audierũt: Hic eſt fi-
lius meus dilectus, &c. Cũ ingrederetur quo- Marci 5.
que archiſynagogi illius domum ſuſcitarę
mortuam puellam, nõ permiſit vt quiſquam
ſe ſequeretur, inquit euangeliſta, præter Pe-
trum, Iacobum, & Ioannem. Ab illa eti-
am nouiſsima cœna cùm exiuiſſet orare in
prædium, cæteris quidem diſcipulus dixit:
Sedete hîc, donec orem. Aſſumpto autem Pe
tro & duobus filijs Zebedæi, cœpit pauere,
tœdere, cõtriſtari & mœſtus eſſe, atq; ait illis:
Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortẽ: vt qui-
bus ſuæ glorię in carne mortali guſtũ quen-
dam prębuerat, ſuę etiã infirmitatis præ alijs
tęſtes magis familiares haberet. Nec his di-
D xit, vt cęteris. Sedete hîc, donec orem, ſed ſu-
ſtinete hîc & vigilate mecum. Ex quibus fa-
cilè intelligis, nec Zebedęi filijs abſq; ſpecia-
li aliqua prærogatiua magnoq́; myſterio fuiſ
ſe illam additionem noui cognominis.

Sed ſicut diuerſa hæc ſunt, Petri, inquam,
& Boanerges vocabula, ita ſua cuique myſte-
ria, quæ ipſis nominibus ſignificantur. Hos
quidem tonitrui cognominauit filios, velut
ad diuinorum ſecreta myſteriorum euolatu-
ros altiùs. At nec res defuit cognomini. De
Iacobo equidem qualis fuerit inter Apoſto-
los, facilè indicat illa Herodis in eccleſiam re
cens natam mota perſequutio, quam incepit
à Iacobo, tanquam ab eo qui eſſet ſingularis
cuiuſdam prærogatiuæ & dignitatis inter A-
poſtolos, ab eo ad Petrum continuè veniens
totius eccleſiæ principem. Ioanne verò quis
euolauit ſublimiùs? cũ ad ipſum Dei verbum
non tam audaci, vt inquit ille, quàm felici-
temeritate prorumperet, ac cœleſti reuelatio
ne ſaturatus, illud procemium cœlo veniens
eructaret: In principio erat verbum, & ver-
bum erat apud Deum, & Deus erat verbum:
hoc erat in principio apud Deum. Nunquid Myſteriũ no-
non audis hîc tonitrui filium? At Simoni alia minis Cepha
eſt ratio noui nominis, quod illi à ſeipſo aut Petri.
deri-

A deriuatum impoſuit, nempe Cephæ, hoc eſt, lapidis aut petræ. Petra enim erat Chriſtus, inquit Apoſtolus, ac proinde à Chriſto petra dictus eſt Petrus, vt hac ipſa ſui nominis communicatione, ſuas quoq; vices geſturum ipſum in eccleſia, atque eius pro ſe caput futurum ſignificaret, vnde vniuerſa eccleſia dependeret, haud ſecus quàm à fundamento ædificium. Hoc enim illius ex multis ſibi conuenientibus electi ſingularis nominis myſterio clarè ſignificauit, vt ſuper ipſum, velut ſuper ſaxum aliquod totius eccleſiaſticæ ſtructuræ, conſtruenda foret ædificatio. Quomodo de Ioſua prædicit Iacob ſuo filio Ioſeph ex ipſo egreſſurum illum paſtorem & lapidem Iſrael. Itaque vt primùm adduxiſſet illum eius frater Andreas ad Ieſum, vt qui prior ſecutus erat Dominum iamdudum Ioannis diſcipulus, quem de illo dicentem audierat: Ecce agnus Dei: intuitus eum Ieſus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus aut lapis. Intuitus eſt eum, inquit ille Cyrillus, vt Deum decebat, qui corda & renes ſcrutatur, videtq;, qui nihil ignorat, ad quantam & fidem & virtutem diſcipulus peruenturus ſit, & antea quàm aliquid de eo quæſiuiſſet, tâ ipſum, quàm patrem eius nomine appellat, & hac re diſcipulum inſtruit illum, ſe eſſe qui cuncta B etiam antequam fiant, nouit, nec Simon iam fore nomen ſibi, ſed Petrus, prædicit, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo tanquam in petra lapideq; firmiſsimo ſuã eſſet ædificaturus eccleſiam. Hęc ille Cyrillus. Audis itaq; huius cognominis myſterium. Sed & Chryſoſtomus eundem locum exponens: Aduertendum autem, inquit, quod non omnia, quæ ventura erant ei, hoc primo cógreſſu prædixit: non enim appellauit eũ Petrum, non dixit ſuper eam petram ædificaturum ſe eccleſiam ſuam, ſed dixit: Tu vocaberis Cephas, adhuc in futurum hoc differens, maioris enim erat autoritatis & poteſtatis nomẽ. Ea enim Chriſtus nunc continuit, humiliùs à principio loquitur. Cùm vero diuinitatem ſuam monſtraret, maiora narrauit, inquiens: Ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: Audis & hîc ex Chryſoſtomo maioris eſſe autoritatis ac poteſtatis nomen Cephæ aut Petri. Et nunquid vanus fuit aut nugator Chriſtus, vt non tribuerit hoc ipſum Petro, quod in promiſſo illi tam auſpicato nomine euenturum ſignificauit, nempe maiorem illam, vt Chryſoſtomus loquitur, & vicariam pro ſe autoritatem & poteſtatem? vtque ſuper ipſum tanquam ſuper petram & ſolidiſsimum ſaxum non conſtruxerit eccleſiam ſuam? nunquid mẽdacem illum faciemus, qui dixit, nõ præterituram generationẽ illam, donec omnia, quæ dixiſſet, implerentur? C

Ioan. 1.

In Ioan. homi lia 16.

Sed quoniam iuxta ſententiam præfatam Chryſoſtomi, in primo illo congreſſu nondum impoſuit illi hoc tam auguſtum & magnificum nomen Petri, ſed tanquam in futurum reſpiciens dixit: Tu vocaberis Cephas, maiori adhuc merito illud ipſum reſeruans: tẽpeſtiuũ videtur, vt ad ipſum accedamus locum vbi illi hoc impoſitum eſt de præſenti, plus fortè lucis ibidem inuenturi, atque ab ipſo eius autore energiam quoq; eius ac myſteria intellecturi planiùs. Habet itaque Matthæus in hunc modum: Cùm veniſſet Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, interrogauit diſcipulos ſuos dicens: Quem me dicũt homines eſſe filium hominis? Illi verò dicebant: Alij quidem Ioannem baptiſtam, alij autem Heliam, alij vero Hieremiam, aut vnum ex prophetis. Dicit illis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Et reſpondẽs Ieſus dixit illi: Beatus es Simõ Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Hactenus verba euangeliſtæ. In quibus audis primùm, quali merito ille Simon Ioannis tam auguſto Petri nomine donatus fuerit, quanta cum commendatione, quamq; magnificis ipſum promiſsis eidem ſit impoſitum: vt vel ex eo quiuis facilè intelligeret, non vulgare in eo contineri myſterium. Quod tametſi ipſa ratio nominis per ſe ſatis clarè indicet, ne tamen in re tantopere neceſſaria, cuiquam eſſet ſeu dubitandi ſeu hallucinandi locus, idem ipſe nobis Chriſtus clariſsimè explicauit, dicens: Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Audis quid nomine illo Cephæ, hoc eſt, Petri aut lapidis, illi impoſito, omnibus inculcare volebat Chriſtus, nempe ſuper ipſum, veluti ſolidum quoddam fundamentum ſuam ædificatam eccleſiam, quæ haud ſecus ab eo dependeret, quàm à ſuo fundamento ędificium. Vt futura, inquit ille Chryſoſtomus, eccleſia, tot tantiſq; fluctibus impetu irrumpẽtibus, immobilis maneat, cuius paſtor & caput piſcator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam D

Matt. 16.

In Matt. homil. 55.

turam firmitate ſuperet. Et hæc omnia Chriſtus, quæ ſolius Dei ſunt, pollicetur ſe daturum Petro. Ita quoq; & pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum Chriſtus præpoſuit, &c. Tu verò (lectori ait) mecum ex ijs omnibus quanta ſit Petri poteſtas, intellige: Ego, inquit, dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper te ędificabo eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hactenus ille. Audis itaque myſterium auguſtiſsimi nominis, audis piſcatorem hominem caput hîc & paſtorem cōſtitutum eccleſiæ, audis vniuerſo orbi terrarum præpoſitū, totius deniq; eccleſiaſtici ædificij, velut fundamētum quoddam, in ſe molem ſuſtinens, ac continens compaginis vnitatem.

A

Orthodoxæ ſanæq; intelligentiæ dictorum Chriſti uerborum ad Petrum aſſertio aduerſus deprauationem hæreticam.

CAP. III.

VIdeo hîc veritatis hoſtes laborare plurimum, eidemq; quantum poſſunt, manibus pedibusq; repugnare, & dicta Chriſti verba torquere, retorquere, ac ſurſum deorſumq; miſcere & confundere omnia, quò Petro diuinitus ſibi tributum honorem eripiant. Principio itaq; hæc tam magnifica Chriſti verba ad Petrum: Beatus es Simon Bar Iona, & quæ ſequūtur cætera, nihil propriè aut peculiariter ad Petrum pertinere contendunt: ſed vel ad omnes æquè Apoſtolos, vt quos vniuerſos interrogauit, quid de ſe ſentirent: pro quibus omnibus ſuo illo more, in perſona ac veluti organum omnium reſpondiſſe vnum Petrum, quemadmodum & diuo Hieronymo alicubi viſum eſt. Vel ad eccleſiam ipſam, cuius ſunt illę claues promiſſę Petro, vt qui eius velut in figura videtur geſſiſſe perſonam, vt nonnunquam Auguſtinus affirmat.

B

Deinde, nec per petram, ſuper quam ædificaturum ſe eccleſiam ſuam promiſit Chriſtus, vlla ratione Petrum volunt intelligi. Sed nonnulli ipſam Petri confeſsionem aut fidem, quemadmodum Hilarius & Auguſtinus cæteriq; nonnunquam loqui vidētur. Alij verò, nec Petrum, nec fidē eius: ſed Chriſtum ipſum, idq; eiuſdem Auguſtini autoritate, cui alicubi viſum eſt hunc locum etiam hoc pacto poſſe intelligi, perinde ac ſi dixiſſet: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quā cognouiſti, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te. Cui ſententiæ adſtipulari volunt etiam illud Apoſtoli: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, qui & idem eſt caput eccleſię ſuæ. Non poteſt autem duo fundamenta habere eccleſia non magis, quàm bina capita, niſi monſtrum quoddam eam facere voluerimus. Et hęc atque eiuſmodi obganniunt aduerſarij.

C

1. Cor. 3.

Nos verò à planiſsima verborum Chriſti intelligentia nec latū digitum recedentes, ad vnum proprijſsimè Petrum hæc eiuſdē Chriſti verba: Beatus es Simon Bar Iona, & cætera quæ ſequuntur, pertinere contendimus, qui de ſua tantū ipſius fide interroganti ſaluatori reſpōdit id quod ſibi reuelauerat cœleſtis pater: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Illum ipſum verè eſſe eam petram, ſuper quam fundata Chriſti eccleſia, nullis inferorum poteſtatibus cedit. Eidem illi promiſſas datasq; claues regni cœlorum, & præpotētem illam etiam cœlos penetrātem ligandi ſoluendiq; autoritatem. Et ne quis hanc nobis verā orthodoxamq; verborum Chriſti ſententiam vlla vi quòcunq; torquendo poſsit auertere, primū ex illis ipſis Chriſti verbis clariſsimā hāc eſſe, quam protulimus, germanamq; eorundem intelligentiam, oſtendere conabimur. Deinde eiſdem adhibebimus inflexibilē illā rectæ ſcripturarum intelligentiæ amuſsim, nempe communem orthodoxæ eccleſiæ ſenſum: quem (vt primo libro demonſtratū eſt) in ſanctorum orthodoxorumq; patrum (in quibus eundem illum Chriſti viguiſſe ſpiritum certum eſt, quem & illa columna, illud firmamētum veritatis eccleſia inſtructorem nacta eſt) concordi ſententia clariſsimè licebit perſpicere.

Ad unum propriè Petrum pertinuiſſe illa Chriſti uerba: Beatus es Simon Bar Iona, &c.

D

Primum itaq; haud ſanè intelligo, quid hîc dubitari poſsit, ſi quis ipſam Chriſti interrogationem paulo perpendat attentiùs, quin pro vno ſe illa reſpōderit Petrus dicēs: Tu es Chriſtus filius Dei viui, cùm certum ſit, ſi quis eius, quod interrogabatur, naturā perpendat, ipſum pro nullo alio reſpondere potuiſſe. Nam interroganti antè de vulgi turbæque ſententia, poterant communiter reſpondere, vt alios alia loquentes audierant. Quare etiam communiter ac pluraliter tunc reſponderunt, dicentes: Alij quidem Ioannem Baptiſtam, alij verò Heliam, Hieremiam, aut ex illis antiquis prophetis aliquem. At rurſus interrogati, quid ſentirent ipſi de Chriſto, hoc eſt, quiſque ſecum ac in corde ſuo, iam non erat ampliùs in commune reſpondendi locus, neque enim vna erat eorum omnium communisq; de Chriſto ſententia.

Ex ipſis Chriſti uerbis demonſtrare.

Quæ

A Quæ etſi fuiſſet, nemo tamen fidei conſcientięq́; alterius teſtis eſſe poterat, nemo videre de alio, quàm vno ſe reſpondere quid crederet. Hîc iam tacentibus cęteris pro ſeipſo reſpõdit vnus Petrus: Tu es Chriſtus ille filius Dei viuentis. Fortaſsis verum eſt quod ſcribit Hilarius apud reliquos nondum conſtitutam illã firmamq́; fuiſſe de Chriſto ſententiam, vt quæ communem fidem Iudæorum, etiam de ſuo illo quem expectabant, Meſsia ſuperabat: ſupra quem non eſt incredibile illos adhuc nihil ſenſiſſe de Chriſto altius aut magnificentius. At Petro ſublimius aliquid reuelauerat cœleſtis pater: quemadmodum ipſa Chriſti verba clariſsimè atteſtantur. Vtcunq; tamẽ illud ſe habeat, hoc certo certius eſt, vnins Petri hanc pro ſeipſo fuiſſe confeſſionem. Quo enim pacto alienæ fidei, eiusq́; fidei quæ communem omnium de Meſsia fidem ſuperabat, potuiſſet perhibere teſtimonium, qui corda cogitationesq́; aliorum intueri non poterat? quãdoquidem latet fides in intimis cordium penetralibus. Niſi fortè inter ſe habuiſſe quis dicat deliberationem in commune de quæſtione propoſita: quam nullam præceſsiſſe, clarè demonſtrat euangelicæ lectionis ſeries. Siquidem continuò, vt de ſua ſunt interrogati ſententia, non reſpexit ad alios Petrus, non ad carnem & ſangui-
B nem: ſed moræ impatiens pro ſuo conſueto ac familiari in Chriſtum feruore continuò pręſiliuit, & alios anteuertẽs, nec ab eis, quid ſibi reſpondendum foret, expectans, in glorioſam illam confeſsionem prorupit, quam vni ſibi ſingulariter præ alijs reuelauerat cœleſtis pater: Tu es Chriſtus ille, &cæt. Cuius tam glorioſæ confeſsionis merito, vnus quoque audiuit à Chriſto: Beatus es Simon fili Ioannis.

Non erat illi ſatis hîc Simonem dicere, niſi & patris proprij cognomẽ adijceret. Ergóne fuit alius quiſquam Apoſtolorum Simon Ionæ filius? Quia caro, inquit, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater mens cœleſtis. Tibi, inquit, non vobis omnibns. Ex quibus verbis, vt ſatis clarè conſtat, eo tempore nullum cæterorum Apoſtolorũ ad tantam fidei ſublimitatem perueniſſe: ita omnino certũ eſt, nec tunc, nec longè poſtea fuiſſe vnam illam Apoſtolorum omninm de Chriſto ſententiam, quum illum Satanam ac proditorem Iudam inter illos fuiſſe, inficiari non poſsis. Qui ſi aut tunc, aut etiam poſtea, certò credidiſſet eſſe illum Meſsiã, Dei viuentis filium, nunquid Dominnm gloriæ prodidiſſet ad mortẽ? certè incredibile ipſum videtur Paulo Apoſtolo. Sed quid opus eſt hac coniectura, tametſi euidẽtiſsima, hoc colligere, cuius
C ipſe nobis Chriſtus luculentiſsimum perhibuit teſtimoninm? Cùm enim ſcandalizati eſſent etiam diſcipulorum eius pleriq; ob ea, quæ dixerat de carne ſua manducanda & bibendo ſanguine, ad eoſdem conuerſus: Snnt quidam, inquit, ex vobis, qui non credunt. Et quòd inter hos non credentes, notauerit etiam Iudam, quamuis Apoſtolum, continnò explicat euangeliſta dicens: Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent credentes in eum, & quis traditurus eſſet eum. Vides ergo Iudam illum non crediſſe in Chriſtum. Quomodo igitur pro Apoſtolis omnibus hîc reſpondiſſet Petrus id, quod certum eſt non omnes ſenſiſſe de Chriſto?

Iohan. 6.

Iam & ſequentia expende verborum Chriſti, ex quibus nihilominus eſt euidens hęc omuia pertinere ad vnũ proprijſsimè Petrum. Nam poſtquam beatum pronunciaſſet, non Iudam Iſchariotis, non Iacobum aut Ioannem Zebedęi, ſed Simonem Ionæ filiũ, quem ad tam excellentem fidem illuminauerat cœleſtis pater, ſubiungit: Et ego quoque dico tibi, quòd tu es Petrus. Dixerat illi in primo illo cõgreſſu, cuius Andreas frater ſuus dux & procurator fuerat: Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, hoc eſt, lapis. Nunquid idem dixit venienti ad ſe Andreæ, Iacobo, aut Ioanni Ze-
D bedæi filijs? Vocaberis, inquit, veluti prænuncians, nondum vocaris, aut es. Auguſtius enim erat hoc nomen, qnemadmodum ex Chryſoſtomo paulò antè andiuimns, maiorisq́ue autoritatis ac dignitatis, quàm vt ſine inſigni merito eſſet tribuendum. Nunc verò cũ eius diuinitatem monſtrauit, & tacẽtibus cæteris, & vt par credere eſt, nondnm credentibus, clarè, conſtanter, promptiſsimeq́ue confeſſus eſt confeſsionem illam glorioſam eximio veluti pręmio remnnerans, promiſſum implet, nunc dicit illi non vt prius, tu es Simon Ionæ filius, tu vocaberis Petrus, ſed tu es Petrus, aut lapis, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Perinde ac ſi diceret: Tametſi ego ſim natura illa inuiolabilis & firma petra, cui eccleſiaſtica inędificata domus aduerſus ingruentem vim omnem inconcuſſa & ſtabilis permanet: ego ille lapis angularis, qni totius ædificij vnitatem contineo: ego quoque illud fundamentum, pręter quod nemo poteſt aliud ponere, & in quo omnis conſtructa ędificatio creſcit in templum ſanctũ in Domino: ego habeam clauem illam Dauid, qui aperio & nemo claudit, claudo & nemo aperit: tibi nihilominus mecum participatione communia hæc erunt

A omnia,quæ mihi ſunt naturalia.Nam & tu petra es,ſuper quam inędificata eccleſia,nec infernalium poteſtatum vim pertimeſcet: tu lapis eccleſiaſtici ædificij compaginis vnitatem continens: tu denique fundamentum etiam eccleſiæ. Et tibi quoque dabo claues regni cœlorum, atque eam autoritatem, vt quicquid hic ligaueris aut ſolueris in eccleſia,hoc ipſum ratum firmumq́ue habeatur in cœlis.Hæc eſt verborum Chriſti ad Petrum, non contorta, non adulterata, non vi inducta, ſed plana, germana, natiuaq́ue & ex ipſis verbis naſcens intelligentia,ſibi vndiq; conſona,& cui tam præcedētia,quàm ſubſequentia omnia perhibent teſtimonium.

Scripturas ab hæreticorũ ui & iniuria ſe prorſus uindicare nõ poſſe.

Sed quoniam nullus ſcripturæ locus ita planus eſt aut apertus, qui ab hæreticorum ſcripturas adulterantium, torquentium, & ad ſuum ſenſum deprauantium, vi & iniuria ſe prorſus vindicet. Sunt enim illæ (vt non minùs verè, quàm feſtiue dixit quidam) velut naſus cereus, qui ſe horſum,illorſum, & in quam volueris partem, trahi, retrahi, fingique facilè permittit: & tanquam plumbea quædam Lesbiæ ædificationis regula, quam non ſit difficile accommodare ad quiduis volueris. Suam illis amuſsim adhibere oportet,non plumbeam aliquam & æquè facilè flexibilem: ſed firmam & rigidam, ſed illam B columnam,illud firmamentum veritatis, catholicæ, inquam, eccleſiæ communem ſenſum & ſententiam. Tum demum certi ſecuri que de genuina veraq́ue earundem intelligentia, ſi illi per omnia conſonet, quæ vt canonicam ſcripturis autoritatem impartita eſt,ita veræ orthodoxæq́ue earundem intelligentiæ Lydius lapis eſt.Eam autem ex concordi ſanctorum orthodoxorumq́ue ab initio ad nos vſque patrum ſententia certò colligendam ſuprà demonſtrauimus. Vbi enim congregantur illæ aquilæ, ibi corpus eſt,ibi Chriſtus & veritas:non autē in hęreticorum deſertis,antris,penetralibus & latibulis.

Agè itaque in concilium connocemus illarum aquilarum & ſanctiſsimorum patrum noſtrorum venerabilem illnm chorum, & per ſingulos ipſorum de Chriſti verbis propoſitis ad Petrum, ſciſcitemur ſententiam. Quæ ſi explicatæ paulo antè à nobis concordare inuenta fuerit, de orthodoxa eius veritate ſecuri, hæreticum illum pronunciare, qniſquis eidem ſtudioſe aduerſatus fuerit, nihil dubitabimus.

Interrogemus autem in primis glorioſum illum Chriſti martyrem & beatiſs. Petri ſucceſſorem & diſcipulum Clementem, quam ipſe de prædictis Chriſti verbis intelligentiam à ſuo illo præceptore didicerit, quam C docuerit catholicam, cui præſidebat, eccleſiam. Hic in epiſtola prima ad Iacobum fratrem Domini, quam ante annos mille & circiter ducentos, è Græco in Latinum vertit Ruffinus ille Toranus, tot inſignium autorum interpres,Origenis,inquam,Xiſti philoſophi, Euſebij Cæſarienſis, Gregorij Nazianzeni, Baſilij Magni, Pamphili martyris, Euagrij quoque, Theologicæ rei è Græcis, quod in confeſſo eſt,facilè principũ, ne quis (vt nunc certiſsima omnia in dubium reuocantur) de eius fide & antiquitate dubitet.In hac,inquam, epiſtola in ipſo ſtatim initio affirmat, Simonem Petrum veræ fidei merito fundamentum definitum eſſe eccleſiæ. Qua, inquit,de cauſa etiam Domini ore diuino cognominatus eſt Petrus,qui fuit primitię electionis Domini,Apoſtolorum primus,cui & primo Deus pater filiũ reuelauit,cui & Chriſtus competenter beatitudinē contulit. Hæc ille Clemens. A quo audis confirmari per omnia,quam antè ſtatuimus,de prędictis Chriſti verbis ſententiam, vni Petro ſingularem illam beatitudinem collatam à Chriſto, vni primo reuelatum à Deo patre filium, vnum glorioſæ illius confeſsionis merito honoratum illo Petri auguſtiſsimo cognomine, ac D definitum eſſe fundamentum eccleſiæ.

Anacleti teſtimonio Petrũ caput eccleſiæ & pontificē primũ dictis uerbis cõſtitutum à Chriſto.

Iam & huius ſucceſſorem ęquè in glorioſo martyrio,atq; in cathedra Apoſtolica Anacletum proximo loco interrogemus,etiā B. Petri diſcipulum, & quem idem presbyterum ordinauerat,quam & ipſe de prædictis Chriſti verbis intelligentiā ab illo ſuo præceptore didicerit,quam docuerit catholicā,cui pręſedit,eccleſiam.Scribit hic in epiſtola ad epiſcopos per Italiam paulo vltra mediũ: In nouo autem teſtamento poſt Chriſtum Dominũ à Petro ſacerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primo pontificatus in eccleſia datus eſt, dicente Domino ad eum:Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum.Rurſus in epiſtola ad vniuerſos toto orbe Chriſti ſacerdotes & epiſcopos,affirmās & inculcans Romanam eccleſiā non ab Apoſtolis,ſed ab ipſo Domino,ſaluatore noſtro obtinuiſſe primatum & eminentiam poteſtatis ſuper alias eccleſias vniuerſas, & totius Chriſtiani populi gregem, hoc ipſum dictis Chriſti ad Petrum comprobat:Sicut,inquit,ipſe beato Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc ædificabo eccleſiam meam. Vides itaque etiam ex huius ſententia non ſolùm ad vnum propriè Petrum & ſucceſſores eius Romanos ponti-

A Pontifices pertinuiſſe prædicta Chriſti verba: ſed & Pontificem primum, paſtoremque ſummum & capnt per ea conſtitutum Eccleſiæ.

Nunc Tertulllanum etiam & ipſum apoſtolicis temporibus proximum, audiamus, quid ſentiat, aut pótiùs, quam ipſe de Chriſti verbis ſententiam, velut communem, vulgatam, & omninm cõſenſu celebratam ſubindicet: Latuit, inquit, aliquid Petrum ædificandæ Eccleſię petram dictum, claues regni cœlorum conſecutum, & ſoluendi & ligandi in cœlis, & in terris pòteſtatẽ? Audis, de qua petra ſit locutus chriſtus, cùm dixit Simoni: Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam? ipſe velut ſupponit communem, atque omnibus notoriam Eccleſiæ ſententiam: Cui datæ claues regni cœlorum, & ſupereminens illa ligandi, ſoluendique poteſtas?

Sequenti hinc loco mirabilem illum Origenem rogemus ſuam proferre ſententiam, aut potiùs, quæ ſuo tempore communis fuerit catholicę Eccleſię. Scribit hic in Matthæũ de canone noui Teſtamenti loquens in hæc verba: Petrus verò (ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam) duas tãtummodo epiſtolas ſcripſit: è quibus à nonnullis de ſecunda dubitatur. Rurſus in cap. ſexto epiſto. ad Rom.
B Petro, inquit, cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum tanquã ſuper terrã fundaretur Eccleſia, nullius confeſsio virtutis alterius, niſi charitatis exigitur. Iterum homilia V. in Exodũ, magno illi Eccleſiæ fundamento petræq; ſolidiſsimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, vide quid dicatur: Modicæ fidei quare dubitaſti? Audis, vt hìc dicat ſuper Petrum fundaſſe Chriſtum Eccleſiam ſuam? Non herclè tanquam aliquod controuerſum, dubium aut obſcurum, quod alios docendum exiſtimet: ſed tanquam ſuo illum vbique deſignans cantato omnibus recepto communi Eccleſiæ ſenſu elogio.

Hos continuò ſubſequitur glorioſus ille martyr & pontifex Cyprianus. Quem audi idem paſsim ſignificantem, quod ille Origenes, nempe eam, quã ſuprà adſtruximus, indubiam ſuo ſeculo fuiſſe totius Eccleſiæ de Petro ſententiã. Is libro de ſimplicitate Prælatorum cauſam docens, cur ſe, alioſque decipiant Hęretici ſubuertentes fidei veritatem, & corporis Chriſti vnitatem corrumpentes, rapientes videlicet de Eccleſia Chriſti homines, etiam eos, qui ſibi non videntur deſerere Chriſti Eccleſiam. Et cùm nec cum Chriſto, nec cum illius lege, nec euangelio reuerà
C conſiſtant, exiſtimãtes tamen ſe habere Chriſti doctrinam, veramque Euangeliorum fidem, & apud ſe eſſe ſanctam & apoſtolicam Eccleſiam. His, inquam, cur ſe, alioſque inuoluant fallacijs explicans, docenſque hoc inde prouenire, quia non reſpiciunt, non aſſurgunt ad eccleſiaſticæ vnitatis originem, nec caput quærunt, quod tamen clariſsimè doceat doctrina cœleſtis Euangelij cuique obuia. Eam hanc tandem proferi: Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferorum nõ vincẽt eam. Tibi dabo claues regni cœlorũ, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; ſolueris ſuper terram, erunt ſolnta & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionẽ ſuam dicit: Paſce oues meas. Vides quod ille & ex quibus verbis Euãgelij oſtendat caput eccleſiaſticæ Hierarchiæ, atq; vnitatis eiuſdem originem? Qui hoc ipſum in epiſtola ad Iubaianum adhuc clariùs explicat.

Petrus caput Eccleſiæ, & eccleſiaſticæ vnitatis origo.

Manifeſtum eſt, inquit, vbi & per quos remiſsio peccatorum dari poſsit. Nam Dominus primùm Petro, ſuper quẽ ædificauit Eccleſiam ſuam, & vnde vnitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit. Et infrà in eadẽ: Chriſtus Eccleſiam ſuam quæ vna eſt, fundauit ſuper vnum. Et in epiſtola ad Quintium: Nec Petrus, inquit, quem pri-
D mum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm Paulus de circuncisione poſtea diſceptaret, ſe vindicauit, ſiue aliquid inſolenter aut arroganter ſibi ſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari ſibi à nouellis ac poſteris potiùs oportere. Iterum ad Corneliũ: Petrus, ſuper quẽ ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquẽs, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimns & cognoſcimus, quia tu es Chriſtns filius Dei viui. Hactenus ille. Quam eandẽ ſententiam etiam pleriſque alijs locis inculcat & repetit. Ex his itaq; clariſsimè perſpicis etiam illius Cypriani ſententiam, noſtrę quam ſuprà adſtruximus, per omnia conſonam, videlicet Chriſtum elegiſſe ex omnibus Petrum, qui primus eſſet, & primatum obtineret in Eccleſia: ſuper illum fundaſſe Eccleſiam ſuam: illi dediſſe claues regni cœlorum, poteſtatemq; illam magnificam ligandi & ſoluendi. Quòd ſi & ipſam his omnibus locutionis figuram aut energiam attendas, facilè intelligis, ita hæc dicta ab illis tanquã notoria atq; omnibus confeſſa, & quæ habebat communis conſenſus catholicæ Eccleſiæ.

Super petrũ fundatam à Chriſto Eccleſiam.

A Sed iá reliquos adhuc audiamus, qui prædictos deinceps ſubſecuti ſunt,&eundé cum illis Chriſti ſpiritum habentes, idem etiam hac de re concorditer loquũtur & ſentiunt. Magnus ille Baſilius aduerſus Eunomium, de quibuſdam ſignis Petrum exprimentibus verba faciens: Per hanc,inquit, vocem intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in apoſtolatus miniſterium vocatus eſt. Qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe ædificationem ſuſcepit. Nunquid etiam hic non vides illam petram, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam, videlicet Ionæ filium, & Andreæ fratrem?

Petrum in ſe ſuſcepiſſe ædificationem Eccleſiæ.

Huius contemporaneus Diuus Hilarius glorioſus Chriſti confeſſor ſuam nunc ſententiá proferat,aut potiùs catholicæ ſententiam Eccleſiæ. Hic in Matthæum ſcribens, dicta Chriſti verba explicat hoc pacto: Editis itaque quæ diuerſæ de eo erant, hominum opinionibus, quid ipſi de ſe ſentiant, quęrit. Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui,&c. Et dignũ planè confeſsio Petri præmium conſequuta eſt, quia Dei filiú vidiſſet in homine. Beatus hic eſt,& vltra humanum modum oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt,nó id quod ex carne & ſanguine erat contuens, ſed Dei filium cœleſtis patris reuela-
B tione conſpiciens, dignusque iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, digna ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues regni æterni aditus traduntur. Cuius terreſtre iudicium pręiudicata autoritas fit in cœlo: vt quæ in terris ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo.

Idem rurſus lib. VI. de Trinitate: O miſeræ,inquit, ſtultitiæ furor impius, non intelligens beatæ ſenectutis fideique martyrem, & martyrem Petrum, pro quo pater rogatus eſt,ne fides eius in tentatione deficeret, qui iterata à ſe dilectionis in Deũ poſtulata profeſsione, tentari ſe tanquam ambiguum & incertum tertia interrogatione congemuit. Per id quoque à Domino poſt tertiam tentationis infirmitatem, paſce oues meas, ter meruit audire. Qui in cunctorum Apoſtolorum ſilentio, Dei filium reuelatione patris intelligẽs, vltra humanæ infirmitatis modũ, ſupereminentem beatę fidei confeſsione locum promeruit. Hactenus ille. Audis hic, vt in cunctorum ſilẽtio vnus Petrus Dei filium reuelatione patris intellexerit? vt vnus dignus ſit habitus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret? vt beatæ huius fidei C confeſsione, vltra humanæ infirmitatis modum, ſupereminenté in Eccleſia locum promeruerit? Audis denique myſterium auguſtiſsimi nominis ſibi impoſiti, quod ſuo eſſe & nequaquam deſtitutum eſt. Vtq; in nuncupatione noui nominis factus ſelix eccleſię fundamentũ, dignaq; illius ædificatione petra,& inferni leges,& tartari portas,& omnia mortis clauſtra diſſoluens, vt eius arbitrio, tanquá cœli ianitori, claues aditus regni cœlorum committuntur. Vt eius terreſtre iudicium pręiudicata ſit in cœlis autoritas. Audis inquam, quę ſit dictorum Chriſti verborum orthodoxa, genuina, eaque planiſsima & ſimpliciſsima intelligentia, eaque beato Petro his ipſis ſit contributa autoritas.

Iam & eius, qui hunc continuò ſubſequitur ſacri illius Ambroſij, audiamus ſententiam, an ſit conformis prædictorum omnium. In ſermone, quem habuit ad ſibi commiſſam Eccleſiam, de natali Petri & Pauli: Diximus, inquit, frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam. Rurſus ſermon. XLVII. de fide Petri diſſerens: Petrus denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiá meam. Petra enim dicitur, D quòd primùm in nationibus fidei fundamẽta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem molemq; cótineat, &c. Rectè ergo meretur conſortiũ nominis, qui conſortium meretur & operis. Iterum de vocatione omnium gentiũ lib. II. Cap. 9. Vbi poſtquá de Petri pugna multa diſſeruit, ſcribit in hęc verba: Quis ambigat, quis ignoret hanc firmiſsimá petram, quæ ab illa principali petra conditionem & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſideriũ ſemper habuiſſe, vt ſibi moriẽdi pro Chriſto daretur conſtantia? Audis, quid ille frequẽter dixerit in ſuis ad fidelem populum concionibus (cui non controuerſa aut ambigua inculcantur, ſed quæ habet communis fides Eccleſiæ) ipſum Petrum videlicet illam petram nuncupatum à Domino, quę totius Chriſtiani operis compaginem, molemque velut quoddam ſaxum immobile contineat, cùm diceret eidem: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Petrus petra. ſuper quã fundata eccleſia.

Diui nunc Hieronymi, qui illum cótinuò ſequitur, tempeſtiuum eſt etiam perſcrutari ſententiam. Eam clarè explicat, ſcribens in Matthæum

A Matthæum,& dicta chriſti verba expendens & ponderans: Ego,inquit,dico tibi,quid eſt quod ait,& ego dico tibi? quia tu mihi dixiſti:Tu es Chriſtus filius Dei viui:& ego dico tibi,non ſermone craſſo,nec vllum opus habēte,ſed dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt:quia tu es Petrus,& ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam. Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit,vt mundi lumen appellarentur,cæteraq; ex Domino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni, qni credebat in Chriſtum,Petri largitus eſt nomen,ac ſecundum Metaphoram petrę rectè dicitur ei: Aedificabo Eccleſiam meam ſuper te. Hæc ille Hieronymus.Cuius plurima eiuſdem ſententiæ teſtimonia pòſt audies,cùm ad obiectionem quam ex eiuſdē autoritate nobis faciunt aduerſarij,reſpondebimus:ex quibus clarè apparebit,ipſum conſtantiſsimè ſenſiſſe nobiſcum. Interim vides, cuius erat illa glorioſa confeſsio,& ad quem pertineant dicta Chriſti verba, quibus eandem remunerat. Vides illam petram,ſuper quam ædificata eſt Chriſti Eccleſia.

Auguſtinus tametſi ferè non perſiſtat vbique in eadem ſententia, ſed tentat, rimatur, ſubodoraturq; omnia, & quicquid vel probabile occurrit alicubi, amplectitur, alicubi placet,quod rurſus pòſt diſplicet. Quemadmodum in his verbis Chriſti ad Petrum,mo B dò Chriſtum vult eſſe illam petram, ſuper quam idem dixit ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam, modò Petrum, modò neq; Chriſtum, neque Petrum, ſed fidem Petri. Tamen in omnibus ſuis ad fidelem populum concionibus, ab illa, quam hactenus adſtruximus, orthodoxæ Eccleſiæ communi ſententia nō recedit.Eamq; nec tanquam ambiguam profert, ſed tanquam notoriam omnibus & confeſſam. In hæc enim verba loquitur in ſermone de cathedra Petri, qui in eiuſdem ſolennitate communiter legitur in eccleſiaſticis lectionibus: Inſtitutio ſolennitatis hodiernæ à Senioribus noſtris cathedræ nomen accepit,ideo quòd primus Apoſtolorum Petrus hodie epiſcopatus cathedram ſuſcepiſſe referatur. Rectè igitur Eccleſiæ natalem ſedis illius colunt, quam Apoſtolus pro Eccleſiarum ſalute ſuſcepit, dicente Domino: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam. Petrum itaque Eccleſiæ fundamētum nominauit:& ideo dignè hoc fundamentum Eccleſia colit, ſuper quod eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit. Vnde conuenienter Pſalmus,qui lectus eſt,dicit:Exaltent eum in Eccleſia plebis,& in cathedra Seniorum laudent eum. Bene ergo Deus eum in Eccleſia exaltari præcepit, quia dignū eſt, C vt fundamentum hoc in eccleſia honoretur, per quod cœlum aſcenditur.

Rurſus in alio ſermone dicit in hæc verba: Primum ſignum mirabile beatus Apoſtolus Petrus fecit, claudo pedum reſtituendo veſtigia. Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam.Si ergo Petrus petra eſt,ſuper quam ædificatur Eccleſia, rectè priùs pedes ſanat:vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet,ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, pedes Chriſtiano curat, vt iam non trepidus quis nec imbecillis poſsit ſupra petram Eccleſiæ ſtare,ſed robuſtus & fortis incedere. Hactenus ille. Vides itaque & clariſsimè ex his verbis perſpicis communem hunc fuiſſe totius Eccleſiæ de Petro ſenſum. Dicit eos frequenter audiuiſſe tanquam rem vulgatam,confeſſam & notoriam, ipſum Petrum à Domino nuncupatum petram, ſuper quam ædificaturus eſſet ſuam Eccleſiam. Eandem fermè ſententiam alio ſermone inculcat XVI. de tempore. Et iterum ſermone CXXIIII.

Credendæ, inquit, erant Petro Apoſtolo claues Eccleſię,imò creditę ſunt ei claues regni cœlorum, credenda quoque erat ei populorum innumera multitudo,quę eſſet pro ſuæ naturæ vitijs ac paſsionibus, culpis inuoluta & peccatis. Denique ſic ad eum Saluator dicit: Tibi,inquit, dedi claues regni cœlorū: deinde ſequitur,dicens: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: videlicet vt in clauibus fidelis eſſet ianitor, & in ſententijs clementiſſimus diſpenſator. Erat enim reuerà hic Petrus paulo durior & ſeuerus, ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui Principis ſacerdotum declarat auricula. Hic tam durus, tamque ſeuerus, ſi donum non peccandi fuiſſet adeptus à Domino, quæ venia commiſsis populis donaretur? Sed idcirco diuinæ prouidentiæ ſecretum ita temperauit, atque permiſit, vt primus ipſe laberetur ac rueret in peccatum, quò erga peccantes duriorem ſententiam proprij caſus intuitus temperaret. Quātum igitur diuini muneris erga ſalutem hominum,quantū curæ fuit, quantumq; ſollicitudinis impēditur,aduertite. Totius corporis morbum in ipſo capite curat eccleſię,& in ipſo vertice componit membrorū omniū ſanitatē. In ipſo cōfeſsionis Chriſti crepidine, in ipſo immobili fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo, qui dixerat: etiāſi oportuerit me mori tecū, non te negabo. Hæc ille Auguſti-

Petro creditas claues regni cœlorum, & ſuper oēs iuriſdictionis autoritatem.

D

Aadis

A Audis itaque, quo hic pacto de Petro ſemper loquatur ad fidelem ſibi commiſſum populum? Quem dicat Eccleſię caput & verticem? quem ipſum immobile fundamentum fidei? cuí nam creditas prædicet claues regni cœlorum? cui commiſſam populorũ innumeram multitudinem? quem ianitorem cœli? quem iudicem in terris?

Chryſoſtomi quoque ea de re, deq́ue eiſdem Chriſti verbis, quæ ſit ſententia, ſuprà clariſsimè intellexiſti. Adhortatur enim te Homilia LV. in Matthæum, ſecum vt perpendas atque intelligas ex illis tam magnificis Chriſti verbis ad Petrum, quanta eius ſit poteſtas. Ego, inquit, dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hæc ille. Rurſus in Homilia de diuite & paupere, ipſum vocat principem Apoſtolorum, ſuper quem Chriſtus fundauerit Eccleſiam ſuã, verè immobilem petram, vtq́ue pro humano piſcatorio acceperit claues regni cœlorum.

Ita & Diui illius Cyrilli Alexandrini Patriarchæ ſuperiùs audiuiſti ſententiam, qui libro II. commentariorum in Ioannem, affirmat Chriſtum in noui nominis, Petri, inquã, impoſito vocabulo hoc ſignificaſſe, quòd in eo tanquam in petra, lapideq́ue firmiſsimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam. Cui conſonant & quæ Theſaurorum libro XII. & de ſpiritu ſancto libro XIII. atque alijs etiam locis pleriſque habet.

B

Leonis ſentẽtia.

His, ſi placet, etiam ter ſanctum illum Leonem adiungere (quo elogio à frequentiſsima Chalcedonenſi ſynodo honoratus eſt) & eius quoque explorare ſententiã, ea paſsim in ſcriptis eius nec ambigua, nec obſcura occurrit. Siquidem in ſermone tertio de paſsione Dominica, vniuerſum hunc Euangeliſtę locum Chriſti fidelibus hoc pacto elegantiſsimè explicat: Vnus, inquit, de toto mundo eligitur Petrus, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisq́ue Eccleſię partibus prępons atur, vt quàmuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multiq́ue paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum & mirabile huic viro dilectiſsimi, conſortium potentiæ ſuæ diuina tribuit dignatio, & ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per iſtum dedit, quicquid cæteris non negauit. Omnes deniqueApoſtolos, quid de ſe opinentur homines, interrogat, & tam diu reſpondentium communis eſt ſermo, quàm diu humanæ intelligẽtię explicatur ambiguitas. At vbi quid ſenſus habeat Diſcipulorũ, exigitur: primus

Petrus omniũ gentiũ vocationi & cunctis Eccleſiæ partibus præpoſitus.

C eſt in Domini confeſsione, qui primus eſt in apoſtolica dignitate & poteſtate. Qui cùm dixiſſet: Tu es Chriſtus filius Dei viui, reſpõdit ei Ieſus: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Ideo beatus es, quia pater meus te docuit, nec terrena te opinio fefellit, ſed inſpiratio cœleſtis te inſtruxit, & non caro & ſanguis, ſed ille tibi, cuius ſum filius vnigenitus, indicauit. & inquit: Ego dico tibi, hoc eſt, ſicut pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen & tu quoq; petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, tibi ſint mecum participatione communia, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prępualebunt aduerſus eam. Super hoc, inquit, ſaxum, hác ſoliditatem & fortitudinem æternum conſtruam templum, & Eccleſiæ meæ cœlo inſerenda ſublimitas, in huius firmitate conſurget. Hæc ille Leo.

Petrus petra.

Audis, quanta hic aduerſum te dicat teſtimonia? Vnum de toto mũdo electum Petrũ, qui vniuerſarum gentium vocationi, apoſtolis omnibus, cunctisq́ue Eccleſiæ patribus præponeretur, cuí potentiæ ſuæ conſortium vnà cum nomine tribuerit diuina dignatio, quam & in vniuerſum Eccleſiæ corpus per ipſum ordinatiſsimè deriuauit. Audis felix fundamentum Eccleſiæ, firmamque petram, ſuper quam eius cœlo conſurgit inſerenda ſublimitas. D

Idem in Homilia illa, quæ in ſabbato poſt Dominicam Quadrageſimæ legitur in eccleſiaſticis lectionibus: Saluator, inquit, humani generis, Deus Chriſtus condens eam fidẽ, quæ impios ad iuſtitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc Diſcipulos ſuos doctrinæ monitu, & operum miraculis imbuebat, vt idem & vnigenitus Dei & hominis filius crederetur: nam vnum horum ſine altero non proderat ad ſalutem, &c. Ad confirmandam ergo huius rei ſalubritatem, interrogauerat Diſcipulos ſuos Dominus inter diuerſas aliorum opiniones, quid de ipſo crederent, quidúe ſentirent. Vbi Petrus per reuelationem ſummi patris corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit oculis mentis filium Dei viui, & cõfeſſus eſt gloriam deitatis, &c. Tantumq́ue in hac fidei ſublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate dotatus, ſacram inuiolabilis petræ firmitatẽ acciperet, ſuper

Petri autoritas iudiciaria.

A ſuper quam fundata Eccleſia portis inferni & mortis legibus præualeret, nec in ſoluendis aut ligandis quorumcunque cauſis alind ratum eſſet in cœlo, quàm qnod Petri deciſum eſſet arbitrio. Hæc idem ille Leo, qui eandem etiam ſententiam, ſermone II. de anniuerſario ſuæ põtificiæ aſſumptionis, facundiſsimè explicat. Eandem quoq; in epiſtola ad beatum Flauianum, de vera verbi incarnatione aduerſus Euticetis blaſphemiã, & alijs pleriſque locis inculcat, & repetit.

Gregorij ſententia. In hoc tam celebri & venerando conſeſſu magnum illum Gregorium præterire nefas mihi videtur, ne fortè credant aduerſarij, ſtudio illum nos declinaſſe, quaſi pro ipſis faceret. *Lib. 6. epiſtola 37.* Cuius ſententiæ teſtis eſt eius ad Eulogium epiſtola, in qua ſcribit in hæc verba: Quis, inquit, neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur. Cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum. Cui rurſus: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Iterumq;: Simon Ioannis amas me? paſce oues meas. Itaque cùm multi ſint Apoſtoli pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum principis ſedes in autoritate conualuit. Rurſus in altera epiſtola: Cũctis, inquit, Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce B Dominica, ſancto & omnium Apoſtolorum principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura cõmiſſa eſt. *Lib. 4. epiſtola 32.* Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos, ſicut triticũ: & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando couerſus, confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Hæc ille. Vides ergo etiam huius ſententia, vt nulli ſcienti Euangelium dubium eſſe poſſit, quin Petro omnium Apoſtolorum principi totius Eccleſiæ cura commiſſa ſit, vt ipſe Petrus aut petra (idem enim vtroque nomine Græcè ſignificatur) à Domino dictus eſt, vt ſancta Eccleſia in eius petræ ſoliditate fundata.

Sed ne, dum per ſingulos in celeberrimo hoc ſanctiſsimorum patrum conſeſſu pergo ſingulorum de prędictis Chriſti verbis ſigillatim ſententias quærere, nunquam finem ſit inuentura oratio, ſimul interrogemus plurimos, ſimulque & coniunctim ſuam nobis depromant ſententiam. Et hîc ſeſe opportuniſsimè nobis offert illa Alexandrina ſynodus ex vniuerſis Aegyptiorum, Thebęorum ac Libyorum Epiſcopis, cuius caput ſe effert ille magnus Athanaſius, qui ad Felicem Romanum pontificem memorantes inter cætera ſtatuta Niceni concilij, in quo à Patribus conſonanter conſtitutũ affirmant, vt ſi quiſquam Epiſcoporum aut Metropolitanum, C aut comprouinciales iudices ſuſpectos habuerit, ſanctam Romanam appellet ſedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi & ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. *Petri & ſedis eius autoritas iudiciaria ſuper vniuerſam Eccleſiam.* Ipſa enim, inquiunt, firmamentũ à Deo fixum & immobile percepit. Quoniã ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſsimam Dominus noſter Ieſus Chriſtus conſtituit. Ipſa eñ eſt ſacer vertex & cardo, in quo omnes vertuntur, ſuſtentãtur, & releuantur, &c. Tu es (ſicut diuinum veraciter teſtatur eloquium) Petrus, & ſuper fundamẽtum tuum Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi, qui Eccleſiam ſuſtinere, & proprijs humeris portare debent, tibi ſunt confirmatę, tibique claues regni cœlorum commiſit, atque ligare & ſoluere poteſtatiuè, quæ in terra & quæ in cœlis ſunt, promulgauit. *Petrus Eccleſiæ fundamentum.* Tu prophanarum hæreſium, & imperitorũ atque omnium infeſtantium depoſitor, vt princeps & doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ immaculatę fidei exiſtis. Hęc illi tam multi, tam ſancti Epiſcopi, cum ſuo illo glorioſiſsimo orthodoxæ fidei propugnatore Athanaſio, pro eiuſdem fidei aduerſus Arrianam perfidiam defenſione congregati in Alexandrina D ſynodo: quibus nihil dubium eſt, medium interfuiſſe Chriſtũ, & nihil diſcrepaſſe illos à catholicæ Eccleſię fide ac ſententia. In quibus audis, quæ, quantaque dictis Chriſti verbis, non ſolũ Petro, ſed & ſucceſſoribus eius omnibus ſit contributa autoritas, atque ad vniuerſos illos propriè pertinere dictorum chriſti verborum effectum. Vnde ſcribentes Romano pontifici, qui annis pluſquàm trecentis ſucceſsit Petro, ipſum dicunt & affirmant eſſe Petrum, conteſtante hoc diuino eloquio, & ſuper ipſum ſuſtineri Eccleſiam, & in eo velut in ſacro cardine, moueri, regi, & gubernari. Ligandi quoque ſoluendique poteſtatẽ ſpeciali ſuper alios priuilegio ipſi cõceſſam à Domino. Ipſum velut caput, principem & doctorem orthodoxæ doctrinę, immaculatæque fidei eſſe depoſitorem prophanarum hæreſium, atque omnis erroris catholicam infeſtantis eccleſiam.

Poſt quos tam multos, tantæq; autoritatis patres, ęquè Gręcos ac Latinos, imò ex omni orbis loco ab initio naſcentis Eccleſiæ, ad ea vſq; tempora, quando etiam aduerſarij conuicti ipſa rei euidentia coguntur confiteri & conqueri, nimiam hanc fuiſſe autoritatem romanorum pontificum, velut ſucceſſorum Petri

A Petri,& in quam,vt ipſi dicũt,irruperint conniuentia, aut potiùs oſcitantia vniuerſæ Eccleſiæ. Poſteriorũ fruſtra exquireremus ſententiã, quæ vt eſt omnium vna & indubitata: ita tantorum,quos citauimus,patrum obſcuraretur ſplẽdore & autoritate. Quos omnes ſi Deus aliquis in vnum aliquod concilium reuocet,vt de propoſita,de qua agimus,controuerſia ſuam inter nos proferrent ſententiam (de vero, inquam,genuinoque intellectu verborum Chriſti ad Petrum, quem tu contra vim verborum inferre alium, violenterq́; intrudere conaris: audires autem concordem, atque adeò vnam omnium, quam iam audiſti ſuperiùs) nunquid poſt talium, tantorumque definitionem, quorum nemo fuit, in quo non erant euidentiſsima ſigna inhabitantis Chriſti ſpiritus cernere, adhuc dubitare auderes,adhuc hæſitare, nũ ea eſſet Chriſti,ſpiritusque ſententia,quam ita concorditer protuliſſent tot illi pleni ſancto ſpiritu? Nunquid tibi non videretur arrogantię & præſumptionis pluſquã diabolicæ, vt ſibi quis vni plus arrogaret, in ſcripturarum intelligentia, quàm fuiſſet in illis tam multis, tam doctis, tam ſanctis Patribus, quorum omnis & meditatio & voluntas,diu noctuq́; fuit in lege Domini,quam nõ ſecùs vita ſanctiſsima ac in terris conuerſatione penè angelica expreſſerunt? B Quantę ergo autoritatis iſtorum omnium habenda erit tam concors ſententia, quam non communi inter ſe tractatu habito,ſed è remotiſsimis orbis partibus,aliquot etiam à ſe ſeculis diſtãtes, tanta tamen concordia protulerunt? Hoc ipſo videlicet euidentiſsimè demonſtrãtes, totius, quacunque patebat, catholicæ eccleſiæ communẽ iſtam ſemper fuiſſe ſententiam: à qua tam multos,tam ſanctos, doctoſque patres, quos tanquam præcipua membra vniuerſa Chriſti colit & veneratur Eccleſia, in tanta inter ſe concordia non diſcrepaſſe certum eſt. Cùm enim catholicæ eccleſiæ ille orthodoxus,communiſque ſenſus ſit, quem fidelium mentibus inſerit ille ſacer ſpiritus, cuius vocem intima quadam eius perſuſione agnoſcit omnis, qui ex ſpiritu natus eſt, & à voce alienorum, hæreticorumque refugit: vnde quæſo clariùs perſpicere illum poterimus, quàm in talium,tantorumque patrum, qui non qualiacunque membra Eccleſię,ſed eius columnæ quædam inſignes extiterunt, & primitias Chriſti ſpiritus acceperunt, tam conſona confeſsione ac ſententia?

Ex prædictis concludere eandem catholica eccleſia per orbẽ ſententiam.

Concluſio.

Tenemus igitur illam ſacram ancoram, illud fixum, inflexibileq́; robur ac firmamentum veritatis, illum murum inexpugnabilẽ, C nempe communem ſenſum catholicę Eccleſiæ, qui pro nobis hanc profert ſententiam, videlicet quòd Petrus à Chriſto conſtitutus ſit caput totius Eccleſiæ,cùm & nominis ſui, & ſuæ poteſtatis illi conſortium, communionemq́; faceret,dicens eidem: Tu es Petrus, hoc eſt,lapis,& ſuper hanc petram, id eſt, ſuper te, ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, videlicet quæ ſuper te conſtructa erit. Ad Eccleſiã verò Chriſti non magis pertinere, quicũq; ab hoc ſe diuiſerint capite, quàm quod à ſuo fundamento diuellitur ac diſſoluitur ædificium,quod mox dirui ac comminui certum eſt. Datas quoque eidem Eccleſię capiti claues regni cœlorum, ſupereminentemque illam,quę totius præſidi neceſſaria erat ligandi,ſoluendique, & ceteram omnimodam poteſtatem, de qua pòſt agemus accuratiùs. Ab hoc ergo veritatis firmamento quiſquis receſſerit, quiſquis huic orthodoxæ Eccleſiæ ſenſui refragatus fuerit, ad Chriſti ouile nõ pertinere, ſed Hæreticum eſſe non dubitabimus: ſi is rectè Hæreticus ſuprà definitus eſt, cui non placet communis ſenſus orthodoxę Eccleſiæ ab illo Chriſti ſpiritu influens, ſed ſingulare ac proprium aliquid eligit, quod illi è diuerſo ſtatuat: ſua ipſius ſe damnãs ſententia, nempe ſeiungens ſe ac ſeparans à catholica Eccleſia, à qua ſe ſeparare dãnari eſt. D Proinde tanquam deploratum hunc,aut potiùs,tanquam peſtilentem, Apoſtolo hoc nos admonente, deuitabimus.

Obiectionum quarundam aduerſus præaſſertam (de Chriſti uerbis Petri primatum in eccleſiaſtica Hierarchia ſtatuentibus) orthodoxam catholicæ Eccleſiæ intelligentiam diſſolutio.

CAP. IIII.

VEtus hoc eſt hoſtis humani generis commentum, ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo incautos fallere,& ſub fuco eloquiorum cœleſtium ſubuertere veritatem fidei, & eccleſiaſtici corporis vnitatem corrumpere, dum per ſuos illos Apoſtolos,hęreticos & ſchiſmaticos Chriſtum demõſtrat in deſerto, in angulis domorum ac penetralibus, quô abducat à vero illo Chriſti corpore, rapiens videlicet de Eccleſia homines, qui ſibi videntur non deſerere Eccleſiam. Sed nos aduerſus horum inſidias Chriſti doctrina, præmonitioneque cauti, ab illo corpore abduci nos non ſinemus, etiamſi canonicas illi ſcripturas proferant, non recedemus à communi orthodoxæ Eccleſiæ ſenſu, etiam quicquid illi obganniant. Ne tamen fruſtra ſibi blandiantur

Præmonitio chriſtiani lectoris aduerſus Hæreticorũ argutias.

A diantur de victoria, & ſcripturarum peritia ſe efferant, eorum obiectionibus paucis reſpondendum. Ita enim illuſtrior erit veritatis victoria.

Primùm itaque, quòd contendunt prædicta Chriſti verba: Beatus es Simon Bar Iona, & quæ ſequuntur, ad vnum Petrum propriè non pertinere, ſed vel ad omnes Apoſtolos, quorum omnium nomine reſponderit interroganti omnes Chriſto, dicés: Tu es Chriſtus, &c. Vel ad Eccleſiam vniuerſam, cuius nonnuſquam videtur Auguſtino tunc geſſiſſe figuram: ſatis, ni fallor, demõſtrauimus ſuprà, tã ex planiſſimis Chriſti verbis, quàm ex totius orthodoxæ Eccleſiæ communi ſenſu (quem in tantorum, quos audiſti, ſanctiſſimorum patrum tam concordi ſententia euidentiſſimũ eſt perſpicere) verba illa Chriſti ad vnum propriiſſimè pertinere Petrũ. Qui de nullius alterius, quàm de ſua ipſius ſententia, ſibi cœlitùs reuelata, reſpõdit ipſum eſſe Chriſtum viuentis Dei filium, cæteris Apoſtolis de ipſo adhuc nihil ſapientibus altius aut ſublimius, quàm vulgo Iudæorum credebatur de ſuo, quem expectabant, Meſsia: ſi tamen talis, tantaque de ipſo fides fuerat illorum omnibus: quod equidem haud ſanè crediderim, quandoquidẽ & proditorem illum Iudam vnum fuiſſe ex illis, certum eſt. At ipſum eſſe viuentis Dei filium, quem conſpicie-

B bant mortalem hominem, humanam omnino excedebat intelligentiam. Quare vni Petro continuò reſpondit Dominus: Beatus es Simon Bar Iona, quoniã non caro & ſanguis hoc reuelauit tibi, ſed pater meus cœleſtis. Tibi, inquit, nõ vobis. Beatus ergo tu Simon Ioannis fili.

Petri ſingularis & pro vno ſe diuinitatis Chriſti confeſsio.

Non conſequi autem manifeſtum eſt: Interrogauit omnes Chriſtus, quid de ſe ſentirent & crederẽt, ergo reſponderunt omnes, aut vnus pro omnibus Petrus. Poterãt enim & tacuiſſe, tanquam dubij quid reſponderẽt: tacuiſſe autem certum eſt ex Euãgelio: æquè certum eſt Petrum pro nullo alio reſpõdere potuiſſe, quàm pro vno ſe, quid quiſque de chriſto in corde ſuo ſentiret & crederet. Nec cuiquam mirum videri debet, quòd non reſponderent, quàmuis interrogati, quando quod reſponderent, certum, conſtitutumq́; non habebant.

Sed & frequenter interrogatos inuenies, nihil reſpondiſſe, vt cùm poſt trãsfigurationem deſcenderet Ieſus de monte: Veniens, inquit Marcus, ad Diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & ſcribas conquirentes cum illis, & confeſtim omnis populus videns Ieſum, obſtupefactus eſt, & expauerũt,

Marc. 9.

C & accurentes (nimirum Diſcipuli) ſalutabãt eum, & interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? Habes hîc interrogationem chriſti, attamen nec Diſcipulorum quiſquam, quos certum eſt interrogatos fuiſſe, tanquam primos ac præcipuos inter occurrentes & ſalutantes (ſi tamen quiſquam cum illis occurrit ſalutator alius) nec ſcribarum aliquis, quos vidit conquirentes cum Diſcipulis, vllum illi reſpondit verbum. Pudebat enim eos, ſuas illi indicare diſceptationes. Vnus autẽ quidam de turba reſpondens, dixit: Magiſter attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum, & dixi Diſcipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt. Rurſus quod paulo pòſt eſt apud eundem: Venerunt, inquit, Capernaum, qui cùm domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant, ſiquidem in via diſputauerant, quis eorum maior eſſet. Audis itaque, qualis ſit illa argumẽtatio: Interrogauit omnes Chriſtus, quid de ſe ſentirent: ergo reſponderunt omnes, aut vnus Petrus pro omnibus.

Neque eſt, quòd propterea ad omnes pertinuiſſe quis putet, id quod vnus reſponderat Petrus, quia pro ſuo illo quem inter omnes geſſit primatu, ipſe alicubi nomine omnium & reſpõdiſſe & interrogaſſe legatur. Neque enim hoc illis fuit perpetuum, ſed fre-

D quenter & interrogarunt, & reſponderunt, aut per ſe vnuſquiſque, aut pluraliter & communiter omnes: quemadmodum & hoc ipſo quem tractamus, loco, quàm diu de vulgi ſententia interrogabantur, omnes reſponderunt, dicentes: Alij Ioannem Baptiſtam, alij alium. Cùm verò de ſua eos rogaret (vt Chryſoſtomi verbis dicam) præſiliuit Petrus, & alios præueniens, ait: Tu es Chriſtus, &c. Ita & alibi bis decies eos feciſſe reperies. Ne ita os & organum omnium exiſtimes fuiſſe Petrũ, quicquid reſponderunt interrogati à Chriſto, id reſpõderint voce vnius Petri: aut quicquid dixit, reſpondítq; Petrus, id fuerit continnò Apoſtolorum omnium. Quod etſi in alijs omnibus ita fuiſſet, in vna hac interrogatione fieri non poterat, qua cùm interrogarentur de ſua quiſque, quam in corde ſuo de Chriſto habebat, fide ac ſententia, nemo pro alio, quàm vno ſe reſpondere poterat.

Qui verò Petrum hîc figuram geſtaſſe volunt Eccleſiæ, non multũ eis repugnabo. Nõ enim alienum eſt allegorijs, tropologijſque haud ineptè excogitatis, in ſcripturis ludere, & in varios eaſdem ſenſus ducere, modò ipſam nobis hiſtoriæ veritatem non euacuent. Ita & Abel ille à ſanctis patribus Saluatoris noſtri figuram geſtaſſe dicitur, ſiquidem &

Ob nullam figuram imaginatam in Petro euacuandam euangelicæ hiſtoriæ ueritatem.

A virgo, & ſacerdos, & martyr fuiſſe videtur. Non tamen propterea negabimus Abel reuerá fuiſſe illum protoplaſti filium, paſtorem ouium, interſectum à Cain fratre ſuo. Sina & Siou figuræ ſunt apud Apoſtolum, & de Sara & Agar ab eodem typice quędam dicuntur: figura etiam petra illa, quam percuſsit Moyſes, ex cuius latere fluxerunt aquæ in ſalutem, refectionemque populi. Bibebant, inquit, de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Nec minùs & in virga qua percuſsit, & in aqua quę effluxit, & in Moyſe, Aaroneque, qui addubitarunt, figura poteſt intelligi. Sed nũquid propterea ſacræ illi hiſtoriæ ſua ad literam non conſtabit veritas? Ita & Iſaac holocauſtum, ſibi ipſi portans ligna: Iacob qui lippientem Lyam, hoc eſt, cæcam ſynagogam, & decoram Rachaelem iuniorem ex gentibus coniugio ſibi copulauit Eccleſiam: Ioſeph à fratribus venundatus in multorum, atque adeò humani generis ſalutem: Samſon meretricem ex gentibus deperiens, qui moriens, quàm viuus maiorem multo ſtragem hoſtium edidit, geſſerunt Saluatoris noſtri typum haud obſcurũ: nihilo tamẽ minùs reuerá geſta ſunt in proprijs illorum perſonis, quæ de eiſdem narrat ſacra hiſtoria. Breuiter, vniuerſa illa veteris

B ſynagogæ hiſtoria vmbra quędam eſt & figura futurorum bonorum, quæ ſub euangelica veritate enituerunt: Non tamen propterea illi negabimus ſuam veritatem hiſtoricam. Quare neque ſi quis & in Petro hic qualemcunque figuram intelligat, propterea negabimus veritatem Euangelicæ Hiſtoriæ, non dicemus illi Simoni Ioannis filio non dictum à Chriſto: Beatus es Simon Bar Iona, tu es Petrus, & ſuper te petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni, cæteraq; quæ ſequuntur. Quorum ad literam, hiſtoricamque veritatem, ſi quis qualicunque in Petro excogitata figura euacuare conatus fuerit, dicemus illi cum orthodoxo illo Hieronymo, vt eorum deliramenta conticeſcant, qui vmbras & imagines in veritate quærentes, ipſam conantur euertere veritatem.

Quin potiùs, qui Eccleſiæ figuram imaginantur in Petro, propter primatum quem idem geſsit in Eccleſia, eandem figuram intelligunt: quare orthodoxam (quam hîc adſtruimus) veritatem dupliciter comprobare intelligendi ſunt. Non minùs, inquam, ex ea quam fingunt figura, quàm ex Euangelicæ veritatis hiſtoria. Ita Diuus Auguſtinus ſcribens in Pſalmum centeſimum octauum. Sicut, inquit, quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, C nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius noſcitur in figura geſsiſſe perſonam, propter primatum quem in diſcipulis habuit, ſicut eſt: Tibi dabo claues regni cœlorum, & ſi qua ſunt eiuſmodi. Hæc ille. Audis itaque, cur in Petro hic intelligat figuram Eccleſiæ. Quanquam ego, quòd Auguſtino videatur Petrum eccleſiæ figuram hic geſsiſſe, & hæc Chriſti ad illum verba: Tibi dabo claues regni, &c. magis illuſtrem intellectum habere relata ad Eccleſiam, quàm ad perſonam Petri, eò pertinere crediderim, quòd hunc, quem in ipſo Petro inſtituit, monarchicum Eccleſiæ primatum, illas claues regni cœlorũ, illam magnificam poteſtatem alligandi & ſoluendi, non vult reſpexiſſe vnã perſonã Petri, ſed permanſiſſe ac permanere in Eccleſia, etiam poſt Petrũ & trãſijſſe ad eius ſucceſſores. Hac quippe ratione magis ad Eccleſiã pertinuiſſe hæc tam magnifica Chriſti dona, promiſſaque, quàm ad vnam perſonam Petri certum eſt: ſed tamen non niſi mediante Petro, atque in Petro hæc accepit, habetque Eccleſia, à qua continua Epiſcoporum catholicæ Eccleſiæ præſidentium ſucceſsione, in finem vſque propagabuntur. Non enim præteribit generatio hęc; continuaque in cathedra Petri catholica Epiſcoporum ſucceſsio, donec omnia D fiant. Illi ſiquidem vni, quemadmodum euidentiſsimè demonſtrauimus, ſingulariter dixit Chriſtus: Ego dico tibi: Tu es Petrus. Ab illo fecit Eccleſiæ ſuæ exordium. Super te, aut ſuper hanc petram, inquit, ædificabo Eccleſiam meam.

Sed inſtant rurſus: Si, inquiunt, ad Petrum propriè pertinebat illa Chriſti commẽdatio, qua beatum eum pronunciauit, vt cui reuelauerat pater ipſum eſſe viuentis Dei filium: quomodo ergo pòſt audiuit, cùm eundem à ſua paſsione auocare & abſtrahere moliretur: Vade poſt me Satana, ſcandalum mihi es, non enim ſapis ea quæ Dei ſunt? Quia enim hîc eſt vituperatus tanquam Dei ignarus, demonſtratum volunt ſuperiorem illum Petrũ, qui Chriſti ore beatus pronunciatus eſt, tanquam cœleſti illuſtratus reuelatione, cui promiſſę ſunt claues regni cœlorum, nõ fuiſſe illum Simonem Bar Iona, (vt proprijs illorum verbis dicã) ſed Eccleſiam verbo Dei genitam.

De obiurgãtione Petri à Christo, ut ea non euacuantis effectum uerborũ Christi præcedentium.

Sed hic oro te, vt ſis prudẽs lector, & cum beato Hieronymo inquiras & conſideres, ſi potes, quomodo poſt tantam beatitudinem: Beatus es Simõ Bar Iona: Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meã, & tibi

A & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris aut ſolueris, &c. nunc audiat: Vade retro me Satana, ſcandalum mihi es. Nam & illi doctiſsimo Hieronymo hoc inprimis admirabile, & dignum conſideratu videtur. Quòd ſi nondum poſsis intelligere ſenſum Domini aut conſiliorum, operumq; eius rationẽ perſpicere, noli, inquit Apoſtolus, altum ſapere: ſed time, ſed ſuſtine, noli inniti prudentiæ tuæ, ſed captiua interim intellectum tuum in obſequium fidei, ſi fortè dignabitur & tibi Dominus reuelare: noli interim ex tuo capite negare illud quod clariſsimè affirmat veritas, quæ beatum pronunciauit, non mathematicum aliquem, aut fictitium Petrum, ſed Simonem Ioannis (ne errares) filium, cui dicit cœlitùs à patre ſuo reuelatã diuinitatem ſuam, cui & petræ nomen de ſeipſo impoſuit, ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturum ſe promiſit, cui & claues regni cœleſtis elargitus eſt.

Quòd ſi me interrogare pergas: quomodo ergo poſt tantam beatitudinem continuò audiuit, vade poſt me Satana, & poſt illam cœleſtis patris reuelationem dicatur non ſapere, quæ Dei ſunt: quid ſi non intelligerem diuinorum hæc operum admiranda myſteria, ſi neſcirem eorundem tibi rationẽ explicare, nunquid propterea aduerſus Euangelium &

B Chriſtum negabo eundem illum Petrum, illum, inquam, Simonem Bar Iona, Chriſti ore prnnunciatum beatum? nnnquid factam illi cœlitùs reuelationem? nũquid Petri nomen impoſitum? Hoc ſcio cum illo Origene, non ante Chriſti paſsionem perfectos fuiſſe Apoſtolos, ſed erat omnium (vt habet Hilarius) trepida fides ad reſurrectionis vſq; tempus, quam in Domino contuentes, expectationis ſuæ ſecuritate firmati ſunt. Hinc & illud à Chriſto dictum: Triſtis eſt anima mea vſque ad mnrtem, intelligit non propter mortem ſuam dixiſſe illum: ſed quia Apoſtolorũ metus per humilitatem paſsionis exortus (adeò vt firma illa ſuperædificandæ Eccleſiæ petra trepidaret) poſt mortem & reſurrectionem Domini deſineret. Iccirco vſqne ad mortem triſtis eſt, poſtquam trepidantis fidei eſſent ſecuritate firmandi.

Hom. 3. in Matth.

In Pſal. 141.

Chryſoſtomi ſententia de illa obiurgatione Petri.

Fortaſsis autem interrogationi tuæ ſatisfaciet Diuus Chryſoſtomus, ita ſcribens in hunc locnm Matthæi, homilia XV, Non intelligentibus, inquit, Diſcipulis paſsionem, reſurrectionemque Chriſti, timebant eum interrogare. Petrus autẽ iterum ex feruore ſolus audet ea de re quicquã dicere: neque id palàm, ſed ſigillatim, ac ſeorſum ab alijs Diſcipulis. Propitius, inquit, tibi eſto, nec fiat tibi hoc. Quid nam hoc eſt, ô Petre? tu qui C reuelationem deſuper habuiſti, qui beatificationem conſecutus es, cui claues regni cœlorum traditæ, tam citò adeò grauiter lapſus cecidiſti? Et reſpondens ſibi in perſona Petri; Cur mirum tibi videtur, inquit, ſi in ea re id paſſus, de qua mihi nihil reuelatum eſt? Hinc certè clarè videmus, non ex ſeipſo, ſed ex reuelatione illa dixiſſe. Quia in his quæ reuelata nnn ſunt, turbatur, & centies audiendo non ſentit, quod dicitur. Didicit certè, quia filius Dei eſt, quid autẽ myſterium crucis & reſurrectionis ſibi velit, nondum didicit. Erat, ait, occultus ab eis hic ſermo. Perſpicis, quia iure mandauit, ne in publicum hæc efferrentur. Vbi enim iſti turbantur, quibus hæc neceſſariò committuntur, quid non facerẽt cæteri? Ipſe vt oſtenderet ſe ſponte ſua ad paſsionem venire, increpauit Petrum, & Satanam appellauit. Audiant quicunque paſsionis Chriſti crucem verecundantur. Nam ſi Apoſtolnrum vertex etiam, antequam crucis myſteriũ diſceret, Satanas vocatus eſt, quam veniam impetrabunt, qui vbiq; prædicatam crucem Chriſti negare audent? Nam ſi qui ex Deo beatificatus fuerat Petrus, qui & ex reuelatione ſuit veritatem confeſſus, ſic acriter increpatur, quò nõ ſupplicio cruciabuntur, qui crucis myſteriũ non ſuſcipiunt? Hæc ille Chryſoſtomus. Quem audis nihil dubitaſſe, D quin Petrus Apoſtolorum vertex, paulo antè, quàm tali hic cõuitio exciperetur, beatus Chriſti ore pronunciatus fuerit, quin idem ille cœlitùs illuminatus à patre, primúm diuinitatem Chriſti & cognouerit, & confeſſus fuerit, quin idem acceperit claues regni cœlorum. Audis deniq;, quid pro Petro tuæ quæſtionl reſpondeat. Quòd ſi vnus tibi nõ ſufficiat Chryſoſtomus, etiam Hilarium audiamus, quid ſentiat, & num ad eundem Petrũ pertineat hæc tã grauis obiurgatio Chriſti, ad quẽ pertinuit paulo antè præmiſſa illa tam magnifica commendatin.

Scribit autem in illum verſiculum Pſalmi CXXXI. (Sicut iurauit Domino, votũ vouit Deo Iacob) vniuerſum de Chriſto intelligẽs, in hæc verba: Sacramenti, inquit, mentio ad profeſsionem volũtatis aſſumitur, & neſcio an vnigenitus iurauerit: certè ita geſsit, & locutus eſt omnia, vt ſacramento religionis ſatisfacere videretur. Namq; cùm quædam de paſsione ſua ad Diſcipulos locutus fuiſſet, & Petrus tanquam indignum hoc Dei filio deteſtatus eſſet, Petrum, cui claues regni cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturus erat, aduerſus quam portæ inferi nihil valerent, quæque in terris vel ſoluiſſet,

A vel ligaſſet, ea in cœlis vel ſoluta vel ligata perſiſterent. Hunc, inquam, tali conuitio, deteſtantem ſacramentũ paſsionis, excepit: Vade poſt me Satana, ſcendalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primam dei filij confeſsionem, eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio cœli iudicem, Satanæ conuitio nuncuparet, &c. Hactenus Hilarius, qui eãdẽ ferme ſententiam repetit de trinitate libro decimo. Idem ferè eſt & apud Auguſtinum legere libro ſecundo aduerſus Parmeniani epiſtolam.

Origenis ſententia de eadem.

Origenes verò hanc Petri à domino obiurgationem eleuat & extenuat, nec tam grauem fuiſſe vult, quàm nobis fortè videatur. Siquidem conuerſus Ieſus ad Petrum dixit: Vade poſt me Satana: Beatus, inquit, is fuerit ad quem conuertitur Chriſtus, etiam ſi corripiendi cauſa conuertatur, ſicut hic conuerſus eſt ad Petrum, quemadmodum & poſt eiuſdem trinam abnegationem. Et conuerſus, inquit, dominus reſpexit Petrum, qui continuò reuerſus ad ſe, & recordatus verbi Ieſu, egreſſus foràs, fleuit amarè. Deinde vult ſemper in bonam partem accipi, quoties dicitur à domino: vade poſt me. Bonum eſt enim, quando quis poſt dominum vadit: contrarium verò, quãdo quis reijcit ſermonem domini poſt ſe, & vadit poſt concupiſcentias B ſuas. Vnde & Helias tertio Regum libro dicit ad populum: Vſq; quo claudicatis vos vtriſque pedibus veſtris? Si deus dominus eſt, ite poſt eum: ſi autẽ Baal, ite poſt illum. Hæc itaq; huiuſmodi Origenes.

Vides itaq; quemadmodũ & illis doctiſsimis, ſanctiſsimisq́; patribus dignum in primis conſideratione atq; admiratione viſum eſt, quòd Petrus poſt tam magnificam illam Chriſti commendationem, poſt cœleſtem illam adeò ſublimen reuelationem, poſt acceptum à Chriſto nominis, poteſtatisq́; conſortium, continuò pòſt audiat: Vade poſt me Satana, &: Non percipis ea quæ dei ſunt. Non tamen dubitant, quin idem ille hæc audierit Petrus: Ille, inquã, primus diuinitatis Chriſti confeſſor, illud eccleſiæ fundamentum, cœleſtisq; regni ianitor, & in terreno iudicio cœli arbiter. Cum quibus neque etiam nos contra euangelium, imò contra clariſsimam vocem Chriſti, nouum aliquem fingemus, imaginariumq́; Petrum, præter illum Simonem Bar Iona, qui Chriſtum confeſſus ſit, ſed admirandam potiùs myſteriorum diuinorum operum diſpenſationem humiliter inquiremus & contemplabimur.

Quòd verò Petrus ſit ea petra, ſuper quam ſuam Chriſtus fundauit eccleſiam, tam ex ipſis Chriſti verbis, quã ex infallibili illa rectæ intelligentiæ ſcripturarũ amuſsi, catholicæ eccleſiæ communi ſententia enidentiſſimè demonſtrauimus: à qua nullæ nos abducent hæreticorum argutiæ. C

Non tamen ob id imus inficias, etiã Chriſtum dici, eſſeq; & fundamentũ & caput eccleſiæ, vtrumque de ipſo affirmante Apoſtolo. Fundamentum equidem, quod propria ſua virtute contineat ædificium, compaginemq́ue membrorum eccleſiæ, ipſamq́; firmam, ſtabilem, immobilemq́; in ſe efficiat. Caput verò, vnde vitalis ille influxus, ſpiritusq́; deriuatur in membra reliqua. Nec tamen propterea bina eccleſię fundamenta facimus, bina capita, monſtroſamq́; (vt illi volunt) eccleſiam, cùm alia ratione, & ſub Chriſto Petrus ſit caput eccleſiæ, ſuper Chriſtum quoq; fundatus ipſe, eccleſiæ in ſe ædificationem recipit. Erat Chriſto redeũdem ad patrem poſt peracta ſalutis noſtræ, redemptionisq́; myſteria. At eius eccleſia, quæ ex omnibus populis, nationibus, linguis, apoſtololorum ſuorum congregãda erat miniſterio, requirebat neceſſariò ſecum manens in terris caput congeneum, quod gubernaret atq; in vnum contineret molem, compaginemq́; D tam vaſti illius immenſiq́; corporis, ſine quo (quemadmodum ſuprà demonſtrauimus) nulla prorſus futura erat eccleſia. Quare magis Petrum, quã ſeipſum ptonũciauit Chriſtus ſuæ fundamentum eccleſiæ.

Cur Petrum magis quã ſe Chriſtus pronũciauit fundamentũ eccleſiæ.

Collatio umbræ ſynagogæ veteris ad ſolidã ipſam noſtræ eccleſiæ veritatẽ.

Sed ne quid nouum hac in re aut ab hominibus commentum te audire exiſtimes, & nõ potiùs, quæ longè antè, quàm fierent, ita vt facta cernuntur, futura prænunciata præfigurataq́; fuerunt, vmbrã ipſam pauliſper nobiſcum contemplare ſynagogę veteris, in qua noſtræ eccleſię haud obſcuram aut confuſam, ſed expreſſam, diſtinctamq́; eſt videre imaginem, adeò vt conferenti vmbram vniuerſam ad ſuum corpus, parteſq́; partibus, haud ſit difficile & iuuenire & cernere, illius quam quæque partem figuret, adumbret, & exprimat noſtræ eccleſiæ. Nam ſi Pharaonem illum, ſi captiuum Iudęorum populum, ſi duriſsimam illam ſeruitutem Aegyptiacam, ſi exitum ab Aegypto, ſi agnnm & phaſe, ſi mare rubrum, ſi iter per deſertum annorum XL. laborioſiſsimum ſanè, & tot calamitatibus, tot tentationibus, tot afflictionibus, tot pugnis plenum, ſi denique ipſam promiſsionis terrã conſiderauerimus, requiramusq; eorũ ſingulorum ſolidã veritatem, quam exprimunt in corpore noſtrę eccleſiæ, clariſsi-

A clariſsimè quodque, quemadmodum in vmbra ac figura expreſſum eſt, ac diſtinctiſsimè cernitur. Quare & Moyſen legislatorem illius populi, & Aaronẽ ſummum ſacerdotem, à quo in ea ſynagoga cœpit ſacerdotiũ, quid exprimant, adumbrentq́ue ſolidæ veritatis in noſtra Eccleſia, nunc conſiderandum eſt. Sed nec difficile inuentu eſt, adeò diſtinctè, exacteq́; reddit hæc vmbra ſuam illã ſibi reſpondentem ſoliditatem: ſiquidem & nobis legislator Chriſtus eſt, quod illis Moyſes. Nobis quoque, quod illis Aaron, ſummus ſacerdos Petrus, à quo ſacerdotalem ordinem in ſua Eccleſia Chriſtus & inchoauit, ac inſtituit. Super te, inquit, ædificabo Eccleſiã meam. Fuit nihilo minùs & in veteri illa ſynagoga ſacerdos Moyſes, quemadmodũ teſtatur propheta, dicens: Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius. Et quàmuis ſummus ſacerdos Aaron, non tamen ſnb Aarone Moyſes, quin potiùs cõtrà, cùm tam illũ ſacerdotem ſummum, quàm filios eius inſerioris ordinis ſacerdotes, ipſe conſecrauerit: ſuæ verò ordinationis non aliũ, quàm Deum autorem habuerit. In omnibus qnoque quæ ad Deum attinebant negotijs, ipſe prior erat, Deoq́; proximior, ac velut inter Aaronẽ & Deum mediator quidã, & internuncius. Sed & paſsim

B ſcripturæ hunc illi pręferunt, quemadmodũ & in alio loco apud eundem prophetam: neduxiſti, inquit, populum tuũ in manu Moyſi & Aaron. Summus ergo yterque ſacerdos, ſi ſummus Aaron, quàmuis ſub Moyſe Aaron. Attamen non à Moyſe, ſed ab Aarone ducitur illius ſacerdotij principium, indeq́ue porrigebatur continua ſerie, nec ſacerdotij Moyſi, ſed Aaronis ſucceſſores ſequentes ex ordine facti ſunt. Ita & nobis pontifex Chriſtus. Habentes enim, inquit Apoſtolus, pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum filinm Dei, teneamus ſpei noſtræ confeſsionem. Non enim habemus pontificem, qui nõ poſsit cõpati infirmitatibus noſtris. Sed & nobis põtifex Petrus, & põtifex ſummus, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt. Non tamen ſnb eo, ſed ſupra eum Chriſtus, qui non ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret, ſed ille, qui dixit ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tn es ſacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Hic itaque à ſolo Deo patre pontificatum, ſacerdotijq́ue honorem adeptus, Petro pro ſe

Chriſtianum ſacerdotium inchoari à Petro, nõ à Chriſto.

vicarium ſacerdotij honorem contulit, quẽ in Eccleſia gererent, tam ipſe, quàm qui ei legitima ordinatione ſuccederent. Quem nõ à ſe, ſed à Petro potiùs inchoauit, atque ab

C illo eius originem deriuari voluit. Nõ enim dixit: Super me ædificabo Eccleſiam meam, ſed: Tu es Cephas, tu ſaxum, aut lapis, & ſuper hunc lapidem, ſuper te, ædificabo Eccleſiam meam. Vides ergo & in noſtra Eccleſia Moyſen, vides Aaronem, vtrunque ſacerdotem, vtrunque ſummum, ſed maximnm illum, qui à Deo patre ſuo clarificatus, vt eſſet pontifex & ſacerdos in æternũ. qui hunc pro ſe nobis conſtituit vicarium, cũ nomine ſuo etiam poteſtatis participem faciens, ipſe reuerſus ad patrem, vt eſſet nobis apud eum & & aduocatus & mediator. Itaque iam, opinor, intelligis, in noua lege à Petro initium feciſſe Chriſtũ ſacerdotalis dignitatis, quẽadmodum in veteri ab Aarone Moyſes: quis & in illa ſupra Aaronẽ etiã ſacerdos Moyſes, & in hac noſtra quoq; ſupra Petrũ ſacerdos, pontifexq́ue Chriſtus. Quod támen nec illam veterem ſynagogam, nec noſtram Eccleſiam bicephalem facit: ſed ſub Chriſto caput Petrus, imò Chriſti apud patrem exiſtentis vices inter nos gerit Petrus. Quẽadmodum idem ipſe Chriſtus in nomine illi de ſeipſo impoſito, cæteriſq́; illis tam magnificis, quæ audiſti, verbis euidentiſsimè ſignificauit.

Ad obiectiones ex uerbis Diui Hieronymi *&* *Auguſtini, quæ prædictis repugnare uidentur, reſpondere.* D

CAP. V.

QVandoquidem nõ orthodoxum, ſed hæreticum ſuprà contendimus, quiſquis prędictę verborum Chriſti ad Petrum ſententiæ, quã æquè ex Euangelicę hiſtorię planiſsimo contextu, atque ex communi catholicæ Eccleſiæ ſententia, clariſsimè demonſtrauimus, Diui nobis Hieronymus & Auguſtinus ab hac nota & iniuria vindicandi ſunt, & quos orthodoxos haud dubiè ſanctiſsimosq́ue patres in ſua caſtra pertrahere, & aduerſum nos ſtatuere moliuntur Hæretici, quòd pręaſſertę veritati non ſolùm non aduerſentur, ſed vnà cũ orthodoxa Eccleſia modis omnibus conſentiant, eandemq́ue vbique aperta, clariſsimaq́; confeſsione confirment & prædicent, iam nunc demonſtrandum eſt. Quanquam autem (quod ferè moris eſt ſcripturarum tractatoribus, & his duobus præcipuè) nonnuſquam etiam diuerſam aliquã à communi, etſi non repugnantem in illis ſcripturarum verbis ſentẽtiam inquirere viſi ſunt: hoc tamen tentãndi magis, excutiendiq́ue omnia, quàm adſtruendi ſtudio eos feciſſe certum eſt. De quo hoc in primis te admonuiſſe conuenit, nihil eſſe aut mirum, aut abſur-

A abſurdũ, ſi ex illo profundo, fertiliſſimoq́; diuinarum ſcripturarum pelago, plures, eosque non incongruentes expiſcati fuerimus ſenſus. Quandoquidem diuina ſcriptura (vt pulchrè habet Origenes) nõ ſolùm ſacramẽtorum debet continere ſententiam, verùm etiam mores, geſtaque informare diſcentiũ. Ipſa enim per Salomonem diuina ſapientia ſeſe ipſam nobis dupliciter, tripliciterq́; deſcripſiſſe affirmat. & Noe præcepit Dominus arcam bicameratam ac tricameratam conſtitui. Hinc eſt (quod frequentiſſimè euenire videmus (vt eundem ſcripturæ locum idem ſacri tractatores, nunc aliter aliterq́ue interpretentur, atq; etiam allegorijs, tropologijs, anagogicisque interpretatiooibus vertant in aliam aliamq́ue faciem, & accommodent ad inſtructionem audieotium. Manet tamen firma & vnica illa germana primitiuaq́; ſcripturarum intelligentia, quam primò in eis intendit ille ſacer ſpiritus. De qua ſi fortè ambigitur, ſi ipſa ſcripturarum verba per ſe obſcuriora dubitationem nonnullam inſerant, ea eſſe indubiè putãda eſt, quam communis tenet Eccleſiæ ſententia, & in quam orthodoxi, ſanctique patres magis conueniſſe de-

B prehenduntur. In prædictis autem Chriſti apud Matthæum verbis, ex quibus Petrum caput, fundamentumq́ue Eccleſiæ ſuprà demonſtrauimus, adeò nulla eſt aut obſcuritas aut ambiguitas, vt omnes, tam Græci quàm Latini orthodoxi patres, maximo ioter ſe conſeoſu cooueniſſe in eam ſententiã, quam dudum audiſti, inueniantur. A quibus non diſſcordaſſe Hieronymum & Auguſtinum, ſed vt ſpiritu, ita & ſenſu quàm maximè cõſenſiſſe, nunc euidens faciemus.

Perpetuò ſibi cæteriſq; orthodoxis conſentiens Hieronymus in intelligentia verborum Chriſti ad Petrum.

De Hieronymo autem adeò nulla eſt ambiguitas, vt nuſquam ferè vel commemorarit diuerſam ſententiã. Vnde in hunc ipſum Matthæi locum ſcribens, audiſti ſuprà quo pacto hæc Chriſti verba explicauerit: Ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Quid, iniquit, eſt quod ait: Ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius dei viui: ego viciſſim dico tibi, ego, inquam, cuius dixiſſe, feciſſe eſt, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et ſicut ipſe lumẽ apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur: ita & Simoni, qui credebat in Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, & ſecundum Metaphoram petræ rectè ei dicitur: ædificabo eccleſiam meam ſuper tẽ. Hæc ille. Rurſus eodem loco, explicaos illud qnod continuò apud eundem euangeliſtam ſequitur, vbi Petrus mox à tam ſublimi reuelatiooe patris, tam glorioſa confeſsione, tam magnificis acceptis donis promiſsisq́; Satanæ conuitio excipitur: Multi putant, inquit, quòd nõ Petrus correptus ſit, ſed aduerſarius ſpiritus, qui hæc dicere ſuggerebat apoſtolum. Sed mihi hic error apoſtolicus, de pietatis affectu veniens, nunquam incẽtiuum diaboli videtur. Diabolo dicitur: Vade retro Satana. Petrus audit: vade retro me, hoc eſt, ſequere ſententiam meam, quia non ſapis ea quæ dei ſunt, ſed quæ hominum. Meæ voluntatis eſt & patris, cuius veni facere volũtatem, vt pro hominom ſalute moriar. Tu tuam tantũ conſiderans voluntatẽ, non vis grannm frumẽti in terrã cadere, vt multos fructus afferat. Subdit: Prudens lector inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem: Beatus es Simon Bar Iona. Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non prçualabunt aduerſus eam. Et: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et: Quod ligaueris aut ſolueris ſuper terram, erit ligatum vel ſolutum in cœlis: nunc audiat: Vade retro me Satana, ſcandalum mihi es. Hactenus Hieronymus. Idem in Ezechielem ſcribit in hęc verba: Apoſtolus Petrus, ſuper quẽ dominus fundamẽta eccleſiæ ſolidauit, trãſcendit in cœnaculum. Rurſus in Eſaiam capite ſecundo, de eccleſia catholica loquens: Hæc, inquit, domus ædificata eſt ſuper fundamentum apoſtolorũ & prophetarum, qui & ipſi montes ſunt, quaſi imitatores Chriſti. De hac domo & Hieruſalem Pſalmiſta conclamat, dicens: Qui confiduot in domino, ſicut mons Sion, noo commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi ſui. Vnde & ſuper vnum montium dominus fundauit eccleſiam, & loquitur ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Hactenus ille. Vides itaque hic ex Hieronymi ſententia, ad quem propriè pertineant illa Chriſti verba: Beatus es Simon Bar Iona: vides petram eccleſiæ fundamentum, vides cœleſtis regni clauigerum, vides iudicem, cuius autoritas, ſeotentiaque etiam in cœlis alligat.

C D

Vides pręterea vt clariſsimè diſtioguat inter Chriſtum fundamẽtum apoſtolorum & prophetarum, ſuper quem ędificata eſt eccleſia, & inter vnum illorum mõtium, ſuper quem idem ipſe Chriſtus etiam ſuam fundauit eccleſiam, cui dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Qnod idem ad Mootanum in epiſtola ad

Mar-

A Marcellam etiam repetit. Habes itaq; & ſecú, & cum orthodoxis patribus omnibus cómuniq; ſenſu eccleſiæ, vbique conſentientem illum verè orthodoxum Hieronymum. Apud quem haud temerè te inuenturum crediderim, vbi hæc Chriſti verba ad Petrum, aliter intelligat.

D. Auguſtinus varius & inconſtans in ſcripturarũ expoſitione.

In Auguſtino maior fuit varietas, quę huic in ſcripturarum expoſitione penè familiaris eſt. Nuſquam hæret, nuſquam figit pedem, ſed vbiq; explorat, vbiq; tẽtat, ſubodoraturque omnia: & quicquid vel probabile occurrit, alicubi amplectitur, quod continuò pòſt diſplicet & rurſus retractatur. Quemadmodum in his Chriſti verbis ad Petrum, plerunque conſentit communi orthodoxorum patrum, quam audiſti, ſententiæ, per petram, ſuper quam Chriſtus dixit ædificaturum ſe eccleſiam ſuam, Petrum intelligens: alibi verò, non Petrum, ſed fidem eius: rurſus alibi, nec Petrum, nec eius fidem, ſed ipſum Chriſtum. Sed aliud eſt, aliquid adſtruere & docere tanquam certum & indubium: aliud verò, velut inueſtigando tanquam probabile referre. Hoc fit, cùm in otio apud nos ſcripturas excutiẽdo, quicquid meditãtibus occurrit, chartis illinimus: illud verò, quoties docemus nobis commiſſum populum, cui non niſi explorata, certaque tradere certum eſt, eaq; in B primis, quæ habet communis traditio eccleſiæ. Itaq; ſi D. Auguſtini ad populum cócionès excutias, nuſquam ferè à cómuni, quam audiſti, orthodoxorũ patrum & eccleſiæ ſententia latum digitum receſsiſſe inuenies: quemadmodum ſuperiùs ex aliquot eius ſermonibus luculentiſsimè demonſtrauimus. Vnde in ſermone illo ſolennitatis cathedræ Petri: dicit Petrum eccleſiæ fundamentum nominatum à Domino, & ſuper eum fundaſſe Chriſtum eccleſiam ſuam: proinde meritò eccleſiam ſuum fundamentum colere, per quod cœlos aſcendit. Rurſus in altero ſermone de ſanctis, dicit fidelem (cui loquitur) populum audiſſe frequenter, Petrum à Domino petram nuncupatum, ſuper quam fundauerit eccleſiam ſuam, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram edificabo eccleſiam meam. Iterũ in alio ſermone, dicit eum eccleſiæ caput & verticem, immobile fidei fundamentum, cui creditæ erant claues regni cœlorum, cui commiſſa populorum innumera multitudo, qui acceptis clauibus fidelis factus eſt ianitor, in ſententijs clementiſsimus diſpenſator, &c. Hæc itaq; docentis Auguſtini ſunt, docentis, inquam, ſibi commiſſam eccleſiam. Cui nó temerè quæuis vtcunq; viſa & apparentia, ſed certa explorataque, & communi orthodoxæ eccleſiæ ſenſui C congruẽtia tradidiſſe, nihil dubiũ eſt. Quem vt in alijs fortaſsis quis ſit, non ita facile eſt intelligere: ſic nec ſi quis ab eo diuerſum quid doceat, tam facilè deprehenditur. At de capite eccleſiæ vt Chriſtianos omnes, quantumuis ſimplices certum eſt aliquem ſenſum habere: ita haud difficulter deprehenditur, quod hac in re à communi ſenſu orthodoxorum diſcrepat. Quanquam & ipſa vis & energia verborum Auguſtini in his ſermonibus clariſsimè indicat, quis fuerit communis ſenſus orthodoxi populi, & eccleſiæ. Frequenter, inquit, audiſtis in eccleſia, ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſuper quẽ fundauerit eccleſiam ſuam. Hæc igitur (vt diximus) docentis Auguſtini ſunt: ea verò, in quibus ab his diuerſam aliquam imaginatur ſententiam, otioſe ſecum inquirẽtis & tentantis omnia. In qua diſquiſitione nunc hoc, nunc illud arridebat: frequentiſsimè tamen hoc ipſum commune ac catholicum. Vnde in ſuis enarrationibus in pſalmos, frequentiſsimè communem hanc ſententiam adſtruit: vt in Pſalmum XXX. in Pſalmos quoque XXXIII. & XXXIX. Item in epiſtolis ſuis frequẽter. Libro quoq; II. Quęſt. ad Simplicianum. Rurſus aduerſus epiſtolam Donati, & alijs locis pleriſq;. In Retractationibus autem huius ſuæ inconſtan- D tiæ memor, poſtquam meminiſſet libri à ſe ſcripti aduerſus epiſtolã Donati, ſubiũgit in hæc verba: In hoc libro dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in eo tanquã in petra fundata ſit eccleſia, qui ſenſus etiã cantatur ore multorũ in verſibus beatiſsimi Ambroſij in matutinis laudibus, quibus de galli cantu loquẽs: Hoc ipſo, inquit, petra eccleſiæ canente culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſsimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictũ eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiam meã, vt, ſuper hanc, intelligeretur quam cófeſſus eſt Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui: ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonam eccleſiæ figuraret, quæ ſuper petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Nõ enim dictũ eſt illi: Tu es petra, ſed tu es Petrus, petra aũt erat Chriſtus, q̃ cófeſſus Simó, ſicut eũ tota eccleſia profitetur, dictus eſt Petrus. Harũ autẽ duarũ ſentẽtiarum quæ ſit probabilior, eligat lector. Hactenus ille. Vides itaq; Auguſtinum non aſſerendi, ſed inquirẽdi ſtudio diuerſam hanc à cómuni expoſitionem verborum Chriſti ad Petrũ induxiſſe, lectori relinquens iudicium, vtra ſit probabilior. Quod núquid dijudicare difficile eſt? quãdo in alteram cóuenit omnium

A orthodoxorum patrum & communis eccleſiæ ſententia, cuius & ipſe, vt audiſti, Auguſtinns etiam in his ipſis verbis perhibet teſtimoniũ, vt quam fatetur celebrari & publicè decãtari per eccleſias, in verſibus beatiſsimi Ambroſij, quemadmodũ ab eo tẽpore in hodiernum vſque diem cõtinuò decantata eſt. Altera verò nullum vnquam aſſertorem inuenit, nec ipſum quidem (vt vides) Auguſtinum. Deinde cùm & contorta euidenter appareat hæc expoſitio, atque adeò ipſis verbis Chriſti manifeſtè aduerſaria. Nam cùm primùm adduceretur Petrus per Andream fratrem ſuum ad Chriſtum, dixerat ei Ieſus: Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod (inquit euãgeliſta) interpretatur πέτρος. Quem locũ ita nobis reddidit Eraſmus: Tu vocaberis Cephas, quod ſonat (ſi interpreteris (lapis, πέτρος enim lapidem aut ſaxum ſinificat, eſtq́; cum petra eiuſdem planè ſignificationis. Quomodo Iſaac & Iſaacus, tametſi alterum accipiat propriam viri terminationem. Imò vocabulum Cephas non quemlibet lapidem, ſed ingentem aliquam petram, & velut ſcopulũ aut rupẽ ſignificare, cui arx aut graue quoddam ædificium poſsit ſuperſtrui, clarè ex Ioſephi hiſtoria intelligitur. Nam ſcopuloſus ille collis, vnde Hieruſalem ab obſidentibus Romanis poſsit conſpici, Cephas, inquit, dicebatur. Illud autem nomẽ

Cõtorta expoſitio Auguſtini, qua per petrã ſuper quã ædificata eſt eccleſia, Chriſtũ, non Petrũ intelligit

B Cephæ, quamuis in primo illo cõgreſſu mox Simoni deſtinauerat Chriſtus, maiori tamen merito reſeruauit in futurum, vſque dum cœlitus illumitatus à patre, eius diuinitatem & agnoſceret & confiteretur. Tunc autem dixit illi, non in illo congreſſu primo, tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas: ſed tu es Cephas. Quod ille, quiſquis fuit Matthæi interpres, expreſsit vocabulo πέτρον, dicens: Ego dico tibi, quòd tu es πέτρος, & ſuper hãc petram ædificabo, &c. Qui ſi ſeruaſſet illud Hebraicum aut Syriacum Cephæ, quo haud dubiè vſus eſt Chriſtus, quemadmodum clariſsimè indicat Ioannes, ſcribẽs eum dixiſſe illi primùm ad ſe venienti: Tn vocaberis Cephas, quod idem Græce interpretatur πέτρος: nobis autem interpretatum ſonat ſaxum, aut lapidem. Si, inquam, proprium illud Cephæ, quo Chriſtus vſus eſt, ſeruaſſet vocabulnm, quemadmodum quamuis Græcè ſcribens, fecit Ioannes adiecta eius interpretatione, iã omnis prorſus anſa huius interpretationis ablata foret, nec fuiſſet vlla aberrandi occaſio. Quis enim ſi ita reddidiſſet interpres ille (quiſquis fnit) Matthęi, qui eius euangelium ex Hebræo ſermone, in quo primo ſcriptum nõ ſolùm Hieronymus, ſed etiam Origenes,

G eius quoq; præceptor Clemens Alexandrinus proximus Apoſtolorum tẽporibus, Irenæus quoquæ ille, qui Polycarpum beatiſsimi Ioannis euangeliſtæ audiuit diſcipulum (quicquid nunc nugantur & ſomniant quidam, qui nouitatum titillantur prurigine) velut vno ore teſtantur. Quis, inquam, dubitaret, de qua petra locutus eſt Chriſtus, ſi ille interpres Ioannem imitatus, hoc pacto reddidiſſet hunc locum: Ego dico tibi, quòd tu es Cephas, quod interpretatum ſonat ſaxum aut petram, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam? Nunc verò dum omnia reddere voluit Græcè, & loco nominis Cephæ, Petri nomen adaptat Simoni (cuius ſignificationem veluti clariùs exprimens, cõtinuò id reddidit ac mutat per petræ vocabulum, dicens: Et ſuper hanc petram, &c.) data eſt Auguſtino huius, quamuis parum congruæ, expoſitionis occaſio, in qua pleraque ſunt quæ meritò reprehẽdi poſſe videtur. Dicit enim, nõ eſſe illi dictum à Chriſto: Tu es petra, ſed tu es Petrus. Ego verò neq; vnum, neq; alterum verbum à Chriſto dictum illi certò affirmare non dubitauerim: aut ſicut vnum, ita & alterũ. Non enim Grecè illi loquebatur Chriſtus, neq; etiam Græcè ſcripſit Matthæus: ſed quemadmodum clarè conſtat ex Ioanne, dictũ eſt ei à Chriſto: Tu es Cephas, quod Græcis ſonat Petrum, nobis ſaxum aut lapidem. D

Quare in forma neutrũ, in virtute verò æquè vtrumq; ei dictum eſt, cũ ſit vtriuſq; eadem planè ſignificatio, reddens vim & energiam illius nominis Cephæ. Quare & orthodoxi illi patres, quos ſuprà adduximus, nõ ſolùm Petrum, ſed & petram eum vocatũ affirmant à Chriſto. Ita Tertullianus: Latuit aliquid Petrum ædificandæ eccleſię petram dictum? Ita Origenes: Magno illi eccleſiæ fundamento, petræq́; ſolidiſsimæ, ſuper quã Chriſtus fundauit eccleſiam ſuam, &c. Ita ille orthodoxus Hieronymus: Non ſolùm, inquit, petræ Chriſtus, ſed & Apoſtolo Petro donauit, vt vocaretur petra. Quam ſententiam diuerſis locis bis decies inculcat. Ita quoque ſacer Ambroſius: Petrus pro ſoliditate deuotionis eccleſiarũ Petra dicitur, ſicut dicit Dominus: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Ita & alij vniuerſi. Sed quid opus eſt aliorum aduerſus Auguſtinum requirere teſtimonia, quem poſſumus de ſuo ipſius ore conuincere: qui in ſermone quem citauimus ſuprà, in hæc verba loquitur ſibi commiſſæ eccleſię: Audiſtis frequẽter ipſum Petrum, à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam. Si audierunt frequenter

A ter in eccleſia Chriſti fideles, quod tu ipſe teſtaris, ipſum Petrum, à Domino petram nuncupatum, cùm ei diceret: Tu es Cephas aut πέτρος, & ſuper hanc petram ædificabo, &c. Quid ergo negas dictum illi à Domino, tu es petra, ſed tantùm: Tu es Petrus? Sed hæc aduerſus Auguſtini illam expoſitionē, qua per petram illam, ſuper quam Chriſtus dixit ſe ædificaturū eccleſiam ſuam, non Petrum, ſed ipſum Chriſtum voluit intelligi, ſatis fortaſſis ſuperq; fuerit.

Illa verò altera eius expoſitio, qua per petram illam, iam neq; Chriſtum, neq; Petrum, ſed fidem Petri imaginatur intelligi, pręter hoc quòd euidētiſsimè coarguitur ipſis Chriſti verbis, qui non de fide, ſed de fideli Petro loquitur dicens: Beatus es Simon Bar Iona, tu es Cephas, & ſuper hāc petram ædificabo, &c. Tibi dabo claues, &cæ. etiam in ſe multo eſt abſurdiſsima, nec digna aduerſus quā agamus pluribus. Quis enim neſciat eccleſiam ædificium quoddam, ex viuis rationabilibusq; cōſtructum lapidibus, quod nimirum fundamentum requirit ſibi congeneum. Eſt autem fides toto genere diuerſa res ab illis, ex quibus conſtruitur hoc ædificium, nempe qualitas quædam neceſſaria quidem non fundamento ſoli, ſed & omnibus eius ſtructuræ lapidibus, qua qui caret, ad hoc ædificium
B nequaquam pertinere certum eſt: at fundamentum vt ſit, fieri non poteſt. Nam cuius obſecro omniū hominum fidem fundamentum faciemus eccleſiæ? Nunquid Petri? ille enim iamdudum credere deſijt, videns facie ad faciem. Cuiuſlibétne igitur Chriſtiani? mirum ergo mōnſtroſumque faciemus ędificiū, cuius omnis lapis totius ædificij fundamētum eſt, aut potiùs in quolibet lapide continetur fundamētum vniuerſum. Aut fortè mathematicam aliquam & per ſe ſine ſubiecto intellectam fidem fundamentum dicemus eccleſię? hoc eſt, tantæ talisque ſtructuræ, cuius in cœlum conſcendit ſublimitas, id quod nuſquam eſt gentium, ſed planè fictitium & imaginarium. Quiſnam hæc ſi perpendat, minimè cohærere hanc expoſitionem non intelligat? Et quanquam inueniantur & alij ſancti patres nonnunquam ita locuti, vt dicant orthodoxam fidem eſſe fundamentum eccleſiæ: non tamen ita loquentes reſpiciunt ad illā petram ſuperędificandę eccleſię, ſed hoc tantùm ſignificare voluerūt, orthodoxam fidem eſſe planè neceſſariam omni membro eccleſiæ, & hæreticos, eosque qui rectæ fidei non ſunt, non pertinere ad Chriſti eccleſiam, nec participes eſſe eccleſiaſticæ illius autoritatis, datæ Apoſtolorum

Quomodo ſanè intelligi poſsit fidē eſſe fundamentum eccleſiæ.

principi pro vniuerſa eccleſia. C

Stat ergo firma & immobilis euangelica illa rupes, illa petra, quæ Simonem Ioannis filium ob patris cœleſtis ſublimem illam reuelationem beatum pronunciauit. Stat verbum Domini in æternum, quo eundem eum Cepham, hoc eſt, ſaxum aut petram affirmauit, ſuper quam ædificaturus erat eccleſiam ſuam. Et vt illius beatiſsimi Leonis verbis concludamus: Manet in æternum diſpoſitio veritatis. Sicut enim permanet, quod in Chriſto Petrus credidit: ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit: & B. Petrus in accepta fortitudine petrę perſeuerans ſuſcepta eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cœlorum ianitor cōſtituitur, dum ligandorum ſoluendorumq; arbiter manſura etiam in cœlis ſubditorum ſuorum ſunctione præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus. Hæc ille Leo.

Vniuerſam penè euangelicam hiſtoriam primatui Petri in eccleſiaſtica hierarchia conſonanter perhibere teſtimonium.

CAP. VI.

D QVantopere neceſſaria eſſet hierarchia Chriſtianæ eccleſiæ, qua per vnius in eadem pręſidentis ſupereminentem autoritatem contineretur in vnitate & officio, & ſine qua nec ad momētum ſubſtitiſſet: quam tamen ille eius autor permanſuram cum ſole & ante lunam in fines ſeculorum, & quouſq; voluūtur tempora, inſtituerat & deſtinauerat, ſatis ſuperq; à nobis ſuperiùs demonſtratum eſt. Huic igitur tam neceſſario eius ordini pro ſuo in eandem ſingulari ſtudio & amore prouiſurus Chriſtus, non ſatis habuit ſemel deſignaſſe eius caput & principem, & ſupereminentem ſacroſanctamq; eiuſdem conſtituiſſe autoritatem, per quam inferiores omnes ordines diſponeret, & in officio contineret. Quandoquidem prępotētium illorum verborum ad Petrum nondum planè myſterium intelligebant carnales adhuc Apoſtoli, qui aliud quoddam imaginabantur regnum Chriſti, de eccleſia eius nullum verbum ſanè intelligentes. Quare & infirmitati eorum occurrēs pius præceptor, atq; eius, cuius iā caput inſtituerat, eccleſiaſticæ hierarchiæ ſingularē neceſsitatem nobis curamq; cōmendans, idem ſæpiùs tam factis quàm verbis & inculcauit

&

& repetiuit, nunc illud ipſum à ſe conſtitutú
A caput ſingulari honore ſibi quodãmodo adæquans,
iijsq; venerandum inſinuans:nunc reliquorum diſcipulorú ambitionem reprimens,
eiſdemq; ſignificans, quem vellet vice ſua præeſſe cæteris:nunc eidem præſentibus
audientibusq; reliquis Apoſtolis & diſcipulis eorúndem & totius eccleſiæ curam committens. Itaq; in ea,quæ mox poſt deſignatū
eccleſię caput & principem Petrum,ſacroſanctamq; illius conſtabilitam autoritatem,didrachmatis ſolutione apud eũdem Matthæum ſequitur,re ipſa comprobat,quod ſuis illis præpotentibus efficacibusq; verbis paulo antèadſtruxerat. Siquidem cùm iam Romanis ſubiecti penderent tribnta Iudæi,quę didrachmatis valore conſtituta erant in ſingula familiarium capita, veniſſentq; publicani illi tributiq; exactores ad Petrū percunctari, num magiſter eius eſſet perſoluturus tributum,ipſe veniẽtis ob id ad ſe Petri verba pręueniens, cùm ſe priùs liberum demõſtraſſet

In didrachmatis ſolutiõe cõprobari à Chriſto primatū Petri.

Matt.17. à tributo: Verum, inquit, ne ſcandalizemus eos,profectus ad mare,mitte hamum,& eum piſcem qui aſcenderit primus tolle, & aperto ore illius inuenies ſtaterem,acceptū illum da illis pro me & te. Quíd nam hoc eſt obſecro?quæ noua hæc Chriſti in ſolnendo tributo quamuis indebito liberalitas? Exigũt pu-
B blicani,non à Petro,nec pro Petro,ſed à ſolo Chriſto,tanquam Apoſtolici illius gregis patrefamilias ac magiſtro didracbma ſolū. Neque enim dicebant Petro,num tu? num ſocij tui?ſed, num magiſter veſter didrachma perſoluit? At Chriſto ſatis non erat pro ſe ſimplex didrachma (quantum videlicet exigebatur)perſoluiſſe, ſed inuenies, inquit, ſtaterẽ, quod eſt didrachma duplum, quẽ acceptum da illis,nõ pro me ſolo,ſed pro me & te.Quo facto nunquid obſcurum eſt, quid ſignificarit?Neq; enim vel imaginari eſt aliud hîc egiſſe Chriſtum, qnàm vt intelligerẽt Apoſtoli, non fruſtra ſe impoſuiſſe illi nomen de ſeipſo, non vano aut craſſo ſermone illi dixiſſe: Tu es Petrus & ſuper hanc petram, hoc eſt, ſuper te ædificabo eccleſiam meam, &c. Tibi dabo claues regni cœlorum. item:Quodcunque ligaueris aut ſolueris ſuper terram,ligatnm,ſolutumq; erit in cœlis:vt quẽ viderent hîc ſibi aſſociare,& adæquare quodammodo in cura & honore patrisfamilias eccleſiaſticæ domus,& planè ſignificare,non ſolum ſe,ſed & ipſum pro ſe Petrum totius illius cõgregationis magiſtrum, quem pro ſe conſtituerat cæterorum caput, totius Dominici gregis paſtorem, & fundamentum ædificandæ eccleſiæ,ſiquidẽ & pro ipſo,ſicut pro ſe iuſsit perſolui didrachma, quod à ſolo magiſtro, ſolo C
exigebatur congregationis capite. Et quanquam diuo Auguſtino libro quæſtionum veteris & noui teſtamenti quæſtione LXXV. videantur illi tributi exactores, non à ſolo Domino & magiſtro exegiſſe didrachma,ſed ab Apoſtolis ſingulis:cuius contrariū(vt oſtendimus)indicat ipſe euangelicę contextus hiſtoriæ,fuiſſetq; tributum eiuſmodi graue nimis & intolerabile,pręſertim tenuioribus,ſi cenſus eiuſmodi in ſingula cõſtitutus fuiſſet humana capita.Nec fit veriſimile,ſi tredecim didrachmata debuiſſent habere publicani illi à Chriſto,vtpote pro ipſo,& duodecim eius Apoſtolis, quod aut ipſi cum duobus pro tredecim contenti eſſe voluiſſent, aut minus exoluere voluiſſet Chriſtus, cui nihilo plus negotij tredecim erat,quã bina ſoluere:præſertim cū ne ſcandalizaret eos,quamuis alioqui à tributo eſſet liber,communi legi ſubdi voluit.Nihil tamẽ minùs hoc facto apud eundem autoritatis dignitatisq; recognoſcitur in Petro.Scribit enim in hæc verba:Dicũt didrachmatis exactores ad Petrum Apoſtolū: Magiſter veſter num ſoluit didrachma? quo dicto magiſtrū,vt pro omnibus ſolueret diſcipulis,conuenerunt. Saluator autem, cùm pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur:quia ſicut in ſaluatore erant o- D
mnes magiſterij cauſa: ita & poſt ſaluatorem in Petro omnes continẽtur.Ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſet Dominici gregis.Nam cæteris dicit diſcipulis: Vigilate & orate,ne intretis in tentationem.Petro autẽ dicit:Ecce Satanas expoſtulauit,vt vos ventilet ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:& tu tandem cõuerſus confirma fratres tuos. Hæc Auguſtinus. Vides itaq; etiam apud hũc,cur ſtaterem iuſſerit pro ſe ſolui & Petro: nempe quoniam ipſum conſtituerat Apoſtolorū caput & Dominici gregis paſtorem. Et ſicut in Chriſto omnes continentur magiſterij cauſa, ita & poſt Chriſtum eadem cauſa in Petro omnes contineri.

Sed nec huius facti myſterium tunc prorſus latuit,quamuis rudes carnaleſq; Apoſtolos, ſed ſubintelligebãt ſibi prępoſitū Petrū, quẽ viderant à Chriſto ſibi in eccleſiaſticę illius domus magiſterio quodãmodo adęquatū. Hinc & illa inter ipſos continuò ſuborta eſt ambitioſa diſceptatio,quiſnã primas teneret in regno cœlorum. Quorū carnalem adhuc ambitionẽ,aduocato ad ſe puello, compeſcens Dominus,docuit eum quidem maximum fore in regno cœlorum, quiſquis ad paruuli illius exemplū in ſuis oculis hîc eſſet mi-

A minimus. Suæ tamen hîc familię, ſuiq́; gregis fore paſtorem, quẽ antè deſignauerat Petrũ.

Vt contẽdentibus de primatu Apoſtolis, Chriſtus indicarit Petro eũ ſe commiſiſſe.

Quemadmodum rurſus, cùm & poſt illam myſticam peractam cœnam, iam iam tranſituro ex hoc mundo Chriſto in eandem iterum contentionem recidiſſent, quiſnam eorum videretur eſſe maior (adeò eſt mortalibus inſita quædam ſuperbia & ambitio) illos quidem primũ ad modeſtiam ſuo reuocauit exemplo, docens, quàm non eſſet ipſis ambiendum vt præeſſent: plurimum ſiquidem intereſſe inter huius mũdi (quem adhuc imaginabantur) & eccleſiaſticum illum, quem ipſe inſtituerat, principatũ, & cuius ſeſe formam exhibuerat & exemplum, tum in alijs quàm plurimis, tum in lauandis (quod continuò fecerat) pedibus eorundem. Nam reges, inquit, gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Subindicans deinde, quam ipſe in eccleſia ſua diſponebat hierarchiam, nihil obfuturam ſubditis, quo minùs, ſi pares maioréſue meritis forent præpoſitis ſuis, eiſdem ipſis aut æquarentur, aut præferrentur etiam in regno illo cœlorum. In quo quiſque ſeu ſuperior, ſeu inferior gradum locumq́; obtineret, non ſecundum dignitatem, quam hîc geſsit, ſed ſecundum opera ſua, vtq́; hîc geſsit impoſitam ſibi à Deo perſonam, qualiſcunque denique ea ſit. Quò animæquiores

B redderet, repromittit tandem ipſis omnibus in illo regno vberrimam retributionem, quòd ſecum hîc permanſiſſent in tentationibus ſuis. Quem autẽ hîc vellet vice ſua pręeſſe iterum repetẽdo ſignificans, ait Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Vides hîc quo pacto Apoſtolis tunc ambitioſulis & de primatu (quem non intelligebant) more puerorum contendentibus, iterum clarè ſignificauerit, quẽ inter ipſos vellet vice ſua pręeſſe cæteris: eundem namq; illum, cui antè dixerat, ſuper te ædificabo eccleſiam meam. Nam vniuerſis eatenus loquens, ad ſolum hîc Petrum ſermonem conuertit. Quem quamuis ſingulariter proprio nomine compellet, non tamen dicit: ecce Satanas expetiuit te, ſed expetiuit vos vt cribraret ſicut triticũ: vt quem totius gregis ſui conſtituerat paſtorẽ, admoneret & ſollicitudinem gerere pro vniuerſis, illi vni denunciato communi & omnibus imminente periculo, ad quem vnum totius eccleſiæ cura præcipuè pertinebat. Itaque & ſubiunxit: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Vides hîc, cui fratrum

Luc. 22.

C & totius eccleſiæ cura ſingulariter commendetur. Vides, vt hic noſter Moyſes, Aaronis quoque noſtri geſſerit negocia apud Deum, vtq́ue illi viciſſim ſuas vices commiſerit ad populum. Ita enim Moyſi illi à Deo conſtitutum legimus: Ipſe pro te loquetur ad populum, & erit os, tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.

Denunciat Chriſtus Petro expetitam à Satana vniuerſam ſuam eccleſiam, vt eam cribraret ſicut triticum. Ego autem, inquit, rogaui pro te, nimirum cœleſtem patrem, ne deficiat fides tua. Ecce, vt eius apud eũ geſſerit negocium. Sed & ſuas illi vices ad Eccleſiam nunquid obſcurum eſt ipſum commiſiſſe, cùm dixit: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos? Nunquid non illi mandatæ ſunt vices Chriſti, cuius nunquam defectura fides ſingulari priuilegio conſeruatur ad confirmandos fratres in fide? Nunquid ob aliud magis in hunc mundum venit Chriſtus, q̃ vt credamus & confiteamur, quoniam Dominus Ieſus ipſe eſt in gloria Dei patris?

Iam & illud rurſus expende, quàm diligenter poſt reſurrectionem ſuam, iam iam aſcenſurus ad Patrem vni Petro totius gregis ſui curam iterum iterumque commiſerit, vtq́ue illum præſentibus Apoſtolis reliquis declarauerit ſuarum ouium paſtorem, rectorem & principem.

Quã diligenter aſcẽſurus ad patrẽ Chriſtus, uni Petro ſui gregis curã commiſerit.

D

Ioan. 21.

Cùm iuiſſet piſcatum Petrus & cum eo nonnulli ex Apoſtolis & diſcipulis, & cognouiſſet ex Ioannis admonitione ſtantem in littore Chriſtum, alijs paulatim nauigantibus ad terram, vnus ipſe non patitur moras: ſed tunica accinctus ſtatim ſe præcipitat in fluctus, ac natando feſtinat ad Dominum, pro cuius affectu & amoris ardore nimis tardè incedebat nauicula. Cùm autem prandiſſent vnà, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me, plus his? dicit ei, etiam Domine, tu ſcis quòd amem te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? ait illi, etiam Domine, tu ſcis quòd amem te. Dicit ei: Rege oues meas: ita enim eſt Gręcè: ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quòd dixiſſet ſibi tertiò, amas me? dixitq́; ei: domine, tu omnia noſti, tu ſcis quòd amem te. Dicit ei Ieſus: Paſce oues meas. Hîc nota diligenter verba, & ſigna myſteria. Conſtituerat antè & cæteros Apoſtolos ſuos velut legatos in orbem vniuerſum, dicens eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. Dederat & illis poteſtatem, vt quorum dimitterent peccata, dimitterētur eis, & quorum

rum retinerent, retinerentur. Ne quis itaque A per hæc derogaſſe quicquam ei, quam diſpoſuerat & cuius iamdudum caput toties deſignauerat, eccleſiaſticæ hierarchiæ fortè arbitraretur, aut Apoſtolorum omnium imaginaretur æqualitatem, iterum deſignat eũ, ad quem, tanquam eius legationis caput & principem vniuerſæ eccleſiæ ſuæ curam pręcipuè referri vellet: In aliorum præſentia vnum ſingulariter appellans Petrum, nõ quidem illo pleno myſterij Petri nomine, ne quis in eo & hîc figuram vllam poſſet confingere: ſed illo ſuo proprio à parentibus indito, Simonis, inquam, etiam patris adiecto cognomine, quô manifeſtiùs vnius perſonæ eius ſingularitatem exprimeret. Cuius vt præſcius horum temporum, præcipuam mihi curam ille ſacer ſpiritus habuiſſe videtur, quoties euangeliſtæ tradunt aliquid ad Petri præeminentiam primatumq; pertinẽs. Neq; hoc contentus, ſed ab alijs ipſum Apoſtolis vnà præſentibus, etiam comparatione ſeiungit, atq; illis è diuerſo conſtituit, dicens: Simon Ioannis, diligis me plus his? Perinde ac ſi diceret: Diligũt quidem & iſti, ſed à te plus eſt quod exigo. Te ijs plus amare conuenit, quem præ ijs, & ſuper hos paſtorem ouilis mei conſtitui. Reſpõdente autem, quòd amaret, Petro, & ſui amoris non alium, quam omnia ſcientem Chriſtum teſtem citante, dicit ei: Paſce B agnos meos, rege, paſceq́ue oues meas. Et ne ſuſpicari quis poſſet, ob trinam illius negationem irrita ſe feciſſe verba ſua, quibus antè ob glorioſam illam ſuę deitatis confeſsionẽ, eundem pronunciauerat eſſe illam petram, ſuper quam fundaturus erat eccleſiam ſuã, etiam tertiò eccleſiæ ſuæ curam illi commiſit. Itaq; Diuus Chriſoſtomus hunc locũ explicans: Quid tandem eſt, inquit, quòd omiſſis alijs duntaxat affatur Petrum? vt ei oſtenderet iam habendam fiduciam: tanquã enim negationis obliuiſceretur, fratrum ei curam committit, neq; negationis meminit, nec exprobrat: tantùm dicit: Si amas me, fratrum curam ſuſcipias, & quomodo in omnibus dilectionẽ oſtendiſti, & qua delector nunc oſtende, & animam, quam pro me te poſiturũ dixiſti, hanc pro ouibus meis trade. Vides cur præſentibus alijs vni duntaxat Petro ouilis ſui curam tertiò commiſerit, ne quis fortè arbitrareur ob trinam Domini ſui abnegationem excidiſſe illum à ſibi antè collato in eccleſia principatu, quẽ promeruerat contraria illa glorioſa cõfeſsione. Vides quàm diligenter occurrit iſtorum impietati, & cauillationibus prophanis, qui eccleſiaſticã hierarchiã vnà cũ religione Chriſtiana euertere & funditus extirpare omni ſtudio moliuntur.

Quid autem ſignificet illud ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, Theophilus ille in Ioannem ſcribẽs C hoc pacto explicat: Poſtquã, inquit, finitum eſt illis prandiũ, Petro præpoſituram ouium orbis terrarum tradidit (ita enim habet Græcè: προστασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων) nec alij ſed iſti ipſam dedit, primus quidẽ omnium electus, & os chori totius. Cui oſtendens poſtea quod oporteret confidere, tanquam negatione abolita, negationem non profert, nec exprobrat. dicit autem: quòd ſi amas me, προΐστασο τῶν ἀδελφῶν, hoc eſt, præſis fratribus, & feruentem amorem, quem dicebas habere erga me, vt & mori mea cauſa velles, amodo oſtende. Interrogat autem ipſum tertiò, ſimul oſtendens quantam habeat curam credentium, & quòd tantum diligat oues, vt ſit hoc ſignum amoris erga ipſum, ouibus præeſſe. Hactenus ille. Cui vides quid viſum ſic ſignificare: Paſce agnos meos, rege, paſceq́ue oues meas, hoc eſt, pręeſto fratribus: vtq́; hìc intellexerit præpoſituram ouium orbis terrarum vni Petro commiſſam à Chriſto.

Quamuis autem Græcum illud verbũm ποιμαίνω ambiguæ ſit ſignificationis & ad id quod propriè dicimus paſcere, & ad regere, gubernare, præeſſeq́ue cum autoritate & imperio: hîc tamen in ſecũda ſignificatione accipi ab euangeliſta, ex eo manifeſtũ eſt, quòd D mutauerit verbum. Primùm enim cũ agnos ſuos ei paſcendos committeret, βόσκε verbo vſus eſt, quod propriè paſcere ſignificat, hoc ipſo ſignificans agnos ſuos nouellos teneri oresq́ue molliùs dulciusq́ue tractandos. At cùm ouium illi curam ſecundò commiſit, mutauit verbum, & ποίμαινε inquit, quod non temerè aut fruſtra feciſſe illum, certum eſt. Feciſſet autem fruſtra, niſi hîc quid aliud, quàm paſcere ſignificare voluiſſet, atque aliter quodammodo tractandas oues iam robuſtas, aliter verò tenellos agniculos. Paſcere igitur hos præcipit: illas verò & regere ſeueriùs, ſi quando hoc exigit eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, aliorumq́ue & exemplum & confirmatio, etiam in virga ferrea. Alioqui & has ipſas mitiùs tractandas docens, niſi aliud ſuadeat, aut harum ipſarum, aut publica vtilitas, tertiò earundem curam illi commendans ad paſcendi verbum reuertitur. Quam mutationem, certum eſt non carere ſuo myſterio.

Quòd verò noſter interpres hanc Chriſti verborum non explicuit differentiam, neq; illam eorundem energiam ita clarè reddidit, ex eo factum arbitror, quòd etiam paſcendi verbum duplicem illam apud nos ſignificationem

A tionem obtinuit: alteram quidem propriam, & per tranſlationem alteram, adeò vt cùm ad rationalem gregem transfertur, idem ferè ſit paſcere, quod regere gubernareq́; cum autoritate, poteſtate & imperio: quemadmodum regum, principum, magiſtratuumq́; proprium eſt, quos ob id & paſtores ſubinde appellat ſcriptura. Vnde congregatus, inquit, omnis Iſrael ad Dauid in Hebron dixit: Ecce os tuum & caro tua ſumus. Heri quoque & nudiuſtertius, cùm adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Iſrael. Tibi enim dixit Deus tuus: tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris princeps aut dux ſuper eum. Audis hîc quid ſit populum paſcere. Rurſus Ezechielis XXXIIII. Et ſuſcitabo, inquit, ſuper pecora mea paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Danid, & ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorem: ego autem ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Vides vt etiam hîc idem ſit princeps & paſtor. Loquitur autem de Chriſto, qui dixit: Ego ſum paſtor bonus, & ad patrem reuertẽs, ouilis ſui Petrum pro ſe paſtorem ſubſtituit. De quo etiam ita prȩcinuit Micheas: Et tu Bethlehem Effrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis, &cæ. & ſtabit & paſcet in fortitudine domini. Quem locum ita expreſsit Matthæus: Ex te mihi egreſſurus eſt dux, qui reget populum meum Iſrael. Quod dixit propheta, qui erit dominator, reddidit euãgeliſta, ὃς ποιμανεῖ, quod noſter interpres vertit: Qui reget, quemadmodum & alijs pleriſq; locis fecit, vt pſalmo II. Et reges eos in virga ferrea: & Pſalmo XXIII. Dominus regit me, nihil mihi deerit: & Pſalmo LXVII. Ipſe reget nos in ſecula: & LXXIX. Qui regis Iſrael, intende: & alijs locis ſexcentis. In quibus Græcus eodem vocabulo perpetuò vtitur, noſter autẽ variat, & nunc per regendi, nunc per paſcendi verbum idipſum indifferenter exprimit. Sicut & fecit in priori Petri epiſtola, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ. Vbi dicit noſter: Paſcite quod in vobis eſt, gregem Chriſti. Rurſus & regem paſtorem appellat ſcriptura, vt Eſaiæ XLIIII. Qui dico Cyro, paſtor meus es. Huiuſmodi ergo paſtor à Chriſto conſtitutus eſt Petrus ſuper ouile ſuum, hoc eſt, ſuper catholicam eccleſiam. Eiuſdem illius omnipotens filius, qui antè dixerat Dauid: Tu paſces populum meum Iſrael, nunc dixit Petro: Tu paſce oues meas, non vnius populi Iſrael, ſed ſimpliciter vniuerſas & totius (vt Theophilus ille exprimit) orbis terrarũ. Hũc

Quid paſcere populos, & qui paſtores. 2. Reg. 5.

Cap. 5.

B

Cap. 2.

Cap. 5.

C ille verus Dauid princeps paſtorq́; noſter iã iam reuerſurus ad patrem ſuum inter nos cõſtituit vicarium, gregemq́; illi ſuum trina (vt audiſti) commẽdatione commiſit. Ne vel hac parte inanis eſſet illa eius veteris ſynagogæ vmbrȩq́; particula, qua vetus ille Moyſes iam conſcenſurus in mõtem, vt cum Deo loqueretur pro populo, Aaronem illum poſt ſe reliquit, cui ſuper gubernando populo ſuas vices committeret. An non hæc omnia conquadrant exactiſsimè, veritas cum figura, ſequentia Chriſti verba cum præcedentibus, & ſecum vniuerſa vndiq; euãgelica hiſtoria? Conſcendit ille Moyſes in montem Sinai, vt cum Deo tractaret negocia populi. Conſcendit noſter Ieſus in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, atq; vt eſſet aduocatus noſter apud patrem. Eoq́; iam iam aſcenſurus, tam ſeriò (vt audiſti) gregem ſuum noſtro Aaroni, noſtro pontifici primo ſummoq́; commendauit Petro. Itaq; vt hîc concludamus, habes iã, vt caput fundamẽtumq́; ſit eccleſiæ Chriſtus: caput etiam fundamentumq́; Petrus. Nec eapropter monſtroſa eccleſiam eſſe forma, quin potiùs decẽtiſsima, & vt effigiata deliniataq́; erat illa ſynagoga & vmbra veteri. Eſt manetq́; in æternum ſacerdos Chriſtus, iam pontifex immortalis factus, caput eccleſiȩ noſtrȩ, qua re nec ſibi ſucceſſorem vllum inſtituit. Sed quoniam neceſſe erat, vt vnde venerat reuerteretur, noſtrũ pro nobis apud patrem acturus negocium, ſuum pro ſe nobis reliquit vicarium mortalem Petrum, qui inter mortales nos, ſuũ deique ageret negociũ, & ab eo noſtræ militantis eccleſiæ, ex viuis quidẽ, tamẽ mortalibus cõſtructæ lapidibus, ſacerdotiũ inchoauit, & per mortales homines, donec omnes immortalitatem induerimus, ſucceſsione continua ad finem vſque geri, propagari, conſeruariq́; voluit. Vides vt in his omnibus, nihil ſit inæquale, nihil contortum, ſed planiſsima & ſibi vndique conſonans veritas, quam prædicat & confitetur communis mater orthodoxa per orbem eccleſia. D

Aptiſsima correſpondẽtia figuræ & veritatis.

Rationes explicare, quibus Petrum in ordinem cogere nituntur hæretici, Apoſtolorumq́; omnium æqualitatem ſtatuere, & aduerſus eaſdem orthodoxam veritatem aſſerere.

CAP. VII.

Quemadmodũ catholicam orthodoxamq́; veritatem de Petri in eccleſiaſtica hierarchia primatu, tã euidẽti ſcripturarum teſtimonio,

A quàm orthodoxorum patrum, atq; adeò catholicæ eccleſiæ conſenſu luce clariùs demonſtrauimus: ita nunc hæreticorum aduerſus eandem machinæ & explicandæ & diſſoluendæ ſunt, quas ex ſcripturis partim euangelicis, partim Actorum Apoſtolorum, partim verò ex Paulinis contexunt epiſtolis. Magna quidem ad ſpeciem probabilitatis apparentia, & quibus malè affectis facilè perſuadeant id, quò vltro inclinat & propendet impietas: ſimplicioribus verò & incautis ſaltem ſcrupulos ingerunt.

Conantur itaq; perſuadere, pares fuiſſe in Apoſtolica dignitate omnes Apoſtolos, ęquè oēs œcumenicos, hoc eſt, vniuerſalis eccleſiæ curæ regiminiq; præpoſitos, paré deniq; autoritaté poteſtatemq; ſortitos à Chriſto.

Ratio prima qua omnium Apoſtolorũ æquè illimitata probari videtur autoritas.

Siquidem æquè immediatè omnes à Chriſto Apoſtolicam illam autoritatem accepiſſe videntur. Omnes quoq; æquè videtur ille miſiſſe legatos ſuos in orbem vniuerſum ad eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus congregandam, ædificandam & gubernandam: hoc enim ſonat Apoſtoli vocabulum, nempe nuncium aut legatum. Itaq; dixit vniuerſis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Et rurſus: Euntes in mundum vniuerſum, prędicadicate euangelium omni creaturæ. Quare æquè illimitatam ſortiti videntur omnes autoritatem ſuper vniuerſam eccleſiam Chriſti: B non autem, quales nunc ſunt epiſcoporum diœceſes, certis limitibus circunſcriptam, quemadmodum ex illius primo naſcentis eccleſiæ & Actorũ Apoſtolicorum eſt videre hiſtoria. Quã enim laboribus trophæisq; Pauli in eccleſia Chriſti metam præſcribemus? qui ab Hieroſolymis per Illyricum in circuitu ad vrbem vſque Romam euangelij ſui luce omnes illuſtrauit eccleſias, etiam Hiſpanias meditans & concipiens animo, quemadmodum idem ipſe in ſua ad Romanos teſtatur epiſtola. Sed & omnium eccleſiarum ſolicitudine ſe premi, etiam in alia atteſtatur epiſtola. Proinde haud rectè dictum videri, quòd cæteri epiſcopi Apoſtolis reliquis, Petro autem in autoritate ſucceſſerint Romani pontifices: quum horum certis limitibus circumſcribantur diœceſes, poteſtas & autoritas, Apoſtolorum verò nullis circumſcripta limitibus, ſed in eccleſiam vniuerſam. Siquidé in mundum vniuerſum illos miſit Chriſtus prædicare euangelium omni creaturæ.

Iam & parem omniũ autoritatem volũt, & nihil præ cæteris accepiſſe Petrũ, tametſi vni ſpecialiter dictũ ſit à Chriſto: Tibi dabo claues regni cœlorũ: & quodcunq; ligaueris ſuper terram, & cętera quæ ſequuntur. Siquidem promiſsionis tantùm ea verba eſſe: quæ etſi vni facta ſit Petro, non tamen ſuo ſolius, ſed omnium, & totius eccleſiæ nomine, quo vnitatis ſacramentum cõmendaretur: quæ enim illic vni promittũtur Petro, omnia abſque vllo prorſus diſcrimine aliquanto pòſt vnà cum illo etiam reliquos accepiſſe Apoſtolos. Claues quidem Ioannis penul. Poſtquam dixiſſet eis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Accipite, inquit, ſpiritũ ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Illam verò ligandi ſoluendiq; autoritatem, paulo poſt promiſsionem illam factam Petro Matthæi decimo octauo, vbi dixit Apoſtolis vniuerſis: Amen amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, ligata erunt & in cœlo, & quęcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Nihil ergo aut poteſtatis aut autoritatis præ cæteris Apoſtolis videri accepiſſe Petrum.

Sed nec legimus, inquiunt, in Actis Apoſtolicis, vllam ſuperiorem autoritatem ſuper cæteros Apoſtolos exercuiſſe Petrum: quin contra potiùs, quemadmodum Actorum octauo: Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrũ & Ioannem. Conſtat autem quòd maior non eſt qui mittitur mittente, ſed potiùs contrà, iuxta verbum Chriſti: Non eſt ſeruus maior domino ſuo, nec Apoſtolus eo, qui mittit illum. D

In illo quoq; Apoſtolorum cõcilio ſuper quæſtione legalium videtur Iacobus maiori quadam præ Petro autoritate vſus fuiſſe, in cuius, non Petri ſententiã cõcluſit cõcilium.

Præterea Paulus in nullo ſe ſubmittit Petro aut inferioré facit, ſed paré ſe illi aſſerere videtur, ſcribens ad Galatas. Dicit nanq;, nec Petrum, nec cæteros qui Hieroſolymis erãt Apoſtolos ſibi quicquam contuliſſe: ſed contrà, inquit, cùm vidiſſent quòd creditum eſt mihi euangelium pręputij, ſicut & Petro circuncisionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatũ circuncisionis, operatus eſt mihi inter gẽtes) & cũ cognouiſſent gratiã quę data eſt mihi, Iacobus & Cephas, & Ioãnes, qui videbantur colũnę eſſe, dexteras mihi dederũt & Barnabę ſocietatis, &c. Ex quib' verbis videtur, nõ ſolũ nõ ſuperioré Paulo fuiſſe Petrũ, ſed tantũ fuiſſe circũciſionis Apoſtolum, quemadmodum & Paulus gentium. Rurſus, quum veniſſet, inquit, Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quoniam reprehenſibilis erat, & ſimulatione ſua cogẽs gentes Iudaizare. Quod ipſum nõ videtur fuiſſe ſubditi erga ſuum ſuperioré, ſed potiùs erga fratrem

fratris

A fratris aut ſocij officium. Hæc ferè ſunt, quæ iactantur ab aduerſarijs, quibus conantur eccleſiaſticam hierarchiam perſuadere eſſe cōmentum hominum, Petro ſibi datum diuinitus honorem, principalemq́; illam autoritatem eripere, & æquare cæteris Apoſtolis.

Orthodoxæ veritatis de primatu Petri aſſertio.

Sed quoniam vt clarè hæc diluantur, ſingula quæq; obiectionum capita, ſuo ordine prolixiùs diſtinctinsq́; neceſſariò pertractanda, diligenterque excutiēda ſunt, ne vllus ex eis hæreat ambiguitatis ſcrupulus. Priùs tamen quā id facimus, meminiſſe te volo Chriſtiane lector eorum, quæ iam antea demonſtrauimus, ſimul & ſalutaris illius Adamantij conſilij te commonefacere, quod ſuperiùs non ſemel à nobis inculcatum eſt. Quæ ſi memoria retinueris, ſcio nec tātillum te mouebunt vniuerſa, quęcunque aduerſus catholicam orthodoxamque, quam demonſtrauimus, veritatem, quacunque apparentia quibuſcunq; fucata ſcripturis afferri poterunt. Demonſtrauimus enim, fuiſſe omnino neceſſarium Chriſtianæ eccleſiæ, vt hierarchia ſua contineretur per vnius in ea præſidentis ſupereminentem autoritatem, ſine quo nec ad momentum potuiſſet ſubſiſtere. Ita quoque deliniatam ſuiſſe illa ſua vmbra veteri: ita requirere exemplar, ad quod effigiata eſt, B hierarchiæ cœleſtis: ita materiam ex qua conſtructa, nempe infinitorum hominum toto orbe diffuſam multitudinem: ita finem: ita quoque eius autorem: quibus omnibus ipſa ſubſcriberet rei euidentia, quæ demonſtrat, ita quoque eam fuiſſe ab initio & vſque ad nos perduraſſe. Ipſa præterea ſibi vndiq; conſonans euangelica hiſtoria, in qua (vt audiſti) Petrum Apoſtolorum omnium & totius eccleſiæ caput, paſtorem, & principem deſignauit Chriſtus, ſuper ipſum totam, quanta quāta erat, conſtructurum ſe promiſit eccleſiam ſuam: cuius pars, imò præcipua pars & colūnæ quædam fuêre Apoſtoli. Ab eius iuriſdictione neminem prorſus oſtendit fuiſſe exemptum. Quodcunque, inquit, ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Ipſum in ſolutione didrachmatis, in magiſterio eccleſiaſticę domus ſibi quodammodo adęquaſſe Chriſtum. Ipſi vnī cōtendentibus inter ſe de primatu Apoſtolis, totius eccleſiæ & fratrum coapoſtolorum curam commiſſam. Vni pręſentibus cæteris & Apoſtolis & diſcipulis, ab aſcenſuro iam iam ad patrem Chriſto etiam tertiò dictum, paſce regeq́; oues meas. Inter quas nihil dubium eſt comprehenſos cæteros Apoſtolos. Inter quos vnius illius primatum miro ſtudio maximoque conſenſu, veluti horum temporum præſcij, omnes euangeliſtæ mihi expreſsiſſe videntur. C Qui omnes quoties Apoſtolorum duodecim, aut aliquot ex eis, inter quos ipſe intereſſet Petrus, mentionem faciunt, vno ore, & tanquam ex condicto, ſemper primo ipſum loco conſtituunt. Quod ne caſu factum quiſquam cauillari poſſet, cur id omnes fecerint, Matthæus *Cap. 10.* duodecim Apoſtolorum nomina recenſens, in hunc modum clariùs explicat: Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus. Vides cur primo inter Apoſtolos loco ab omnibus euangeliſtis ſtatuatur Petrus: quia ipſe erat omnium Apoſtolorum primus. Quod ne ad vocationis ordinem referre poſsis, ipſe tibi occurrit Ioannes, qui Andream fratrem Petri affirmat fuiſſe vnum ex duobus illis diſcipulis, qui audierant de Ieſu dicētem Ioannem: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & ob id ipſum eundem ſecuti fuerant. Inuenit autem hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſsiam, adduxitq́; eum ad Ieſum: qui intuitus eum, dixit: Tu es Simon Ionæ filius, tu vocaberis Cephas, &cæt. Priùs itaque, inquit ille D. Ambroſius, *In cap. 12. ſecūdæ ad Cor.* ſequutus eſt Andreas ſaluatorē, quā Petrus: & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.

D Et quanquam fuiſſet etiam vocatione primus inter Apoſtolos Petrus, qui primus erat dignitate & autoritate: tamen ad vocationis ordinem certum eſt non reſpexiſſe euangeliſtas: alioqui conuenirent etiam in reliquorum ordine, cùm certus conſtitutusq́; fuerit vocationis ordo & inter cæteros. In quibus tamen omnibus variantibus per omnia. Siquidem Andream Simonis fratrem, quem ſecūdum enumerat Matthæus: Marcus & Lucas in Actis Apoſtolicis poſuerūt quarto loco: Iacobus autem Zebedæi, qui quintus eſt Matthæo, Marco ſecundus eſt, Lucæ autem tertius: & Ioānes eius frater, qui apud Matthæum quintus eſt, apud Lucam in Actis eſt ſecundus, apud Marcum tertius, quartus etiam apud Lucam in euangelio. Ita & in reliquis videbis apud illos variari ordinem. Et quod poſsis mirari magis, vnum Lucam non ſolùm diſſentire à cæteris in ordine reliquorum Apoſtolorum à Petro, imò & à ſeipſo, cùm eos in actis enumerat, & cùm in euangelio. Illic enim quartum Andream facit: hic autem cum Matthęo ſecundum. In Ioannis etiam ordine, nec cum vllo cæterorum euangeliſtarum, neque ſecum ipſe conſentit. Nam ſecundum hunc numerat in Actis, in euangelio quartum: quem tertium Marcus, ſextum autem Matthæus facit. Similiter & in

Bartholomæo, & in Thoma, & in Matthæo,
A nec ſecum, nec cum cæteris conſonat. Vnum
autem Petrum omnes vbique, ſeu cum om-
nibus, ſeu cum aliquibus tantùm nomina-
tur, veluti ex condicto vno ore primo loco
conſtituunt, tanquam caput & ducem cæte-
rorum: hoc nimirum clariſsimè ſignificātes,
inter cęteros Apoſtolos non fuiſſe à Chriſto
in Apoſtolatu ordinem conſtitutum, pro-
pterea non admodum retuliſſe, quo ordine
recenſerentur. At Petro, quem coryphæum
& verticē Apoſtolici chori non ignorauerūt,
ſuū vbiq; locū & honorē maximo cōſenſu tri
buerūt. Quē & alia elocutionis figura nōnun
quā efferunt, ſolū ſubinde ſeorſum à cæteris
Petrum ex omnibus nominantes, quando ta
men de omnibus communiter loquuntur.
Ita enim apud Lucā, cùm illa ſanguiflua à XII.
annis, quę nulla medicorum opera curari po
terat, ingeſsiſſet ſe inter turbas ad tangen-
dam retrò fimbriam veſtimenti ſaluatoris,
atque ita confeſtim ſanitati reſtituta fuiſſet:
Percunctante Ieſu quis eum tetigiſſet, & ne-
gantibus omnibus, dixit Petrus & qui cum
illo erant: Præceptor, &cæ. Rurſus apud eun-
dem Acto. II. Stans, inquit, Petrus cum vn-
decim, & Acto. V. Reſpondens autem Pe-
trus & Apoſtoli, dixerunt, &c. Quid igitur
eſt, quòd vnus ex omnibus nominatim ex-
B primitur Petrus, non Iacobus, non Ioannes,
& reliqui eidem collectim adiunguntur, ſi
non ipſe fuit caput & princeps Apoſtolici
chori? Qui mos admodum familiaris eſt
ſcripturæ, cùm multitudinis alicuius men-
tionem facit, principem eius, & caput expri-
mere nominatim, reliquam multitudinem
ſecundum hanc locutionis formam illi ad-
iungendo. Ita toties Moyſen, Ioſue, Dauid,
Machabæos, atque alios etiam populi prin-
cipes nominans, etiam hoc pacto illis multi-
tudinem aſſociat.

His omnibus ſubſcribit ſanctorum om-
nium ab initio patrum, vt audiſti, communis
concorsq; ſententia, quæ Petrum confitetur
caput fundamentumq; eccleſiæ, cui ſingula-
ri priuilegio datæ ſint claues regni cœlorū,
atq; omnibus ſupereminens illa ligandi ſol-
uendiq; poteſtas. Hoc ipſum probat & confi
tetur totius ab initio catholicæ eccleſiæ ſta-
tus, quæ primò Petrum, deinde ſucceſſores
eius Romanos pontifices recognouit totius
eccleſiæ pręſides, atq; eiſdem ſacroſanctam
illam ſupereminentemq; autoritatem vni Pe
tro ſingulariter datā a domino venerata eſt:
quemadmodum audiſti ſuperiùs beatiſſimi
Anacleti, Athanaſij & vniuerſæ cum eo con-
uenientis Alexandrinæ ſynodi, Leonis quo-
que & Nicolai teſtimonio: & pòſt vniuerſa
totius primitiuæ eccleſiæ comprobante hiſto C
ria, luce meridiana clariùs intelliges.

Aduerſus quæ omnia cùm audiemus
nobis ingeri ſcrupulos, cùm induci canoni-
cas ſcripturas, vt nos ſeducant ab illo corpo-
re catholicæ eccleſiæ, vt in ſuos angulos &
penetralia pertrahant, meminerimus ex prę-
monitione Chriſti tunc nobis dici: Ecce hic
eſt Chriſtus, ecce illic. Meminerimus & do-
ctrinæ eiuſdem aduerſus tentationes ſugge-
ſtioneſque eiuſmodi. Sed nolite, inquit, cre-
dere, aliter videlicet, quàm illud corpus,
ad quod congregantur aquilæ, in quo verè
Chriſtus eſt: nolite exire è ſeptis catholicæ
eccleſiæ: & aduerſus noxias venenataſque
ſuggeſtiones eiuſmodi ſepi aures tuas ſpi-
nis, ne ſis pruriens auribus, quemadmodum
illi, de quibus Apoſtolus. Captiua te, intel-
lectumq; tuum in obſequium fidei, & ad om
nem impietatis ſuggeſtionem, vnde aliter te
extricare non poſsis, velut obturatis auri-
bus clama cum illo, cuius libro primo me-
minimus (vti ille carbonarius.) Hoc ergo ſa-
luberrimum & fidele illius Adamantij con-
ſilium omnibus amplexandum firmiterque
tenendum ſuadeo: ijs prælertim qui conti-
nua iugique meditatione, exercitationeque
ſcriprurarum non eò profecerunt, vt poſsint
earūdem verum germanumq; ſenſum vbiq; D
depromere. Quin & eruditiſsimis frequēter
vſu venit, vt ad hoc veluti tutiſsimum aſy-
lum ſacramque ancoram aduerſus antiqui
illius callidique hoſtis ſuggeſtiones ſit ne-
ceſſe confugere, niſi velint agi præcipites in
impietatis perditioniſque barathrum, vno
hoc vmbone impenetrabili aduerſus ignea
illius iacula ſe tueri. Ne tamen illi, vt faci-
unt, non ceſſent ſine fine & modo nobis
inſultare ſcripturis, quas, vt inquiunt, con-
tra nec Angelis de cœlo credendum ſit, ſim-
plicioribus autē ingerere ſcrupulos, per ſe ve
rò malè pietate affectis anſam præbere ſuæ
perditionis, & arma ſubminiſtrare impietati
ac iniuſtitiæ: ad diſſolutionem obiectionum
iam veniendum eſt.

Rationes diſſoluere, quibus perſuadere conantur fuiſſe pares omnes in Apoſtolica dignitate Apoſtolos, & æquè œcumenicos, hoc eſt, uniuerſalis eccleſiæ curæ regiminiq; præpoſitos.

CAP. VIII.

QVandoquidem ſcripturæ omnes
diuinitus inſpiratæ, dictatæ ſunt
eodem illo veritatis ſpiritu: non
poteſt eiſdem ineſſe cōtrarietas.
Siqui-

A Siquidem omne verum omni vero cõſonat. Quæ ſi quando ad ſpeciem appareat, neceſſe tunc eſt ad inflexibilem illam rectę intelligentiæ earundem amuſsim recurrere, ad illam columnã, illudq́; robur firmamentumq́; veritatis, nempe ad catholicæ eccleſiæ communem orthodoxamq́; ſentẽtiam: vt qua teſtificante ſcripturis credimus, eidem teſtificanti credamus, quæ vera ſit earundem germanaq́; intelligentia. Id quod ad ſequentia omnia in vniuerſum dictum ſit. Quod itaq; dicitur, Apoſtolos omnes æquè immediatè ſuam illam Apoſtolicam autoritatem accepiſſe à Chriſto, eamq́ue parem cum Petro. Illum ſiquidem omnes æquè miſiſſe legatos ſuos in orbem vniuerſum ad eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus congregandam, ædificandam & gubernandam, fuiſſeq́ue illorum omnium autoritatem, non certis diœceſium limitibus circumſcriptam, ſed ſuper vniuerſam æquè eccleſiam, quẽadmodum acta Pauli probare videntur.

Quamuis Apoſtoli oẽs miſſi ſint à Chriſto eius legati in orbẽ vniuerſum, ex eo tamen nõ conſequi, omniũ autoritatẽ fuiſſe œcumenicã & æqualem.

Hic fatemur primùm Apoſtolos omnes Apoſtolicam illam autoritatem æquè immediatè accepiſſe à Chriſto, nec ſolùm Apoſtolos, ſed & ſeptuaginta duos illos diſcipulos, qui presbyterorũ nobis ordinẽ referũt, ſuã quoq; autoritatẽ æquè immediatè ab eodem accepiſſe Chriſto, eoſdem quoque miſſos in orbem euangelizare euangelium regni vnà cum Apoſtolis. Siquidem & illos deſignatos
B ipſe adhuc in terris agens miſit binos & binos ante faciem ſuam, dicens eiſdem: Meſsis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo Dominum meſsis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Ite, ecce ego mitto vos, &c, eadem vniuerſa ad illos repetens, quæ paulo antè dixerat ad Apoſtolos, cùm eos mitteret prædicare regnum Dei, etiam illud ſubiungens in fine: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Dedit quoque & illis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil, inquit, vobis nocebit. Sed & poſt reſurrectionem ſuam eiſdem illis vnà cum Apoſtolis præſentibus dixit: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Quæ cùm dixiſſet, inſufflauit & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Nam quòd non ſolis Apoſtolis ea dicta fuerint à Chriſto, ſed etiam diſcipulis vnà præſentibus, manifeſtè indicat euangeliſta præmittens in hæc verba: Cùm ergo ſero eſſet die illa vna ſabbatorũ, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli cõgregati propter
C metum Iudæorum, venit Ieſus & ſtetit in medio & dixit eis: Pax vobis, ſicut miſit me pater, & ego mitto vos: Accipite ſpiritum ſanctum, &c. Vides non ſolis Apoſtolis, ſed & diſcipulis vnà congregatis hæc dicta fuiſſe. Vbi, inquit, congregati erant, non Apoſtoli, ſed diſcipuli ob metum Iudæorum. Conſueuiſſe enim tunc non ſolos Apoſtolos ſeorſim ſegregari à diſcipulis, ſed vnà cum eis ob metum Iudæorum, manifeſtè indicat Lucas Actorum primo. Sed nec dubitari quicquam poteſt, iſta non ſolis Apoſtolis, ſed etiam diſcipulis dicta fuiſſe, ad quos vnà cum Apoſtolis indifferenter pertinuiſſe ſequẽtia Chriſti verba, quibus dedit eis poteſtatem dimittẽdi retinendiq́; peccata hominibus, certum eſt. Omnibus enim ſacerdotibus (qui illis ſeptuaginta diſcipulis ſuccedũt) in ſua ordinatione dicitur ab eccleſia: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt.

Quare ſi ex hoc, quòd omnes Apoſtoli æquè immediatè à Chriſto ſortiti ſunt Apoſtolicam dignitatem, miſsiq́ue ab eodem in orbem vniuerſum ad eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus congregandam ac ædificandã, nec fuerit eorum autoritas certis concluſa limitibus aut diœceſibus: demonſtratum putas pari eos cũ Petro poteſtate fuiſſe. Hac ſa-
D nè ratione non ſolos Apoſtolos, ſed & diſcipulos illos ſeptuaginta duos eidem Petro æquauerimus, qui & ipſi ſacerdotalem, vt audiſti, autoritatem non à Petro, ſed immediatè à Chriſto ſortiti ſunt. Miſsi quoque & ipſi euangelizare in orbem vniuerſum, quod munus ſibi commiſſum eorum plurimi haud ſegniter obierunt. Vnde ex prædicatione Philippi, non Apoſtoli, ſed vnius ex diſcipulis, recepit Samaria verbum Dei: qui baptizauit quidem Samaritas, ſua prædicatione conuerſos, ſed ſupra ordinem ſuum nihil ſibi vſurpauit: vnde ad eoſdem ſpiritus ſancti traditione confirmandos, quod epiſcopale & primi ordinis ſacerdotum munus erat, venerũt Petrus & Iòannes. Similiter & in alijs locis per diſcipulos prædicabatur verbum Dei cũ fiducia, & proſperabatur opus Domini in manibus eorum. Sed nunquid propterea non ſubijciemus diſcipulos illos, non ſolùm Petro, ſed & cæteris Apoſtolis? nunquid propterea non acceperunt etiam Apoſtoli autoritatem alios quoque ordinandi presbyteros, qui ſimilem æqualemq́ue cum diſcipulis illis poteſtatem in eccleſia obtinerẽt? Acceperunt itaque illi ſuam autoritatem immediatè à Chriſto: attamen & à Petro, & etiam à cęteris Apoſtolis, niſi eos præuertiſſet

Chriſtus,eandem accipere potuiſſent. Quòd
A ſi tempora prudenter diſtinxeris,facilè concordabis ſcripturas. Erat ſiquidem tunc meſſis plurima, operarij verò admodum pauci.

Erat tunc tempus quomodocunque congregangi in horrea. In quod illi tunc à Chriſto electi operarij,operam ſtrenuiſsimam nauauerunt, vtcunque & vndecunque potuere. Attamen iam congregata in horrea diſponebat ac ordinabat ille, quem hîc reliquit Chriſtus ſuper vniuerſam familiam ſuam, & cui totius ouilis ſui curam ſpecialiter demandauerat, Petrus eiuſque in primatu eccleſiaſticę hierarchię ſucceſſores. Nō erat opus vnius Petri, vniuerſum aggredi terrarum orbem, & in ouile ſibi commiſſum cogere, ſed multorum ad hoc opera erat neceſſaria. Quare ad hoc miſit non ſolùm Apoſtolos, ſed & illos ſeptuaginta duos diſcipulos, miſit & alios quos ad hoc munus etiam poſt aſcenſionem ſuam ſpeciali gratia & illuminatione ſelegit, quemadmodum & Paulum & Barnabam Actorum decimoquinto, & alios pleroſque: nec certos eis limites ſuorū laborum præſcripſit, quin potiùs miſit in orbem vniuerſum, vndecunq; poterant colligere & cōgregare. Qua quidem in re tametſi Apoſtolorum omnium æqualis quodammodo videri poſsit commiſsio: non tamen tam erat hæc auto-
B ritas vniuerſalem Eccleſiam gubernandi, quàm congregandi in ouile Chriſti, cuius ſummus paſtor cōſtitutus erat Petrus & ſucceſſores eius. Neque enim Babylonem quandam per illos ædificare volebat Chriſtus, quin potiùs ordinatiſsimam quandam ciuitatem,ſecundum exemplar, quod videret apud patrem, illamque ſupercœleſtem Hieruſalem hîc in terris effingere, cuius eſſet, non ſecus, quàm aciei caſtrorum ordinatiſſima graduum ordinumque diſtributio, per quos ad vnum caput ac præſidem ordinaretur tanta multitudo, atque vnius contineretur,ſuſtentaretur, gubernareturque autoritate & imperio.

In comment. epiſtolæ ad Ephes.

Inter initia fidei, inquit Dinus Ambroſius,omnes docebant,omnes de clero baptizabant, quibuſcunque diebus & locis & temporibus fuiſſet occaſio. Neque Philippus tēpus quæſiuit aut diem, quo Eunuchum baptizaret,neque ieiunium interpoſuit: adhuc præter ſeptem diacones nullus fuerat ordinatus:vt ergo creſceret & multiplicaretur eccleſia,omnibus de clero inter initia conceſſum eſt & euangelizare & baptizare & ſcripturas in eccleſia explanare. At vbi omnia loca circumplexa eſt eccleſia,ex tunc ſunt conſtituta conuenticula, & rectores & officia in eccleſia ſubordinata: vt nullus de clero qui ordinatus non eſſet, præſumere auderet C
officium,quod ſibi non eſſet creditū & conceſſum.Ea ita cœpit alio ordine & prudentia gubernari eccleſia.Quia ſi omnes eadem poſſent,irrationabile eſſet, & vulgaris res viliſsima q; videretur.Hinc eſt, vt nunc neq; diaconi in populo prædicent,neque clerici,neque laici baptizent.Hactenus Ambroſius. Itaque qui prudenter diſtinguit tempora, facilè hac parte cōcordabit ſcripturas, & intelliget illimitatam illam Apoſtolorū autoritatem magis fuiſſe ad congregandum omnes in ouile Chriſti commiſſam Petro, quàm ad illud ipſum ouile gubernandum.

Quòd ſi cęteros quoque Apoſtolos etiam regiminis autoritatem vis habuiſſe ſuper eccleſiam,quam congregaſſent Chriſto: vt hoc donemus, ex eo tamen conſequens non eſt, vt cuiuſquam eorum autoritas fuerit ſuper eccleſiam vniuerſam, quādo nemo vnus congregauit vniuerſam. Quin potiùs teſtantur hiſtoriæ, cùm diuiderentur à ſe Apoſtoli in orbem vniuerſum, ſuam cuiq; deputatam prouinciam, quam vomere ſuæ prædicationis excoleret,& Apoſtolica autoritate gubernaret. Nulli autem commiſſam totius orbis curam, quàm vni Petro. Cuius autoritate vnà cum ſenatu illo Apoſtolico conſtitutum tūc illum ordinem ſacrum eccleſiæ, qui D
ab eo tempore perdurat hactenus, ſedium quidem principalium in honorem vnius Petri eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis: deinde & reliquarū primatum ac metropolitanarum, prout locorum hoc deſiderabat opportunitas,& eccleſiæ totius hoc expoſtulabat neceſſitas: vt totius quanta eſſet, per orbem eccleſiæ cura ad vnam ſedem Petri ordinatiſsimè referretur, atq; eius vniuerſam viciſsim deferretur autoritas,tam immenſæ multitudinis corpus in vnum continens: omnino certum eſt,atteſtante hoc in primis ipſa rei euidentia,deinde illius ſanctiſsimi Anacleti Petri diſcipuli & in cathedra ſucceſſoris quam ſuprà citauimus,epiſtola,qua vniuerſos toto orbe Chriſti ſacerdotes & epiſcopos de Apoſtolica hac ordinatione inſtruit.

Iam vt etiam hoc donaremus, Apoſtolorum omnium illimitatam atq; œcumenicā autoritatē fuiſſe in eccleſiam vniuerſam,nec in illa diuiſione partitā certis limitibus:nihil tamen hoc ipſum derogaret autoritati Petri ſuper cæteros vniuerſos. Non magis, inquam,quàm ſi nunc intelligeremus à Romanis pontificibus mitti aliquos ſuos legatos ad eccleſiaſticam diſciplinam toto orbe collapſam,vbiq; reformandā,& in priſtinū ſtatū reuo-

A reuocandam,idque quòcunque accederent, cum poteſtate pleniſsima: non, inquam, magis quàm legatorum eiuſmodi autoritas derogaret autoritati Romani pontificis. Nam quàmuis & iſti vterentur poteſtate illimitata & œcumenica, eaque plenaria: tamen ſub Romano pontifice, & dependenter ab eodem. Et quemadmodũ non inſignificanter dicerent ſcholaſtici, eſſent quidem hi, quàm diu duraret illa eorum legatio, æquales Romano pontifici, quantum ad præſentem adminiſtrationem attinet: nequaquam tamen in ipſa fontali autoritatis plenitudine. Ita & de Apoſtolis ac Petro dicendum eſſet, vt daretur illorum omnium vniuerſalem fuiſſe autoritatem & œcumenicam.

Sed Chriſti, inquies, nõ Petri legati fuere Apoſtoli: ab ipſo Chriſto, non à Petro ſuam illam autoritatem, poteſtatemque acceperunt. Eſto, acceperint à Chriſto, non à Petro ſuam poteſtatem Apoſtoli. Ita & illi ſeptuaginta duo Diſcipuli, ſuam quoque poteſtatem æquè immediatè acceperunt à Chriſto, & ab eodem etiam miſsi ſunt in orbem vniuerſum, prædicare Euangelium omni creaturæ: nihil tamen dubium eſt illos ſubſuiſſe Apoſtolis, & in primis Petro, à quorum autoritate non minus eorum dependebat autoritas, quàm ſi ab eiſdem & ordinati & miſsi B fuiſſent, quorum ordinandorum pleniſsimam poteſtatem acceperant. Nam quàmuis illos primos, tanquã Apoſtolos ſuos inſtruens, & imitationis exemplum præbens, per ſeipſum inſtituerit Chriſtus: attamen ordinatos inſtituit, vni capiti totius Eccleſiæ paſtori ſubeſſe voluit, vni illi inniti, & quaſi fundamento firmiter adhærere, ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam. Non enim diſſenſionis Chriſtus autor fuit, ſed pacis, concordiæ, vnitatis, quæ in immenſa multitudine abſque ordine diligentiſsimè conſtitnto, omnino ſeruari non potuit: nec voluit Babylonem quandam ædificare, ſed cœleſtem illam Hieruſalem in terris effingere. Neque per hoc, quòd illi immediatè à Chriſto ordinati fuerunt, quicquam acceperunt amplius præ ijs, quos ordinarunt Apoſtoli. Ita quoq; Apoſtolis, eorumq; autoritate & Petro haud dubiè exiſtimãdum eſt, ęquè autoritatem eorum plenariam & illimitatam (ſi tamen talem acceperunt) ad ædificationem, gubernationemque vniuerſalis Eccleſię, ſubſuiſſe Petro, ac ab eodem dependiſſe, penes quem erat eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudo, haud ſecus, quàm ſi eandem ab ipſo accepiſſent Petro, à quo haud dubiè eam accipere potuiſſent, niſi accepiſſent à Chriſto. Quemadmodum (vt in exemplo rem clariùs intelligas) C ſi ipſe Romanus pontiſex, quod nunc fieri quotidie videmus, epiſcopi alicuius in ſua diœceſi ordinationem præueniens, alicui eius plebi inſtituat presbyterum, quem alioqui ordinaria autoritate inſtituere debuiſſet Epiſcopus: ille nihilo minùs ęquè ſubiectus eſt ſuo Epiſcopo, ac ſi ab eodem conſtitutus ordinatusq; fuiſſet, nec minùs ſubordinata eſt Epiſcopo eius autoritas: Ita & de ſeptuaginta duobus illis Diſcipulis ſub Apoſtolis, & de Apoſtolis ſub Petro pariformiter intelligendũ eſt. In quibus ordinem illum ſubiectionis prælationiſque nihil prorſus variat, quòd in eorundem ordinatione ordinariam ipſam autoritatem (quæ ſumma penes Petrũ extitit) ſua ordinatione pręuenerit chriſtus.

Proinde veriſsimum eſt id, quod ſcribit beatiſsimus Leo ad Epiſcopos per Viennenſem prouinciam conſtitutos: Diuinę, inquit, cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ita dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis ſaluator inſtituit, vt veritas, quæ antea legis & prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum. Sed huius muneris ſacramentum ita dominus ad omnium D Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſsimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret: vt ab ipſo veluti à quodã capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, & exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicẽdo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam, vt æterni ędificatio templi, mirabili munere gratię Dei in Petri ſoliditate cõſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illã, nec humana temeritas poſſet oppetere, nec portę contra illã inferi pręualere. Verùm hanc petrę iſtius ſacratiſsimã firmitatem, Deo ędificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere. Cui cùm pręcęteris ſoluẽdi & ligandi ſit tradita poteſtas: paſcendarum tamẽ ouium cura ſpecialiùs mandata eſt. Cui quiſquis principatũ ęſtimat denegãdum, illius quidem nullo modo minuere poteſt dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbię ſuæ, ſemetipſum ad inferna demergit. Hęc ille ter ſanctus Leo.

Leonis veriſſima ſententia.

Per hęc itaq; abundè mihi ſatisfactũ vide-

A tur primæ illi aduerſariorum rationi, qua Apoſtolorum omnium æqualitatem ſtatuere conantur, ex eo quòd omnes acceperint ſuam illam autoritatem æquè immediatè à Chriſto, & quòd omnes miſsi ſuerint in orbem vniuerſum cum poteſtate illimitata & œcumenica ſuper vniuerſam Eccleſiam.

Rationes diſſoluere, quibus Apoſtolorum & Petri parem inter ſe autoritatis plenitudinē ſtatuunt.

CAP. IX.

Bifariam intelligi, æquā aut parē eſſe aliquorū autoritatem.

BIſariā intelligi poteſt æquā aut parē eſſe aliquorū autoritatē: vel q̄ ęquè latè pateat, hoc eſt, ęquè multis præſit: vel vt ipſa in ſe conſideretur poteſtatis menſura ac plenitudo, quam ex proprijs eius actibus & effectibus eſt intelligere: vt ſi eadem prorſus omnia poſsit hæc & illa, ęquè diuitem in ſe, plenāq́ue poteſtatem, atque hac ratione parē, haud incongruè intellexerimus. Qua quidem in re poſſet ſtare æqualitas, vbi ſecundū priorem rationem eſſet longa imparitas, vt duorum epiſcoporum, quorum vnius arcta eſt, alterius latè patens diœceſis. Duorum item legatorum à latere Romani pontificis: vnius quidem ad vnam aliquam, exiguamq́ue prouinciam: alterius ad plures, eaſq; longè, lateq́ue patentes: vbi tamen æquè plena eſſet ipſa eorum in ſe facultas. Hanc differentiam ſuo more explicauerint ſcholaſtici: nobis loquendum eſt, vt intelligamur ab omnibus. Superiori antè capite rationes diſſoluimus, quibus perſuadere conantur, æquè longè lateq́ue patuiſſe autoritatem Apoſtolorum aliorum & Petri, æquè nullam diœceſium coarctatam limitibus, æquè omnium œcumenicam. Quicquid enim ea in re conātur de Apoſtolis ſtatuere, neceſſe eſt eadem prorſus ratione, vt de ſeptuaginta Diſcipulis ſtatuāt. Quorum tamen autoritatem, certū eſt & notorium, fuiſſe ſub autoritate Apoſtolica: ſicut hanc ſub autoritate illa ſupereminenti capitis totius Hierarchiæ eccleſiaſticæ.

Ad ipſam nunc in ſe poteſtatis eorundem menſuram, plenitudinemq; venientes, tametſi libro ſequenti eandem exactiùs explicabimus & demōſtrabimus: interim tamen hic rationes diſſoluendę ſunt, quibus parem hac ratione Apoſtolorum omnium cum Petro autoritatem ſtatuunt: quandoquidem hoc etiam ante explicatam exactè eiuſmodi in ſe autoritatis menſuram fieri poterit.

Cùm itaque dicitur, Petrum nihil præ cæteris accepiſſe Apoſtolis, neque etiam claues regnj cœlorum, neque illam iuriſdictionis ſoluendi alligandiq; poteſtatem. Nam quantum ad claues attinet, non datas ſpecialiter C vni Petro, quum ſuperædificandæ Eccleſiæ fundamentum pronūciaretur à Chriſto, ſed promiſſas tantùm. Nam dabo, inquit, tibi claues, non do: quas poſtea dedit indiſcriminatim omnibus, Ioannis penultimo dicens: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittūtur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt. Similiter dicunt de poteſtate iuriſdictionis, quæ tametſi data videatur ante alios Petro: tamen continuò pòſt data eſt etiam Apoſtolis omnibus, Matth. XVIII. vbi omnibus loquens: Quæcunq;, inquit, alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c. Ad hæc dicimus, & primùm de clauibus, quòd earum nulla vnquam apud Euangeliſtas ſit mentio, neq; Ioannis penultimo, nec vſquam alibi, q̄ Matth. XVI. vbi vni ſingulariter Petro promittūtur. Pertinuit fortaſsis & illa poteſtas dimittendi hominibus peccata etiam ad claues regni cœlorum, veluti pars quædam earundem: ſed ampliorem longè, magnificentioremq́ue poteſtatem mihi importare videntur, aut potiùs ipſam totius eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudinem, quanta decebat illum, qui Chriſti in Eccleſia vices gereret, vniuerſa ea comprehendens, quæcunque ad finem eccleſiaſticæ ſocietatis aſſequendum erant neceſſaria. Cuius menſuram D libro ſequenti inueſtigabimus. quam in metaphora clauium regni cœlorum expreſsit, eius veluti maieſtatem commendans, ſignificanſq́ue etiam regni cœleſtis poteſtatem ipſum habiturum in terris. Quas claues, ſicut vni ſingulariter promiſit Petro, ita vni ſingulariter dedit.

Quid per claues regni intelligendum ſit.

Quòd verò promiſſas tantùm illi claues volunt nō datas. Ego verò, ſi promiſſæ hic ſunt nō datæ, ab illo promiſſas ſcio, cuius nomen eſt fidelis & verax, imò qui eſt ipſa æterna veritas, cuius dixiſſe, feciſſe eſt: ille dixit vni Petro: Tibi dabo claues regni cœlorū. Quare audiſti ſuprà in illius Athanaſij & Alexandrinæ ſynodi tot ſanctiſsimorum Epiſcoporum epiſtola, quid dicant ſucceſſori Petri: Tu, inquiunt, es, ſicut veraciter diuinum teſtatur eloquium, Petrus, & ſuper tuum fundamentum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ: Tibi claues regni cœlorum commiſit, ac ligare & ſoluere poteſtatiuè, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt, promulgauit, &c.

Quòd ſi non tantùm promiſſas, ſed etiam datas hic vni Petro claues illas cōtenderem, haberem non parui nominis ſuffragatores, per quos hanc tuerer ſententiam, à quibus haud ſcio, an diſſentire tutum ſit. Illic enim corpus eſt, illic Chriſtus & veritas, vbi congregantur,

A gregantur aquilæ. Et primò Tertulliani hæc
fuit certiſsima ſententia, qui libro de præ-
ſcript. hæreticor. de Petro ita interrogat: La-
tuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ pe-
tram dictum, claues regni cœlorum conſe-
quutum, & ſoluendi ac ligandi in cœlis & in
terris poteſtatem? Loquitur autem de eo,
quod pòſt audiuit à Chriſto: Quod ego fa-
cio, tu neſcis modò, quo tempore iam antè
fatetur accepiſſe illum claues regni cœlorũ.
quare vnà cum promiſsione etiam accepiſſe
illũ claues credidit, cùm alibi, vbi accepiſſet,
nuſquam inueniatur. In eadem ſententia eſt
Ambroſij ſententia. Diuus Ambroſius, quod in Lucam ſcribens
teſtatur, dicẽs: Reſurrectionis tẽpore præſto
ſunt mulieres, & cùm viri fugarentur, ſolæ
tamen ab Angelo, ne timeant, admonentur.
Petrum euocant, ſtudio priores, ſed poſterio
res fiducia: denique ille ſine metu aduenit, &
incunctanter, qui poſterior venerat, primus
ingreditur, quaſi qui claues regni, vt alijs ape
riret, acceperat. Vides & huius ſententia eti
am ante paſsionem & reſurrectionẽ Domini
Petrum claues accepiſſe regni cœlorum, non
autẽ pòſt, cùm diceretur omnibus: Accipite
ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis pecca
CIII. ta, remittuntur, &c. Hoc idem affirmat librõ
de Iſaac & anima: Petro, inquit, dicenti, quò
vadis, reſpondit verbum Dei: non potes me
ſequi modò, ſequèris autem poſtea. Claues
autè commiſerat regni cœlorũ, & ſequendo
B imparem iudicauit? Si claues iamdudum illi
commiſerat, certum eſt verborum illorum
effectum (Tibi dabo claues, &c.) non fuiſſe
dilatũ in futurum, ſed ſimul præſentem ſecũ
Auguſtini cõcors ſententia. habuiſſe effectum. Id quod adeò non dubi-
tat etiam Diuus Auguſtinus, vt hoc verbum
Chriſti apud Matthæum (Tibi dabo claues)
ipſe nonnuſquam vertetit verbo præteriti
temporis, perinde ac ſi dixiſſet Chriſtus: Tibi
dedi claues regni cœlorum. Ita enim habet
ſermone CXXIIII. de tempore: Credendæ
erãt Petro claues Eccleſiæ, imò creditæ ſunt
ei claues regni cœlorum, credenda quoque
erat ei populorũ innumera multitudo, quæ
eſſet pro ſuæ naturę vitijs ac paſsionibus, cul
pis inuoluta & peccatis: denique ſic ad eum
ait: Tibi dedi claues regni cœlorum, deinde
ſequitur, dicens: Quęcunque ligaueris ſuper
terram, erunt ligata & in cœlis, videlicet, vt
in clauibus fidelis ianitor, & in ſentẽtijs eſſet
clementiſsimus diſpenſator, &c. Vides hîc
affirmare Auguſtinum, imò docere ſibi com
miſſam Eccleſiam, quòd Chriſtus dixerit Pe
tro: Tibi dedi claues regni cœlorum. Non
quòd ignorauerit legi apud Matthæum: Ti-
bi dabo, ſed quoniam certam habebat illam
promiſsionem Chriſti, quam Euangeliſta C
explicat verbo futuri temporis, non ſolùm
certum, ſed etiam ſecum pręſentem habuiſſe
effectum. Quare etiam libro ſecundo aduer- CXXIII.
ſus Gaudentij epiſtolam ſcribit in hæc ver-
ba: Nunquid melior Raſias quàm Apoſtolus
Petrus? Qui vbi dixit: Tu es Chriſtus filius
Dei viui, tam beatus à Domino pronuncia-
tus eſt, vt claues regni cœlorum mereretur
accipere. Nec tamen creditur imitandus, vbi
mox eodem momento reprehenſus audiuit:
Vade poſt me, &c. Eandem ſententiam pro-
bat & ſequitur ſcribens in Ioannem Tracta-
tu quinquageſimo.

Eodem prorſus modo intellexit hoc ip-
ſum ſanctus Hilarius. Siquidem in Matthæ-
um hæc ipſa Chriſti ad Petrum verba expli-
cãs, ſubiungit in hæc verba: O in nũcupatio-
ne noui nominis felix Eccleſiæ fundamentũ,
dignaque ædificatione illius petra, quæ in-
fernas leges, & tartari portas, & omnia mor-
tis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli iani-
tor, cuius arbitrio claues regni æterni aditus
traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudi-
cata autoritas fit in cœlis. Vides etiam huius
ſententia traditas vnà cum promiſsione cla-
ues à Chriſto. Et in Pſalm. LII. Conſcius Do-
minus infirmitatis humanæ, cùm Apoſtolis
dixiſſet: Omnes vos ſcandalum patiemini in D
me nocte hac: & beato Petro ter, non ad de-
nunciationem damnatæ negationis, ſed quia
per timorem carnis demutabilis homo, id
quod negaturus eſſet admonito, negãti qui-
dem claues cœlorum non ademit. Supponit
ergo iamdudum accepiſſe eundem claues, ita
vt intelligatur præcedens clauiũ promiſsio,
præſentem ſecum habuiſſe effectum. Rurſus
in Pſalmo CXXXI. Cùm quædam, inquit,
de paſsione ſua ad Diſcipulos locutus fuiſ-
ſet, & Petrus tanquam indignum hoc Dei fi-
lio deteſtatus eſſet, cui ſuperiùs claues regni
cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam æ-
dificaturus erat, aduerſus quam portæ inferi
nihil valerent, quæque in terris vel ſoluiſſet,
vel ligaſſet, ea in cœlis vel ſoluta vel ligata
perſiſterent: hunc, inquam, tali conuitio, de-
teſtantem ſacramentum hoc paſsionis exce-
pit: Vade poſt me Satana. Audis itaq;, quàm
conſtanter vbique ſentiat hîc Hilarius, non
promiſsionis tantũ de futuro verba illa Chri
ſti fuiſſe ad Petrum: Tibi dabo claues, &c.
ſed quæ præſentem habuerunt cum promiſ-
ſione effectum. Nam illo conuitio excep-
tum Petrum continuò poſt dicta illa ad ſe
verba Chriſti teſtatur Matthæus: at iam ſu-
periùs datas illi claues affirmat. Datæ er-
go ſunt vnà cum promiſsione. Eiuſdem
omnino

A *Chryſoſtomi conſona ſententia.* omnino ſententiæ eſt Diuus ille Chryſoſtomus, quam & alibi plerunque & hunc ipſum Euangelij locum explicans, clariſsimè ſignificat, vbi cõtinuò poſt illa magnifica Chriſti verba ad Petrum, cùm de paſsione ſua quædam ſubiunxiſſet, moliretur que Petrus eum auertere à paſsionis ignominia, dicens: Propitius tibi eſto, nec fiat tibi hoc, ita interrogat: Quid hoc eſt ô Petre? Tu qui reuelationem deſuper habuiſti, qui beatificationem conſecutus es, cui claues regni cœlorum traditæ, tam citò adeò grauiter lapſus, cecidiſti? Vides non promiſſas tantùm, ſed & traditas fuiſſe claues regni cœlorum.

Soluuntur argumẽta in cõtrarium. Ab his tãtis patribus diſſentire, haud ſcio an ſatis tutum ſit, præſertim cùm ipſe teſtetur Chriſtus congregationem aquilarum nobis certò indicare, vbi ſit corpus, vbi Chriſtus & veritas. Nec quicquam nos debet aduerſus hæc mouere verbum futuri temporis apud Euangeliſtam, cùm non ignoremus eſſe morem ſcripturæ admodum familiarem, & modum pro modo ponere, & tẽpus pro tempore. Ita enim quęcunque Ezechielis XXXI. capite dicuntur de rege Aſſyriorum futuro, tempore, à LXX. (quemadmodum etiam teſtatur Hieronymus) quaſi tranſacta memorãtur. Sic & de cruce & paſsione Domini diu B antè prędictum fuerat: Foderunt manus meas & pedes meos. Et alibi: Quaſi ouis ad victimam ductus eſt. Et rurſus: Et liuore eius ſanati ſumus. Et iterum: Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt in mortem. Quid igitur mirum, ſi & hic pro tempore tẽpus, pro præſenti futurum poſuerit, velut ad vſum & exercitium iam tum datarum clauium reſpiciens, quemadmodum tot ſancti, orthodoxiq́; patres intellexerunt: adeò vt Diuus Auguſtinus nihil dubitet, ſicut audiſti, nõ ſolũ præſens, ſed etiam præteritum pro futuro hoc loco ponere, ac dicere, ſic dixiſſe Chriſtum ad Petrum: Tibi dedi claues regni cœlorum?

Quòd ſi tot orthodoxis, ſanctiſque patribus omnino reclamare pergas, ſi congregationem illarum aquilarum, nos ducentium ad verum ſenſum eccleſiaſtici corporis contemnere nõ erubeſcis, ſi attendere monſtrantibus Chriſtum in angulis & penetralibus contra Chriſtum omnino decretum eſt, ita vt prorſus contẽdas promiſſas hîc tantũ claues Petro, non etiam datas: vt hoc tibi donaremus, certè, quin dederit aliquãdo ille fidelis & verax, quod tam ſeriò, tam ſolenniter repromiſit, omnino negare non poteris: & ſi non antè, ſaltem tunc, cùm poſt reſurrectionem ſuam iamiam rediturus ad patrẽ, conſtituit illũ ſuper vniuerſam familiam ſuam, ſuumque ouile illi tertiò gubernandum cõmiſit: dediſſe eidem etiam iamdudum promiſſas illas claues regni, hoc eſt, poteſtatem pleniſsimam ac pro ſe vicariam, ſine qua regere Eccleſiam, & in finem ſuum dirigere cõuenienter non poterat. C

Quod inſuper dicitur, datas claues indiſcriminatim Apoſtolis omnibus, cùm illis apud Ioannem diceret Chriſtus: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Reſpondemus clauium illic nullam mentionem fieri. Illud enim dictum fuiſſe non ſolis Apoſtolis, ſed & Diſcipulis vnà præſentibus, atque in eis ſacerdotibus omnibus, qui eandem poteſtatem remittendi peccata accipiũt. *Non datas ſolas claues regni Apoſtolis omnibus, Ioã. ult. penultim. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quibus omnibus ſi claues illæ regni cœlorum abſq; diſcrimine committũtur, quorſum ergo ab orthodoxis patribus omnibus, atque adeò vniuerſa Chriſti Eccleſia, Petrus dicitur ianitor cœli, & regni cœleſtis clauiger? Quorſum illa Alexandrina ſynodus cum mirabili ſuo glorioſiſsimo chriſti confeſſore Athanaſio ſcribũt Petri ſucceſſori: Tu es, ſicut veraciter diuinũ teſtatur eloquiũ, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ: Tibi que claues regni cœlorum commiſit, ac ligare & ſoluere poteſtatiuè, quæ in cœlis & quæ in terris ſunt, promulgauit? Vides non vnicuilibet ſacerdoti, non cuilibet Epiſcopo, ſed Romano pontifici Petri ſucceſſori, commiſſas claues regni cœlorum. Id- D que tot ſanctiſsimorum, eruditiſsimorumq́; pontificum, pro defenſione orthodoxę fidei ſynodicè congregatorum teſtimonio. Nec tamẽ imus inficias, quin & cæteri Epiſcopi & presbyteri eaſdẽ claues quadantenus participent: tamen ordinatè, & omnes ſub vno eccleſiaſticæ Hierarchiæ capite. Ita huius muneris ſacramentum Dominus ad omnium Apoſtolorum officium (vt beatiſsimi Leonis verbis dicam) pertinere voluit, vt in beatiſsimo Petro omniũ Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo veluti à quodã capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortẽ ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. De poteſtate verò illa iuriſdictionis, alligãdi & ſoluendi, quam parem cum Petro volunt accepiſſe etiam reliquos Apoſtolos, Matth. XVIII. vbi dictum eſt omnibus: quæcunq; alligaueritis ſuper terrã, erũt ligata in cœlo: & quęcunq; ſolueritis ſuper terrã, erũt ſoluta & in cœlo. Quemadmodũ paulo antè dictum erat Petro: Quodcunq; ligaueris ſuper terrã, &c. Dico primùm, mihi ita videri, verba illa Matth. XVIII. Quæcunque alligaueritis,

A ueritis, &c. nó pertinuiſſe propriè ad Apoſto
los, ſed ad Eccleſiá, cuius Petrus caput erat &
fundamentum. Quare quancunque illic au-
toritatem dederit, eam non poſſe referri ad
Apoſtolos, qui non erant Eccleſia, ſed pars
Eccleſiæ: præſertim, ſi eos non ſolùm colle-
ctim, ſed etiam ſigillatim intelligas. De ſecun
do: Quòd ad quoſcunque pertineant verba
illa Chriſti, ſeu ad Eccleſiam, ſeu ad Apoſto-
los omnes, & ſingulus: nó tamen illis datam
eſſe tantá iuriſdictionis autoritatem, quantá
antè dedit vni Petro. Quin potiùs ex eo or-
dine, quod priùs, magnificentiusq́; eam de-
dit vni Petro: deinde autem, ſeu Eccleſię ſeu
Apoſtolis, vtcunq; volueris, omnibus & ſin-
gulis, euidentiſsimè ſignificari, hanc illi ſub-
iectam eſſe oportere.

Quòd autẽ illa verba Chriſti Matt. XVIII.
ad Apoſtolos non pertineant, maximè ſi eos
ſigillatim intelligas, ſed ad Eccleſiam, quàm-
uis illic ſolis Apoſtolis locutus videatur, eui
denter mihi oſtendere videtur ipſa verború
Chriſti ſeries, ſi diligenter conferamus vni-
uerſa. Nam cùm ordinem correptionis fra-
ternæ illic nos docuiſſet (quam non ad ſolos
Apoſtolos, aut eorũ in apoſtolica autoritate
ſucceſſores Epiſcopos, ſed ad omnes æquè
Chriſti fideles pertinere certum eſt) inſuper
& iuſsiſſet fratrem, ſi noſtra correptione nó
emendaretur, Eccleſiæ denunciare, quo no-
B bis eiuſdem Eccleſię in ſuis iudicijs commẽ-
daret autoritatem, & nos doceret obedien-
tiam, ſubiunxit: Quòd ſi Eccleſiam non au-
dierit, ſit tibi tanquã ethnicus & publicanus,
pro ratione ſubijciẽs: Amen dico vobis, quę-
cunque alligaueritis ſuper terram, erunt li-
gata in cœlo: & quęcunque ſolueritis, ſoluta.
In quibus verbis hoc animaduertendum eſt,
quòd quàm diu docuit, quemadmodum pec
cantem in nos fratrem corripere ac reducere
debeamus, tãquam vnumquemlibet noſtrũ
ſingulariter appellans, dixit: Si peccauerit in
te frater tuus, vade, & corripe eum inter te &
ipſum ſolum, &c. Si te non audierit, adhibe
tecum adhuc vnum vel duos, &c. Quòd ſi nó
audierit eos, dic Eccleſię. Si autem Eccleſiam
non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, &c.
Hactenus enim cuiuſlibet noſtrûm officium
inſtruit, & æquè hæc pertinent vniuerſa ad
vnumquemlibet Chriſtianum. At cùm eccle
ſiaſtici nobis iudicij autoritatem commen-
dat, denuncians ipſum in cœlo ratum fore,
quô Eccleſiam iudicantem, alligantemque,
hoc eſt, congregationem, cœtumque Chriſti
fidelium indicaret apertiùs, & non vnum-
quemlibet ligatorem, vnumquemlibet Apo
ſtolum, mutat numerum, nec iam ampliùs vt

Eccleſiaſticæ domui data ligandi, ſoluendiq́; poteſtas.

priùs ſingulariter loquitur, ſed dicit: Amen C
dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper ter-
ram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; ſol-
ueritis, ſoluta. Quę ſi quis ita vellet dicta cõ-
muniter ad omnes, ad quos illę Chriſti ſer-
mo dirigebatur, vt etiam ſingulos eorũ per
ſe ac ſigillatim accepiſſe contendat illam li-
gandi, ſoluendique poteſtatem, vnicuilibet
noſtrûm, & non ſolis Apoſtolis & eorum ſuc
ceſſoribus hãc poteſtatem attribuet, & vnuſ-
quiſq; alium ligabit, & ſoluet. Siquidem ad
omnes in vniuerſum Chriſti fideles, & ad v-
numquemlibet noſtrûm dirigitur vniuerſa
illa præcedentium Chriſti verborum ſeries:
Si peccauerit in te, &c. Si te non audierit, &c.
Si Eccleſiam non audierit, &c. Quæ verò ſe-
quuntur, nequaquam ad alios conuerſa ora-
tione refert, quàm quibus eatenùs locutus
eſt, ſed eiſdem ipſis dicit: Quæcunque alliga
ueritis, non vnuſquilibet veſtrûm, ſed con-
gregati in nomine meo, & Eccleſiam conſti-
tuentes, hoc eſt, quęcunque alligauerit Eccle
ſia, cuius iudicio pręcepi vnumquemlibet ve
ſtrûm obedire, erunt ligata in cœlo, & quæ-
cunque ſolueritis, ſoluta. Quòd enim de Ec-
cleſia, & Chriſti fidelium congregatione hęc
locutus ſit Chriſtus, præter ea quæ iam dixi-
mus, euidenter id demonſtrãtia, etiam clarè
indicant & confirmãt ea, quæ continuò ſub-
iungit: Iterum, inquit, dico vobis, ſi duo ex D
vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re
quamcunque petierint, fiet illis à patre meo,
qui in cœlis eſt: vbi enim ſunt duo vel tres
cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio
eorum. Vides itaque hîc Eccleſiæ & congre-
gationis Chriſti fidelium prærogatiuam, vi-
des & autoritatem. Vnde Diuus Hierony-
mus de eccleſiaſtica domu loquens: Accepit,
inquit, & hæc domus poteſtatem alligandi &
ſoluendi: hanc domum, ſi quis corrigentem,
corripientemque contempſerit, ſit tibi, in-
quit, tanquam ethnicus & publicanus. Audis
cui illic à Chriſto ligandi, ſoluendique pote-
ſtas contributa ſit, non Andreæ, non Iacobo,
aut Ioannni, ſed eccleſiaſticæ domui. Quòd
ſi eccleſiaſtica domus hîc ligandi, ſoluendiq́;
poteſtatem acceperit, qua ratione vnumquẽ-
libet Apoſtolorum eam poteſtatem hîc acce
piſſe velint, haud ſanè intelligo, cùm Eccle-
ſiam collectiuum nomen eſſe, nec vni perſo-
næ conuenire, certum ſit. Hoc omnino cer-
tũ eſt, atteſtante Euangeliſta, non ſolis Apo-
ſtolis duodecim, ſed in vniuerſum diſcipulis
ſuis, quorum præter Apoſtolos, iam ſeptua-
ginta duo mittebãtur, bini & bini ante faciẽ
eius, toto eo ſermone locutum fuiſſe Chri-
ſtũ. Quare qua ratione ad omnes & ſingulos
Apoſtolos

A Apoſtolos pertinuiſſe vis illa verba Chriſti: Quæcunque alligaueritis, &c. neceſſe eſt, fatearis æquè pertinuiſſe ad omnes & ſingulos Diſcipulos, atque ita ad omnes æquè ſacerdotes & presbyteros, qui in ordine & autoritate ſucceduut ſeptuaginta duobus Diſcipulis.

Quanquam non eam inficias, Apoſtolos, eorumq́ue ſucceſſores Epiſcopos, vt Eccleſiarum particularium capita (de quibus, non autẽ de vniuerſali Eccleſia hîc propriè loqui Chriſtum, ſuo pòſt loco demonſtrabimus) includẽdos eſſe in Eccleſia, vt hanc alligandi ſoluendiq́; poteſtatem habeat, ac poſsit exercere. Quibus ſecluſis, reliquam multitudinem alligare aut ſoluere poſſe haud ſanè crediderim. Eſt enim à Chriſto eccleſia non informis aut confuſa multitudo, ſed velut caſtrorum acies decentiſsimè ordinata.

Itaque in primitiua Eccleſia, quemadmodum atteſtantur Dionyſius, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Baſilius, cæteriq́; eius temporis ſcriptores, imò vſque poſt Auguſtini tẽpora, denunciatio illa correpti fratris fiebat Eccleſię, non Epiſcopo ſeorſum ab Eccleſia, ſed vnà cum pręſente Eccleſia: quam corripientem contemnens, habebatur tanquam ethnicus & publicanus. At ſucceſſu tẽ-
B poris, vt omnis vigor Chriſtianæ, eccleſiaſticæque diſciplinæ elanguit ac remiſſus eſt: ita & mos ille correptionis, denunciationisq́ue fraternę verè Euangelicus obſoleuit, & loco Eccleſiæ nunc ſolis ſeorſum Epiſcopis, aut etiam archidiaconibus, aut ſubſtitutis ab eis Officialibus fit denunciatio iſta, haud ſcio, an ſatis Euangelica, apud quos etiam ex tacito conſenſu, aut conniuentia Eccleſiæ eſt nunc exercitium huius poteſtatis ſoluendi, ligandiq́ue, datæ à Chriſto Eccleſiæ. Quam tamen haud temerè inuenies vſquam ſibi vſurpaſſe Apoſtolos, niſi vbi ſe coniungunt cum Eccleſia. Quemadmodum fecit Paulus in excommunicatione Corinthij illius fornicatoris: quam ipſe, non ſua ſingulari & velut apoſtolica in eum autoritate ſolus protulit, ſed ſe coniunxit cum Corinthiorũ Eccleſia. Quam primùm redarguens, quòd fornicatorem illum tuliſſent tam diu, & non eiecisſẽt de medio ſui: hoc ipſo demonſtrãs, ad cuius id pertineret autoritatẽ, ita ſubiunxit: Nam ego quidem abſens corpore, præſens autẽ ſpiritu, iam decreui tanquam præſens, vt is qui hoc patrauit, in nomine Domini Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, vnà cum poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradatur Satanę in interitum carnis, quò ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu.

C Certè nullum, ſcio, verbum inuenies in vniuerſo Euangelio, per quod vna aliqua ſingularis perſona, hanc ſibi ligandi, ſoluendiq́; poteſtatem arrogare poſsit, quàm vnus Petrus, & qui illi in hac autoritate legitima ordinatione ſuccedunt. Vni ſiquidem Petro dictum eſt: Quodcunque ligaueris, aut ſolueris ſuper terram, ligatum, ſolutumq́ue erit & in cœlis. Deinde etiam dictum eſt congregationi eccleſiaſticæ aut Eccleſijs, quarum iudicio nos obedire præcepit, hoc eſt, vnumquélibet ſuæ: Quæcunque alligaueritis, aut ſolueritis, ligata, ſolutaque erunt. Nulli verò reliquorum Apoſtolorum de hac poteſtate vllum dictum verbum reperies. Itaq; & Petrus ſicut ſingulariter poteſtatẽ illam ſingularem accepit à Chriſto: ita quoties ipſe tulit ſententiam, oὐ (velut Paulũ audiſti) ſe coniungit aut cum eccleſia, aut cũ Apoſtolis cęteris, quàmuis præſentibus, ſed ſingulari quadam autoritate ſemper vſus eſt, ſemper velut ex ſua & propria autoritate loquitur. Ita ananiã fraudantem de pretio agri venditi, ponentemq́ue partem eius ad pedes Apoſtolorum, ipſe vnus nõ communicato cum alijs, quàmuis præſentibus Apoſtolis conſilio, primùm conuicit mendacij, deinde & horribili mortis ſententia vltus eſt, ita vt oriretur timor magnus ſuper vniuerſam Eccleſiam. Similĩ autoritate Simonem Magum offerentem Apoſtolis pecuniam pro dono ſancti ſpiritus,
D nõ ipſi apoſtoli, ſed vnus ſingulariter Petrus condemnauit, dicens: Pecunia tua tecum ſit in perditionẽ, &c. Quare in primitiuæ illius Eccleſiæ hiſtoria haud ferè inuenies Epiſcoporum vllum, quàmuis primarum ſedium, hanc ſibi autoritatem ſingulariter vſurpaſſe proferendi in aliquem anathematis ſententiam. In vno autem Romano pontifice tanquam Petri ſucceſſore, eiuſdem quoq; autoritatem recognitam ab vniuerſis, quam & liberè exercuiſſe inueniuntur in Eccleſiam vniuerſam: Idq́ue approbante orbe vniuerſo. Itaque audiſti, quemadmodum ille Athanaſius vnà cũ vniuerſa illa tot ſanctiſsimorũ Epiſcoporũ Alexandrina ſecum congregata ſynodo ſcripſerint Romano pontifici, velut ſucceſſori Petri & eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidi: Tibi, inquiũt, claues regni cœlorum commiſit Chriſtus, & ligandi, ſoluendique & in terris & in cœlis poteſtatem. Et rurſus: Semper fuit veſtræ apoſtolicę ſedis poteſtas, iniuſtè dãnatos vel excõmunicatos, poteſtatiuè autoritate ſua reſtituere, & eis ſua omnia reddere, illosq́; qui omnes condemnauerũt, aut excommunicauerunt, apoſtolico punire priuilegio: ſicut etiã noſtris & anterioribus cognouimus

Singularis poteſtas Petri, & ſucceſſorũ eius.

C̲ognouimus actum temporibus.Hęc illi tot
A ſancti Epiſcopi ex Alexandrina & Oriente, & vltra vaſta interiacentia maria ad Romanum pontificem:ne qua tibi hîc ſit adulationis ſeruilis ſuſpicio.Sed pòſt luce clariùs iſta faciemus ex totius primitiuæ Eccleſiæ toto orbe diffuſæ hiſtoria.

Iam vt etiam hoc tibi donaremus, non ad congregationem aut domum eccleſiaſticam, ſed ad omnes & ſingulos Apoſtolos,eorumq́ue ſucceſſores Epiſcopos, pertinuiſſe illa verba Chriſti,Matthęi decimo octauo:Quęcunq; alligaueritis, &c. tametſi contrarium, ex illis ipſis verbis luculenter demonſtrauimus: vt,inquam,hoc donaremus tibi,parùm tamen tuæ ſuffragatur ſententiæ, Nam hoc nobis confitearis, neceſſe eſt,priùs atque etiam magnificentiùs datam vni Petro totius Eccleſiæ capiti, ſupereminentem illam ligandi,ſoluendiq; autoritatem à Chriſto, quàm ſeu Eccleſiæ, ſeu Apoſtolis poſtea diceret: Quæcunque alligaueritis,&c. Illi vni poſt traditas claues regni cœlorum, iam dictum erat: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cœlis: cùm pòſt aliquanto diceretur eccleſiaſticæ congregationi,ſeu,vt tu vis,Apoſtolis ſingulis: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo. Illic plurium,atque adeò omnium cœlorum & in clauibus, & in alliganda, ſoluendaq́ue

Vniuerſaliorem Petro datā autoritatē ligandi q̃ congregationi eccleſiaſticæ.

B poteſtate fit mentio: hîc vnius cœli tantùm, idq́ue in vna alligandi,ſoluendiq́ue poteſtate. Quam verborum Chriſti differentiam non eſſe otioſam, certum eſt, nec ſuo carere myſterio: præſertim cùm ab eodem Euangeliſta, eodem penè loco vtraq; referantur: ſed magnificētius aliquid ſignificare voluiſſe Chriſtum, cùm diceret: Quodcunque ligatum à Petro,fore ligatum in cœlis omnibus, quàm cùm poſtea diceret,de eccleſiaſtica domo & congregatione, ligata ab eadem, fore ligata in cœlo, tanquam vno ex multis, hoc ipſo vniuerſalem Petri autoritatem, in vniuerſum Chriſti ouile ſignificans, quod regnum cœlorum toties dicitur à Chriſto, vt cùm regalibus nuptijs, cùm ſagenę miſſę in mari, cùm decem virginibus ab eodem comparatur: particularem autem domus aut congregationis eccleſiaſticæ, in eos tantùm,qui ſibi ſubiecti ſunt, non autem qui ſubiecti ſunt congregationi alteri:vt Traiectenſis Eccleſiæ in Traiectenſes ſolummodò, non in Leodienſes etiam. Hanc verborum Chriſti primò ad Petrum, deinde ad congregationem eccleſiaſticam,cui iuſsit denunciare peccantem in nos fratrem, noſtra correptione non emendatum, differentiam non tulit vt

otioſam præterire diligentiſsimus ille ſcripturarum excuſſor Origenes: ſubindicans C quidem latere magni aliquid myſterij, tamē quid hoc ipſum ſit, non ſatis explicans. Siquidem homilia ſexta in Matthæum ſcribit in hæc verba: Sed quoniam,inquit, oportebat aliquid maius habere Petrum, præ illis, qui ter arguerunt, ideo illi quidem ſic dicit: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis:& quęcunque ligaueris ſuper terram,erunt ligata & in cœlis. Non ergo modica differentia eſt, cùm Petro quidem datæ ſunt claues, non vnius cœli, ſed multorum cœlorum: & quæcunque ille ligauerit ſuper terram,ſunt ligata non tantùm in vno cœlo, ſed in omnibus cœlis.Ad eos autē,qui multi ſunt ligatores & ſolutores, ſic dicit, vt ſoluant & alligent, non in cœlis, ſicut Petrus, ſed in vno cœlo: quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent & ſoluant in cœlis omnibus. Hactenus Origenes. Audis itaque huius teſtimonio, illam ligandi, ſoluendiq́ue poteſtatem,ampliorem antè datam vni Petro,quàm pòſt multis ligatoribus & ſolutoribus,hoc eſt, congregationi eccleſiaſticæ. Eamq́ue ipſam ibi datam Petro, vbi docuit ſuper ipſum fundari vniuerſam Eccleſiam,vt intelligerēt omnes,à baſi aut fundamento eccleſiaſticæ Hierarchiæ, à capite D & vertice hanc poteſtatem ad ſingulorum membrorum vtilitatē & ædificationem profluere in corpus vniuerſum, quàm diu illi ſuo capiti indiſſolubili connexionis vinculo cohæreret, à quo quicquid ſeparatur, protinus ruina eſt, protinus mortuum, ac iners truncus.

A Chriſto ergo data eſt hæc alligandi,ſoluendiq́ue autoritas, & capiti Hierarchiæ eccleſiaſticæ,& domui ſeu congregationi eccleſiaſticæ:vel,vt tu vis, Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus epiſcopis:ſed ordine quodam, vt à capite ſecundum ordinatiſsimam rerum natura diſtributionem,omnem vim & energiam profluere intelligeremus. Longiſsimè abeſt igitur,vel hac ligandi,ſoluendiq́ue autoritate, vel vlla prorſus re alia, quæ ad præſidentis in eccleſiaſtica Hierarchia autoritatem pertineret, reliquos Apoſtolos Petro adæquarit Chriſtus, cui omnes ſubeſſe præcepit.

Rationes diſſoluere, quibus ex actis Apoſtolicis contendunt non apparere, maiorem ſuper cæteros Apoſtolos autoritatem exercuiſſe Petrum, ſed contrà potiùs.

CAP. X.

Q Quemad-

A

Acta, quæ dicimus Apoſtolorum, magis eſſe commentariũ peregrinationis Lucæ cũ Paulo, quàm vniuerſum, aut actorum apoſtolicorũ, aut etiam vnius Pauli.

Quemadmodum Petro ſuam illam inter Apoſtolos ſingularem antoritatẽ vindicauimus aduerſus hæreticorum, ſchiſmaticorumque calumnias: ita quòd eandem ipſe nec ignorauerit, nec immemor eius fuerit, quoties hoc ipſum res & cauſa poſtularunt, aduerſus eoſdem palàm nunc faciemus. Qui contẽdunt non reperiri in Actis apoſtolicis, ipſum ſe vſpiam extuliſſe ſuper Apoſtolos reliquos, aut ſuperiorem vllam autoritatem exercuiſſe. Quin contrà potiùs, miſſum vnà cum Ioanne ab Apoſtolis in Samariam, cùm euangelico teſtimonio minor ſit mittente, qui mittitur. In illo quoque Apoſtolorum concilio, ſuper quæſtione legalium, videri maiorem quandam Iacobi enituiſſe autoritatẽ, quàm Petri. In eius ſiquidem, nõ Petri ſententiam concluſum fuiſſe ab illo concilio.

His tamen priuſquam reſpondeamus, hoc in primis admonitum te volui lector, quòd nolim quis Petri geſta ad eam paupertatem, anguſtiamque redigat, vt nihil illi concedat, quàm quæ in Actis perſcribũtur à Luca. Quę ſi quis excuſſerit, expenderitq́; diligentiùs, clariſsimè intelliget nõ tam apoſtolicorum Actorũ, quàm vnius Pauli, cuius erat comes indiuiduus, texere ſtuduiſſe hiſtoriam. Quã tametſi paulo altiùs repetit, ab ipſo videlicet

B naſcentis Eccleſiæ exordio: quòd tamen vnius Pauli, quam commentabatur hiſtoriæ occaſione, hoc ipſum fecerit, re ipſa teſtatus eſt in proſecutione hiſtoriæ. Siquidem poſtquam ad eius vſque conuerſionem & vocationem ad munus apoſtolicum perduxit illius primò naſcẽtis Eccleſiæ hiſtoriam, eiuſdem vnius deinceps acta deſcribit, & perſequitur, nec vllius reliquorum Apoſtolorum omnium meminit, niſi ſemel omnino, vbi actorum Pauli hoc requirebat ratio, in illo videlicet Apoſtolorum & presbyterorũ concilio, quod eiuſdem occaſione celebratum fuerat, ſuper quæſtione legalium, ob quam tumultuante Antiochena Eccleſia, inde Hieroſolymam deſtinati erant idem Paulus & Barnabas. Præter quem locum nullum planè verbum inuenies de vllo Apoſtolorũ, à principio capitis decimi tertij, vbi Paulus vocatus eſt ad munus apoſtolicum, ad finem vſq;, quàm de vno Paulo, & comitibus eius. Itaq; nec de mora Petri, & cathedra eius apud Antiochiam vllum verbum. Nec de diuiſione Apoſtolorũ, aut quando inter ſe partiti ſunt orbem terrarum, quò ſe quiſque contulerit, quas gentes conuerterit ad fidem Chriſti, quo martyrij triumpho glorificarit Chriſtũ. Sed vnius, vt diximus, Pauli eſt commentus hiſtoriam. Quam tamen ipſam plurimùm abeſt vt abſoluerit, adeò vt videri poſsit ſuę tãtùm cum eodem peregrinationis ſcribere voluiſſe commentarios. Nam ibi continuò deſinit, & magis abrumpit, quàm finit hiſtoriam, vbi ipſe vnà cum Paulo Romam peruenit: quemadmopum diuus Clemens nonnullam ſuæ peregrinationis partem cum Petro, à Cæſaria videlicet vſq; Antiochiam, decem illis libris recognitionum commentatus eſt: illis ipſis clariſsimè demonſtrans, quàm multis voluminibus opus fuiſſet ad vniuerſa vnius Petri geſta explicanda.

Ex quibus facilè intelligis, quàm ſit friuolum argumentum: Non legitur apud Lucam in Actis, quòd Petrus autoritatem ſuperiorem exercuerit ſuper cæteros Apoſtolos: nõ exercuit igitur.

Petri inter cõfratres modeſtiam non cõuerti debere in autoritatis ſuæ iniuriã.

Deinde, vt daremus Petrum in illo naſcentis Eccleſiæ primordio erga confratres ſuos ſe geſsiſſe ſubmiſsiùs, memorem doctrinæ præceptoris ſui: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator, vt ſcipſum formam exhiberet præpoſitis omnibus, quemadmodum beatiſsimus Cyprianus de eo teſtatur ad Quintium: Nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ędificauit eccleſiam ſuam, cùm Paulus de circuncifione poſtea diſceptaret, ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum D tenere, & obtemperari ſibi à nouellis ac poſteris potiùs oportere. Nolim tamen hanc Petri modeſtiam & humilitatem cõuerti in autoritatis eius iniuriam, cuius nihilo minùs memor erat, quoties hoc requirebat Eccleſię vtilitas, aliorumq́; ædificatio. Teſtantur hoc ſatis (ni fallor) Ananias cum vxore Saphyra, in quos exiguę pecunię fraudem, in aliorum exemplũ, horribili mortis ſentẽtia vltus eſt.

Poſtremò, tempora nobis diſtinguenda ſunt, vt ſcripturas concordemus. Non tam erat in illo principio naſcentis Eccleſiæ tempus moderandi, ordinandiq́; Eccleſiam illa Hierarchia, quam diſpoſuerat ſacer ſpiritus, & cuius caput Petrum iamdudum conſtituerat Chriſtus: quàm congregandi Eccleſiam illa Hierarchia ordinãdam, & in quam Petri autoritati, eiuſq; exercitio locus fieret. Quare & omnes tũc manibus, pedibuſque (quod dicitur) in hoc annixi ſunt, vndecunque potuerunt, diſperſas palanteſque oues congregare in onile Chriſti commiſſum Petro. In quas iam congregatas & introductas, locus erat exercitio autoritatis Petri.

Hæc quanuis ſufficerent ad illam obiectionem, qua dicitur non reperiri, quòd ſe extulerit

A extulerit ſuper alios Apoſtolos Petrus, tanquam ſuperiorem ſuper eos autoritatem obtinens: nihilo minùs, tam ex Euangeliſtis, quàm ex Luca in Actis ſatis cõſtare dicimus, quod tam ante paſsionem, quàm poſt aſcenſionem Chriſti ad patrem, ita ſe inter apoſtolos geſſerit, tanquam princeps & caput collegij. Ita ferè pro omibus interroganti Chriſto reſpondet, & pro omnibus interrogat, & loquitur, quod nemo reliquorum inuenitur ſibi vnquam vſurpaſſe. Itaque apud Matthęum, cùm adoleſcentem illum perfectionis viam docuiſſet Chriſtus, vt diuẽditis omnibus, & diſtributis in pauperes, ſe ſequeretur, ſubiunxiſſetque aduerſus diuites illa paradoxa, vnus pro omnibus interrogat Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Apud Lucam quoq; poſt enarratam à Chriſto parabolam de patrefamilias, ait ei Petrus: Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Et apud Ioannem, cùm ſcandalizati eſſent etiam Diſcipulorum Chriſti nõnulli, ex ipſius ſermonibus de ſua carne manducãda, & bibendo ſanguine, abiiſſentq; iam retrò, nec ampliùs ipſum ſequerentur, dixiſſetq; ad duodecim: Num & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quòd

B tu es Chriſtus filius Dei viui. Quid cauſæ igitur, quòd magis pro omnibus & reſpondet & interrogat Petrus, quàm Iacobus, aut Ioannes, aut cæterorum aliquis, niſi quia ille erat caput apoſtolici chori? Vnde beatus Cyrillus dictum Ioannis locum explicans, ſcribit in hæc verba: Reſpondet Simon Petrus: Domine ad quem ibimus, &c? Per vnum, qui præerat, reſpõdent omnes, ſanctam profectò, ſao ciſque congruentẽ diſciplinam optimè con ſeruantes, & poſterioribus prudentiæ atque modeſtię laudabilia prębentes exempla. Decet enim non omnes confuſè, nec proſilientes impudenter quaſi rapta vti oratione, ſed cedere his, qui & cõſilio & ordine ſunt præpoſiti, &c. Opus erat diuinitùs comprobatæ prudentiæ ſoli reſponſionem committere illi, qui ordine maior erat. Vides itaque Petrum reſpondiſſe pro Apoſtolis omnibus, tanquam qui ordine omnibus præemineret, eſſetque caput totius conſortij. Ita & Theophilus dictam Petri interrogationem explicans: Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Petrus, inquit, cui iam cõmiſſa eccleſia fuerat, quaſi omnium curam gerens, inquirit, an ad omnes Dominus parabolam protuliſſet. Sed non erat locus exercitio autoritatis Petri, quàm diu vnà cũ illis in carne verſaretur Chriſtus. Siquidem præſente princ ipe, ceſſat vicarij eius autoritas. At poſtquam ab eis aſſumptus eſt Chriſtus, reuerſuſque ad patrem, commiſſa cura familiæ ſuæ Petro, non ignorauit autoritatem ſuam, neque illi defuit: id quod multo nobis eſſet euidẽtius, ſi res, actaque Apoſtolorum omnium, tam diligenter proſecutus eſſet Lucas, quàm vnius Pauli. Attamẽ etiam ex his, quæ ab illo quaſi obiter memorãtur de Petro, haudquaquam obſcurum eſt, illum ſe geſsiſſe velut caput inter Apoſtolos. Itaque cùm à Chriſti aſcenſione reuerſi Hieroſolymam Apoſtoli, manerent vnà in cœnaculo, perſeuerantes vnanimiter in oratione, & expectantes promiſſum ſpiritum cum Maria matre Ieſu, nõ alius quiſquam, ſed Petrus exurgens in medio Diſcipulorum, qui erant ſimul ferè centum viginti, autor fuit alium ſubſtituẽdi in locum proditoris Iudæ, dicens: Viri fratres, oportuit impleri ſcripturam hanc, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux iis, qui comprehenderunt Ieſum, qui connumeratus erat in numerum noſtrum, & ſortitus ſortem miniſterij huius, &c. Oportet ergo ex ijs viris, qui nobiſcum verſati ſunt toto tempore, quo Dominus Ieſus perpetuam vitę conſuetudinem egit nobiſcum, exorſus à baptiſmo Ioannis, vſque ad diem, quo receptus eſt à nobis, vnus quiſpiam conſtituatur, qui ſit vnà nobiſcũ teſtis reſurrectionis eius, &c. Audis hîc Petri inter Apoſtolos autoritatem. Non propoſuit in commune deliberandum, num eſſet eligendus aliquis in locum Iudæ, nec reliquorum de hoc aut expectauit, aut expetiuit iudicium: ſed ſuam ipſe ſententiam, tanquam autoritatem habens, & totius familiæ curam gerens, ſtatim interpoſuit, dicens: Oportet, vt ex his viris, &c. Rurſus cùm die Pentecoſtes repleti Diſcipuli ſpiritu ſancto, cœpiſſent loqui alijs linguis magnalia Dei, dicerenturque ab irridentibus muſto pleni, ſtans vnus ex omnibus Petrus, eleuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hieroſolymis vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, &c. Quibus auditis, compuncti corde, dixerunt quidam ad Petrum, & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Vnus tamen Petrus pro ſua inter ęteros autoritate reſpondit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum veſtrorum, &c. Et acceſſerunt illo die ex ſermone eius, animæ circiter tria millia. Deinde cùm aſcendiſſet cum Ioanne in templum adho-

C D

Vt ſemper ſe geſſerit Petrus inter Apoſtolos, tanquã caput collegij apoſtolici.

Vnus Petrus autor eligendi Mathiam in locum Iudæ, Actor. 1.

Actor. 2.

Actor. 3.

A ad horam precationis nonam,& claudus ille ab vtero matris in vtrunque intendens, rogaſſet ipſos eleemoſynam,reſpódit vnus Petrus:Argentum & aurum non eſt mihi,quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula : & apprehenſa manu eius dextra, erexit eum,&c. Hîc animaduerte obſecro,num tibi videntur hęc verba maiorem quandam præ Ioanne, qui tamen & ipſe erat inter primos Apoſtolos, autoritatem ac poteſtatem præ ſe ſerentis? vterque eſt rogatus eleemoſynam, in vtrunque iuſsit aſpicere Petrus:attamen non dixit quaſi communiter pro vtroque: Argentum & aurum non eſt nobis, quod autem habemus, tibi damus: Sed tanquam principalem & ſingularem quandã autoritatem præ ſe ſerẽs,ait:Argentum & aurum non eſt mihi,quod autem habeo,hoc tibi do. Itaque & ipſe vnus concurrentem ad eos, & ſtupefa-

Act. 4. ctum hoc prodigio populum facundiſsima oratione alloquitur.cógregatis deinde principibus,ſenioribus, & ſcribis,& ipſos in medio conſtitutos interrogãtibus, in qua virtute ſeciſſent illud: repletus tũc ſpiritu ſancto Petrus,ita illis reſpódit,vt mirarẽtur omnes, comperto, quòd homines eſſent idiotæ, &

Act. 5. ſine literis.Iterum,cùm multitudinis credentium eſſet cor vnum,& anima vna, nec quiſ-

B quam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed eſſent illis omnia communia, vendentibus agros ac ædes, quotquot erant poſſeſſores, & diuenditorum pretia ad pedes Apoſtolorum afferentibus diſtribuenda in commune,prout cuique opus erat,Ananiam & vxorem eius, fraudantes de pretio agri diuenditi (ne tam ſanctum violaretur inſtitutum,exempliqúe pernicies inficeret etiam alios) primùm fraudis, mendacijqúe coarguit coram omnibus,deinde terribili mortis ſententia perculit. Simili autoritate ſingulariter vſum in Simonem Magum, ſuprà indicauimus.

Tu igitur quiſquis es, qui autoritate, poteſtateque pares fuiſſe Apoſtolos omnes cõtendis, alium (ſi potes) mihi profer Apoſtolum, qui præſente Petro aut dixerit, aut ſecerit aliquid,quod pręſerret ſingularem aliquam autoritatem ac poteſtatem eiuſmodi, qualem in dictis actisque Petri omnibus in omnium Apoſtolorum præſentia, nunc audiſti.Cuius ſi mira perpendas opera, videbis vt autoritate ac poteſtate: ita miraculorum prodigiorumqúe virtute ſupereminentem omnibus, mirabilioremqúe fuiſſe, vndique comprobante Deo, & honorabilem reddente datum illi à ſe primatum. Nam quàmuis

Acto. 5. Etiam miraculorum prodigiorũq; uirtute oẽs excelluiſſe Petrũ.

C per manus Apoſtolorum ederentur ſigna & prodigia multa in populo, Petri tamen adeò ſublimis erat inter cæteros Apoſtolos apoſtolica maieſtas, vt in plateas exportarent infirmos, ac ponerent in lectulis ac grabatis, vt tranſeuntis eius vel vmbra obumbraret aliquem illorum: conueniebatqúe Hieroſolymam, & vicinarum ciuitatum multitudo, afferens ægros, ac vexatos à ſpiritibus immundis, & ſanabantur omnes. Legimus quidem & de Paulo, quòd à corpore eius deſerrentur ſudaria, & ſemicincta ſuper infirmos, & recederent ab eis morbi, & ſpiritus mali egrederentur. De ſaluatore etiam noſtro, quòd ſanguiflua illa tactu veſtimenti eius curata fuerit. At quòd cuiuſquam vmbra ita paſsim curarit ægrotos omnes, nec de ipſo quidem Saluatore noſtro legimus, ſed de ſolo Petro, quem ita mirabiliter ſuper omnes alios exaltauit Deus. Sed hæc (vt diximus) multo illuſtriora, auguſtioraqúe viderentur, ſi acta ipſius Petri, in illa primitiua Eccleſiæ, tam eſſent perſcripta à Luca,quàm ſunt ipſius Pauli. Qui neque Petri, neque vllius reliquorum Apoſtolorum, niſi obiter meminit: vnius tantùm Pauli,aut potiùs ſuæ cum eodem peregrinationis (vt ſuperiùs indicauimus) commentatus hiſtoriam.

D Quod verò obijcitur, Petrum miſſum cum Ioanne ab Apoſtolis in Samariam, mihi adeò nihil derogare videtur autoritati Petri inter Apoſtolos, vt eandem etiam apertiſsimè comprobet. Nam licet prædicante Philippo recepiſſet Samaria verbum Dei, & per eundem multa ibidem ſigna ederentur nondum tamen ſpiritum ſanctum acceperant: Quod cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem, vt maiori quadam autoritate confirmarentur nouiter conuerſi ad fidem. Miſerunt autem, veluti ſi decerneret Senatus, fore ex Republica, vt non Prætor, non Legatus, non Proconſul, ſed ipſe per ſe Conſul,Senatus,Princeps adminiſtret difficilem periculoſamqúe aliquam prouinciam, aut bellum gerat. Quod nequaquam fuiſſe inſolens aut nouum, Romanæ docent hiſtoriæ. Nec tamen propterea non erat inter Senatores maior, imò ſuprema,conſularis poteſtas & autoritas. Quod idem, ſi ex ſacra tibi malis comprobari hiſtoria, audi ergo, quid ſcriptum ſit Ioſue vigeſimo ſecundo: Cùm reuerterentur filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe à filijs Iſrael de Sylo, vt intrarent Galaad, terram poſſeſsionis ſuę, quam obtinuerant iuxta imperium Domini,

in

A in manu Moyſi vltra Iordané, cùm veniſſent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, ędificauerunt iuxta Iordanem altare magnitudinis infinitæ. Qnod cú audiſſent filij Iſrael, & ad eos certi nuncij detuliſſent, conuenerunt omnes in Sylo, vt aſcenderent, & dimicareot contra eos: & interim miſerút ad illos in terram Calaad Phinees filium Eleazari ſacerdotis, & decé principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus. Vides hîc à populo & multitudine filiorum Iſrael mitti Phinees, ſacerdotem magnú in lege, filium Eleazari, filij Aaron, maximum & digniſsimum in populo, & cum eo decem principes de ſingulis tribubus. Nunquid propterea deſijt Phinees eſſe (quod de eo ſeribitur) dux eorum coram Domino: aut nunquid illi decem principes tribuum propter hoc principes non fuerút, quòd à tribubus miſsi ſunt? Quare nec Petri autoritati quicquá derogat, quòd hoc pacto miſſus fuerit cum Ioanne ab Apoſtolis: præſertim ſi etiam hoc cogites, quòd vnà manentes, & needum à ſe diuiſi Apoſtoli, communi conſilio adminiſtrabant Eccleſiá, cuius tametſi eſſet caput Petrus, modeſtia tamen ac humilitate æquabat, atque adeò ſubmittebat ſe omnibus, niſi vbi opus erat meminiſſe autoritatis ſuæ. Illud verò, quod ex Ioanne adducitur: Non eſt ſeruus maior Domino, nec Apoſtolus eo, qui mittit illum, facilè intelligis non pertinere ad propoſitum. Non enim ita miſſus eſt ab Apoſtolis Petrus, tanquam eorum Apoſtolus aut nuncius, ſed tanquam honoratiſsimus apoſtolici ſenatus, & princeps Eccleſiæ. B

Reſtat nunc paucis reſpódere de Iacobo, quem in illo Apoſtolorú concilio ſuper quęſtione legalium, volunt ſe extuliſſe ſuper Petrum, à quo tota abſuit diametro. Fuit quidé hic vir admirabilis, tantæ ſanctitatis ac opinionis in populo (quod de eo teſtatur Diuus Hieronymus) vt fimbriam veſtiméti eius cuperét certatim attingere. Attamen quis nam hunc Hieroſolymorum conſtituerit Epiſcopum, ſi Chryſoſtomum interrogas, reſpondebit tibi, à Petro totius orbis magiſtro illú conſtitutum fuiſſe, tantum abeſt, vt ipſo fuerit ſuperior. Ita enim ſcribit homilia octuageſima ſeptima in Ioannem: Si quis, inquit, à me percúctaretur, quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit, reſponderem ego hunc totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe Petrum. Quod ipſum etiam atteſtatur beatus Anacletus martyr beatiſsimi Petri Diſcipulus, & in cathedra ſucceſſor, in epiſtola ad Epiſcopos per Italiam, tametſi Petro hac in re etiam Iacobum & Ioannem Zebedæi filios

Iacobus conſtitutus Epiſcopus Hieroſolymorum à Petro.

C adiungat, vt tunc communi adhuc Apoſtolorum nondum à ſe diuiſorum conſilio gubernabatur Eccleſia. Confirmat quoque (vt pòſt audies) Etherianus ille. Quibus facilè crediturus es, ſi & alia Petri acta perpéderis, quæ quàmuis ex plurimis paucula, & velut obiter perſtringat Lucas, ſatis tamen ex eis conſtat, ſe inter Apoſtolos geſsiſſe Petrum, tanquam ad quem præcipua totius Eccleſiæ cura pertineret: præſertim ſi illam Mathiæ electionem in ſortem Apoſtolatus, in locum proditoris Iudæ, conſideres attentiùs. Nam quáuis non per homines, ſed per ipſum chriſtum primi illi eligendi fuerant in apoſtolatus miniſterium, quos ſibi & actæ vitæ, & reſurrectionis ſuæ teſtes habere voluiſſet, eapropter nec ſuffragijs ſit electus Mathias, ſed conſtitutis duobus, Domino tota eſt cómiſſa electio, miſsis ſortibus. Attamen huius talis electionis, quantum ab humano opere pendebat, vnus (quemadmodum ſuperiùs audiſti) fuit autor Petrus.

Sed operæpretium eſt audire, vt Iacobum ſupra Petrú ſe extuliſſe videri velint, in illa ad Apoſtolorum ac presbyterorum, qui Hieroſolymis erant, iudicium relata quæſtione. Nam ex gentibus cóuerſi ad Chriſtum, legalibus onerandi eſſent oneribus, Petrus prior D ſuam dixit ſententiam, eos in totum liberos pronuncians: Iacobus deinde confirmauit eandem, etiam prophetico teſtimonio. Sed vt Iudæi Chriſti fideles faciliùs coaleſcerent cum conuerſis ad Chriſtum ex gentibus, reſtringendam nonnihil libertatem illam cenſuit, & paucula quædá onera illis imponere. In cuius ſententiá itum eſt à concilio, & ſcripta ad gentes epiſtola.

Hîc te interrogo: Cùm in concilijs quædá diſcutienda proponuntur, nunquid non eſt vſitatú & commune, vt honoratior, & cuius inter omnes eſt maior autoritas, primus ſuam dicat ſententiam, & qui ſequuntur eandem, aut approbent, aut mutent, aut addant aliquid, prout cuiq; viſum fuerit? Plus enim vidét multi, q̄ vnicus: alioqui ſi autoritate tátùm maiore definiéda erant proproſita, quid opus erat concilio? Nunquid ergo illius continuò maior eſt inter omnes autoritas, cuius fortè ſententia (quod frequenter nouiſsimo accidit) probabilior eſt viſa concilio? Petrus cùm magna eſſet inter Apoſtolos & presbyteros diſceptatio ſuper quęſtione propoſita, pro ſua inter omnes autoritate, prior dixit ſententiam: cui ſi quædam addenda viſa ſunt Iacobo approbante concilio, nunquid propterea Iacobi maior erat, quàm Petri autoritas? Quòd ſi inſuper vtriuſque perpendas

A ſententiam, inuenies illam Petri continuò pòſt præualuiſſe in orbem vniuerſum: Illam verò Iacobi, quæ tunc placebat concilio, vix ad modicum perduraſſe, ſed mox fuiſſe abolitam, ita mirabiliter approbante vbique & confirmante Deo Petri ſuper omnes antoritatem. Petrus ſiquidem Chriſti fideles conuerſos ex gentibus à legalibus oneribus liberos in totum pronunciauit, dicens in hęc verba: Viri fratres, vos ſcitis, quòd ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meũ audirent gentes verbum Euangelij, & crederent: & qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit illis, dans illis ſpiritum ſanctum, ſicut & nobis, nihilque diſcreuit inter illos & nos, quum fide purificauerit corda illorũ. Nunc ergo quid tentatis Deum, vt imponatur iugum ſuper ceruices Diſcipulorũ? quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſed gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros, quemadmodum & illi. Tacentibus autem cunctis ad hãc orationem Petri, & narrantibus Paulo & Barnaba, quãta per ipſos feciſſet Deus inter gentes, Iacobus Hebræorum Epiſcopus, non ita liberos eſſe voluit conuerſos ex gentibus, ſed cenſuit ſcribendum ad eos, vt abſtinerent ab immolatis ſimulachris, ſuffocatis & ſanguine: quô faciliùs conglutinarentur Iudæis, qui inueterata ex lege conſuetudine, ab

Act. 15.

B his abhorrebant vehementer. In quam ſententiam placuit concilio ad cõuerſos ex gentibus ſcribere. Tu itaque nunc vide, ac dijuca, an Iacobi & illius concilij, an verò vnius Petri per orbem obtinuerit ſententia. Nunquid enim à ſanguine & ſuffocato deinceps abſtinuerunt Chriſti fideles, & non potiùs omnem creaturam Dei bonam exiſtimarunt, quæ cum gratiarum actione percipitur, tanquam iuxta Petri ſententiã, liberi in vniuerſum ab oneribus legalibus? Quare non multo poſt illius concilij decretum Corinthijs ſuis ita ſcribit Paulus: Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini ſiquidem eſt terra & plenitudo eius. Quòd ſi quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conſcientiã. Porrò conſcientiam dico, non tuam, ſed alterius. Cur enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Quòd ſi ego cum gratia participo, cur ob id mihi maledicitur, pro quo gratias ago? Rurſus Tito ſuo: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Iterum ad Romanos decimo quarto capit. Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil eſt commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe. Et ad Coloſſenſes: Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum: hoc eſt, nemo vos veluti Iudæos in his diſcernat ab ijs, inter quos habitatis. Et hæc ferè continuò poſt illius decretum concilij docuit, & prædicauit Apoſtolus: vt intelligas, non Iacobi & illius concilij, ſed vnius Petri ſententiam, etiam tunc ſtatim obtiuiſſe per Eccleſiam. Ita re ipſa comprobauit & confirmauit Dominus, quòd non fruſtra pro fide vnius Petri rogauerit, pro confirmatione aliorum in fide. C

Quæ ex Paulo obiiciuntur, diſſoluere.

CAP. XI.

NVnc ad ea, quæ de Paulo obiecta ſunt, nonnihil dicẽdum eſt: Tria autem ſunt, quæ obijciuntur. Primùm, quòd in nullo conceſſerit Petro, cùm ſcribat Galatis ſuis, nihil ſibi contuliſſe nec Petrũ, nec cæteros Apoſtolos, qui erant Hieroſolymis. Secundum, quòd Petro reſtiterit in faciem. Tertium, quòd illum circuncisionis tantùm, ſe verò gentium videatur facere Apoſtolum.

Ad primum itaque, quod dicitur Paulum in nullo conceſsiſſe Petro, hoc planè falſum eſt. Conceſsit Petro haud dubiè plurimum, vt meritò debuit, adeò vt eius ſpectandi cupiditate Hieroſolymam aſcenderit, cuius idem ipſe teſtis eſt. Non equidem humanum aliquid in eo paſſus. Neque enim puto, inquit Hieronymus, apoſtolicæ fuiſſe grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, humanum aliquid in Petro voluerit aſpicere, ſed his oculis aſpexit eum, quibus & modò in epiſtolis ſuis videtur. Iuit autem non quidem diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem habuerat Doctorem, & magiſtrum ſanctum ſpiritum: ſed honoris deſerendi gratia: adeò (inquit Theophylactus in dictam Pauli epiſtolam) illum venerabatur, & coluit. De qua eius profectione in eandem epiſtolam ita ſcribit ſacer Ambroſius: Dignum fuit, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui & delegauerat Saluator curam Eccleſiarum: non vtique, vt ab eo aliquid diſceret, qui iam ab eodem antore didicerat, à quo ipſe fuerat inſtructus Petrus: ſed propter affectum apoſtolatus, & vt ſciret Petrus, hanc illi datam licentiam Euangelium prædicandi, quam ipſe acceperat. Veniens ergo ad eũ, hoſpitio receptus eſt, & mãſit apud eum diebus quindecim, tanquã vnanimis Apoſtolus.

Quòd Paulus plurimũ conceſſerit Petro D

Hoc

A Hocideo manifeſtat, vt oſtendat ſe concor-
diam cum Apoſtolis habuiſſe, nec in aliquo
ab eis diſſenſiſſe, ſicut de eo ſuſurrabãt pſeu-
dapoſtoli, vt eum apud gẽtium diffamarent
eccleſias, & ſua mala ſimplicioribus inſere-
rent, dicentes ea cõuenire cum doctrina ma-
iorum Apoſtolorum. Hactenus Ambroſius.
Vides itaq; quàm ſit ſalſum, Paulum in nul-
lo conceſsiſſe Petro, quem è tam longinquo
viſitauit honoris deſerendi gratia, tanquam
primum inter Apoſtolos, cui delegauerat ſal
uator curam eccleſiarum omnium.

Quod verò ipſe dicit: ſibi nihil contuliſſe
Petrum aut reliquos, qui Hieroſolymis erãt
Apoſtolos, hoc voluit ſignificare, ſe quoque
Chriſtum, nõ Petrum aut Apoſtolos habuiſ
ſe ſui Apoſtolatus autorem, atq; etiam euan-
gelij, quod prædicabat, doctoremq; quemad-
modum & cæteri Apoſtoli.

Ad ſecundum autem, qnòd ſe dicit Antio
chiæ reſtitiſſe Petro in ſaciem. Scio hîc affir-
mari à Clemente illo Alexandrino Origenis
præceptore, non ſuiſſe illum Petrum Apoſto
lorum principem, cui Paulus ſe reſtitiſſe ſcri
bit in faciem, ſed ex LXX. diſcipulis aliquem.
Cuius ita meminit Euſebius libro primo hi-
ſtoriæ eccleſiaſtic. Clemens verò inquit, in
quarto diſpoſitionum libro Cephæ mẽtio-
B nem ſacit, de quo Paulus dixit: Cùm autem
veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei re-
ſtiti, & dicit eum vnum eſſe ex LXX. diſcipu-
lis cognomine Petri Apoſtoli. Hæc Euſebi-
us. Fuit autem ille Clemens doctiſsimus dili
gẽtiſsimusq; noſtrę religionis aſſertor, Apo
ſtolicis tẽporibus proximus, ea ferè ſcribens
quæ ab Apoſtolorum auditoribns ipſe acce
perat. Siquidem ςρωματῶν libro primo enu
merans, quos Apoſtolicæ prædicationis vi-
ros repererit, ad quos ſe contuliſſet diſcendi
ſtudio, & apud Achaiam, & apud Syriam, & in
Oriente, & apud Paleſtinam, ad vltimum au-
tem, inquit, in Aegypto magiſterio vſus ſum
viri virtutis & ſciẽtiæ merito omnibus pręſe
rendi (Pantenum intelligit) Et illi quidẽ di-
uinæ doctrinę veritatem, quæ ſibi ab ipſis ſta
tim primis autoribus Petro, & Iacobo, & Io-
anne, & Paulo ſanctis Apoſtolis tradita fue-
rat, tanquam patres filio commẽdarunt. Sed
pauci patribus ſimiles filij, tamen Deo fauẽte
per ipſos in nobis germinis Apoſtolici plãta-
ta ſunt ſemina. Hæc idem ipſe Clemens. Qui
dignus habitus eſt in ea eccleſia, cui ſecundo
poſt Apoſtolos loco apud Alexãdriam ecclé
ſiaſticę ſcholæ cõmitteretur magiſterium, vt
doctoris eidẽ pręeſſet officio poſt Antęnum;
cui primò poſt Apoſtolos id mandatum erat
officij. Habuit autem & diſcipulum & cathe-
dræ ſuæ ſucceſſorem illum verè admirãdum
Origenẽ. Quæ ideo hîc libuit adſcribere, ne
leue putes huius viri hac de re teſtimonium.

Deinde, vt donemus ſuiſſe illum Petrum
Apoſtolũ: Diui Hieronymi aduerſus Augu-
ſtinum haud improbabilis ſentẽtia eſt, ſimu
latam fuiſſe illam reprehenſionẽ Pauli. Nam
quemadmodũ Petrus cæteriq; Apoſtoli, atq;
ipſe etiam Paulus, ob ſcandalum Iudæorum

Hieronymi, Chryſoſtomi, & Theophylacti ſententia, nõ fuiſſe ſeriã illam reprehenſionem.

ſimnlatè ſeruarunt legalia: ita cùm ex ea ſimu
latione, quæ erat neceſſaria ad ſeruandos Iu
dæos à ſcandalo, ſcandalizarentur gentes, ei
ſcandalo gentium Paulus ſimulata reprehen
ſione occurrit, non quidem pręſentibus illis
Iudęis, ſed gẽtibus ex Petri ſimulatione ſcan
dalizatis. Quo pacto vtrorumque ſcanda-
dalum excluſerunt: Iudęorũ ſua ſimulatione
Petrus, gentiũ Paulus illa ſimulationis ſimu-
lata reprehẽſione. Nam quòd eodem cõcilio
ipſe etiam Paulus coram Iudæis ſimulauit ſe
ſeruare legalia, quamuis liberrimus alioqui
euangelicę libertatis vindex & aſſertor, teſta
tur Lucas Actorum XVI. Peruenit, inquit, in
Derben & Lyſtram, & ecce diſcipulus quidã
erat ibi, nomine Timotheus filius mulieris
viduæ fidelis, patre gentili, cui bonum teſti-
monium perhibebant, qui in Lyſtris erant &
Iconio ſratres. Hunc voluit Paulus proficiſci
ſecum, & aſſumens, circuncidit eum propter
Iudæos, qui erant in illis locis: ſciebant enim D
omnes, quòd pater eius erat gentilis. Vides
hîc Paulum videri voluiſſe Iudæis nõ ſolùm
ipſe ſeruare legem, ſed etiam gentes, quas cõ
uertit ad Chriſtum, docere ac perſuadere Iu-
daiſmum. Quòd autẽ ſimnlatè ob ſcãdalum
Iudæorum vitandum, & vt hoc pacto magis
ſe illis inſinuaret, & non ſeriò id fecerit, ſatis
indicat Lncas, dicens eũ hoc ſeciſſe propter
Iudæos, qui erant in illis locis: atq; idem ipſe
luculentiſsimus teſtis eſt, qui toties clamat,
toties inculcat: Si circuncidemini, Chriſtus
vobis nihil proderit. Eadẽ ratione, eodemq;
conſilio totunderat ſibi caput in Cenchreis
tanquam perſoluens votum. & rurſus Acto-
rum XX. Cùm veniſſet Hieroſolymam, ſalu-
tatoque Iacobo & ſratribus, narraſſet illis
quæ per eius miniſterium feciſſet Deus in
gentibus, reſponderunt illi dicentes: Vides
frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui credi-
derũt, & omnes æmulatores ſunt legis: audie
runt autem de te, quòd diſceſsionem doceas
à Moyſe, eorũ qui per gẽtes ſunt Iudæorum,
dicẽs: nõ debere eos circũcidere filios ſuos,
neq; ſecundũ cõſuetudinẽ ingredi. quid er-
go erit? Oportet vtiq; cõuenire mulitudinẽ,
audient enim te ſuperueniſſe. Hoc ergo fac
quod dicimus. Sunt nobis viri quatuor votũ

A habentes ſuper ſe: his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita, & ſcient omnes, quia quę de te audierunt, falſa ſunt: ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem, &c. Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis intrauit in tẽplum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorũ ablatio, &cæ. Vides hic ex quorum conſilio, & qua ratione ductus ipſe coram Iudæis ſeruarit legalia. Non equidem ſeriò, ſed ſpecie tenus & ſimulatè: quô fidẽ faceret Iudæis falſam quidem, attamẽ pro eo tempore ipſis vtilem, falſa eſſe quæ de ipſo audierant, quæ tamen non erant omnino falſa, quemadmodum eius epiſtolæ, maximè autẽ quæ ad Galatas, teſtantur: & quod ambularet etiam ipſe cuſtodiens legem, quam tamẽ certũ eſt eum non ſeruaſſe. Si itaq; etiam Paulus ob ſcandalum Iudæorũ declinandum toties inuenitur ſimulaſſe, non ſolùm ſe obſeruare legem, ſed etiam gentes ad Iudaiſmum attrahere, vt in circuncisione gentilis Timothei, cùm tamen reuerâ oppoſitum faceret è diametro, qua fronte ipſe hanc ſimulationem reprehendiſſet in Petro, niſi (vt diximus ex Diui Hieronymi ſententia) & hæc quoque ſimulata fuiſſet reprehenſio ad medendum ſcandalo gen-

B tiũ nato ex illa ſimulatione Petri? Quæ ſicut ad hoc valebat cũ fieret, ita quoque eius commemoratio, perinde quaſi ſeria fuiſſet, non erat inutilis Galatis, quos nonnulli pſeudapoſtoli Iudaizare cogebant. Eadem eſt Chryſoſtomi ſentẽtia, in dictam Pauli epiſtolam: Qui hoc ipſum quod dicit Paulus: In faciem illi reſtiti, ita legit Græcè, κατὰ πρόσωπον, id eſt, iuxta faciem, perinde quaſi dixiſſet: In ſpeciem. Etenim, inquit, ſi verè fuiſſet inter ipſos contentio, nequaquam præſentibus diſcipulis ſe inuicem increpaſſent, &cæt. Nũc autem vtilis erat, palam in ſpeciem adhibita diſſenſio. Eidem ſententiæ etiam Theophylactus ſubſcribit in eãdem Pauli epiſtolam. Poſtremò, quamuis etiam hoc daremus, quod tantopere volunt, nec nos omnino reprehendimus, Petrum illum Apoſtolorum principem ſeriò reprehenſum à Paulo, nihil tamen hoc eius derogaret autoritati. Neque enim incõueniens exiſtimamus ſuperiores ac præpoſitos noſtros ſi aut aberrent in fide, aut alios verbo vel facto aberrare faciãt, admonere & charitatiuè corripere, aut etiam publicè eis verbo reſiſtere, ſi hoc cauſa fidei poſtulet: quẽadmodũ poſtulabat in propoſito, ſeu ſeriam, ſeu ſimulatam eam reprehẽſionem voluerimus. Ad quod induci exemplum hoc Pauli, haud grauatim admittimus.

Ad tertiũ verò illud, quod ex Paulo obijcitur, Petro commiſſas fuiſſe non oues vniuerſas, ſed eas tantùm quæ ex circuncisione. C Siquidem circuncisionis ipſum Apoſtolum Paulus vocat, ſe verò gentium.

Dicimus Petro vniuerſas Chriſti oues cõmiſſas, non ſolùm, quæ ex Iudæis, ſed multo magis, quæ ex gentibus, quas iam aſcenſurus ad patrem tertiò illi cõmendauit, dicens: Paſce agnos meos, rege, paſceq; oues meas. Nullas omnino excepit, ſed vniuerſas eius regimini commiſit, ſuper quem ædificauit eccleſiam ſuam vniuerſam. Cuius autoritati omnes ſubiecit, quotquot eſſent in terris, dicẽs: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: vbi dicitur: quodcunq;, ibi excipitur nihil. Quare beatus Chryſoſtomus tractãs dicta verba Chriſti ad Petrum: Tu es Cephas, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: Et quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Hęc, inquit, omnia quę ſolius Dei ſunt, Chriſtus pollicetur ſe daturum Petro. Ita & pater ad Hieremiam dicebat ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium pater: huic autem vniuerſo orbi terrarum præpoſuit Chriſtus. Idem in Ioannem dicit totius orbis curam Petro commiſſam à Chriſto. Similiter ille ter ſanctus Leo ſermone tertio de paſsione dominica (quod & ſuperiùs audiuiſti) vnus, inquit, de toto mundo eligitur D Petrus, qui & vniuerſarum gẽtium vocationi, & omnibus Apoſtolis cunctiſq; eccleſiæ patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi ſint ſacerdotes, multiq; paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnũ & mirabile huic viro dilectiſsimi conſortium potẽtiæ ſuæ diuina tribuit dignatio, vt ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per iſtum dedit, quicquid cæteris non negauit, &c. Diuus quoque Gregorius: Cunctis, inquit, euangeliũ ſcientibus liquet, quòd voce dominica ſancto & omniũ Apoſtolorum principi Petro totius eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Quem euangeliſtæ locũ tractans & explicans ille Theophilus: Cùm, inquit, finitum eſſet illis prandiũ, Petro præpoſituram ouium orbis terrarum tradidit. Rurſus in illud, quod Petro percunctãte de Ioanne, continuò pòſt reſpondit Chriſtus: Sic eum volo manere, &c. Tu me ſequere: Te nanq;, inquit, nunc dimitto ad orbis pontificatum, & in hoc me ſequere. Sed & ſanctiſsimi quoq; Bernardi hîc libet verba adſcribere. Cuius viri inter antiquos illos verè ortho-

Vniuerſas oues Chriſti cõmiſſas Petro.

tho-

A thodoxos ſcriptores memoriam libenter inſero, quod in eo in nouiſsimis his tẽporibus planè Apoſtolicũ ſpiritũ renouaſſe Deus, & exuſcitaſſe videtur, haud minora per manus eius operatus ſigna ac prodigia, quàm dudum per illos ſuos Apoſtolos.

Hic libro ſecundo de conſideratione ad ſuum Eugenium, inter cætera ſcribit in hæc verba: Agè, inquit, indagemus adhuc diligenter qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in eccleſia Dei. Quis es? ſacerdos magnus, ſummus pontifex, tu princeps epiſcoporum, tu hęres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, ordine Melchiſedech, dignitate Aarõ, autoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctiõe Chriſtus, &c. nec modò ouiũ, ſed & paſtorũ tu vnus omniũ paſtor. Vnde id probẽ quęris? ex verbo Dñi. Cui enim nõ dico epiſcoporũ, ſed etiã Apoſtolorũ ſic abſolutè & indiſcretè totę cõmiſſę ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Et paulo pòſt: Cui nõ planũ eſt, oẽs oues deſignaſſe? nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Rurſus poſt alia pleraque: Inde eſt quòd alij ſinguli ſingulas ſortiti ſint plebes ſcientes ſacramentũ, deniq; Iacobus, qui videbatur colũna vna eccleſię, vna cõtentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatẽ cedẽs. Tan-
B dem cõcludens ait: Alij in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinẽ vocatus es poteſtatis: aliorũ poteſtas arctatur certis limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatẽ ſuper alios acceperũt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu epiſcopo cœlũ claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanę potes? Stat ergo incõcuſſum priuilegiũ tuũ, tam in datis clauibus, q̃ in ouibus cõmendatis. Hactenus ille. Nõ igitur circũciſionis tantùm, ſed ouiũ vniuerſarũ, nec ouiũ modò, ſed & paſtorũ, vnus oĩm paſtor cõſtitutus eſt Petrus. Quem vniuerſo orbi terrarũ, cũctarumq; gentiũ vocationi, omnibus deniq; Apoſtolis cunctiſq; eccleſię patribus, vt iã audiſti, prępoſuit Chriſtus. Cur verò circũciſionis Apoſtolus ipſe dictus ſit à Paulo, qui ſe gentiũ gloriatur Apoſtolũ, haud difficulter intelliges, ſi perpẽdas, & quod de ſeipſo teſtificatus eſt ſaluator noſter, dicẽs: Nõ ſum miſſus, niſi ad oues quę perierũt domus Iſrael. Et quod Apoſtolis duodecim præcepit, cũ eis daret poteſtatẽ ſpirituũ immundorũ, & vt curarẽt omnẽ languorem, & omnem infirmitatẽ, videlicet ne abirent in vias gẽtium, nec Samaritanorũ ingrederentur ciuitates: ſed ite, inquit, potiùs ad oues perditas domus Iſrael. Quas ſuũ populũ, & oues gregis ſui peculiariter ſępe vocat Deus in ſcriptura. Quorum Chriſti mãdatorum memores Apoſtoli, etiam diu poſt acce-
C ptum ſpiritum ſanctum, exiſtimauerũt ſolis Iudæis miſſum fuiſſe verbũ ſalutis, idq; tandiu vſq; dum viſo admonitus Petrus, primũ omnium ſuſciperet Cornelium Centurionẽ gẽtilẽ & incircũciſum hominẽ ad baptiſmũ. Ad hoc igitur vſq; temporis, tam Petrus, quã vniuerſi cum eo Apoſtoli, ſolis Iudæis euangelizabant verbum fidei. Vnde nihil mirum, ſi Petrus eatenus circunciſorum præcipuè diceretur Apoſtolus, ad quos ſolos miſſum ſe dixerat Chriſtus, miſsi etiam principio Apoſtoli, ita quidem vt diu eis non reuelaret ſpiritus ſanctus, etiam gẽtibus communicandum euãgelium in ſalutem. Cuius cùm tempus iam adeſſet opportunum & placitũ Deo, ſiquidem Iudæis iam ſatis diuulgato euangelio, nõ Paulo, non Iacobo, nõ Ioanni, ſed Petro, totius nimirum eccleſiæ ſummo paſtori (quæ eatenus circunciſionis tantùm fuerat) apparuit viſio de cœlo, qua poſitus in mentis exceſſu vidit apertum cœlum, atq; inde vas quoddam veluti linteum magnum quatuor initijs alligatũ demitti in terram, in quo erãt omnis generis quadrupedia terræ, beſtiæq; & reptilia & volatilia cœli, & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca. Quo viſo, vt pòſt intellexit, admonebatur etiam gentes incorporare Chriſto: gentiũ enim im-
D mundiciæ per quadrupedia terræ, beſtias, reptilia, volatiliaq; ſignificabantur. Quas Deus intra linteũ eccleſiæ recipere iam exiſtimans opportunum, Petro præcepit primùm, vt eas mactaret verbo Dei quouis gladio vtrinque incidente penetratiori: deinde vt manducaret, hoc eſt, cibi more in eccleſiæ corpus traijceret, ſibiq; conglutinaret vt eccleſiæ fundamento. Et ne quis eum teneret ſcrupulus, ita etiam tertiò eſt admonitus: & continuò poſt viſionem venerunt à Cornelio quidam eius accerſendi gratia, quatenus ipſum erudiret in ijs, quæ ſalutis ſuæ erãt. Cum quibus proficiſci iuſſus à ſpiritu, vt acceſsiſſet ad Corneliũ, eidem cum omni domo ſua annunciauit regnũ Dei, hunc in modum exorſus: Re ipſa comperio quòd non ſit perſonarũ reſpectus apud deũ, ſed in omni gẽte, qui timet ipſum, & operatur iuſtitiã, hic acceptus eſt illi. Sermonẽ, inquit, quẽ miſit Deus filijs Iſrael, annuncians pacẽ per Ieſum, ipſi noſtis, &c. huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quod remiſsionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Et cùm adhuc eo loquente excidiſſet ſpiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebãt ſermonẽ, obſtupefactis miraculo his, qui ex circunciſione venerant cũ Petro, iuſſit eos baptizari in

Cur Petrus circũciſiõis Apoſtolus dicatur a Paulo ſe gloriante Apoſtolũ eſſe gentium.

nomine Domini. Per hunc itaq; Petrum totius eccleſię caput & magiſtrũ, didicerunt primo & cęteri Apoſtoli, quòd & gẽtibus cõceſſerat Deus pœnitentiã ad vitã. Quare & exorta poſtea diſceptatione non exigua, an gẽtes onerandi eſſent oneribus legalibus, in Apoſtolorum deſuper habito concilio, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quòd ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meum audirent gentes verbum euangelij & crederent.

A

Audis quid hic dicat Petrus, Deum videlicet ab antiquis diebus elegiſſe, vt per os ipſius inter omnes Apoſtolos audirent gentes verbum euangelij & crederent, vt qui antea fuerat ſolius circuncifionis paſtor & Apoſtolus, quippe quæ ſola in ouili dominico eatenus cõtinebatur, efficeretẽ etiã paſtor gentiũ, quas, cũ placuiſſet Deo, etiam in ouile ſuum adducere, & ad agnitionem veritatis venire, elegit hoc fieri miniſterio Petri, vt velut prę uidens iſtorum calumnias, dominici gregis magis cõmendaret vnitatem, conteſtatumq; faceret vnicum ouile ſub vnico paſtore eſſe oportere. Quòd vero Paulus ſe gentium, Petrum verò circuncifionis facit Apoſtolum, non eò pertinet, quaſi gentibus tantùm ipſe euangelizauerit. Siquidem & ipſe primum ſemper euangelizauit Iudæis per ſynagogas, ſed cũ penè vbiq; ab illis cõtradiceretur ſibi, dixit vnà cũ Barnaba: Vobis oportebat primũ loqui ſermonẽ Dei, ſed quoniã repuliſtis illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Meritò igitur ſe gentium gloriatur Apoſtolum, in quas præcipuus laboris eius fructus enituit. De Iudęis gloriari non audet, à quibus penè vbiq; malè acceptus eſt. At Petro, cui totius ouilis cura commiſſa eſt, æquus penè fructus fuit, & in Iudæis & in gentibus. Sed quoniam Iudæis primũ loqui oportuit verbum Dei, primus quoq; labor eius ad eos in ouile Chriſti ſibi commiſſum introducendos maximo cũ fructu ac prouentu deſudauit, adeò vt vnico primóq; èius ſermone, quem ipſo die Pentecoſtes habuit, tria millia circiter animarũ conuerterẽtur ad Chriſtum. Quare ea ratione in illo principio meritò vocatus eſt à Paulo circunciſionis Apoſtolus: in qua tum fructus eius cernebatur maximus. Sed poſtea nihilo ſeciùs nec minori fructu laborauit in gentes, quàm antè in circũciſionem fecerat. Cùm enim (vt beatiſſimi Leonis verbis dicamus) Apoſtoli duodecim accepta per ſpiritũ ſanctum, omnium locutione linguarum, imbuendum euangelio mundum diſtributum ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, & beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, iã populos qui ex circunciſione erant, erudierat, Antiochenam eccleſiam, vbi primũ Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundauerat, & Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atque Bithyniam legibus euangelicæ prædicationis impleuerat, ad arcem Romanj deſtinatur imperij: vt hic ſicut eſſet terrenus imperator & rector orbis, ita & ibidem pręſideret hic paſtor, qui præſul eſſet & caput eccleſiæ totius. Qua de re in hæc etiam verba ſcribit ille Cæſarienſis Euſebius, Simonis magi ex Iuſtino & Irenæo enarrans hiſtoriam, & quemadmodũ maleficis ſuis artibus ita dementauerat Romanos, vt diuinos ſibi honores impenderent. Sed nõ in longum, inquit, permanet fraude quæſita diuinitas. Cõtinuò nanque in ipſis Claudij temporibus, clementiæ diuinę prouidentia, probatiſſimum omnium Apoſtolorum & maximum fidei magnificentia, virtutis merito primorem principem Petrum ad vrbem Romam, veluti aduerſus humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quendam & magiſtrum militiæ ſuæ, ſcientem diuina prælia & virtutum caſtra ductare. Idem in chronicis ſuis in Claudij Cæſaris annum ſecundum ſcribit his verbis: Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum pontifex primus, cùm primùm Antiochenam fundaſſet eccleſiam, Romam proficiſcitur, vbi euangelium prædicans viginti quinq; annis eiuſdem vrbis perſeuerat epiſcopus. Audis itaque Chriſtianorum omnium, non Iudæorum pontificem primum Petrum, qui Romanę vrbis, orbis & gentium Dominę, annis XXV. epiſcopatum tenuit. Cuius curæ vt vniuerſa Chriſti eccleſia commiſſa eſt, ita vt in vniuerſam ſe extenderit, adhuc volo ex Hugonis Etheriani verbis clariùs intelligas, qui Emanuelis Conſtantinopolitani imperatoris temporibus ſuos Græcos à ſciſmate ad matris gremium reducere ſatagens, de Petro & eius ſucceſſoribus Romanis pontificibus ſcribit in hæc verba: Ex ipſa, inquit, rei euidẽtia liquidò apparet, quòd Petrum eiuſq; ſucceſſorem Chriſtus principem & caput non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis & Septentrionis vniuerſi: verùm Armeniorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis & Meridiani climatis in perpetuum cõſtituit. Ob quam rem occidui ſolis limites vniuerſi Petri ſucceſſorem vſq; nunc ſibi Dominũ recognoſcunt, & ſub illo præſule diriguntur. Quod omnem ab vtero & gremio matris errantem facere opportunum eſt. Petrus enim magnus Chriſti Apoſtolus,

B C D

In ſermone de Petro & Paulo.

Eccleſ. hiſtoriæ lib. 2.

A ſtolus, in omnibus ferè ciuitatibus, Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniç, Ellades, Epyri, Siciliæ, Italiç, Galliç, Hiſpaniç ac extremitatum epiſcopos ordinauit: etenim Iacobus eius fauore Hieroſolymorum thronum tenuit: deinde Enodium Antiochiæ ordinauit: Tharſi Vrbanum, Epaphrodytum Lyciç, Figellum Epheſi, Smyrnæ Apellem, Philippis Olympam, Theſſalonicæ Iaſonem, Sylam Corinthi, Patras Erodiana, Tauromenij Magnum, Alexandriæ Marcum. Ampliùs autem in Niceæ, Nicomediæ & Thraciæ partibus, ſimilem apparatus eſt ordinem, te eadem factum iri ſuis ſucceſſoribus cõmendauit. Hactenus Etherianus ille.

Cuius pium ſtudium vtinam æmulari potiùs conarẽtur noſtrates homines, quàm addere ignem incendio, & labefactatam vnà cũ eccleſiaſticæ hierarchiæ vigore religionem Chriſtianam funditus euertere, prudẽtes facti illorum miſerando deplorandoq; exemplo, quos iamdudum dedit Dominus in direptionem nationum barbararum, & in conculcationem omnium beſtiarum agri: & abiecit à facie ſua, eo quòd deſeruerũt eccleſiaſtici ædificij fundamentũ, quòd ſeparati ſunt à cathedra Petri, ſicut quondam Iſrael à domo Dauid. Sed hæc ſatis ſuperq; ad dictam
B obiectionem fuerint. Nam quòd totius ouilis dominici paſtor conſtitutus ſit Petrus, & qua ratione in illo principio nõ incongruè dictus ſit à Paulo circunciſionis Apoſtolus, ex his ſatis perſpicuum arbitror.

Aduerſus illorum calumnias, qui Petri cathedram eiusq; in eccleſiaſtico primatu ſucceſſores nobis in dubium reuocant, catholicæ ueritatis aſſertio.

CAP. XII.

MIrum eſt, quàm nihil non permittat ſibi quorundam impudentia, qui excæcati odio pluſquam diabolico in hierarchiã eccleſiæ, nullum non mouent lapidẽ, quô turbent & confundant omnia. Qui cùm vident ſibi non ſuccedere de Petro, vt eum redigere poſſent in ordinem, ſaltem cathedram eius, & qui ſibi ſucceſſerunt in eccleſiaſticæ hierarchiæ primatu, in dubium nobis reuocare conantur. De quo tamen ad hæc vſq; ſecula dubitauit nemo. Vt enim fuerit, inquiũt, eccleſiç Chriſti neceſſariũ ſua hierarchia contineri, in qua vnius ſupereminẽti ſummaq; autoritate, inferiores omnes in officio continerẽtur, ſitq; ea data Petro à Chriſto: quid hæc tandem ad Romanam eccleſiã, & eius pontifices, de quibus nullum verbum dixit aut cõſtituit Chriſtus? Quin potiùs videri ad Hieroſolymitanã

Rationes, quibus cathedra Petri nobis reuocatur in dubium.

C eccleſiam (ſi ad quam omnino) hoc pertinere priuilegium, quã prę Romana multo potioribus prærogatiuis à ſaluatore noſtro decoratam cõſpicimus: vt in qua Dñs noſter Ieſus Chriſtus ſalutem humani generis operari dignatus eſt, in qua primùm de crucis patibulo corruſcauit euangeliũ, in qua idẽ ipſe dux & legiſlator noſter ſuam legem docuit, docuêre etiã primũ omniũ omnes Apoſtoli, & primam illam ſanctiſsimamq; Chriſto cõgregarunt eccleſiam. Videri ſiquidem ex his rationibus illi magis deberi eccleſiaſticæ hierarchiæ primatum, quã Romanæ eccleſiæ: præſertim quum de illa longè antè prædictũ ſit per Prophetam: De Sion exibit lex, & verbũ Domini de Hieruſalem. Et hactenus quidẽ illos obijcientes audire tolerabile eſt, & reſpondere operæpretium. Siquidem rationẽ à nobis exigunt, cur potiùs Romanos, quàm Hieroſolymitanos aut Antiochenos epiſcopos (quãdoquidem Antiochiæ ſuam Petrus cathedram primùm tenuit) dicamus ſucceſſores Petri in eccleſiaſticæ hierarchiç primatu, illaq; principali eccleſiaſtici regiminis autoritate: cùm de Romana eccleſia eiùs ue priuilegio, nihil vnquam ſpecialiter ſtatutum videatur à Chriſto.

Sed illorum planè intolerabilis eſt cęcitas & impudẽtia, qui tot retrò ſeculis, toti ab initio vſq; nunc eccleſiæ impudentiſsimè reclamare non erubeſcunt, & pluſquã prodigioſa temeritate ac pertinacia affirmare, quòd Petrus Romæ nunquam fuerit, quô Romanis põtificibus Petri ſucceſsionẽ autoritatemq; derogẽt, atq; ita oẽm eccleſiaſticã hierarchiã omnem ſuperiorem autoritatẽ tollant è medio, & ex ea, quam Chriſtus inſtar caſtrorum ordinatam inſtituit, eccleſia nobis Babylonem ædificent. Itaq; prioribus illis haud irrationabiliter quærentibus antè reſpondentes, dicimus: Quòd ſi ex ijs atq; eiuſmodi rationibus, quas ijdem commemorant, conſtaret in eccleſiaſtica hierarchia priuilegium & autoritas, haud eſſet improbabilis eorũ ſententia, nec immeritò Roma Hieroſolymæ cederet. Sed non ab his rebus parari prærogatiuam & priuilegium loci aut eccleſiarum, certum eſt: ſed Dei verbo atque ordinatione, cuius iudicia ſunt abyſſus multa. Neque enim ignoras in illa lege veteri, quàm miranda fecerit Deus: primùm in Aegypto, cùm inde educeret populum ſuum in manu forti & brachio excelſo: deinde illis quadraginta annis in deſerto, qualia non fecit in terra promiſsionis, nec Hieroſolymæ, ſed in monte Sinai tradidiſſe legem D

gem, tanta cum maieſtate, in tot prodigijs [A] & ſignis, & illic conſtruxiſſe vetus illud tatabernaculum, totamq́; eam ſaciem illius ſynagogæ decentiſsimè ſapientiſsimeq́; ordinaſſe. Attamen non in Aegypto, non in Arabiæ deſertis, non in monte Sinai erat locus ille, cui cathedræ illius ſynagogæ (quam pòſt audies) prærogatiuam cóſtituerat Dominus: ſed vbicunque cum tabernaculo & arca ſœderis reſideret ſummus eorum ſacerdos & pontiſex.

Vt comprobetur in Romana eccleſia hereditario quodā iure cōſeruari Petri autoritas.

Cùm itaq; dicis Romanæ eccleſiæ nullam mentionem factam à Chriſto, per quá ſe poſſit efferre ſuper omnes totius orbis eccleſias, & hunc ſibi vēdicare primatum, tanquam ipſa ſit ea cathedra Petri, in qua hæreditario quodam iure dicta Petri conſeruetur & perpetuetur autoritas: oblitus hic mihi videris eorum, quæ primo libro demóſtrauimus de autoritate traditionis eccleſiaſticæ, aut conſenſus eccleſiaſtici: quæ ſicut ſcripturarum omnium nobis autoritatem ſtatuit, ita quæ ſine ſcripto nobis commendat ad nos perducta ab initio, non minoris apud nos ſunt pōderis & fidei, quā ſi perſcripta eſſent ab Euangeliſtis omnibus.

Superiùs audiuiſti & pòſt luce clariùs adhuc intelliges, eum fuiſſe totius initio catholicæ eccleſiæ ſenſum, eam ſententiā de cathe[B]dra Petri & eius ſucceſſoribus in eccleſiaſticę hierarchiæ primatu. Hoc enim omnes ab initio recognouerunt ſemper in Romana eccleſia & pontificibus eius, quibus ea in re ab initio ad noſtrā hanc vſq; ętatem nulla vnquam controuerſia facta eſt.

Quod itaq; dicis, Romanę eccleſiæ à Chriſto nulllam factam mentionem: quî ſcis obſecro? Quia, inquis, non legitur apud Euangeliſtas, aut Lucam in Actis. Ipſius iam euangelij parū hîc meminiſſe videris, in quo teſtatur Euangeliſtarum pręcipuus, plurima & præcipua quæq; fidei myſteria non docuiſſe Apoſtolos in carne cum eis manentem (quæ ſola perſequnntur Euangeliſtę) ſed reſeruaſſe vnctioni ſpiritus: vt non dicam cū eodem Euangeliſta, nec omnia dicta actaque Chriſti in terris perſcripta ab eiſdem.

Quî igitur noſti, hoc non fuiſſe vnum vel ex præcipuis (vt ex quo totius eccleſiæ pendet vigor, diſciplina & vnitas) quæ Chriſtus docuit apoſtolos vnctione ſpiritus? Præſertim cùm ęa de hoc fuerit totius ab initio eccleſiæ concors ſententia. Scribit, vt audiſti,

Romanæ eccleſiæ ab Chriſto ſtabilitum primatus priuilegium.

ille Anacletus beatiſsimi Petri diſcipulus, & tam in eius cathedra, quàm glorioſo martyrio ſucceſſor, Romanam eccleſiam non ab apoſtolis, ſed ab ipſo Chriſto ſaluatore noſtro primatum obtinuiſſe & eminentiam poteſta[C]tis ſuper omnes eccleſias vniuerſumq́; adeò gregem Chriſti. Ad eius pontifices tanquam ſucceſſores Petri pertinere illa vniuerſa, quę eidem Petro dicta ſunt à Domino. Illa quoque Alexandrina ſynodus tot ſanctorum epiſcoporum cū ſuo Athanaſio Romano pontifici tanquam Petri ſucceſſori ſcriberēt: Tu es, inquiunt, Petrus (poteſtate videlicet) tibi claues regni cœlorum commiſit, & ligandi ſoluendiq; in terris, & in cœlis poteſtatem. Et tu negas Romanæ eccleſiæ à Chriſto vllam factam eſſe mentionem?

Pręceptum erat illis in ſynagoga vetcri, vt difficile & ambiguum iudicium referrent ad locum, quem inter eos elegiſſet Dominus, & facerent iuxta omnia, quæ inde annunciarentur, & quæ præciperet ille, quiſquis pro tempore illi loco præſideret. Qui autem, inquit, ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Referebat ergo & illos magnoperè, ſcire, quis eſſet ille locus eiuſmodi inter eos prærogatiua priuilegioq́; ſublimatus, & cui talē reuerentiam, tamq́; diſtrictam obedientiam debebant. Neque tamen etiā ibi in vniuerſa lege vſquam hic erat nominatim cóſtitutus à legiſlatore, ſed is erat locus ille, in [D] quo cum arca ſœderis reſidebat ſnmmus ſacerdos, vbicunq; tandem fuiſſet ille, qui nec Hieroſolymis fuit ab initio, ſed aliquot annorum centenarijs permanſit in Sylo.

Hoc tamen erat diligentiſsimè conſtitutū in lege, quís nam ſummo ſacerdotio perſungi deberet, nempe Aaron & qui de ſemine eius legitima illi ordinatione ſuccederēt. Ita & in noſtra eccleſia, non Romæ, ſed Petri à legiſlatore noſtro, diligentiſsima mentio facta legitur. Ipſe cóſtitutus inter nos ſummus ſacerdos & pōtiſex. Quare & locus ille, cui is præſidebat, eiusque cathedra inſignita eſt illo ſingularis ſupereminentiſq́; autoritatis priuilegio. Cū Petro venit loco autoritas vbicunq; tandem is reſideret, non Petro à loco. Romanę tamen eccleſiæ (quam ſibi in totius orbis domina ille totius orbis magiſter, vt beati Chryſoſtomi verbis dicam, ſedem elegit, & in qua ille Chriſtianorū pótiſex primus, vt loquitur Cęſarienſis Euſebius, poſtquam Antiochenam fundaſſet eccleſiam, viginti quinq; annis prædicás euangeliū Chriſti, epiſcopus perſeuerauit) in morte cū ſuo ſanguine confirmauit ac ſtabiliuit dignitatē illam, & Clementi ſucceſſoribusq́; in eadem ſuis, eádem autoritatem poteſtatemq́; tradidit, quam acceperat ipſe à Chriſto. Cuius is

illo

ille ipſe Clemens haud vanus teſtis eſt,ad Iacobum fratrem Domini,ad quem ſcribẽs de Petri exceſſu,ſuæ etiã ipſius ordinationis his verbis meminit:Symon,inquit,Petrus vbi ſi nem vitę ſuę adeſſe ſenſit,in corona ſratrum poſitus,apprehenſa manu mea: Húc,inquit, epiſcopum vrbis conſtituo,&cæ. Ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligãdi & ſoluendi:vt de omnibus quæcunq; decreuerit in terris,hoc decretum ſit in cœlis.Itaque B.Innocentius ad Alexandrũ Antiochenum epiſcopum,de priuilegio loquens ſedis Antiochenæ,ex antiqua patrum atq; Apoſtolorum cõſtitutione:Vnde,inquit,aduertimus, non tam propter ciuitatis magnificentiã hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apoſtoli ſedes eſſe mõſtratur, vbi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conuẽtum Apoſtolorũ propter ſe fieri celeberrimum meruit,quæq; vrbis Romæ ſedi nõ cederet, niſi quod illa in trãſitu meruit,iſta ſuſceptoapud ſe conſummatoq; gauderet. Et B.Ambroſius, dicẽs Romani imperij latitudinem diuina prouidentia præparatam vocandis in vnitatem Chriſti corporis nationibus,nõ tamen contentam fuiſſe Chriſtianã gratiã,eoſdem quos Roma limites habere affirmat, vt quę iam tum multos populorũ ſceptro Chriſti ſubdiderit, quos armis ſuis illa non domuit.Quæ tamẽ, inquit,per Apoſtolici ſacerdotij principatũ amplior acta eſt arce religionis,q̃ ſolio terrenæ poteſtatis. Vides quomodo dicat ille,Romæ Apoſtolici ſacerdotij reſidere principatũ, & per illum ſactũ longè ampliorem arce religionis,quã vnquam ſuerit ſolio imperialis aut terrenæ poteſtatis.

Cur uerò Romæ quàm Hieroſolymæ potiùs voluerit eſſe Chriſtus ſedẽ cathedramq; Petri,in qua velut hæreditario quodam iure ſucceſsione perpetua continuaretur illa Petri autoritas:quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius ſuit? Fortè id ſactũ eſt propterea non ſolùm, quoniam in vltionem mortis Chriſti erat euertẽda funditus, nec relinquendus in ea lapis ſuper lapidem: ſed etiam quò cæcam illam & carnalem confunderet Iudæorum peruicaciam,expectantium Meſsiam ſuum regnaturum in Hieruſalem.In quo errore fuiſſe etiam ipſos Chriſti Apoſtolos,tam poſt, quàm ante eius paſsionem & reſurrectionem,indicat illa filiorum Zebedæi ambitio in regno eius ſedendi ad dexteram & ad ſiniſtram. Verba quoq; diſcipulorum eũtium in Emaus ad Chriſtum:inſuper Apoſtolorũ omniũ interrogatio, qua iam aſcenſurũ ad patrem percũtabantur,nũ in eo tẽpore eſſet regnũ reſtituturus Iſraeli? Sed quid hîc verbis pugnare opus eſt,cùm res ipſa loquatur,& euidentiſsimũ de ſe perhibeat teſtimonium?Certum eſt enim Hieroſolymitanam ſedem ex Apoſtolorum ordinatione nõ ſolùm inter principales nullum ab initio locum accepiſſe, ſed ſubiectam fuiſſe metropolitano Paleſtinæ prouinciæ Cæſarienſi epiſcopo. Id quod decretũ Niceni concilij adhuc teſtatur, & clariſsimè indicat. In quo dum ſanctiſs.illi patres Hieroſolymitanam ſedem honorare vellẽt ob loci reuerentiam,antiquam tamen illam Apoſtolorũ ordinationem inuertere, neſas exiſtimarunt, ſed ſtatuerunt in hunc modum: vt epiſcopo Hieroſolymorum antiquitus tradita honoris prærogatiua ſeruetur, manente nihilominus & metropolitani ipſius prouincię dignitate. Audis vt ab antiquo Hieroſolymitana eccleſia ſubdita fuerit Paleſtinę metropolitano Cæſarienſi epiſcopo, qui tamen nec ipſe erat inter principalium ſedium antiſtites.

Quòd ſi rem ipſam perpendas diligentiùs, clariſsimè intelliges oẽs illas primas principaleſq; ſedes,quas ex apoſtolorũ ordinatione primitiua agnouit eccleſia,nõ niſi ex vnius Petri autoritate tanquam eccleſiaſticę hierarchiæ principis,prę cęteris accepiſſe dignitatis prærogatiuam & excellentiam: cæterorum Apoſtolorum,quamuis ex communi omnium ordinatione nullam prorſus ea in re rationem habitam. Tres equidem ſedes principales ac patriarchales fuiſſe legũtur illa prima ætate naſcentis eccleſiæ, ex ordinatione Apoſtolica. Romana prima, cuius ad mortẽ vſq; Petrus perſeuerauerit epiſcopus. Alexãdrina ſecunda, cui idẽ ipſe de latere ſuo Marcum tranſmiſit epiſcopũ. Antiochena tertia, cui etiam ipſe aliquandiu præſederat, & primam in ea cathedram ſuam tenuerat. In qua deinde,Romam profectus, Enodium pro ſe ſubſtituit epiſcopũ, atq; eo ſublato ſanctum Ignatium. Tu igitur mihi reſpõde, quid cauſæ,quòd poſt Romanã eccleſiam, totius ſem per orbis cõſenſu prælatam omnibus, vt cui ille totius eccleſiæ ſummus pontifex præſidens Petrus,moriens ſuo ſanguine eã dignitatem ſtabiliuit,nõ Epheſus,in qua tot annis prę̃ſedit ille tonitrui filius, ille diſcipulus, quem ſingulari amoris prærogatiua dilexit Dominus, Ioannes qui ſupra pectus eius in illa ſacra cœna recubuit, non Hieroſolyma, cui præſuit ille mirabilis Iacobus frater Domini,& ipſe vnus ex columnis (vt Paulus loquitur) & Apoſtolorum præcipuis,non reliquarum vlla ciuitatũ, quibus cæteri præfuere Apoſtoli: ſed Alexandria cum Marco,non Apoſtolo,ſed Petri diſcipulo honorẽ ſecun-

A dum,& Antiochia cum Enodio tum Ignatio tertium locum inter omnes totius orbis acceperũt eccleſias? Mihi ſanè nihil aliud hinc datur intelligere, quàm hac ſua ordinatione diligentiſsimè voluiſſe in vnum Apoſtolos, omnem in poſterum de principatu in eccleſiaſtica hierarchia ambiguitatem & contentionem tollere,dum ex vnius Petri autoritate viderẽt omnes, omnem eſſe in eccleſijs omnibus dignitatis & prerogatiuæ præeminẽtiam. Et hactenus nõ irrationabiliter querẽtibus de ſede & cathedra Petri, cur eam Romanam eccleſiam tota ab initio tenuit & confeſſa eſt Chriſti eccleſia, eiuſq; põtifices,tanquam Petri in autoritate & primatu eccleſiaſtico ſucceſſores,rationem reddidimus.

Aduerſus eorum impudentiam, qui negant Petrum Romæ fuiſſe,catholicæ eccleſiæ conſenſum aſſerere.

CAP. XIII.

Stupẽda impudentia hæreticorũ noſtri temporis.

NVnquam puto eò ſe prorupiſſe amentiæ vniuerſos in vnum omnibus retrò ſeculis hæreticos, vt pro ſua ſtatuenda impietate quiſquam auſus fuerit negare certiſsimam omnium ſeculorũ, omniũ ſcriptorũ, omniũ nationum & gentium conſenſu celebratam & comprobatam hiſtoriã, cuius in hodiernum B vſque diem certa viſuntur veſtigia, extantq; præclara venerandæ vetuſtatis,& quę omniũ totius orbis celeberrimo loco lõgè ante mille annos celebrata ſunt, certiſsima monumenta. Quod nunc audent quidam omnium mortaliũ impudentiſsimi, negantes Petrum vnquam fuiſſe Romæ, quò Romanis pontificibus(cũ vident omnia alia non ſuccedere) Petri illam ſucceſsionem autoritatemq; derogẽt. Quod ſi obtinerent,omnem eccleſiaſticam hierarchiam, omnem ſuperiorem autoritatẽ è medio ſuſtuliſſe confidunt,&(quò tendit vniuerſus eorũ conatus) omnem planè religionem è mentibus hominũ. Id quod conſequi continuò neceſſe eſt,ſi ab eccleſia ſuum tollas ordinem, ſuam illam ſupereminentem vnius autoritatem, ſi faciamus licere cuique id ſentire ac dicere, quod ſibi viſum fuerit.In qua licẽtia quid vſquam erit inter nos conſonum?& non potiùs tot de religione ſententię,quot capita? Vbi,quæſo,ſiſtet hominũ impudentia, poſtquam ſemel refractis modeſtiæ clauſtris,contempta autoritate eccleſiæ quiſq; præ alio cominiſci conatur ab ſurdius ac magis impiũ aliquid? Ita nunc videmus omnia illa peſtilẽtiſsimarum hæreſiũ portẽta cateruatim ac certatim proruere,reuocariq; ab inferis,quin & noua,magiſq; horrenda emergere quotidie. Imò hic C vide,obſecro,quò tãdem hoc malũ euaſerit? vt illos nihil pudeat tanto cõſenſui, tot ſeculorũ totius orbis,tot ſcriptorũ, tot hiſtoriarũ indubitatę per tot ſecula fidei ſe obijcere, & cõtra ſtatuere, quicquid vel ebrijs vel ſomniantibus apparuit. O impudentiam cæcam & impudẽtiſsimam cęcitatẽ,vt ſemel perfractis pietatis religioniſq; legibus, in profundũ præcipitata nullum ampliùs modũ noſti, nuſquã ſubſiſtere,ſed prolabi ſemper in peius & in deterius? et hi ſunt illi noui ſcilicet euãgelij pręcones, apud quos prę ſe deſipiũt ſanctiſsimi illi,quotquot fuerũt,doctiſsimique patres noſtri,orthodoxę eccleſię proceres & columnę, quibus errauerũt quotquot fuerũt, ſacroſancta illa œcumenica cõcilia, quæ vniuerſa Romanos põtifices recognoſcũt & venerantur vt ſucceſſores Petri(quẽadmodum ſuo loco vbi de cõcilijs pertractabimus pòſt commodiùs audies)& poſt tot ſecula,in ſe ſolos iam tandẽ perueniſſe regnũ Dei, & totas miſerationũ Dei diuitias gloriãtur. Hi ſunt, inquã, qui apud rudẽ in doctumq; populũ,leueſq; mulierculas plenis buccis vociferãtur: Verbum Domini,verbum Domini:Euangelium,Euangeliũ,cui è diametro aduerſantur homines vaniſsimi & ignorantiſsimi, quoa excęcauit ſuperbia.Quorum fructus proh nimis iã ſunt manifeſti.Nõ illi ſpiritales, digni D deo,ſed carnales,ſed diabolici:nępe detractiones,ſeditiões,blaſphemię,rapinę,ſacrilegia, ſtupra,incendia,ſtrages hoĩm infirmorũ,qui eorũ opera ſuffocati ſunt in ſceleribus ſuis: ita prouidẽte ſuis infinita miſericordia Dei, & dante metuentibus ſe ſignum,quò fugere poſsint,ſaluariq; à facie arcus.

Sed fortè,inquies,neceſſaria ratione, aut euidenti ſcriptura, aduerſus cuius autoritatẽ nec angelis quidẽ de cœlo,ſi aliter annunciarẽt,credi voluit Apoſtolus, tot retrò actis ſeculis & ſcriptoribus reclamare coacti ſunt, & diſſentire à tota, quæ hactenus fuit, Chriſti eccleſia.

Nõ licere ob ullã ſcripturarũ aut rationũ euidentiã diſſentire à communi, quæ ab initio fuit conſenſu eccleſiæ.

Ego verò nulli omnino hominum licere exiſtimo,ob quaſcunq; euidentes(vt ſibi viderentur)ſcripturas diſſentire à cõmuni quĩ hactenus ab initio fuit,conſenſu eccleſiæ,& propriũ aliquid nouũq; inducere. Hoc enim eſt in deſerto Chriſtum quærere aut in latibulis domorumq; penetralibus: vbi,eodem teſte,fruſtra quæritur, ſed inuenitur in corpore catholicæ eccleſiæ, atq; eius conſenſu, quem nobis indicat(vbi is aliàs parũ pateret) illarum aquilarum conſenſus & cõgregatio: vbi enim illæ congregantur, ibi corpus,ibi Chriſtus & veritas.

Nec

A Nec de ſcripturis quicquam loquitur Apo
ſtolus, ſed de eccleſiaſtica traditione, quam
ab Apoſtolis acceptam, velut per manus ſuc-
cedentium ſibi patrum & epiſcoporum con-
tinua ſucceſsionis ſerie ad nos tranſmiſit illa
primitiua Chriſti eccleſia. Adnet ſus hâc, nec
Apoſtolis, nec Angelis de cœlo, ſi aliter an-
nunciarent, quicquam vult credi Apoſtolus.
Non enim dixit: Si quis præter id quod nos,
aut Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, cæte-
riq; Apoſtoli ſcripſimus, ſed: Si quis vobis e-
uangelizauerit præter id quod accepiſtis, ex
traditione nimirū noſtra & Apoſtolica, præ-
ter id quod euangelizauimus vobis, viua vi-
delicet traditione (nam eatenus nihil ſcripſiſ
ſe legitur Galatis quos alloquitur) anathe-
ma ſit. Vides itaque, non loqui illum de ſcri-
pturis Apoſtolorum aut euangeliſtarum: ſed
de viua ſua & Apoſtolorum traditione: quā
ſine ſcripto ad nos perlatam libro primo de-
monſtrauimus.

Et quæ tandem eſſet pluſquam diabolica
hæc arrogantia, & ſuperbiſsima de ſe præ-
ſumptio, aliquē ſibi perſuadere, vnum ſe re-
ctiùs intelligere ſcripturas, quàm eas vniuer-
ſa ab initio intellexit orthodoxa eccleſia?
quā inflexibilem columnā, roburq; & firma-
mentū veritatis prędicat Apoſtolus: & cū ea
B tot illæ ſecū cōgregatę aquilę, tot ſanctiſſimi
doctiſsimiq; patres: quorū omne ſtudium, o-
mnis meditatio, omnis volūtas diuq; noctu-
que fuit in lege Domini: in quibus viguiſſe
eundē illū Chriſti ſpiritum, quo ſcripturę di
ctatæ ſunt, idem ipſe Chriſtus certiſsimus te
ſtis eſt, qui per manus eorū innumeras virtu
tes & miracula edidit: teſtis quoq; vita eorū
planè euangelica, ſpiritualis in carne, & in ter
ra cœleſtis conuerſatio. Sed ſuprà frequēter
audiſti, quis nam ſit hæreticus, quem tanquā
deploratum ac irremediabilem, imò tanquā
certam contagioſamque peſtem vitare iubet
Apoſtolus, nempe qui à communi eccleſiæ
ſententia propriam ac diuerſam, quam è re-
gione ſtatuit, eligit.

Sed vt intelligas, quā nugacibus, futilibuſ-
que ratiunculis audeant hi vniuerſæ eccleſię
ſe opponere (ſcripſit enim quidam ex his An
tichriſti Apoſtolis non exiguum hac de re li
bellum) hęc ſumma eſt nugaciſsimorum, quę
ineptiſsimè profundit, verborum, quamuis
mortalium omnium longè ſapientiſsimus,
doctiſsimusq; ſibi videatur. Non meminit,
Rationes, qui- inquit, Lucas in Actis Apoſtolicis aduentus
bus perſuadēt Petri in vrbem Romā. Quin potiùs ex eodē
Petrū nō fu-
iſſe Romæ. conſtat illum interfuiſſe Hieroſolymis Apo
ſtolico illi concilio ſuper quæſtione legaliū;
quod minimum XVII. aut XVIII. annis poſt
aſcenſionē Chriſti celebratū eſt. Ante quod C
ſi vera eſſe debeāt quę de eo ſcribuntur, iam-
dudum debuerat fuiſſe Romæ. Sed nec Pau-
lus aut ad Romanos, aut Romæ ſcribens Pe
tri vllam mentionem facit. Præterea & inter
ſcriptores, quo primùm tempore eo perue-
nerit, haud ſatis cōuenit: ſed hi in vnum, alij
in alterum Claudij annum tradunt hoc acci-
diſſe. At cōſtat, inquit, diſcordiam in ſcripto-
ribus falſitatis eſſe argumentum, vt cōtrà eſt
veritatis concordia. Hæc, inquam, ſumma eſt
ſcripturarum & rationum omnium, quibus
fulti audent reclamare tot ſeculis, tot ſcripto
ribus, tanto totius orbis conſenſui, audēt di
cere viri ſcilicet modeſtiſsimi & prudentiſsi
mi, mentitos Clemētem & Anacletum Petri
diſcipulos & in cathedra ſucceſſores, quæ de
ſuo nobis magiſtro prodiderunt: Ignatium
quoq;, Polycarpum, Dionyſium, Papiam Hie
ropoliten, etiam Petri & Apoſtolorum diſci
pulos: Egeſippum inſuper, Dionyſium alte-
rum, Irenæum, Clementem Alexandrinum,
Tertullianum, & quotquot illo ſeculo vixe-
runt, patres ſanctiſsimos & doctiſsimos: qui
aut viderunt ipſi in humanis Apoſtolos, aut
non ſupra vnius hominis ætatem ab eis ab-
ſuerunt. Mentitos etiam poſt illos & Orige-
nem, & Cyprianū, & Athanaſium: Euſebium
quoq; Cæſarienſem, Ambroſium, Hierony- D
mum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Leo-
nem, Gregorium: breuiter vniuerſos, quicun
que hac de re prodiderunt aliquid. Decepta
pręterea tot ſanctiſsimorum patrum œcume
nica concilia, quæ (quod pòſt clariùs intelli-
ges) Romanam eccleſiam, Petri cathedram
in qua hæreditario quodam iure ſuprema il-
la eccleſiaſtici regiminis autoritas, & alligan-
di ſoluendiq; poteſtas perpetuo ſeruaretur,
ſemper cognouerunt. Et ſi his credimus, à
morte Petri in hunc vſque diem ignorauit
orbis vniuerſus, vbi nā mortuus ſit ille Apo-
ſtolorum omniū princeps, ſcilicet inter Apo
ſtolos adeò obſcurus & ignobilis, & ignotiſ-
ſimo aliquo, neſcio quo, orbis angulo delite
ſcēs ac trucidatus, vt nec vitę, nec mortis eius
certū vllum ad nos peruenerit indiciū: & ad-
huc miſerè deciperemur omnes, niſi iſti pluſ
quam Argi ac Lyncei, propicijs tandem ſupe
ris nūc demū nobis ſuccurriſſent, clariùs ni-
mirum nunc intuētes tot retrò actis ſeculis,
& tam longè nos pręcedentē hiſtoriā, quàm
qui aut pręſentis, aut proximi eidē affuere. A
quibus propediem expectamus, & nouam ge
neſeos huius mūdi enarrationem. Quando-
quidem æquè credibile eſt, & illum Moyſen
cæcutiuiſſe ob ſenectutem, neq; tam longè,
neque tam acutè retrò ac poſt ſe cernere po-

 tuiſſe,

A fuiſſe, quam nunc iſti vident.

Quos ſi quis percũctari pergat, vnde ergo hæc tam impudens in orbem introducta ſit fabula, aut quis eam ita perſuaſerit mortalibus omnibus, eadem modeſtia & ſapientia reſpondent nobis confictam fuiſſe à Romanæ curiæ palponibus: qui Romanam eccleſiam, mediante Petro, primatum accepiſſe ſuper omnes mundi eccleſias videri volunt, repugnantibus (vt dicunt) omnibus ferme hiſtorijs ipſiuſmet Chriſti voce, eccleſię quoq; primitiuæ ritu & exemplo. Quod tamen ita nihil mirum, nec incredibile videri volunt, quandoquidem in recenti adhuc memoria, vnde hic primatus Romanæ eccleſiæ cœpit exordium: certũ eſt tamen inuenire non paucos, qui eundem ab initio fuiſſe contendant, atq; pro eo quaſi pro re ſeria, & magnopere ad noſtram religionem pertinẽte, non ſecus ac pro aris & focis digladiantur.

Hæc ſunt Chriſtiane lector, hæc, inquam, ſunt argumenta, hæ ſcripturę demonſtrationes, quibus hi nitũtur aduerſus totius orbis conſenſum, tot ſeculorum fidem, tot ſanctiſſimorum patrum & totius eccleſiæ autoritatem. Aduerſus quam cũ nulla ſcripturarum euidentia, ſed nec angeli de cœlo nobis valere deberet autorias, iſti impudentiſsima ſua ſomnia obijcere ac ſtatuere nõ verentur. Cõ-
B tra quos ſufficeret ſanè illud Euſebij Cæſarienſis, qui ante annos mille ducẽtos circiter, cùm à Nerone Paulũ capite in ipſa vrbe Roma, Petrum verò crucis patibulo condemnatum referat: Horũ, inquit, teſtimonia extrinſecus quærere ſuperfluum puto, cùm rem geſtam vſq; in hodiernum diem ſplendiſsima eorum monumenta teſtentur. Veruntamen ſcribit de his etiam Gaius quidam ſcriptor antiquus, qui ſub Zepherino epiſcopo Romano, aduerſus Proculũ quendam Cataphrygam diſputans, hęc de Apoſtolorum commemorat locis: Ego, inquit, habeo trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam. Sine enim via regali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, ſiue via Oſtienſi, inuenies trophęa defixa, quibus ab vtraq; parte ſtatutis Romana cõmunitur eccleſia. Hactenus ille. Fuit autem prædictus Zepherinus ſub Seuero centum triginta tribus annnis poſt Petri & Pauli exceſſum, quo tempore quæ Apoſtolorum trophæa defixa cernebantur in Vaticano & via Oſtienſi, eadem eiſdem in locis in hodiernum diem perſeuerant.

Quanquam autem non merebantur hi, vt ſingulari cum eis cõgrederemur certamine, vt quorum toto hoc opere noſtro ſatis redarguitur cæcitas & impietas, præcipuè autem
C ex his, quæ deinceps tractaturi ſumus: ex quibus vniuerſam ab initio eccleſiam recognouiſſe Romanam eccleſiam pro cathedra Petri, eiusq́; pontifices pro Petri ſucceſſoribus, erit euidentiſsimum. Vt tamen breuiter intelligeres lector, quam ſint hi, vt impietatem taceam, omnis etiam (qua ſe iactant) ſcripturæ, omnis antiquitatis, omnis veteris hiſtoriæ ignorantiſsimi, in quibus etiam communem ſenſum deſideres, ſola auditorum auribus prurientium (quorum affectibus ſe accõmodant) leuitate & ignorãtia abutẽtes: & quò ex hoc vno æſtimationem facias, qualia ſint reliqua eorum vniuerſa, quæ tamen magno applauſu excipiuntur à plerſque, quibus deprauatus eſt animus, pauliſper hîc immorabimur impudentiſsimam horum cæcitatem paulo clariùs traducturi.

Quod vt fiat, in primis reuocãdum eſt ob oculos, quale ſit quod nunc tandem reuocatur in dubium. Eſt autem, non quidem abditum aliquod noſtræ fidei myſterium, ſed quæ in conſpectu totius orbis eſt acta hiſtoria, talisq́ue hiſtoria, quæ non die vnico, non menſibus aliquot, ſed annis peracta eſt plurimis in celeberrimo totius orbis loco, inter perſonas toto orbe notiſsimas. In qua non video, quis fictioni aut mendacio locus eſſe potuerit. Hoc nunc quæritur, num Petrus Romæ fuerit? Num ibidem pri- D
mus epiſcopatum geſſerit? Num ſub Nerone martyrium fecerit, quemadmodum omnes vnà ſcriptores, tam Græci, quàm Latini magno conſenſu affirmant, & vniuerſa confitetur Chriſti eccleſia. Itaque ſi & locum & perſonas perpenderimus huius hiſtoriæ, nempe Petrum Apoſtolorum & totius Eccleſię principem, Romanorum, imò Chriſtianorum omnium pontificem primum: Neronẽ quoq; non minùs ſceleribus, quàm imperio notiſsimum: Romam inſuper orbis terrarum Dominam, & tunc veluti commune omnium nationum hoſpitium: facilè intelligit quiuis, quòd non potuerit in vtramuis partem ea tunc latere hiſtoria, ſed neceſſe eſt toti orbi fuiſſe notiſsimam, & qualiſcunque tunc fuerit, magna celebritate perueniſſe ad poſteros. De qua cùm idem tradant & qui pręſentes eam viderunt, & qui eo vixerunt ſeculo, & qui continuò ſubſecuti ſunt, ſitq́ue de eadem omnium ſcriptorum, omnium nationum, & totius orbis conſenſus: an non prodigioſæ tibi videtur, cæcitatis dicam, an peruicaciæ, an amentiæ (neq; enim dignum huic peſti vocabulũ inuenio) tot tantorumq́; ſcriptorum fidem, qui ſuorum temporum eamq́; talẽ & tali concordia pro-

Ex om̄ ſcriptorũ, atq; adeò totius orbis cõſenſu.

A prodiderũt hiſtoriam, tot ſeculorum, totius orbis conſenſu probatam, tot antiquiſsimis celeberrimisq́ue monumentis conteſtatam conuellere, & nũc demum poſt mille quingentos annos nouam confingere?

Sed quoniam totius orbis conſenſum ſentimus quiq́ue aduerſus obſtinatos quàm demonſtramus faciliùs, quanquàm hac de re & hunc ex eis, quæ deinceps tractaturi ſumus, euidentiſsimum faciemus: quod nunc magis in promptu eſt, veterum illorũ ſcriptorũ breuiter memorabimus, qui veritati huius hiſtorię luculentiſsimũ teſtimonium perhibent: quamuis obiter & velut aliud agẽtes. Notior enim erat omnibus, q̃ vt de ea quiſquã ex inſtituto ſcriberet, niſi quibus eorũ temporũ propoſitum erat commentari hiſtoriam.

Clementem itaq; iamdudũ audiſti hac de re perhibẽtem teſtimonium, cuius ipſe pars fuerat, videlicet ſe iam iam morituro Petro vrbis Romæ conſtitutum epiſcopũ, ſuamq́; ipſi cathedram commendatam, & quam ipſe à Deo acceperat, ligandi ſoluendiq́; poteſtatem traditam.

Anacletum etiam ſucceſſorem Clementis à beatiſsimo Petro ordinatum presbyterum B audiſti non ſemel affirmãtem, quo pacto Romana eccleſia mediãte Petro totius orbis primatum acceperit. Qui & paſsionis eiuſdem vnà cum Paulo his verbis meminit: Adhibita eſt etiam ſocietas in eadem vrbe Roma beatiſsimi Apoſtoli Pauli vaſis electionis, qui vno eodemq́; tempore glorioſa morte cũ Petro ſub principe Nerone agonizans coronatus eſt, & ambo ſanctam Romanã eccleſiam conſecrarunt, alijsq́ue omnibus vrbibus in vniuerſo mundo ſua præſentia atq; venerando triumpho eam prætulerunt.

Euariſtus quoq;, Alexander & Sixtus, ſanctiſsimi pontifices, qui & ipſi Petrũ in humanis videre potuerunt, eadem de illo & Romana cui pręſederunt, eccleſia, ſuis ſcriptis & epiſtolis atteſtati ſunt: quemadmodum, quanuis in alią cauſa, pòſt audies opportuniùs.

Polycarpi item Smyrnei epiſcopi, Ioannis euangeliſtæ diſcipuli, qui & ipſe vixit Petri temporibus, ſequẽti libro in hiſtoria Pij pontificis (ob cuius decretũ ex Aſia Romã profectus eſt) prolixiorem narrationem faciemus. Papias etiam ille Hieropolites, qui & ipſe vixit vnà cum Petro & Apoſtolis (Ioannis quippe & Apoſtolorum diſcipulus) affirmat priorem illam Petri epiſtolam ad aduenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, ſcriptam ex vrbe Roma: quam tropicè Babylonem nominauit. Et hi omnes ſuêre teſtes oculati. Nam tali ſanè in re ac hiſto- C ria, quotquot eo tempore vixerunt alicuius nominis in eccleſia, etiamſi Romæ non fuiſſent præſentes, eius tamen teſtes oculatos dicere non dubitauerim, quum tales latere fuerit impoſsibile, vbi reſideret ille tam mirabilis Petrus, totius eccleſiæ paſtor & pontiſex, & in quem reſpiciebãt toto orbe Apoſtoli & Chriſti fideles vniuerſi. Illius autem Papiæ hac de re teſtimonium tam Clemens ille Alexandrinus, quã Victor Antiochenus preſbyteri, non miniùs religione, quàm eruditione inſignes ad nos pertulere: quorum iſte in Marcum ſcribens, ita vtriuſq; meminit: Fuit, inquit, Romæ Marcus cũ Petro, quemadmodum in priori eius epiſtola ſcribens ait: Salutat vos eccleſia, quæ in Babylone eſt electa, & Marcus filius meus. Clemens item Alexandrinus presbyter ſexto informationũ libro hunc librum Marci euangeliſtæ cõmendat, cui atteſtatur Hieropolites epiſcopus nomine Papias: Romæ verò Petrus creauit eum epiſcopum, & in Aegyptũ tranſmiſit, vbi eccleſiam Alexandrię confirmauit. Hæc ille Victor. Cui per omnia conſentit D. Hieronymus in Marci vita ſcribens in hæc verba: Marcus diſcipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat rogatus Romę à fratribus, breue ſcripſit euangelium: quod cùm Petrus audiſſet, probanit, & eccleſię legendum ſua antoritate edidit, ſicut Clemens in ſexto diſpoſitionum libro ſcribit, & Papias Hieropolitanus Epiſcopus. D Meminit huius Marci & Petrus in epiſtola ſua prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam significans. Salutat vos quæ in Babylone electa eſt eccleſia, & Marcus filius meus. Aſſumpto itaq; euãgelio quod ipſe confecerat, perrexit in Aegyptum & primus Alexandrię Chriſtũ annuncians conſtituit eccleſiam. Hactenus Hieronymus. Euſebius, quoque ille Cæſarienſis libro ſecundo eccleſiaſticę hiſtorię ſcribẽs, vt Petrus ipſis Claudij tẽporibus Romã venerit, & ſalutaris ibi prædicationis verbo, euãgelij ſui clauibus, regni cœleſtis ianuã primus aperuerit, hac de re ſubiũgit in hęc verba: Sermo autẽ, inquit, veritatis & lucis qui per Petrũ prędicabatur, vniuerſorum mentes placido illuſtrauit auditu, ita vt quotidie audientibus nulla ſatietas fieret. Vnde neque auditio eius ſola ſuffecit, ſed Marcum diſcipulum eius omnibus precibus exorant, vt quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorũ commonitionẽ habendã ſcripturæ traderet: & hæc fuit cauſa ſcribẽdi quod ſecundũ Marcum Dei euangelij. Petrus verò vt per ſpiritũ ſanctũ religioſo ſe ſpoliatũ furto cõperit, delectatus eſt, fidem eorũ per hęc deuo-

Priorẽ Petri epiſtolã ſcriptã Romæ, quam tropice Babylonem appellat.

A tionemq́; cõſiderans, factumq́; cõfirmauit, &
in perpetuum legendam ſcripturam eccleſijs
tradidit. Clemens, inquit, in ſexto diſpoſiti-
onum libro hęc ita geſta deſcribit. Cui ſimi-
le dat teſtimonium Hieropolites epiſcopus
nomine Papias, qui & hæc dicit, quòd Petrus
in prima epiſtola ſua, quã de vrbe Roma ſcri
pſit, meminerit Marti. In qua tropicè Romã
Babylonem nominauerit, cùm dicit: Salutat
vos ea quæ in Babylone eſt electa, &c. Hæc
ille Euſebius ad verbum. Qui iterum libro
ſexto eiuſdem hiſtoriæ refert eundem illum
Clementem de ordine euangeliorum ſcribe
re, à presbyteris & ſenioribus Apoſtolorum
auditoribus ſe accepiſſe, quòd priora fuiſ-
ſent euangelia, quæ de generationibus con-
tinent, id eſt Matthæi & Lucæ. Cauſam verò
euangelij ſecundum Marcum fuiſſe huiuſce-
modi: Cùm Petrus Romæ publicè prædicaſ-
ſet verbum Dei, & in ſpiritu expoſuiſſet e-
uangelium, auditores rogaſſe Marcum, qui
iam ſectator ipſius fuiſſet, conſcribere, quæ
ſciebat prædicata ab Apoſtolo. Cumq́; id fa-
ctum Petrus poſtmodum cognouiſſet, licet
fieri non iuſſerat, attamen factum non prohi
buiſſe. Hęc ille Clemens Alexandrinus pres-
byter, de Marco primo Alexandrinorum e-
piſcopo, eo tempore, cùm viuerent plerique
Marci auditores & diſcipuli: ſiquidem & ipſe
(vt ſuprà audiuiſti) teſtatur ſe præceptores
habuiſſe auditores Apoſtolorum, Petri, Iaco
B bi, Ioannis & Pauli. Quæ ideo aliquanto ſtu-
dioſiùs accumulauimus teſtimonia, quoniã
ex illa priori epiſtola argumentum ſumunt,
in Aegyptiaca Babylone Cayro eã ſcriptam
fuiſſe, atq; ex eadẽ, non ex vrbe Roma Marci
mentionem facere, ridentes tropum quem
intelligunt ac docent tot taleſq́; ſcriptores,
& quos latere non potuerit eius rei veritas.
Cui etiam Irenæus Polycarpi auditor, beatiſ
ſimi Ioannis euangeliſtæ diſcipuli, æquè cla-
rum perhibet teſtimonium. Siquidem de or-
dine euangeliorum ſcribens libro tertio ad-
uerſus hæreticos: Matthæus, inquit, Hebręis
ipſorum lingua ſcripturam edidit euangelij
cùm Petrus & Paulus Romæ euãgelizarent,
& eccleſiæ inibi fundamenta locarent: dein-
de & Marcus diſcipulus & interrogatio Pe-
tri, & ipſe quæ à Petro nunciata erant, nobis
tradidit. Poſtea Ioannes diſcipulus Domini,
qui ſupra pectus eius recumbebat, & ipſe edi
dit euangelium, Epheſi Aſiæ commorans. Et
quidem obiter illa de Petro, Paulo & Mar-
co. At paulo pòſt idem rurſus nõ iam obiter,
ſed velut ex inſtituto copioſiſſimè idẽ proſe
quitur, enumerans omnem epiſcoporum in
Roma eccleſia à beatiſſimo Petro ad Eleu-
therium ſui temporis pontificem, ſucceſsio-
nem. Idq́; eo (vt dixi) tempore, quo ea igno-
rari non potuerunt, nempe qui in principe
orbis Romana eccleſia euſque præfuerint
epiſcopi, quando poſt mortem Petri, parum
ſupra annos C. durauerat. Quòd ſi inſuper
perpendas quorſum ille enumeret ſucceſsio
nem eiuſmodi, certiſsimò intelliges, quòd
eſſe non potuerit aut ficta aut dubia. Nam
eam adducit, vt argumentum certum con-
tra hæreticos conſeruatæ in Romana eccle-
ſia integritatis ac veritatis traditionis Apo-
ſtolicæ: quæ eiuſmodi continua ſucceſsione
ad ea vſque tempora perduraſſet. Hac, in-
quit, ordinatione & ſucceſsione ea quæ eſt
ab Apoſtolis traditio in eccleſia, & veritatis
pręconiſatio peruenit vſq; ad nos, & eſt ple-
niſsima hæc oſtenſio, vnam & eandem nunc
viuificatricem fidem eſſe in eccleſijs, quæ ab
Apoſtolis fuit tradita, conſeruatamq́; in ve-
ritate. Hæc illæ Irenæus.

Quale fuerit Clement. de Marco & Petro teſtimonium.

Egeſippus præterea etiã Irenęo aliquanto
vetuſtior (quẽ ſub Aniceto Romam veniſſe
vnà cum Polycarpo Ioãnis diſcipulo, ex eo-
dem de ſe referente teſtis eſt D. Hieronym.)
lib. III. Hieroſolymitani excidij, latè deſcri-
bit Apoſtolorũ exceſſum, vtq́; dato à Nero-
ne vt comprehenderentur præcepto, Petrus
ſit rogatus à fratribus aliò ſe cõferre. Reſiſte
bat, inquit ille, dicẽs nequaquã ſe facturum, D
vt metu mortis territus ceſsiſſe videretur:
Bonũ eſſe pro Chriſto pati, qui pro omnibus
ſe morti obtuliſſet: nõ mortem illam, ſed im-
mortalitatẽ futuram. Iamq́; indignũ vt ipſe
fugeret, qui multos doctrina ſua cõpuliſſet
ſe hoſtiã pro Chriſto offerre. Deberi ſibi ſe-
cundum Domini vocẽ, vt & ipſe in paſsione
ſua Chriſto gloriã & honorem daret. Hæc &
alia Petrus obtexere: ſed plebs lachrymis
querẽs ne ſe relinqueret, & fluctuantẽ inter
procellas gentilium deſtitueret, obteſtari: vi-
ctus fletibus Petrus ceſſit, promiſit ſe vrbem
egreſſurũ proxima nocte: ſalutatis fratribus
& celebrata oratione proficiſci ſolus cœpit.
Vbi ad portam ventum eſt, videt ſibi Chri-
ſtum occurrere, quem adorãs, dixit: Domine
quò venis? Dicit ei Chriſtus: Iterũ venio cru
cifigi. Intellexit Petrus de ſua id dictum paſ-
ſione, quòd in eo Chriſtus paſſurus videre-
tur: qui patitur in ſuis, non vtiq; corporis do
lore, ſed quadam miſericordi compaſsione,
aut gloriæ celebritate: & cõuerſus in vrbem
redijt, captuſq́; à perſequutoribus, crucique
adiudicatus, popoſcit, vt inuerſis veſtigijs cru
ci affigeretur, quòd indignus eſſet qui ſimili
modo crucifigeretur, vt paſſus eſt Dei filius.
Quo impetrato, vel quia ita debebat fieri
vt

A vt Chriſtus prędixerat, vel quia perſequutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipſe Paulus, alter cruce, alter gladio necatus eſt. Hęc Egeſippus de Petro ſcribit eo tẽpore, quo ſupererant plurimi, qui & viuentem audierant, & morientem viderant.

Eodem ferè tempore etiam Dionyſius ille Corinthiorum Epiſcopus, quem ſub Sotere clarum fuiſſe conſtat, ex vrbe Roma, ad quá velut ad communem matrem, & magiſtram omnium, qui vbique ſunt, Chriſti fidelium, eccleſiaſtica ipſum negotia pertraxerant, Eccleſiæ ſuæ ſcribens, huius de Petro hiſtoriæ tanquam omnibus notorię obiter meminit, & clariſsimum illis perhibuit veritatis teſtimonium. Cuius hæc verba Euſebius ille Cęſarienſis ſuæ hiſtoriæ inſeruit: Vos, inquit, à Petro & Paulo commonitionem habẽtes, & Romanæ & Corinthiorum Eccleſiæ planta tionem coniunxiſtis. Ambo enim aduentantęs, & in noſtra Corinthiorum docuerunt Eccleſia, & per omnem Italiam, atque in hac vrbe ſimul docentes, etiam martyrio pariter vno, eodemq́ue tempore coronati ſunt. Hæc ille Dionyſius.

Eadem quoque tempeſtate Tertullianus ille florens Carthaginẽſis presbyter, omnium Eccleſiarum ſermone (quod Euſebius dę eo teſtatur) celebratiſsimus, libro tertio de

B Hæreticorum præſcript. ſcripſit in hæc verba: Percurre, inquit, Eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedrę Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ autenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocẽ, repræſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum: ſi non longè abes à Macedonia, habes Philippos: ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiam adieris, habes Romam: vnde nobis quoque autoritas præſto eſt, ſtatuta felix Eccleſia. Vbi Petrus paſsioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Idem libro quarto aduerſus Martionem dicit, Petrum & Paulum reliquiſſe Romanis ſuo ſanguine obſignatum Euangelium, & hi omnes vnius circiter hominis ætatem ſcripſerunt à morte Petri. Quo tempore impoſsibile eſt non toti Eccleſiæ notiſsimam fuiſſe Petri hiſtoriam, pro eius ſingulari in Eccleſia autoritate & principatu. Hos cõtinuò ſubſequuti ſunt eruditiſsimi illi, ſanctiſsimiq́ue Eccleſię proceres, Adamantius Origenes, & Cæcilius Cyprianus, quorum ille libro tertio explana tionum Geneſis, Petrum poſt prædicatum Euangeliũ in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, ad vltimum in vrbe Roma commoratum ſcribit, ibiq́; crucifixum inuerſis veſtigijs: hoc ita fieri eo precante, ne Domino ſuo æqualis videretur. At Cyprianus ille glorioſus martyr & pontifex, vbi non cognoſcit cathedram Petri? vbi non prædicat, non inculcat ſingularem eius in Eccleſia autoritatẽ? Qui Romę docet exortã ſacerdotalis dignitatis vnitatem, ob Petri & ſucceſſorum eius Romanę Eccleſiæ Præſulum, in eccleſiaſtica Hierarchia primatum, per quem eccleſiaſtici, ſacerdotaliſq́; ordinis vnitas & conſeruatur, & ſubſiſtit. Quam ob rem dicit vnitatem Eccleſię ab vnitate epiſcopatus Petri pendere, à quo exordium Eccleſiæ poſt Chriſtum, tanquã ab vnitate quadam profectum affirmat.

Quale fuerit præcedẽtium teſtimonium de Petro.

Similiter in epiſtola ad Corneliũ Romanum pontificem ſcribit ſe nõ priùs quoſdam, qui negarunt Romani põtificis primatum, intra Eccleſiam ſuam admiſiſſe, quàm ſuum illum errorem publicè reuocantes, primatum eundẽ denuò ſolenniter fuiſſent confeſsi in hæc verba: Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſsimæ catholicæ Eccleſiæ, erectũ à Deo omnipotenti, & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur. Circumuenti ſumus perfidię loquacitate factioſa amantes, videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico homine habuiſſe, ſyncera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit, nec ignoramus vnũ Deum eſſe, & vnum Chriſtum eſſe Dominum, quẽ confeſsi ſumus, vnũ ſpiritum ſanctũ, vnum Epiſcopum in catholica Eccleſia eſſe debere. D

Nota, qualẽ confeſsionem exegerit Cyprianus ab his q detraxerãt primatui Romani pontificis.

Poſt hos tales & tantos, & qui tam propinqui apoſtolicis temporibus in recentiſsima earum rerum memoria ſcripſerunt (nam horũ nouiſsimus Cyprianus, vix centũ & quadraginta annis ſubſecutus eſt Petrum) quid adhuc poſteriorum meminiſſe attinet? Quid Athanaſij Alexandrini? quid Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcoporum? qui principalẽ illam Petri in Romanos pontifices ſucceſsione deriuatã ſuper omnes Eccleſias autoritatẽ non ſolùm ſcripto confeſsi ac venerati ſunt, ſed & facto aduerſus perſequutores ſuos eam toties implorarunt, atq; ad eandem tanquam ad ſacrã ancoram (quod pòſt intelliges) in huius pelagi tẽpeſtatibus confugerunt.

Quid præterea Euſebium Pamphili, non Romanum, ſed Cæſarienſem pontificẽ commemoraſſe opus eſt? Qui ſcribit Petrũ omnium Apoſtolorum principem & Chriſtianorum pontificem primùm veniſſe Romam ſecundo anno Claudij, vbi poſt geſtum ibidem epiſcopatum annis viginti quinque, vnà cum Paulo glorioſo ſit coronatus martyrio. A cuius pontificatu per ſucceſsionem

A Epiſcoporũ in Romana Eccleſia temporum ſuorum continuam hiſtoriam texuit. Quid deniq; diui Aurelij Auguſtini, non Romani, ſed Afri, Hipponenſis Epiſcopi, poſt tantam præcedentium ſcriptorum multitudinẽ adhuc refert audire teſtimoniũ? Qui aduerſus Petilianum cathedrã apoſtolicam (vt hi nũc faciunt) blaſphemantem, ſcribit in hæc verba: Si omnes per totum orbẽ tales eſſent Epiſcopi, quales tu vaniſsimè criminaris, quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ cathedra, in qua Petrus ſedit, & in qua Anaſtaſius ſedet? vel Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet? quibus nos in catholica vnitate connectimur, & à quibus nefario furore vos ſeparaſtis. Quare appellas cathedram peſtilẽtiæ cathedram apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legẽ loqui, non facere: nunquid Dominus Ieſus Chriſtus Phariſæorũ (de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt) cathedrę, in qua ſedebant, illã fecit iniuriam? nónne illam cathedrã Moyſi commendauit, & illos, qui non ſeruabant cathedrę honorem, redarguit? Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis cathedram apoſtolorum, cui non communicatis. Hæc ille Auguſtinus. A quo vide, quàm hi diſſentiãt tota diametro. Fatetur ille (aduerſus Manichęi epiſtolã ſcri-
B bens) in catholicæ Eccleſiæ gremio ſe præcipuè retentum ſucceſsione continua Epiſcoporum in ſede & cathedra Petri: Cui, inquit, Dominus poſt reſurrectionem ſuam paſcendas oues ſuas commendauit, ad ſui temporis epiſcopatum, quem Anaſtaſius geſsit. Quam eandem ſucceſsionem ille, vt audiſti, ſacer Irenæus magna cum fiducia obiectat Hæreticis, pleniſsimam eam demonſtrationem affirmans, quòd in Romana Eccleſia eadem conſeruata ſit fides, quę tradita eſt ab Apoſtolorum principibus. At hi vniuerſam illam ſucceſsionem commentitiam affirmãt. Neceſſe eſt ergo rei omnino friuolæ, imò falſiſsimæ fidem, ſalutemq; ſuam acceptam referre ſanctiſsimos illos, doctiſsimosque patres, eáq; vt irreuincibili argumento orthodoxę fidei aduerſus perfidos vti, aut hos eſſe falſiſsimos perfidiſsimosque.

Poſtremò, quid poſt iſtos omnes, in quos nulla prorſus cadit ſuſpicio, quòd in gratiã Romanę ecclesię finxerit aliquid de Petro, quid, inquam, etiam noſtrorum, hoc eſt, Hilarij, Ambroſij, Hieronymi, Gregorij, Oroſij, Lactantij, Eutropij, & ſexcentorum aliorum oportet colligere teſtimonia? Qui tamen omnes, ante mille, vndecies, duodecies, tredeciéſue centenos annos eadem de Petro, atq; eius ſede Romana Eccleſia prodiderunt. Et C nunquid hi omnes à Romana curia conducti, tanquã venales quidam Gnatones ac adulatores, certo mentiendi, decipiendique ſtudio hæc omnia (quô offerrent autoritatem Romanæ Eccleſiæ) de ſuo capite confinxerunt? Quid ille orthodoxus Hieronymus, mendacij alioqui hoſtis, & perſecutor acerrimus, à tam impudenti (vt hi dicerent) mendacio eccleſiaſticorum ſcriptorum auſpicatur exordium? Simon, inquit, Petrus, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ, vico Bethſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt epiſcopatum Antiochenæ Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circuncisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithynia, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibiq; viginti quinq; annis cathedram ſacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum annum Neronis: id eſt, quartum decimum, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terrã verſo, & pedibus eleuatis in ſublime, aſſerẽs ſe indignum, qui ſic crucifigeretur, vt Dominus ſuus. Quid illum etiam faſcinauit ſanctum, doctiſsimumque Ambroſium, vt nodos in ſcirpo quæreret, & in ea veluti toti orbi nota hiſtoria, latentium quorundam myſteriorum rationẽ, fideli ſibi commiſſo populo: hoc eſt (vt iſti di- D cerent) nugas in fabulis, his verbis explicaret? Non enim, inquit, ſine cauſa factum putamus, quòd vna die, vno in loco, ſub eodem perſecutore paſsi ſunt (de Petro & Paulo loquitur) vna die, vt ad Chriſtum pariter peruenirẽt: vno in loco, ne alter deeſſet Romæ: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrunque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor pro virtute. Et quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ caput & principatũ nationũ obtinet: ſcilicet vt vbi caput ſuperſtitionũ erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentiũ principes habitabãt, illic Eccleſiarũ principes morarentur. Hactenus ille.

Audis itaque, quis ſit iſtorum omniũ conſenſus, quæ concordia. In quibus totius ab initio Eccleſiæ ſenſum, facile adeſt intelligere ac perſpicere. Aduerſus quos, quem vel vnum, vel obſcurum tu nobis profers autorẽ, qui tradat Petrũ non fuiſſe Romæ, non geſſiſſe ibi epiſcopatum, nec coronatum ſub Nerone martyrio? Dicis Lucã te afferre, qui multorum, imò omnium illorum inſtar ſit, atque adeò præponderet. Meliora verba, quæſo. Ego ſanè (quod de Euangelio dixit Auguſtinus, eidem ſe non crediturum, niſi Eccleſiæ ipſum

Euidentiſſimè demonſtratur ſtupida ignorantia dictorum de Petro & Romana Eccleſia.

A ipſum coegiſſet autoritas)nec Lucæ credere,
ſi diſſentiret à prædictis omnibus, atq; adeò
à catholica Eccleſia. Sed abſit, vt ab illis o-
mnibus diſſentiat Lucas,aut illa à Luca. Qui
tametſi non ſcribat Petrum fuiſſe Romę,nō
tamen negat: non magis quàm ipſum etiam
fuiſſe Antiochiæ, cuius æquè non meminit,
etſi Paulus eius apud Antiochiam manſionis
perhibeat teſtimonium: quemadmodum v-
uerſa Chriſti eccleſia, quæ ante annos mille
trecentos, & eo amplius, ad præſentem vſq;
diem,ſolennitatem cathedrę eius primò ibi-
dem collocatæ anniuerſariam celebrat.Et de
tam multis, talibus,tantiſque patribus quid
dices? Nunquid certo mentiendi ſtudio illa
ptodidiſſe de Petro,quô efferrent,aut ſtabi-
litent Romani pontificis tyrannidem?Indi-
gnũ ſanè hoc viris talibus.Aut nunquid hæc
ſcripſiſſe deceptos etiam à Romanæ curiæ
palponibus? Et quæ, obſecro,erat eo ſeculo
Romana curia,cui tales,tantique ſeruierunt
palpones,qui tam multis,tam ſanctis,tam e-
ruditis patribus,toti deniq; orbi potuerunt
imponere,quando Romanus pōtificatus ni-
hil erat,niſi labor immenſus,& certum mar-
tyrium?Aut quis hîc fictioni locus,aut men-
dacio? nempe in ſucceſsione ex ordine Epi-
ſcoporum, in principe ac nobiliſsima totius
B orbis Eccleſia: quam,ſi quid aliud, diligen-
tiſsimè ſemper annotate conſueuerunt ſui
temporis quique, & certa fide tranſmittere
ad poſteros: eo præſertim tempore, quod
non ita longè aberat ab initio: & cùm adhuc
ſupereſſent plerique,qui & Petrum,& omnē
illam ab eo ſucceſsionē Epiſcoporum,quam
memorabant illi,& certiſsimo autoritatis lo
co obijciebant Hæreticis, videre potuiſſent?
Quid Petro,Neroneq; ſuo illo tempore no-
tius? Quid Roma celebrius? Quid igitur in-
credibilius,quàm vt ſtatim poſt vtriuſq; mor
tem,& viuētibus adhuc plurimis, qui vtrun
que viderant,in principe orbis Roma,de or-
bis & Apoſtolorum principibus, tam impu-
dens ſit receptum mendacium, quòd Nero
Petrum Romę cruci affigi iuſſerit,quem nec
viderat Nero, nec Roma? Iactat Alexandria
Marcum Petri Diſcipulum ſuum ptimum E-
piſcopum. Antiochia Enodium & Ignatium
ſibi datos à Petro, ac pro ſe ſubſtitutos vene
ratur ac prædicat,& ab eis ſuorum Epiſcopo
rum initium numerat. Hieroſolyma Iacobũ
agnoſcit fratrē Domini, & ipſum ſibi datum
à Petro totius orbis magiſtro. Et vna Roma
na eccleſia,ad quam ſemper ex toto orbe re-
ſpexerunt Chriſti fideles omnes; tam repēte
obliuiſci potuit ſui capitis & principij? Non
potuit ſuos ab initio numerare Epiſcopos,
C quando ſupra vnius hominis ætatem vix du
rauerat?Et quid illa continua ſucceſsione E-
piſcoporum à Petro in Romana Eccleſia Au
guſtinus fatetur ſe tetentũ in gremio catho-
licæ Eccleſiæ? quid eadem ille ſacer Irenæus
conuincit Hæreticos, ſi adeò incerta, ſi adeò
fallax,imò mēdaciſsimè conficta fuerit?Bre-
uiter,planè impoſsibile eſt,vt non fuerit to-
ti Eccleſiæ notiſsima, ſeu mors, ſeu vita, ſeu
ſedes, aut cathedra Petri, pro ſingulari eius
in Eccleſia dignitate & primatu, vbicunque
tandem is moratus fuerit,& qualiſcunq; fuit
ab initio,celebritate per vniuerſam Eccleſi-
am maxima tranſmiſſa ad poſteros. Quòd ſi
non Romæ, ſed Hieroſolymæ, ant in Aegy-
ptiaca Babylone Cayro, vt hi nũc ſomniant,
ad vltimũ vitæ præſedit, & paſſus ſit Petrus,
cur nulla alia Eccleſia in hanc vſque horam
venerandos exhibuit ſacratiſsimos eius ci-
neres?Cur principalem illam autoritatem,&
eccleſiaſticæ Hierarchiæ primatum, quem à
Chriſto datum Petro ſuprà demōſtrauimus,
nulla alia Eccleſia velut ex ſucceſsione Petri
ſibi vſurpare tētauit?Aut nunquid poſt Petrũ
nulla fuit Hierarchia eccleſiaſtica? Nullus or
do in Chriſti Eccleſia?nemo, ad quem ouilis
dominici cura pertineret præcipua? An verò
D non multo magis hæc erant neceſſaria, quan
do in totum latiſsimè orbem terrarũ ſe dif-
fudit Chriſtiana religio,quàm in illo exiguo
adhuc, puſilloque grege primò naſcentis Ec
cleſiæ?& nunquid vltra Petrum ſuæ Eccleſię
nō prouidit Chriſt⁹, ſed eã cōtinuò poſt illũ,
Babylonē quandã eſſe voluit, abſq; vnitate,
abſque Hierarchia, abſque paſtore & capite?
Audis horum hominum, quàm ſit cæca im-
pietas,quos excęcatos odio pluſquam diabo
lico,neſcio an in Romanam Eccleſiam(quē-
admodum præ ſe ferunt) an potiùs in Chri-
ſtianam religionem(aduerſus quam interni-
tiale bellum gerunt)non pudet quiduis com
miniſci,quiduis dicere & aſſerete quantũuis
abſurdum,quantumuis repugnans,& ſecum
& rei euidentiæ, aduerſus tot ſeculorum to-
tius orbis conſenſum, & indubitatam fi-
dem, tantorum taliumque ſcriptorum au-
toritatem.

Prædictorum calumnias breuiter diluere.

CAP. XIIII.

QVanuis certò confiderem,tametſi
nihil diceremus ampliùs, dicto-
rum cauillis ac ratiunculis nemi-
nem bene affectum attenturum,
qui modò legiſſet, quæ præmiſimus, neque
vllo ex eiſdē ſcrupulo affectum iri: tamen vt
breuiter illas ipſas diluamus calũnias,ſic ferè
ratiocinan-

A ratiocinantur: Non meminit, inquiunt, Lucas
in Actis apoſtolicis aduentus Petri in vrbem
Romam, & cæteri ſcriptores, qui de eo pro-
diderunt, non conſentiunt de tempore. So-
let autem falſitatis argumentum eſſe diſcor-
dia, vt eſt concordia veritatis. Hactenus illi.
Tu nunc audi, quo pacto ex eiſdẽ principijs
demõſtrabimus propoſitum. Si autorum de
de quacunque conſentiens & concors tradi-
tio veritatis indubium argumẽtum eſt, quo
pacto non erit vero verius, Petrum ſuiſſe pri
mum Romanorum pontificem, & à Nerone
vnà cum Paulo Romæ glorioſo coronatum
martyrio? Hoc enim ſcriptores omnes vno
tanquã ore affirmãt, hoc tot ſeculorũ totius
orbis tam pertinax conſenſus, tot publica ac
vetuſtiſsima probant monumenta.

Non diſcordare ſcriptores vetuſtos de tẽpore, quo Petrus Romã profectus eſt.

Quòd verò dicunt diſcordare ſcriptores
de anno, quo primùm Romam profectus eſt,
dicam primùm, mihi nondum contigiſſe vi-
dere eam diſcordiam, præſertim inter auto-
res illos vetuſtos ac præcipuos. Siquidem Eu
ſebius Cæſarienſis, temporum & rerum Ec-
cleſiaſticarum ſcriptor diligẽtiſsimus, ſecun-
do anno Claudij dicit ipſum profectnm Ro
mã aduerſus Simonem Magum. Idem ad ver
bum affirmat Diuus Hieronymus. Quibus
conſentit Oroſius, tametſi hunc cum illis ve
lint pugnantẽm facere. Non enim certum a-
liquem annũ iſte tradit, ſed circa initium im-
B perij Claudij ſcribit ipſum aduentaſſe Ro-
mam. quòd ſi vniuerſum eius imperiũ (quod
quatuordecim circiter annos durauit) partia
re in principiũ, medium & finem, certum eſt
circa principiũ imperij eiuſdem accidiſſe, quę
acciderunt anno eius ſecundo. Et certò ſcio
huius notæ ſcriptorum neminem inuentu-
ros, qui hac de re prodiderit aliter: tametſi
poſteriorũ nonnulli ſua ingeſſerint ſomnia,
qnemadmodum illi commemorãt de neſcio
quo faſciculo temporũ, cui reſpondere pror
ſus indignum ſit.

Bedam etiam non ignoro (tametſi in ſup-
putandis temporibus ſingulariter elaboraue
rit) longè lateque diſſentire ab Euſebio, Hie
ronymo, Oroſio, imò à publica, recepta, ve-
raque ratione temporum, per annales hiſto-
riographosque annis imperatorum ſibi ſuc-
cedentium digeſta. In quẽ errorem incidiſſe
mihi videtur, dum ex noſtris, quæ abſq; tem
porũ digeſtione ſcripta ſunt, ſuo quaſi Mar-
te eruere cõnatur tẽpora, & ad illa, quæ ſibi
inueniſſe videtur, publicam, receptam, indu-
bitatamque apud omnes temporum fidem,
non tam accommodare, quàm mutare & cor-
rigere, ſeu potiùs deprauare. Siquidẽ ex in-
certo & dubio rectificare conatur id, qnod
eſt longè certins, cùm cõtrà potiùs oporteat. C
Itaque quoniam Petrum poſt illud Apoſto-
lorum & presbyterorum concilium, de qno
Lucas in Actis meminit, Romam profectum
exiſtimat, multa cõminiſcitur, vt habeat an-
nos ab illo viginti quinq;, quibus Romanis
Epiſcopus præſuit, plurimaq; connectit ab-
ſurda, & non cohęrentia, in decimum quintũ
caput Actorũ ſcribens in hæc verba: Scimus, *Act. 15.*
inquit, Petrum & Paulum Apoſtolos anno
poſt paſsionem oomini trigeſimo octauo, id
eſt, vltimo anno Neronis, paſſos ſuiſſe mar-
tyriũ, & beatum Petrũ Romæ viginti quinq;
annis epiſcopalem rexiſſe cathedrã. Viginti
quinq; autem, & quatuordecim, non triginta
octo, ſed triginta nouem faciunt. Sequitur
ergo, vt beatũ Petrum eodẽ decimo quarto
poſt Domini paſsionem anno, quo eum Hie
roſolymis alloquitur Paulus, hoc eſt, quarto
anno Clandij Romam veniſſe credamus. Si-
mulque, niſi fallor, ex hac poſitione beatum
Paulum Apoſtolum, eodem quo Dominus
paſſus eſt & reſurrexit anno, ad fidem veniſſe
probatur. Hæc ille. In quibus primùm noua
confingit imperatorum tempora, aduerſus
omnium hiſtoriographorum & annaliũ pub
licam, receptamq; fidem. Nam à Chriſti mor
te & aſcẽſione, hoc eſt, decimo octauo anno
Tiberij, ad quartũ decimum Neronis, annos
triginta octo computat: cùm certum ſit non D
integros triginta ſeptem interueniſſe. Siqui-
dẽ Tiberius imperauit annis viginti tribus,
aut, vt alij volunt, viginti duobus tantùm.
Caius aonis quatnor non integris. Claudius
annis tredecim, menſibus nouem. Quibus ſi
addas Neronis quatuordecim, non habebis
triginta ſeptem annos integros poſt decimũ
octauum Tyberij, aut triginta quinq; tãtùm
cum aliquot menſibus, ſi (vt plerique tradũt,
& dubitat Euſebius) viginti duobus tantùm
annis imperauit Tiberius.

Deinde, quòd vult celebratum fuiſſe illud
Apoſtolorum concilium circa initium deci-
mi quarti anni ab aſcenſione Domini, ita vt
ille annus connumerari & adſcribi poſſet e-
piſcopatui Petri in vrbe Roma, quò conſtẽt
anni eius viginti quinque, vſque ad Neronis
vltimum: Item, quòd Paulus eodem anno,
quo Dominus reſurrexit, ad fidem cõuerſus
fuerit, neque cum Luca conſonant, neque
cum Paulinis epiſtolis. Nam ſi perpenderis
vniuerſa, quæ Lucas accidiſſe ſcribit ab aſcẽ-
ſione Chriſti ad Pauli vſqne conuerſionem,
& octo capitibns prolixè commemorat, vix
credibile alicui videbitur, omnia illa in pri-
mum, vnicumque annum incidere potuiſſe:
ordo enim & ſeries eorum omnium erat nõ

pauci

A pauci temporis. Iamque longè, lateque propagatum Euãgelium, & per Samariam, & per Damaſcum, aliasq; vicinas ciuitates, iam diu antè conſtituta Hieroſolymis forma vitę cõmunis inter Chriſti fideles, iam deinde electi illi ſeptem diaconi, quibus committebatur eccleſiaſticarum etiam rerum diſpenſatio: iam lapidatus Stephanus, & excitata illa perſequutio Eccleſię, quæ omnia non fuerũt exigui temporis: & ſi darentur incidiſſe in primum illum annum, illud omnino dubitari nõ poterit, conuerſionẽ Pauli, quæ dicta omnia ſubſecuta eſt, ſaltem nõ niſi in finem anni illius potuiſſe incidere: ſi tamen (quod vix eſt credibile) in primum illum annũ includi potuerit. At poſt annos tres à ſua conuerſione, idem ſcribit ſe veniſſe Hieroſolymã videre Petrũ, & deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendiſſe Hieroſolymam, cauſa quæſtionis illius: Num ex gentibus cõuerſi ad chriſtum eſſent onerandi legalibus: ob quam celebratum eſt memoratum concilium. Habes ergo, ipſo teſte Paulo, inter conuerſionem eius, & celebratum illud concilium annos vt minimùm decẽ & ſeptem, ſi tres illos cum quatuordecim coniunxeris. Quòd ſi hîc rurſus ſubterfugias, dicasque tres illos priores annos, à cõuerſione Pauli, poſt quos venit videre Petrũ, includi oportere in illis

De tẽpore celebrati Hieroſolymis concilij apoſtolici.

B quatuordecim, poſt quos dicit ſe ſecundò aſcendiſſe Hieroſolymam. Quanuis hîc verba Apoſtoli apertiſsimè tibi reclamare videantur: ſaltem negari omnino non poteſt, concilium illud celebratum fuiſſe aliquanto poſt annos quatuordecim ab eius cõuerſione. Siquidẽ ſuis Galatis fidem facturus, quòd nõ ab homine, neq; ex aliorum Apoſtolorũ traditione, ſed per reuelationẽ acceperat, quod eis prædicauerat Euangelium, breuiter commemorat, vbi & quæ illi fuerat à ſua conuerſione cum cęteris Apoſtolis conuerſatio, ſcribens in hęc verba: Notum vobis facio fratres Euangelium, quod à me euangelizatum eſt, quia nõ ſecundum hominem eſt, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, ſed per reuelationem Ieſu chriſti. Audiſtis enim conuerſationẽ meam aliquãdo in Iudaiſmo, &c. Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meę, & vocauit me per gratiã ſuam, vt reuelaret filiũ ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni & ſanguini, neque veni Hieroſolymã ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum, deinde poſt annos tres veni Hieroſolymã videre Petrum, &c. Vides, vt hos tres annos computet, vel à tempore, quo ex Arabia Damaſcum reuerſus ſit, aut ſaltem nõ longiùs, quàm à ſua conuerſione. Subiungit: Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ, &c. Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, &c. Quanquam itaque hos annos quatuordecim computare videatur poſt primum illum ſuum cũ Petro congreſſum, dicens, deinde, id eſt, poſt ea, poſt præmiſſa videlicet, hoc eſt, poſt profectionem in Arabiam, & reditum in Damaſcum, primumq; congreſſum cum Petro, peragratamq; Syriam & Ciliciam. Hoc enim indicat vocabulum, deinde, hoc eſt, poſt ea, quę præmiſſa fuerãt annis quatuordecim. Vtcunque tamen hæc torſeris, violenterque ad tuum ſenſum traxeris, hoc omnino certum eſt, non poſſe eorum initium altiùs repeti, quàm ab eius conuerſione, vnde numerare cœpit, quibus in locis, & quando, quantúmue cum Apoſtolis conuerſatus fuerit. Fuerunt ergo vt minimùm trãſacti anni quatordecim à ſua conuerſione, priuſquàm ſecundò aſcenderet Hieroſolymam: fuit autem Pauli conuerſio poſt aſcẽſionem Domini vt minimùm vnius anni tempore. Quam ſi in primo anno includi volueris (ſi modò aliquam præcedentis hiſtoriæ rationem habueris) ſaltem non niſi in fine illius anni accidere potuiſſe cõfitebere. Quare inter aſcenſionem Domini, & illud

C

D Apoſtolorum concilium, etiam hac ſupputationis ratione vt minimũ annos quindecim interueniſſe certum eſt. Inter quæ Beda ſolùm tredecim annos computat. Nam in principio decimi quarti concilium illud celebratum fuiſſe credit, adeò vt eundem annum epiſcopatui Petri in Romana Eccleſia connumeret. Quem tamẽ poſt illud concilium, primò illuc profectum affirmat. Præterea ſi conſideremus, quòd poſt illud concilium Paulus adhuc conuenerit Petrum Antiochiæ, quemadmodum ipſe teſtatur in epiſtola ad Galatas: quod tamen non accidiſſe continuò poſt illud concilium certum eſt, à quo cum Paulo & Barnaba miſsi ſunt in Antiochiam Iudas & Sylas, non Petrus. Si inſuper horum locorum, nempe Hieroſolymæ, Antiochiæ, & vrbis Romæ diſtantiam cogitauerimus, quæ immenſa eſt. Si denique, quod Petrus in illo ſuo cum Paulo congreſſu, non tanquam ex itinere curſim, raptímue Antiochenam ſalutarit Eccleſiam: ſed multum in eadem temporis commoratus fuerit, ita vt illuc ad eum ex Hieroſolymis, à ducentis circiter miliaribus, Iacobus quoſdam mitteret, tanquam ad illum, ad quem pertineret cura totius Eccleſiæ: Id quod idem Paulus atteſtatur: ſiquidem illorum cauſa fuit ea, quam

quam reprehendebat Petri ſimulatio, ſcandalũ præbens conuerſis ex gentibus. Si poſtremò etiam hoc perpendamus, quòd & apud alias ECCLESIAS, per quas illinc ROMÃ profecturus erat, pro commiſſa ſibi omnium Eccleſiarum cura, atq; omnium erga ipſum ſingulari deuotione ac reuerẽtia, moram haud exiguã neceſſariò facere debuerit. Si, inquã, hæc contuleris vniuerſa, vix vnquam crediturus es Petrum eodem illo, quo Hieroſolymis celebratum fuit illud Apoſtolorum concilium, anno, ROMAM peruenire potuiſſe. Tamen, vtcunque contraxeris hæc tempora omnia, neceſſariò fateberis, ſatis ſuperq́ue habuiſſe negotij, ſi in fine eius anni eò perueni re potuit. Qua ratione ac ſupputatione, ab aſcenſione Domini ad Petri adnentum in vrbem Romam, ſi eò poſt illud concilium primò profectus fuerit, ſedecim vt minimũ anni inuenientur. Quibus ſi viginti quinque adiungas, quibus illic rexit epiſcopalem cathedram, prouenient anni quadraginta & vnus, quibus vixiſſet poſt aſcenſionẽ Domini: à qua tamen triginta ſeptem annos illum nõ ſuperuixiſſe certò cõperies, ſi à decimo octauo anno Tiberij ad decimum quartum Neronis, imperatorum tempora diligenter ſupputaueris. His itaque rationibus ductus Bedam in tẽpore aduentus Petri ad vrbem Romam, ab Euſebio, Hieronymo, cęteriſq; diſſentiẽtem, aberraſſe à veritate nihil dubitauerim: ſed aduentaſſe ipſum ad vrbem, vt illi tradunt, anno Claudij ſecundo.

Diſcordiam ſcriptorum in tempore non infirmare fidẽ rei geſtæ, quæ inter omnes conuenit.

Vt itaque daremus, non conueniſſe inter omnes ſcriptores de tempore & anno, quo Petrus Romam primò venerit: attamẽ inter omnes conuenit, quòd ROMÃ venerit, quòdq́ue ibidem poſt geſtum annis plurimis epiſcopatum ſub Nerone glorioſo ſit conſummatus martyrio.

Ita & inter ſcriptores vniuerſos non conuenit de tempore, quo aut natus, aut crucifixus eſt Saluator noſter. Siquidem Tertullianus aduerſus Iudæos aſſerit natũ fuiſſe anno Auguſti quadrageſimo primo, paſſum autem anno quinto decimo Tiberij, qui Lucæ, nobiſq́ue Chriſto fuit triceſimus, Tertulliano autẽ triceſimus primus. Idem ſenſiſſe Appolinarem Hieropolitanum EPISCOPUM Diuus Hieronymus in Danielem autor eſt. Quibus conſentit Lactantius, cuius libro quarto diuinarum inſtitutionum hæc verba ſunt: Sub imperio Tiberij Cæſaris, eius anno quinto decimo duobus geminis Conſulibus, ante diem decimum calendarum Aprilium Iudæi Chriſtum cruci affixerunt. Ignatius verò in epiſtola ad Trallianos triginta annos agentem Chriſtum baptizatum ſcribit à Ioanne, & tribus annis prædicaſſe Euangelium. At triceſimus eius annus erat quintus decimus Tiberij, teſte Luca. Chryſoſtomus verò homil. decima ſuper Matth. poſt triginta annos tradit veniſſe ad baptiſmum, legem veterem ſoluturum. Beda in exordio anni triceſimi baptizatum ſupputat cum Luca & Ignatio, at poſt baptiſmum ſuperuixiſſe aliquanto plus annis quatuor, ita ſcribẽs ad verbum in ſuis temporibus: Habet enim, ni fallor, Eccleſiæ fides, nominum in carne paulo plus annis triginta tribus ſuperuixiſſe.

Auguſtinus cum Ignatio conſentit per omnia, nempe baptizatum Chriſtum exordio anni triceſimi, & anno deinceps tertio paſſũ. At libro de doctrina Chriſtiana, affirmat pleroſque crediđiſſe quadraginta ſex annos vixiſſe Chriſtum in terris, iuxta nnmerum annorũ, quibus ædificatũ erat templum, quod Dominici corporis volunt geſsiſſe imaginẽ, quo ita paſſum anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto. Vides igitur, inter quales, quantoſque ſcriptores, quàm parùm conueniat in temporibus, non qualiſcunque hiſtoriæ, ſed eius, ex qua pendet ſumma religionis, fideiq; noſtrę, nẽpe natiuitatis, baptiſmi, paſsionisq; redemptoris noſtri. Nunquid propterea natum, baptizatum, crucifixum pro nobis Chriſtum dubitabimus? Et quis tandem extricabit pugnam, quæ eſt in ſupputatione temporum ſacræ veteris teſtamenti hiſtoriæ, in qua inter ſe variãt ſeptuaginta interpretes, & Hebraica (vt ipſi volunt) veritas, in aliquot annorũ centenarijs? Nunquã tamẽ propterea in dubium aut quæſtionẽ reuocata fuit fides ſacræ illius hiſtoriæ. Quandoquidem hoc omnes facilè intelligunt, temporum, quemadmodum & numerorum omnium annotationem lubricam eſſe admodum, in qua ſit lapſus facillimus: ſiquidẽ vno inuerſo aut tranſpoſito apiculo, errorem ſtatim oriri immenſum: & qui ex præcedentibus, ſubſequentibuſque non ita facilè reſtituitur, quàm ſi in re ipſa eſſet multorum verſuum. Quare nihil mirum eſt de remotiſsimis nobis temporibus parùm conuenire inter ſcriptores. Quos tamen cùm minimè pugnarent ab initio, pugnantes frequenter fecit librariorũ incuria.

Lubricam eſſe temporum & numerorum annotationem.

Expungitur aduerſariorũ calumnia.

Quòd obijciunt Lucam nõ meminiſſe aduentus, actorumq́ue Petri in vrbe: ſimiliter neque Paulum in epiſtolis ſuis, ſeu quas Romæ, ſeu quas Romanis ſcripſit, vllam mentionẽ feciſſe Petri: eiuſmodi argumẽta ſunt, quæ exploderentur à pueris in ſcholis dialecticis. Scribit Paulus in epiſtola ad Galatas, vt ſtatim poſt conuerſionem ſuam abierit in

A Arabiam, atq; inde ſit reuerſus Damaſcum: & quòd deinde poſt triennium profectus ſit Hieroſolymam, cauſa viſendi Petri, apud quem manſerit diebus quindecim, & quòd rurſum illum conuenerit Antiochiæ, atque in faciem eidem reſtiterit. At horum omnium nullum eſt omnino verbum apud Lucã, tametſi Pauli acta ita proſequatur, vt eius ſolius cauſa magis, quàm actorum reliquorum Apoſtolorum videatur texuiſſe illam hiſtoriam. Vides ergo, quale illud ſit: Lucas non meminit actorum Petri in vrbe: ergo ibi nõ fuit. Multæ etiam cauſæ incidere potuerunt, cur Paulus ſcribens Romanis, aut è Roma, non meminerit Petri. Nam aberat tunc fortè alio orbis loco, tanquam totius Eccleſiæ curam gerens, cùm ad Romanos ſcriberet. Inde verò ſcribens, quod eius, quãuis fortaſsis vnà præſentis, non meminerit in ſalutationibus familiaribus, honoris gratia fortè factum eſt. Quandoquidem in eiuſmodi ſalutationibus familiaribus, familiarium tantùm noſtrorum meminiſſe ſolemus, non etiam prępoſitorum noſtrorum aut principũ. Quæcunque verò illi eius cauſa fuerit, ob captatas perſuaſiunculas eiuſmodi, quę nihil efficaciter concludunt, omnium ſcriptorum eccleſiaſticorum ab initio, omnium ſanctorũ patrum autoritatẽ, totius orbis conſenſum, B vetuſtiſsima ac celeberrima actæ rei monumenta impugnare & conuellere, euidentis mihi inſaniæ videtur.

Ad illud verò, quod dicitur Petrus interfuiſſe illi Apoſtolorum concilio celebrato Hieroſolymis, poſt quod nõ ſuperſunt anni viginti quinque ad decimum quartum vſq; Neronis, videtur ſanctæ memoriæ reuerendiſsimo Domino Ioanni Roffenſi, ſanctę Romanę Eccleſiæ presbytero Cardinali, qui nõ ita nuper pro ſynceritate orthodoxæ fidei glorioſo conſummatus martyrio, prædictorum etiam calumnijs reſponderat vnà cum Beda, celebratum fuiſſe illud concilium principio anni decimi quarti ab aſcenſione Domini, poſt quod ad Neronis decimum quartum adhuc viginti quinque annos ſupereſſe computat. Atque ita, nihilo minùs conſtare ſibi exiſtimat omnia, quanuis poſt illud concilium ſe Petrus primùm Romã contulerit. Sed nobis cur minimè probetur illa Bedæ ſententia, paulo antè indicauimus: multa enim parùm conſona, imò manifeſtè falſa & pugnantia in ſe complectitur.

Quare dicimus cum Cæſarienſi Euſebio, & Diuo Hieronymo, Petrum veniſſe Romã anno ſecundo Claudij, hoc eſt, poſt Chriſti aſcenſionem vndecimo. Concilium autem C illud celebratum circa nonum annum Claudij, qui poſt aſcenſionem Domini decimo octauo extitit, quemadmodum ex Luca & Paulinis epiſtolis ſupputat Hieronymus. Nam inter aſcenſionem Domini & Pauli conuerſionem vt minimùm annus vnus interfuit, poſtquam triennio aſcendit Hieroſolymam videre Petrum, & poſtea poſt annos quatuordecim ſecundò illuc aſcendit ad illud concilium. Nihil autem neque pugnans, neque abſurdum eſt, quòd Petrus illi concilio interfuerit, & nihilo minùs iam ante ſeptennium, hoc eſt, ſecundo anno Claudij Romam venerat. Imò conſonum, tam Lucæ, quàm prophanis hiſtorijs. Suetonius ſiquidem in Claudio autor eſt, Iudæos circa ea tempora, aut paulo antè, quàm illud concilium celebratũ diximus, principis edicto vrbe expulſos. Quod idem confirmat Lucas Acto. decimo octauo. Poſt hęc, inquit, Paulus digreſſus Athenis, venit Corinthum, & nactus quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius, eo quòd pręcepiſſet Claudius, oẽs Iudæos Roma decedere, &c. Quid igitur mirum eſt, aut quo non pacto veriſimillimum, & huic narrationi conſonũ, etiã Petrum (qui iam annis ſex aut ſeptem præfuerat Romanę Eccleſię) edicto principali obtemperantem (quandoquidem non religionis, aut Chriſtianę fidei, ſed gentis, nationiſque peculiaris erat ea perſecutio, eiuſq; adhuc vita Eccleſiæ eſſet omnino neceſſaria) D vnà cum cæteris Iudæis deceſsiſſe Roma, demãdata eius Eccleſiæ cura Lino & Cleto presbyteris, quos in partẽ paſtoralis ſolicitudinis iamdudum aſſumpſerat, & reuerſum ad ſuos Hieroſolymam, videre quid profeciſſent in fide Chriſti? Quem alioqui exiſtimandum non eſt, ita perpetuis viginti quinque annis deſediſſe Romę, vt vrbis portas egreſſus nunquam fuerit ad alios quoque inſtruendos & confirmandos in fide, qui non vnius Romę, ſed totius dominici ouilis paſtorem conſtitutum ſe meminerat à Chriſto: quemadmodum & de ſuo Paulo, vt ferè in perpetua peregrinatione vitam exegerit, teſtatur Lucas.

Suetonius.

Concluſio.

Concludendum itaque nobis eſt, Romanam Eccleſiam, totius orbis cõſenſu, & catholicæ ab initio Eccleſiæ confeſsione ac recognitione eſſe indubitatam cathedram Petri, & Romanos pontifices Petri in primatu eccleſiaſticæ Hierarchię, illaq; regiminis eccleſiaſtici principali autoritate ſucceſſores.

*

LIBRI TERTII FINIS.

HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE LIBER QVARTVS.

Quàm diſtrictam ſubditi obedientiam debeant in eccleſiaſtica Hierarchia ſibi præpoſitis.

CAPVT PRIMVM.

HActenus demonſtrauimus, vt ſacri ordinis vinculo, in vnum corpus connecti neceſſariò debuerit Chriſti Eccleſia, ex infinita alioqui toto orbe diffuſa multitudine, ex omni gente, lingua, natione, & populo congregata, regique, & gubernari ſua illa Hierarchia, aut ſacro principatu. Cuius caput Petrum deſignatum à Chriſto euidenter etiam demonſtrauimus. A quo vnà cum cæteris Apoſtolis autore nihilo minùs Chriſto, doctoreque ſacro ſpiritu conſtituta ſit reliqua ſub ipſo eccleſiaſticæ Hierarchię facies, Epiſcopis, Archiepiſcopis, primatibusque per loca opportuna ita diſpoſitis, vt
B ad vnum caput, vnam Petri cathedram, eiusque præſidem catholicæ eccleſię pontificem, totius quoque Eccleſiæ cura ordinatiſsimè, decentiſsimeque referretur, atque conflueret. Demonſtrauimus inſuper Romanam Eccleſiam eſſe illam cathedrã Petri, in qua ille eccleſiaſticę Hierarchię primatus, illaque eccleſiaſtici regiminis ſupereminens autoritas & poteſtas alligandi atq; ſoluendi ſuper Eccleſiam vniuerſam poſt Petrum perpetuò reſideret. Eiusque pontifices, veluti catholicæ etiam Eccleſiæ Epiſcopos, in eandem per omnia autoritatem, quaſi hæreditario quodã iure Petro ſuccedere. Simul clariſsimè diluentes vniuerſas calumnias, quibus Hierarchiam Eccleſiaſticam impugnare conantur Hæretici, atque adeò ex Chriſti Eccleſia per ſuum illum architectum, ad inſtar illius ciuitatis Hieruſalem diligentiſsimè conſtructa, decentiſsimeque ordinata, Babylonem quandam facere: & quod eſt neceſſariò conſequens, omnem religionem tollere è mentibus hominum. Quæ tamen vniuerſa etiam ex ijs, quæ deinceps demõſtrabimus, euidentiſsimè confirmabuntur.

Reſtat nunc tractare aliquanto exactiùs de ipſa poteſtate & autoritate eccleſiaſtica, quæ, qualis, quantaque erat neceſſaria eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidi. Quod quum inueniſſe videbimur, reſpiciendum erit ad vmbram & figuram illam noſtræ Eccleſiæ, ſynagogam veterem. In qua ſi etiam hoc ipſum diligenter conſtitutum, ordinatumque à ſuo illo legiſlatore inuenerimus, & nobis confidendum erit, neque Chriſtum ea in re ſuæ defuiſſe Eccleſiæ: ſed tanto hoc in ea conſtituiſſe diligentiùs, & accuratiùs, quãto idipſum huic, quàm illi erat magis neceſſarium, quantoque ipſam ſolidam veritatem ſuam vmbram in omnibus par eſt excedere. Conandumque deinceps ex duobus illis, quæ antè conſtituimus, omnis noſtræ diſputationis certis principijs idem inueſtigare, aſſerere, demonſtrare, atque euidens facere. D Quod tamen priuſquam aggrediamur, antè demonſtrandum erit, quàm diſtrictam obedientiam debeamus in eccleſiaſtica Hierarchia nobis prępoſitis. Id quod hoc pacto fiet euidentiùs, ſi aliquanto repetentes altiùs, ad ipſas humanorum conuentuum & ſocietatum varias ſpecies in vniuerſum reſpexerimus. Vt enim abſque ordine nulla ſubſiſtit humana ſocietas, nec ordo ſine principio & capite: ita cuique ſocietati ſuus ordo, & cuique ordini ſuum principium erat neceſſarium: vt in domo priuata paterfamilias: in ciuitate Conſules, Prætores, Magiſtratus ſummi, quocunque tandem nomine illi nominentur: in dominijs, prouincijs, regnis, Barones, Comites, Duces, Reges, Imperatores: in voluntarijs hominum conuentibus, ſui Patres, ſui Abbates, & prępoſiti. Ita quoque & in catholica Chriſti Eccleſia ſummus pontifex, ſub quo per prouincias Primates, Archiepiſcopi, deinde Epiſcopi per ſingulas diœceſes, & ſub eis ſingularum plebium presbyteri. Neque enim, niſi diligenti membrorum omnium cõnexione hoc tam immenſum corpus in vnum cohærere, contin erique potuit.

Quàm diſtrictã obedientiã debeamus in eccleſiaſtica hierarchia nobis prępoſitis.

A Vt autem ſocietatum hæc ſunt diſtiucta ge-
nera,atque inter ſe differentia, ita alia iu eis,
aliaq́; præſidentium autoritas: tam cuiq; ſua,
cui inferiores omnes, quiſq; in ſuo ordine,
obedire tenētur. Hoc enim ipſa dictat recta
ratio, atque adeò lex uaturæ iuſcripta huma
nis cordibus:hoc ipſum coufirmant diuinæ,
ſacræque literæ. Non ſunt audieudi quidam
Satanæ Apoſtoli, ſed vitaudi,veluti humani
geueris certa peſtis,certū exitium,qui omnē
humanam ſocietatem, omnem ordinē euer-
tere conantur,& ſubditos committere aduer
ſus ſuperiores ſuos, eiſq́ue pro obedieutia
debitarebellionem perſuadere,doceutes hu
manorum prçceptorum tranſgreſſores haud
quaquam peccare corā Deo, ſed legales tan-
tum (ſi quæ ſtatutæ ſunt) pœnas incurrere,
quaſi non debeat obedientiam homo ho-
mini, ſed ſoli Deo. Qua doctrina non vi-
deo, quid eſſe poſsit pernicioſius, quid de-
nique ſalſius, qunm ipſa (vt dixi) euideu-
tiſsima naturæ lex, rectaque ratio hoc di-
ctet, iu ſuo quenque ordine ſuperioribus
ſuis obedientiā debere: eadem,inquam,quę
hos ordines iuter homines cōciliauit,&con
ſtituit. Hoc enim ueceſſariò habet omnis or
do,vt præſit, & vt ſubſit aliquid. Quum au-
tem quenque in ſuo ordine, in quo à Deo
B couſtitutus eſt,impoſitam ſibi perſouam re-
ctè peragere oporteat,euidens eſt,ſuperiori-
bus ſubditos obedientiam debere, ſine qua
& omnis ordo,& omnis humana diſſolüetur
ſocietas,atq; adeò uec humana ipſa vita ſub-
ſiſtet. Quid enim,ſi homo ex diuina lege nō
debet obediētiam homini,toties diuina cla-
mat ſcriptura:Filij obedite parētibus veſtris,
& ſubiacete eis? Quid rurſus?Serui,obedite
Dominis carnalibus cum timore & tremore,
in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto: non ad
oculum ſeruientes,quaſi hominibus placen-
tes: ſed vt ſerui Ieſu Chriſti,facientes voluu
tatem Dei ex animo,cum boua voluntate ſer
uientes, ſicut Domino, & uon homiuibus.
Ephe.6. Colosſ.3. Hęc Apoſtoli ipſius verba ſunt.In quibus au
dis,vt Dei voluntas ſit & præceptum,ſeruos
domiuis obedire,& ſeruire illos doceat Apo
ſtolus: non ad oculum,aut pœnæ tantùm ti-
more,ſed ex animo,quaſi Deo,nou homini-
bus, qui hanc illis perſonam impoſuit.Ita &
publicis poteſtatibus,magiſtratibusq́;, tam-
etſi ab infidelibus gererentur(quando in eo
loco atque ordine conſtituti eſſemus à Do-
mino) obediendū vbiq; clamant, admouēt,
inculcātq́ue apoſtolicæ literæ.Oīs anima,in-
Rom.13. quit Paulus,ſublimioribus poteſtatibus ſub-
dita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo:quę
autem ſunt,à Deo ordinata ſunt. Itaque qui
C reſiſtit poteſtati,Dei ordinationi reſiſtit:qui
autem reſiſtūt,ipſi ſibi damnationem acqui-
ruut,&c.Ideoq́; & uecesſitate ſubditi eſtote,
non ſolùm propter iram, ſed etiam propter
conſcieutiam.Audis itaque non ſolùm pro-
pter ciuilem in tranſgreſſores pœnam:ſed e-
tiam propter couſcientiam,magiſtratibus ac
publicis poteſtatibus ſubditos nos eſſe opor
tere. Petrus autem vno verbo complexus v- 1.Pet.2.
niuerſa: Subditi,inquit,eſtote omni huma-
næ creaturæ propter Deum. Omni humanæ
creaturæ,inquit, cui videlicet nns ſubiecit,
ſeu ipſa naſcendi ſors noſtra, ſeu rerum pu-
blicarū ſtatus & conditio, ſeu ipſa noſtra vo-
luntas. Neque æquè hic Dominos ſuis ſeruis
ſubeſſe præcepit, nec reges aut magiſtratus
vnicuilibet è populo: ſed contrà,quid intel-
ligat,cōtinuè explicat. Siue Regi,inquit,tan
quam præcelleuti,ſiue Ducibus,tanquam ab
eo miſsis, ad vindictam maleſactorum, lau-
dem verò bouorū, quia ſic eſt voluntas Dei,
&c. Serui ſubditi eſtote in omui timore Do-
minis,non tantùm bnuis,ſed etiam diſcolis,
&c. Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris
ſuis. Vides, quo pacto in omni nrdine obe-
dientiam quiſque & ſubiectionem debeat,
uon ſoli Deo,ſed & omni humanæ creaturę,
cui nos ſubdidit,ſeu voluutas propria,vt vi-
ris ſuis mulieres: ſeu quæcunque uoſtra,ſeu D
publica,ſeu priuata cōditio.Publica nos ma-
giſtratibus,priuata ſeruos Dominis.Nūquid
igitur non graphicè deſcripſiſſe illos tibi vi-
detur idem Petrus,qui velamē facientes ma-
litiæ Chriſtianam libertatem, nullis ſuperio 2.Pet.2.
rum prçceptis nos adſtringi volunt,quando
nos admonet & fuiſſe Pſeudoprophetas iu
populo, & futuros etiam in nobis magiſtros
mēdaces, qui introducturi eſſent ſectas per-
ditionis, ſeducturiq́ue plurimos. Sed nouit,
inquit,Deus pios de tentatiòne eripere,ini-
quos verò in diē iudicij ſeruare cruciandos:
magis autem eos, qui poſt carnem in coucu-
piſcentia immunditiæ ambulant, dominati-
ouemq́ue coutemnunt, ſibi placentes,ſectas
uou metuunt iutroducere blaſphemantes.
Audis, quo loco hic habeat dominationem
contemnentes, nempe inter iniquos, quos
Deus cruciandos ſeruat in diem iudicij. Qui
vt gradibus quibuſdam iniqui ſunt, & vnus
magis præ alio: ita inter hos principem iſtos
locum habere Apoſtolus indicat: Magis, in-
quit,eos, qui poſt carnem in concupiſcentia
immuuditiæ ambulant, dominationemq́ue
contemnunt. Duo hæc non ſine cauſa con-
iungit Apoſtolus, quandoquidem hæc ferè
omnibus cauſa eſt contēptus ſuperioris au-
toritatis, proprijs cupiditatibus indulgere,

A quibus non patiuntur ſibi fręna imponi à ſuis, quibus obedire tenentur, præpoſitis & ſuperioribus, ſed ſibi ſternunt cubile, in quo molliter cubent in peccatis & concupiſcentijs ſuis, Chriſtianam libertatem.

Ex comparatione demonſtratur, quàm arctam obedientiã debeamus in eccleſiaſtica hierarchia nobis præpoſitis.

Quòd ſi in humanis ſocietatibus, quas propter humaniorem conuictum, atque operæ mutuæ indigentiam, neceſsitudinemque ipſi inter ſe mortales contraxerunt, aut in quas nos quomodocunque coniecit, ſeu publica, ſeu priuata ſors noſtra & conditio, ſuã quemque ſtationem tam diligenter ſeruare, & recta nos doceat ratio, & naturæ ſimul lex, diuininæque ſcripturæ præcipiãt: quid in Eccleſia Chriſtiana, eiusque Hierarchia nobis faciendum eſt, quam non ipſi inter ſe homines humani conuictus gratia, ſed fidei, religionisque inter nos conſeruandæ, imò æternę vitæ, ſalutisq́; animarum noſtrarum, ipſe Dei filius Chriſtus inſtituit? & qua obſecro cura? quo ſtudio? quo labore? ſuo videlicet pretioſo ſanguine, acerbiſsima denique & ignominioſiſsima morte, glorioſam ſibi Eccleſiam faciens: ſibi regnum in quo dominaretur comparans. Chriſti enim hoc regnum eſt, non Romanorũ, non Macedonum, Chriſtiana hæc eſt, Chriſti, inquam, ipſius hæc eſt Eccleſia, in quam redemptos nos ſuo ipſius

B ſanguine, è Pharaonis duriſsima ſeruitute, ex infinita miſericordia ſua conuocauit. In hac igitur Eccleſia Chriſtiana, in hac, inquã, domo Dei viuentis, quanto timore, tremoreque nobis conuerſandum eſt? Quanto ſtudio, quanta ſollicitudine ſuam quemque ſtationem, in qua conſtitutus eſt à Chriſto, obſeruare conueniet? Si ſeruos carnalibus Dominis obedire cũ timore, & tremore, in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto, doceat Apoſtolus: qualem tandem, quàm humilem, quàm ſolicitam obedientiam noſtris, quos in illo ſuo regno, in ſua Eccleſia Chriſtus præfecit, præpoſitis nos debebimus? Si prophanis magiſtratibus, publicisque poteſtatibus, etiam infidelibus, quas humanæ leges, ciuilesque reſpublicæ, quieti inter homines conuictus gratia conſtituerunt, ipſa lex Dei & naturæ nobis diligẽter ſubeſſe præcipit: quid ſacroſanctis magiſtratibus, quos æternæ ſalutis animarum noſtrarum cauſa, in ſua Eccleſia cõſtituit ipſe Dei filius? Si parẽtibus carnalibus tam diligenter debent ſubeſſe filij, quantopere nos Epiſcopis noſtris, quos patres nobis ipſe Chriſtus, autor & vitæ noſtræ & ſalutis conſtituit? Si Reges, humanæque politiæ principes omni nos honore oportet proſequi, ipſum igitur Chriſtianę Eccleſiæ principem, Romanum pontificẽ, quem ipſe pro ſe nobis Chriſtus vicariũ in hoc ſuo regno conſtituit, quo non proſequemur honoris genere? Quę tametſi non demonſtraremus aliter, nunquid vlli poſſent eſſe dubia? Audi tamen ipſum legiſlatorem noſtrum, & Eccleſiaſticę Hierarchię autorem chriſtum, quo pacto ad ſuum id contemptum pertinere arbitratur, cũ ordines, magiſtratusq́; in Eccleſia ab ipſo conſtitutos, cõtemnimus. Ita enim loquitur ad Apoſtolos, atq; eos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt, Epiſcopos: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Qui vos, inquit, ſpernit, me ſpernit. Vides, ad cuius contemptũ pertineat, cùm mortalẽ hominem contẽnimus Epiſcopũ. Quid ergo ſi ẽpiſcoporũ omnium principẽ? Scriptũ eſt in lege Moyſi: Si quis ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Dño deo tuo, morietur homo ille, & auferes malũ de Iſrael, cunctusq́; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Si ergo in vmbra illa noſtrę Eccleſię ſynagoga veteri tãta erat dignitas, tam ſacroſancta autoritas eius, qui pręſidebat vmbratico illi tabernaculo, vt ſub horribili mortis pœna præceptũ fuerit abſq; vlla contradictione illi obedire per omnia: nunquid ex comparatione non facilè intelligimus, quãta ſit dignitas catholicæ Eccleſię Chriſti præſidis? quàm ſacroſancta autoritas? quàm diſtricta illi à nobis debeatur obedientia? C D

Scribit ad Magneſianos ille glorioſus Chriſti martyr & pontifex Ignatius: Dignum eſt, inquit, vos obedire epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere: terribile enim eſt tali contradicere: nõ enim iſtum viſibilem quis ſpernit: ſed illum inuiſibilẽ in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni. Hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionem. Dicit enim Dominus Samueli de contemptoribus eius: Non te ſpreuerũt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Nam & Moyſes populo aduerſum ſe murmurãti dicit: Non aduerſum me murmuraſtis, ſed aduerſus dñm neũ. Nec quiſquã inultus remãſit, qui ſe aduerſus potiores extulit. Siquidẽ & Dathã & Abiron Moyſi reſiſtẽtes, viui deſcẽderũt ad inferos. Sed & Chore, & qui conſpirauerãt cũ eo aduerſus Aarõ 250. viri cœleſti igne conſumpti ſunt. Ozias quoq; factus eſt leproſus, qui cõtra ſacerdotes ſacerdotiũ ſibi auſus eſt arrogare. Saul etiam ſacrificare pręſumens, regali dignitate dehonoratus eſt, quòd nõ expectauerit principem ſacerdotum Samuelem, &c. Hæc ille Ignatius, quem ipſe beatiſsimus Petrus poſt ſe Antiochenæ pręfecit Eccleſiæ.

Quia

Quis igitur nō horreat Chriſtianus animus? A quis ferat ter execrādi illius Lutheri, & ſuorum pluſquam diabolicam maledicētiam & impietatem? qui ipſum Chriſtianæ Eccleſiæ principem, & qui Chriſti in hoc eius regno pręcipuum inter nos agit vicarium, atq; adeò ipſum in eo Chriſtum in faciem cędunt, tot execrandis, intolerandisq; maledictis, probris, contumelijs inceſſunt, lacerant, vt non credam ipſum per ſe Satanam vnquam auſurum, quod pro ludo & ioco agunt hæc eius mancipia. Si mortis reus erat, qui in illa vmbra noſtræ Eccleſiæ recuſabat obedire ſummi illius, vmbratici licet, ſacerdotalis imperio, qui pro tempore miniſtrabat Domino, quo non ſupplicio, quot non mortibus dignos iudicabimus, qui ipſius catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſummo ſacerdoti ac pōtifici con tumaciſsimè reſiſtunt, cōtumelioſiſsimè reclamant, & ſubditorum aduerſus ipſum ſeditiones concitant?

Dathan & Abiron, quòd murmurarēt aduerſus Moyſen, eiusq; pręceptis obedire cōtemnerent, dicit ſcriptura blaſphemaſſe con tra Dominum, quos & in teſtimonium eius blaſphemię deglutiuit terra, viuosq; demiſit ad inferos. Quo igitur loco horū ſtatuemus blaſphemias? quod his dignū quiſquā excogitabit ſupplicium? Mirū ſanè vel ſolo hoc nomi B ne, nō ſtatim hos agnoſci à chriſtianis omnibus, non intelligi, quis per hos loquatur ſpiritus, non ſtatim explodi atq; abijci, tāquam certo infectum veneno & toxico, quicquid ſub horū nomine circūfertur, aut prodit in publicū, vt quos conſtat Chriſtianæ Eccleſię eſſe hoſtes iuratiſsimos, atque omnium infenſiſsimos.

Sed moribus, inquiunt, præſidentium, vitaque offendimur. Neq; enim Chriſtum aut Petrum, ſed Annam potiùs & Caipham referunt. Et tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, & Domino ſuo cadit. Tu autē ouis es (inquit ille ſanctiſsimus Cyprianus) noli diſcutere paſtorē, ne eius quoque criminis reus tenearis, noli te iudicē Dei cōſtituere & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, & per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui vos audit, me audit: & qui me audit, audit eum, qui miſit me. Vnde enim hæreſes & ſchiſmata oborta ſunt, & oriuntur, niſi dū Epiſcopus qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundā præſumptione contemnitur, & homo Dei dignatione honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? Hæc ille glorioſus martyr & pontifex, à quo vide, quantū tu diſſentias.

Iob 34. Si mali tibi videantur præpoſiti, tu fortè peiores es. Fortè tua culpa mali ſunt, ſiquidem C propter peccata populi regnare facit hominem hypocritam, & principes ſanctos conta minat. Ita cùm addidiſſet furor Domini iraſci contra Iſraelem, commouit Dauid, vt numeraret Iudam & Iſrael. Nos ergo ipſos iudicemus potiùs, accuſemus propria peccata, quibus iratus Dominus, labi permittit paſtores noſtros, & adhęrere facit linguam palato eorum, vt ſint muti, neſcientes loqui, mandatque nubibus, ne pluant ſuper nos imbrem, quia nos ſumus domus exaſperans. Interim tamen ſcis, quid præceperit Chriſtus: Super cathedram, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Audis hîc, quid præcipiat nobis legiſla tor noſter. Certè homines ſumus tam præpoſiti quàm ſubditi: ex hominibus Eccleſiam ſuam congregauit, conſtituitque Chriſtus. Adhuc grauamur corpore mortis huius, & ſub hoc pondere ingemiſcimus, labimur, ſurgimus, manibus pedibusq; reptamus, etiam qui primitias inter nos ſpiritus acceperunt. Et nunquid malo patri, ſi nihil malè præcipiat, non debet obedire filius? nunquid non diſcolis etiā dñis ſerui? nunquid non Chriſtiani infidelibus etiam, ſi ita fors tulerit, magiſtratibus? nunquid ſancti erāt omnes illius D veteris tabernaculi pontifices, quibus ſub mortis pœna obedire lex pręcepit? Nunquid non erat inter illos Iudas ille proditor, quibus dixit Dominus: Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo aut ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris? Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Iam & hoc quid tibi videtur, quòd ipſe Apoſtolorū omnium & totius Eccleſiæ prin ceps Petrus, poſt ſuſceptum eccleſiaſticę Hierarchię primatum, poſt acceptas claues regni cœlorum, poteſtatemque illam terrificam ligandi ſoluendique & in terris & in cœlis, ter ſuum abnegarit Dominum? Num tibi ſine cauſa hoc permiſiſſe videtur Chriſtus? Mihi ſanè ad eruditionē omnium noſtrorum ita factum videtur, vt diſceremus ferre, compatique inuicem, & vt obſtruerentur iſtorum ora loquentium iniqua. Et cur non potiùs cū illo Origene & ſentimus, & dicimus? Quid loquar, inquit, de parentibus & filijs? Si Ieſus Dei filius ſubijcitur Ioſeph & Mariæ: ego nō ſubijciar Epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? non ſubijciar presbytero, qui mihi Dei dignatione præpoſitus eſt? Videat ergo vnuſ-

Eſa. 4.

Atque malis præpoſitis obediendum.

A vnuſquiſq;, quòd ſæpe melioribus præpoſitus eſt inferior, & nonnunquã accidit, vt ille, qui ſubiectus eſt, melior ſit eo, qui præpoſitus eſſe videtur. Quod cũ intellexerit dignitate ſublimior, nõ eleuabitur ſuperbia ex eo, quòd maior eſt, ſed ſciat ita ſibi meliorẽ eſſe ſubiectũ, quemadmodũ Ieſus ſubiectus eſt Ioſeph. Hæc ille Origenes. Et hacten⁹ quidẽ, quam diſtrictã obedientiã debeamus præpoſitis noſtris in Hierarchia eccleſiaſtica.

Qualem, quantamq; autoritatem conueniebat habere eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidem, ex ipſa ratione eccleſiaſticæ ſocietatis inueſtigare.

CAP. II.

QVàm diſtrictam obedientiam debeamus his, qui in eccleſiaſtica nobis Hierarchia ſunt præpoſiti, ex eo ſecimus euidentius, quod & in alijs humanis ſocietatibus, atq; couuẽtibus, quos humani cõuictus gratia excogitauit ratio & neceſsitas, neceſſariò vnus pręeſſet alteri, atq; vnus alteri obedientiam deberet. Idq; clamãte tam iure naturali inſcripto humanis cordibus, quàm diuinis, apoſtolicisque literis. Etenim in omni humana ſocietate ſuus ordo eſt neceſſarius, in omni ordine ſuũ caput, cui reliqui (quiſque in ſuo ordine & gra-
B du) ſubeſſe, obedireque tenerentur. Sed cùm ſint varia humanarum ſocietatum genera, vt ſua cuiq; eſt forma propria, ſuus ordo, & proprium ſuum cuiq; ordini caput ac principiũ: ita ſua in vnaquaque præſidenti erat neceſſaria autoritas, non eadem omnibus, ſed tamẽ cuique ſua: quæ ſimili ratione inter ſe differũt, qua ipſæ inter ſe ſocietates. Alia eſt enim domus, alia ciuitatis, alia regni, alia exercitus militiæque, alia verò Eccleſiæ forma ac ſpecies. Domus partes ſumus, quatenus patres, matres, filijue familias, famuli, ancillę, ſerui. Quos ea ratio in vnum cõciliat, vt in vna domo, eiſdemque parietibus & tectis inter ſe conuiuãt commodiùs. Ad quem finem quæcunque recta præſcribit, dictatque ratio, ad patrisfamilias autoritatem pertinent. In quibus reliquos eiuſdem familiæ omnes, in ſuo quemque gradu ac ordine illi obedire oportet: nempe ſi vxori præcipiat, quæ vxorem non dedeceant: ſi filijs, ſi famulis, ſi ſeruis, omnes dicto eius audientes eſſe conuenit, & naturali, diuinaq; lege, quemadmodum demonſtrauimus, adſtringuntur. Secùs verò, ſi omnino iniqua pręciperet, aut etiam, ſi ſuæ autoritatis limites planè excederet. Iniqua præcipere intelligendus eſt, non ſolùm cùm ſuperioribus, quibus & ipſe ſubeſt, poteſtatibus contraria præcipit, hoc eſt, Deo, Eccle-

Quando præſidens in quacũq; ſocietate intelligendus eſt iniqua præcipere,

C ſiæ, & quibus ſubijcitur ciuilibus magiſtratibus: ſed etiam ſi ordinis, perſonarumq; rationem non obſeruat: vt ſi vxori præcipiat, quæ ſeruorũ ſunt, ſi ſeruis, quæ aut non ferrent vires, aut ab humana abhorrent conditione. Omnino autem limites ſuę autoritatis transgreditur, ſi quid iubeat, quod planè ſit præter rationem domeſticam. Nec refert, malum id ſit, an non ſit, neq; quod ab alia poteſtate, aut alio ſuperiori idem imperatum teneremur exequi: nec denique, quod etiam de ſe bonum ſit id, quod præcipitur. Vt ſi filio præcipiat pater vim huic aut illi inferre, armis congredi, ferire, cedere, quæ imperatore in acie præcipiente teneretur exequi, non debet iubente patre, vt huiuſmodi. Rurſus ſi vxori, familiæque aut ieiunia, aut eiuſmodi opera pœnitentię pręſcribat præter ea, ad quæ lege Dei aut Eccleſiæ adſtringuntur, quanuis de ſe bona ſint: præcipienti tamen patrifamilias obedientiam non debent. Hęc enim ad ſacerdotes & Epiſcopos pertinent.

Huiuſmodi itaque qualia ſint, in ſingulis humanis ſocietatibus, & quid in quoque ordine noſtris debeamus ſuperioribus: neque enim idem omnibus ipſam formã, ſpeciemq; ſocietatis, in qua ſuperiores ſunt, æſtimanti ſecundum hoc exemplum, non eſt difficile dijudicare, quando rationis regulam non o-
D bliquat deprauatus affectus. Suam autẽ cuiq; formam ac ſpeciem ſocietati pręſcribit finis, ob quem ipſa cõtracta eſt ſocietas. Qui quidem finis eſt, & regula, & ſcopus, in quẽ perpetuò reſpicere debet præſidentis autoritas, adeò vt quicquid non dico, illum ſcopum non attigerit (id enim in omnibus eſt difficilimum, ne dicam, mortalibus impoſsibile) ſed quicquid manifeſtè præter illum ſcopũ eſt, multo magis, ſi ab eo abducat etiã, manifeſtum eſt ad eam autoritatẽ non pertinere, nec eidẽ præcipiẽdi obedientiã in eo deberi.

Quòd ſi hic percontari me pergas: quandoquidem in omni ſocietate humana, ſuperiori, qua gubernatur, autoritati in his, quæ ad finem ſuę, cui præeſt, ſocietatis pertinent, iuſtè, riteque pręcipienti ex lege diuina & naturæ obedientiam debere omnes ſubditos iam nunc cõtendimus: an ergo omnis in his inobedientia & præuaricatio mortale peccatum ſit? Quod videtur conſequi, præſertim cùm eam non excuſat aut ignorãtia aut ſubreptio, cùm ſcienter, volenterque mandata Dei & naturæ tranſgredi mortale peccatum videatur. Quòd ſi ſit inter tot, tam varios ſuperiores, tot leges humanas, eccleſiaſticas, ciuiles, œconomicas, tot ſtatuta, tot præcepta, quæ nam eſſe poſſet ſalus hominis?

A Tametſi hæc quæſtio (vt pòſt intelliges)
plus habeat in receſſu, quod vt pertractatiōe
exquiſita dignum eſt, ita eſt alterius & loci &
negocij: breuiter tamen eidem reſpōdentes
dicimus, neq; omnem, neq; nullam inobedi-
entiam & prẹuaricationem eiuſmodi morta-
le peccatum eſſe. Quare & mẹthodo, qua hẹc
diſcernãrur, opus nos habere. In primis hoc
planè certum eſt, non omnem prẹuaricatio-
nē legis diuinẹ & naturalis eſſe mortale pec-
catū, etiamſi nec ignorantia, nec ſubreptione
excuſetur. Prohibet enim lex Dei & naturæ
in vniuerſum omne mēdacium: tamen ioco-
ſum, & multo magis officioſum, quo nemo
lẹditur, imò quo & iuuatur aliquis, nemo in-
ter delicta mortalia connumerat. Similiter
præſcribit nobis lex naturẹ & diuina, in cibo
& potu obſeruare medium ac regulam tem-
perantiẹ, quẹ in eo conſiſtit, vt tãtum & non
vltra ſumatur, quantum exigit neceſsitas aut
vtilitas corporis: cuius tranſgreſsio, gula vi-
delicet, etiam inter capitalia ſeptem cōnume
ratur peccata. Attamen frequenter, ne dicam
penè quotidie, trãſgredimur illam regulam
ſatis notabili magnoq́; exceſſu, dum vel con-
ſuetudini, vel ſocietati, vel amicis morem ge
rimus, nec quiſquã exceſſum eiuſmodi, niſi
ſit planè immodicus, inter mortalia peccata
B ſtatuit. Eadē nobis lex naturæ ac diuina præ-
ſcribit, vt in omnibus & factis & dictis obſer
uemus, vt ſuo modo & in ſuum finē tendant
omnia, eoq́; dirigatur vniuerſa hominis in-
tentio, ne quid non ſolùm indecorè, ſed nec
otioſe aut fruſtra fiat à nobis. Quandoqui-
dem & de omni verbo otioſo reddituros
nos rationem affirmat Chriſtus in die iudi-
cij. Abſit tamen, vt in his omnibus eſſet mor
talis præuaricatio.

In eundem modum, nec omnis inobedien
tia aut præuaricatio humanorum præcepto-
rum, mortalis cenſenda eſt. Sed æquè hic vt
in præuaricatione mandatorum Dei, & natu
ræ diſtinctione opus eſt.

Om̄ contemptū autoritatis superioris mortale peccatum eſſe.

Deinde etiam hoc certum eſt, ſi non om-
nem inobedientiam, tamen omnem contem
ptum antoritatis ſuperioris, mortale pecca-
tum eſſe. Id quod apertiſsimis verbis in vni-
uerſum nos docet Petrus, qui contemnentes
dominationē aut ſuperiorem autoritatē ſta-
tuit inter illorum iniquorū præcipnos, quos
Dominus cruciandos ſeruat in diem iudicij.
Nouit, inquit, Deus pios de tentatione eripe
re, iniquos verò in diē iudicij ſeruare crucian
dos, magis autem eos, qui poſt carnē in con-
cupiſcentia immunditiæ ambulant, domina-
tionemq́; contemnunt.

Vt autem, quid cōtemptum intelligamus,
intelligas, diſtinguit quidē Ariſtoteles tres C
eius ſpecies, deſpectum, detractionem, con-
tumeliam: deſpectnm definiens, dum quis
aliquem nihili pēdit, exiſtimans rei dignum
nùllius. Detractionem, dum alterius volunta
ti quiſpiam impedimento eſt, non vt ſibi, ſed
ne illi. Cōtumeliam verò, damno atq; dolo-
re in his afficere, in quibus turpe eſt patiēti.
Nos tamen ex vſu ſcripturarum, etiam contu
maciter reſiſtere, & nolle obedire ſuperioris
autoritati, mortalem, quem diximus cōtem-
ptum appellamns. Quod ipſum tamen ferè
videtur ſaltem re ipſa deſpectus & nihilipen
ſio autoritatis ſuperioris. Ita dicir ſcriprura:
Quaſi peccatū ariolãdi eſt repugnare, & qua-
ſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Ita &
Paulus reſiſtentes poteſtati publicẹ in ciuili
politia, dicit ſibi damnationem acquirere. Ita
Chriſtus ſe quoque ſperni teſtatur, cùm quis
ſpernir Dei ordinatione in eccleſia ſibi præ-
poſitos. Et in vnaqualibet ſuperioritatis ſpe
cie, morte expiabatur contemptus hic in le-
ge veteri: vt filius proteruus & cōtumax, ino
bediens patris & matris imperio, & qui coer
citus obedire contempſerat, obrui lapidibus
à populo ciuitatis iuſſus eſt. Similiter, ſi quis
ex ſuperbia recuſabat obedire ſacerdotis im
perio, qui tabernaculo præerat, aut loco quē
elegerat Dominus, aut etiam iudicis pro tem D
pore, morti erat obnoxius. Et morietur, in-
quit, homo ille, & auferes malum de Iſraël.
Reliquæ verò duæ conremptus ſpecies, quas
deſcribit Ariſtoreles, ſubditorum erga ſupe-
riores ſuos, nuſquã memorantur à ſcriptura.
Neq; enim ad humanam, ſed diabolicam ma-
litiã pertinent, qualis eſt Lutheri & ſuorum.

In his verò, quẹ nō ex contēptu procedūt,
tranſgreſsionibus humanorum prẹceprorū,
vt cùm quis ſeu ex negligentia, ſeu ignauia,
aut ſocordia, non implet ſuperiorum prẹce-
pta & imperia, aut trãſgredirur etiam, vt mo-
rem gerat deſiderijs ſuis & concupiſcentijs,
methodo quadam, vt dixi, ac regula opus eſt,
qua venialem inobedientiam à mortali va-
leamus diſcernere. Nam æquè falſum eſt, &
omnem, & nullam tranſgreſsionem eiuſmo-
di, mortalem dicere: quemadmodum etiam
in tranſgreſsionibns diuinæ & naturalis le-
gis oſtendimus. Qua verò methodo hẹc diſ-
cerni poſsint in ſingulis, exactoq́; iudicio pō
derari ſingulorum peccatorū grauitas, pro-
lixioris hoc eſſer operẹ, & alterius negocij,
noſq́; ab inſtituto lōgiùs protraheret. Alio-
qui in inueſtigationibus noſtris circa defini
tiones ac ſeqtentias theologicas, hoc ipſum
diligentiùs & pleniùs explicauimus, quas ſi
Deus & vitam conceſſerit & otiū, aliquando
pietatis

pietatis ſtudioſis communicabimus.

A Ex fine tamen autoritatis in quam cõmit timus, veluti ex ſcopo, hæc ęſtimanda ſunt omnia. Siquidem & fines barũ autoritatum ordinatè ſe habere certum eſt, nec eſſe vnius momenti & ponderis. Quare nec ęquè graue quod abducit ab vno, & quod abducit ab alio. Iam nec eſt ęqualis receſſus præuaricationum omniũ à ſuo ſcopo, ſed vna plus, alia minùs tecedit: quemadmodum quæ imperata ſunt magis aut minùs, aut non magnopere neceſſaria ſunt pro attingẽdo fine, ad quem ordinatur præcipientis autoritas. Ex quibus vir prudens poterit horum omnium conie-ctare atq; ponderare grauitatem in rectę rationis trutina & examine. Sed hæc vt exactiùs hic pertractentur à nobis, non eſt inſtituti præſentis. Quò vt recurrat oratio: de ſocietate catholicæ Chriſti eccleſiæ iã propriè inquirẽdum eſt, quę ſit ea, qua gubernatur, autoritas. Quæ cùm in quacunq; humana ſocietate ex propria eius forma ac ſpecie, quã ſortitur ex ſuo fine, pręſcribatur atq; ortum habeat, perpendere in primis oportet, & huius ſocietatis formam, & finem, ob quem in eandem conciliati ſumus. Formam indicat ipſa ratio nominis, nempe Chriſti fidelium om-

B nium, quatenus Chriſtiani ſunt, ſocietatem, varijs presbyterorum, epiſcoporum, archiepiſcoporum, primatuumq; ordinibus (vt in tam immenſo corpore omnino erat neceſſarium) ad vnum ſummum põtificem, eccleſiæ præſidem, decẽtiſsimè ordinatam. Finis eius eſt, quò legem fidemq; Chriſti, quam edocti à ſpiritu ſancto Apoſtoli, viua voce tradiderunt eccleſijs, quemadmodum tradita eſt ab initio, incorruptam cõſeruemus, vt non ſint in nobis ſchiſmata, ſed idem dicamus ſententiamusq; omnes, aſſequamurq; per hęc vnà cœleſtem illam, ad quã per Chriſtum vocati ſumus, & cuius ipſe nos ſibi cohæredes effecit, hæreditatem. Ergo apud eccleſiaſticæ hierarchię pręſidem eorũ omniũ debuit eſſe autoritas, quę ad conſeruandã hanc eccleſiaſticam ſocietatẽ in ſua vnitate, ſuoq; vigore, eandemq; dirigendã efficaciter in illũ ſuum finem erant neceſſaria. Neceſſarium autẽ ante omnia, vt omnes nos homines ſumus, & inter homines viuimus, ſuboriri ſubinde de eccleſiaſticis rebus ordinibusq; contentiones, idq; non ſolũ inter inferiorioris gradus Chriſtianos, ſed etiam inter eccleſiarũ prępositos, quemadmodũ penè ab initio factum vi-

Autoritas iu-diciaria eccle-ſiæ.

demus. Quare ne diſsidẽtibus inter ſe eccleſiarum prępoſitis, vnuſquiſque ad ſe rapiens eccleſiam Chriſti, eius vnitatem ſcinderet, hoc erat in primis neceſſariũ, vt eorũ omoiũ ſumma poteſtas eſſet penes vnũ totius eccleſiæ pręſidẽ, ad quẽ tandem referretur omnis quæſtio & cõtrouerſia, quęcunq; inter paſtores rectoreſq; eccleſiarũ exoriri cõtingeret,

C cuius ſacroſanctũ, irrefragabile atq; vltimũ apud oẽs haberetur iudiciũ. Hanc autẽ indiciariam eccleſiæ poteſtatẽ appellamus, cuius ſumma quidem, vt dixi, eſt penes eccleſiaſticæ hierarchię præſidem autoritas, atq; inde ordine quodam trãſit etiam in reliquos ſub ipſo eccleſiaſticæ hierarchię præpoſitos. Cui ſubditi ſunt Chriſtiani oẽs, quatenus Chriſtiani ſunt & eccleſię filij. Cauſę vero quæ ex natura ſua ad eandem peculiariter pertinent, ſunt quæcunque de ordinibus, gradibus, ſacramentis, obſeruationibus, alijsq; rebus eccleſiaſticis quæſtiones & controuerſię, quicquid demq; inter quoſcunq; Chriſtianos ortũ habens ex aliquo quod ſpecialiter ad eccleſiam, legẽ, fidẽm ue Chriſtianam pertinet.

Quæ cauſæ ad eãdẽ pertineant.

Quam quidem autoritatem eſſe in eccleſia, & eius ſummam penes eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, haud ſecet alitet probari neceſſe, quã ex eo quòd eſt eccleſia, quę eſſe cõſtareque non poſſet abſque autoritate huiuſ modi: quemadmodũ & in alijs humanarum ſocietatum generibus, quas excogitauit con uictus humani ratio, ſeu regna ſunt, ſeu reſpublicæ, ciuitates, caſtella, domus, ſuus cuiq; ordo eſt neceſſarius, & in quoque ordine ſuum caput, cui & ſua eſt autoritas neceſſaria,

D per quam ea conſtet modereturq; ſocietas, eademq; ratio quæ ſocietates illas inuenit, autoritatem illam ſuo cuique aſſeruit capiti. Quas tametſi ipſi inter ſe conſtituerunt homines, docente nimirum eos natura, vſu & ratione, niſi ſic conciliatis in vnũ vitam humanam non poſſe ſubſiſtere: ęquè tamen Dei ordinationi reſiſtere, grauiterq; peccare, qui ſuis ſuperioribus (in ſuo quiſq; ordine) reſiſtunt, non ceſſant clamare diuinę Apoſtolicæq; literæ. Id quod nihilo minùs ante omnes diuinas ſcripturas, omnemq; ſcriptam legem verum extitit. Ne quis hinc potiùs, quã ex ſua cuiuſq; forma depẽdere autoritatem, qua gubernetur, exiſtimet. Neq; enim Paulus nouam vllam legem promulgauit, quum diceret: Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, & : Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ſibi damnationem acquirit. Sed antiquã ea in re legem naturę, quæ ſuit ab initio, obſcuratam fortaſsis peccatorũ demerito in quorũdam cordibus, ob oculos reuocat & inculcat. Itaq; & ante Paulum ſemper ſubditi obedientiã debebant publicis magiſtratibus, filij parentibus, vxores maritis ſuis, ſamuli & ancillæ Dominis.

Itaq;

Itaq; ſi ſit & eſſe debeat Chriſtiana eccle-
A ſia,ea autem(quemadmodũ demõſtrauimus)
ſine prędicta autoritate non ſubſiſteret,ſicut
nec ſine ſua quęque aliæ, æquè eſt hæc in ec-
cleſia,ſicut in domo patrisfamilias, in ciuita-
te & regno ſua polytica ciuiliſq; autoritas ne
ceſſaria.Pendet enim hæc atq; oritur ex ipſa
eccleſię forma & eſſentia,quá ſortitur ex fi-
ne ob quem hæc cohæret ſocietas: vt & ſua
quæque in ſocietatibus alijs.Qui cũ vnicuiq;
autoritati ſuam metam,ſuos præſcribit limi-
tes,agè ex eodem pergamus,vt cœpimus,in-
neſtigare vniuerſam eccleſiaſticæ autoritatis
ſubſtantiam.

Diximus eccleſiaſticæ autoritatis finẽ eſſe,
vt rectè nos habeamus in his quæ ad Chriſtũ
& Deum ſunt,hoc eſt,vt legem fidemq́; Chri
ſti,quam docti à ſpiritu ſancto Apoſtoli viuę
vocis doctrina eccleſijs tradiderunt à princi-
pio,incorruptam intemeratamq́ue conſerue-
mus vſque in finem ſeculi, idem in ea dicen
tes ſentienteſq́ue omnes,abſque ſectis inter
nos,aut ſchiſmatibus:vtq́ue tandem per hæc
regni illius cœleſtis, ad quod vocati ſumus,
à Chriſto hæreditatem conſequamur.Qui e-
quidem finis, vt illam formam eccleſiaſticæ
hierarchiæ conſtituit,qua in vnum contine-
retur tã immẽſa multitudo, ſentiretq́; vnius
præſidentis autoritatem & imperia:ita tantã
B præſidenti poteſtatem autoritatemq́; attri-
buit,quanta illi erat ad dirigẽdam efficaciter
eccleſiam ad hunc ſuum finem conſequen-
dum neceſſaria. Erat autem in primis ad paci-
ficam inter ſe Chriſtianorũ conuerſationem
tanta illi iuriſdictionis autoritas neceſſaria,
quantã iam demonſtrauimus,qua omnes in-
feriores gradus atq; ordines,Chriſtianoſq́ue
vniuerſos contineret in officio, in vnitate &
concordia.Sed non videtur hæc ſola ſuffice-
re.Neque enim(vt diximus)ob id ſolùm cõ-
ſtituta eſt Chriſtianæ eccleſiæ ſocietas, vt in-
uicem conuerſaremur pacificè,nec intertur-
barentur eccleſiaſtici ordines: ſed multo ma
ximè,vt in lege, religione, fideq́; Chriſti idẽ
dicamus & ſentiamus omnes. Itaq; etiam ſi
ſcripto nobis commendaſſet legẽ ſuam Chri
ſtus,quemadmodum veteri ſynagogæ illam
ſuam Moyſes,ſuboriri ſubinde ex ſcripturis
de lege,fide,religioneq́; dubitationes, quæ-
ſtiones & controuerſias nihilo minùs fuiſſet
neceſſarium.Quare & eas(ſi modò inter nos
futura erat fidei vnitas & concordia) præſi-
dentis autoritate neceſſe erat terminari, defi
niriq́; iudicio.

Nec eſt quod ad ſcripturarum iudiciũ quiſ-
quam dicat referendas quæſtiones & contro
uerſias eiuſmodi.Primùm,quoniam ſcriptu-
ræ ſunt muti iudices: quare ęquè foret neceſ
C ſarium,vt quiſquam ex ſcripturis huiuſmo-
di proferret iudicium, quod neceſſe eſſet o-
mnibus abſque contradictione ſequi, etiam
quicquid ſibi videretur de huiuſmodi iudi-
cio. Deinde,quum pars vtraq; pro ſuo,quem
adſtruit, ſenſu ſcripturarum adferat teſtimo
nia, & partis alterius ſcripturas expoſitione
ſibi accommodet & contorqueat,quis hos in
ſuo ſenſu vtrinque pertinaces cõciliabit in-
uicem, ſi in his non ſubijciemur præſidentis
iudicio? Quis tandem dubitationum, quęſti
onum & altercationum finis erit? An nõ con
tinuò videres tot de ſcripturis,& tam diſcre-
pantes ſententias ac interpretationes, quot
ſunt hominũ & quàm diuerſa capita? Sunt e-
nim(vt ſuperiùs demonſtrauimus)ſcripturę,
velut Lesbiæ cuiuſdam ædificationis plum-
bea regula,quæ flecti,duci,& in diuerſam eti
am ſententiã trahi ſe facilè patiuntur: ſi quis
veram illam, rigidam,inflexibilemq́; earun-
dem amuſsim, nempe eccleſiaſticæ traditio-
nis autoritatem & ſenſum illis minimè adhi
beat. Quam ob cauſam ſanctis illis patribus,
noſtræ religionis anteſignanis & ducibus,
nequaquam viſum eſt,ad ſcripturas prouoca
tionem concedi hæreticis,vt quas non ad il-
lam ſuam amuſsim, ſed ad ſuũ ipſorum ſen
ſum intelligunt & accõmodant.Quare quan

Cur ſanctis patribus haud uiſum eſt ad ſcripturas prouocationẽ concedendam hæreticis.

tumuis in ſcripturis quis exercitatus cum il-
D lis diſputatione congrediens (vt ante annos
mille trecẽtos veriſsimè tradidit ille Tertul
lianus)nihil proficiet,neq; ipſis, neq; audito
ribus Chriſti fidelibus, ſed oberit potiùs.
Quandoquidem ſeu defenderis tu aliquid,
ſeu negaueris, ſcripturas veluti plumbeam
quandam,vt dixi, regulam, ingenij verſutia,
facilè vertent & accõmodabunt quocunque
voluerint. Quas ſi tu dicas torqueri ab eiſdẽ
expoſitione incongrua, idem occlamabunt
tibi,à ſe ſtare earum veritatem, per te adulte
rari eaſdem.In hũc modum, cùm ſine modo
& ſine proceſſerit altercatio,etiam audienti-
bus ingeritur ſcrupulus, quid verum aut fal
ſum habere debeãt,atq; ipſi tãto obſtinatio-
res diſcedunt, quanto viderint orthodoxos
minùs promouiſſe. Hæc, inquam,atque eiuſ
modi ante tot ſecula ille Tertullianus do-
cuit,& veriſsimè docuit.Cui vtinã plus atten
diſſent pleriq; noſtrûm, & minùs in diſputa
tionem ſcripturarum deſcendiſſent cum hæ
reticis, & meliore ſanè loco ſe haberet Chri
ſtiana religio. Iam & illud omnino certũ eſt,
non eſſe cuiuſuis,nec facile,veram inuenire
ſcripturarum intelligentiam,ex quibus dum
eas quique pro ſuo ſenſu intelligere conati
ſunt, tot peſtilentiſsimas hęreſes ortum tra-
xiſſe

A xiſſe videmus. Sunt enim, inquit Petrus, de Paulinis epiſtolis loquens, in illis quędã diſficilia intellectu, quę indocti & inſtabiles deprauãt, ſicut & cęteras ſcripturas ad ſuã ipſorum perditionem. Et inter has tot difficultates, tot ambiguitates, tot altercantes, quò ſaltem confugient, quò ſe vertent ſimplices miſerique Chriſtiani, vt ſciant quid verum ſibiq; ſequendũ in eo, in quò errare dãnari eſt?

Docuimus quidem libro primo, quo pacto quiſq; apud ſe de quacunq; propoſita quæſtione inuenire poterit orthodoxæ fidei veritatem indubiam. Sed hoc paci & vnitati catholicæ eccleſiæ non ſufficit: quin & aduerſantium ſanę fidei altercationes reprimi, impiam doctrinam, quæ velut cancer ſerpit & obrepit incautis & ſimplicioribus, compeſci coerceriq; erat neceſſariũ. Quare præſidenti in eccleſiaſtica hierarchia neceſſaria erat & ea autoritas, vt altercationes eiuſmodi & ad ipſius referri iudicium & definitione terminari oporteat. Ita ſanè (quemadmodum pòſt audies) non ad ſcripturas, ſed ad ſacerdotes Leuitici generis, & ſummi inter eos pręſidentis iudicium, in quęſtionibus & altercationibus eiuſmodi etiã ſuos illos remiſit Moyſes. Vnde nec nobis minùs erat neceſſariũ ſubortas cõtrouerſias & dubitationes eiuſmodi præſidẽtis autoritate definiri, etiãſi ſcripto ſuam nobis legem cõmendaſſet Chriſtus, quemadmodum ſuam illam veterem Moyſes.

Moyſen in quæſtionibus eiuſmodi remiſiſſe ſuos nõ ad ſcripturas ſed ad ſacerdotale & præſidentis iudicium.

B

Quoniam autem non de humanis hîc legibus agitur, quas poſſet ciuilis ſocietatis princeps interpretatione ſua aut moderari, aut mutare etiã pro ratione locorũ & temporum: ſed de dininis, de quibus nec apicẽ nec iota pręterire oportet, & quas omnino ab hominibus immutari non licet, neq; à præſide: erat & hîc planè neceſſarium ſpeciali aliquo priuilegio, quo dirigeretur à Deo præſidentis illius autoritas, nec aberrare fineretur ab eius quod dubitabatur iudicij veritate: ne forte malũ pro bono nobis ſtatuens, aut lucem tenebras, dux cęcus cęcis factus, eos vnà ſecum pertraheret in foueam.

Et hæc qnidem nobis cum veteri illa ſynagoga commnnia erant omnia, niſi quòd horum omnium in eccleſia Chriſti tanto maior erat neceſsitas, quanto eſt diſficilins in tam diſpari multitudine, ex nullis non gentibus, natıonibns, linguisq; cõgregata, atq; in vniuerſum terrarum orbem diſperſa, ſeruari indiuiduam vnitatẽ, & in fide religioneq; concordiã, quàm in illa ſynagoga veteri, in vno cognatoq; populo, eiſdẽ ſemper & moribus & ritibns aſſueſacto. Quæ tamen cùm omnia diligentiſsimè prouiſa ordinataq; à ſuo illo legiſlatore videbimus in vmbratico illo tabernaculo veteri, nıhil meritò dubitabimns à Chriſto tanto etiam diligentiùs ordinatiusq; prouiſa ſuæ eccleſiæ, quanto vtiq; ipſam ſolidam veritatẽ par erat ſuam vmbram omni perfectione excedere, quanto etiã hęc præ illa veteri Deo charior & pretioſior extitit, vt cuius gratia nõ Moyſes aliquis, nõ Angelus de cœlo, ſed ipſe miſſus venit oei filius ſeruilem formã accipiens, & non hircorũ aut taurorum, ſed ſuo pretioſiſsimo ſanguine & morte acerbiſsima eandem conſecrans & ſanctificans: quanto deniq; vniuerſa hæc eccleſiæ Chriſti, quàm ſynagogæ veteri, magis demonſtrauimus neceſſaria. C

Erat præterea & aliud quiddam noſtrę eccleſiæ peculiariter neceſſarium, cuius nullus vſus fuerat in ſynagoga illa veteri: hinc exoriente inter illos noſq; hac diuerſitate: quòd noſtra lex euangelica, viuę traditionis magis eſt quàm ſcripturæ, vt vetus ſcripturæ, non traditionis. Siquidem illis, hoc eſt, vni cognatoq; popnlo diligentiſsimè perſcriptam legẽ ſuã tradidit Moyſes. Nobis verò, hoc eſt, orbi vniuerſo, atq; omni, quæ ſub cœlo eſt nationi, legiſlator noſter Chriſtus legem ſuam viua tantùm Apoſtolorum traditione, quos neq; ſcripto, nec de omnibus viuo verbo, ſed multo magis ſpiritus ſancti vnctione eandẽ ipſe docuerat. Attamen hanc noſtram, multo magis perdurare intemeratã, incorruptã, immutatamq; ad finem vſq; ſeculi, erat neceſſarium, quemadmodum tradita eſt ab initio: quàm veterem illam & vmbraticam, nõ multo pòſt euacuandam, ſuccedente eidem noſtræ legis luce & veritate. D Legem tamen diligenter perſcriptam, atq; ita, vt dictum eſt, vni cognatoq; populo traditã, perdurare in longum tempus, conſeruariq; immntatam, non eſt adeò operoſum & difficile. At quæ viua tantùm voce tradita eſt, nec tradita paucis, neq; vni tantùm cognatoq; populo, ſed diſperſa in orbem vninerſum, in omnes gẽtes, nationes, populos, tam diſſonis inſtitutis moribusq; viuentes, quàm linguıs vtentes, eandem vbiq; in finem vſque ſeculi conſeruari, vt idem prorſus in ea dicamus ſentiamnsque omnes, planè ſtupendum eſt, atq; omnem omnino humanum captũ ſnperat. Qua equidẽ in re ſingularem quãdam miramq; ſuæ legis præ alijs omnibus prærogatiuã, vim & energiam demonſtrare voluit Chriſtus. Tamen vt cõſeruari potuerit inter tot hæreticæ perſecutionis fluctus, turbines, & tempeſtates, quibus (quod pòſt clariùs intelliges) totus aliqnando orbis penè à fundamentis concuſſus eſt, Satanasq; ille euentilauit eccleſiam,

ſicut

ſicut qui cribrat triticum , nec imaginari eſt,
A niſi in vna aliqua eaq́; principali totius orbis
ſede,in qua præcipuè reſideret , & perpetuò
cõtinuaretur eccleſiaſticæ hierarchiæ prima
ſummaq́; autoritas (quam Romanam eccle-
ſiam ſuprà demonſtrauimus)ſingulari priui-
legio conſeruaſſet eandem.In qua nunquam
interrupta epiſcoporũ ſucceſsione ad ſinem
vſq; ſeculi propagaretur, ad quam in eiuſmo
di fluctibus tempeſtatibusq́; reſpicientes or
thodoxi à naufragio eripere ſe, ſaluariq́; poſ
ſent,& in tutum velut portum recipere.

Hæc ſunt quæ noſtræ eccleſiæ in præſide
hierarchiæ ſuæ,atq; eius cathedra videbãtur
omnino neceſſaria, ita vt ſine his in finem ſu
um congruè non poſſet dirigi. Quæ an pro-
uiſa diligenter nobis omnia ſint à Chriſto,
iam nunc inquirendum eſt.

*Eccleſiasticæ hierarchiæ præſidi talem tantamq́; iu-
riſdictionis autoritatem competere , qua uniuerſam
ſibi commiſſam eccleſiam in officio cõtinere poßit.
Inſuper & definiendi controuerſias omnes, quæ in
fide,religione, legeq́; Chriſti emergunt. Cuius ſit
ultimum iudicium,quod omnes ſine contradi-
ctione ſequi oporteat,ex umbra ſynago-
gæ ueteris demonſtrare,*

CAP. III.

Repetitio proximè demõſtratorum cum tranſitu ad ſequentia.

B SVperiori inquiſitione ex ipſa ec-
cleſiaſticæ ſocietatis forma & ſpe-
cie,atq; eius fine inuenimus,præ-
ſidenti in eccleſiaſtica hierarchia
neceſſariam in primis talem tantamq́; iuriſdi
ctionis autoritatem,qua ordines eccleſiaſti-
cos inferiores omnes,vniuerſamq́; ſibi com-
miſſam eccleſiam in officio cõtinere poſsit,
eccleſiaſtici ſtatus perturbatores coercere ,
publicè in legem Chriſti delinquentes corri
gere,cæteraq́; exequi omnia, quæcunque ad
finem ſuum conſequendum ſunt aut neceſ-
ſaria , aut opportuna & congrua. Deinde vt
penes eundem ſumma eſſe debuerit ſubor-
tas inter nos de fide, religione, legeq́; Chri-
ſti quęſtiones & cõtrouerſias definiendi au-
toritas. Cuius ſententiã non ſecùs,quã Chri
ſti ipſius (cuius nobis vices refert)ſequi om-
nes tenerentur.Sine quo inter nos conſerua
ri prorſus nõ poſſet fidei vnitas,tam ad eccle
ſiaſticam vnitatem,quàm ad finẽ eccleſiaſticę
congregationis conſequendũ , vel in primis
neceſſaria.Ex conſequẽti autem circa eorun
dem pręſidentiũ,ſententiam definitionemq́;
& iudicia ſingulare quoddam diuinę aſsiſten
tiæ priuilegium:ne fortè ſi pro iuſto iniquũ,
pro luce tenebras nobis ſtatuerint , cæcique
cęcis ducatum præbuerint, vnà cum eis præ-
cipitaremur in foueam.

Et quoniam hæc vniuerſa noſtræ eccleſiæ
cum ſua illa vmbra ſynagoga veteri, ad pro- C
portionem fuere communia , niſi quòd tan-
to maior horum omnium apud nos erat ne-
ceſsitas,quanto difficilius eſt multitudinem
adeò immenſam ex nullis non gentibus,na-
tionibus,linguis, populis,in tã ſolidam vni-
tatem cõtineri,quàm vnum cognatumq́; po-
pulum,qualis maximè fuit Hebræorum. Ad
illam ipſam nunc vmbram primò reſpicien-
dum eſt.In qua,ſi hæc omnia diligenter pro-
uiſa ordinataq́; à ſuo illo legiſlatore inuene-
rimus,nihil vtiq; dubitamus, neq; Chriſtum
in re tam neceſſaria deſuiſſe ſuæ ſponſæ cha-
riſsimæ eccleſiæ,etiam ſi nullum de hoc ver-
bum legeretur apud Euangeliſtas:pręſertim
quando hæc omnia fuiſſe in eccleſia, res ipſa
teſtaretur ab initio.

Quòd autẽ dicta omnia diligẽtiſsimè pro-
uiſa fuerint illi vmbrę & ſynagogæ veteri,te
ſtatur ſcriptura Deuteronomij in hæc verba:
Si difficilẽ & ambiguum apud te iudiciũ eſſe
perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem,
cauſam & cauſam,lepram & lepram , & iudi-
cum intra portas tuas videris verba variare,
ſurge & aſcende ad locum,quem elegerit do
minus Deus tuus,venieſq́; ad ſacerdotes Le-
uitici generis , & ad iudicem qui fuerit illo
tempore,quæreſq́; ab eis, qui indicabunt ti- D
bi iudicij veritatem.Et facies quodcunq; di-
xerint,qui pręſunt loco , quẽ elegerit Domi
nus,ſequeriſq́; ſententiam eorum,nec decli-
nabis ad dexteram,neq; ad ſiniſtram.Qui au-
tem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis
imperio,qui eo tempore miniſtrat Domino
Deo tuo,ex decreto iudicis morietur homo
ille,& auferes malum de Iſrael. Cunctusq́ue
populus audiens timebit, vt nullus deinceps
intumeſcat ſuperbia . Hîc audis in primis in
ſubortis dubijs & controuerſijs,quę per ſin-
gularum ciuitatum iudices expediri non po
terant,ad quos ſuos illos altercantes remiſe-
rit Moyſes.Certè non ad ſcripturas,ſed ad ſa
cerdotes Leuitici generis, qui præſunt loco
quẽ elegerit Dominus. Audis item quid pro
mittat , nempe inuenturos ibi dubij iudicij,
aut motæ controuerſiæ ueritatem. Et indica
bunt,inquit,tibi iudicij veritatẽ.Audis præ-
terea,quàm diſtrictè præcipiat illorum obe-
dire iudicio,nec de eorum ſententia inquiri
ampliùs. Et facies, inquit, quodcunq; dixe-
rint,qui præſunt loco , quem elegerit Domi
nus.Sequeriſq́; ſententiam eorum, nec decli
nabis ad dexteram neq; ad ſiniſtram . Audis
poſtremò,vt contumacia aduerſus præſiden
tis ſacerdotis autoritatem , expianda neceſſa
riò fuerit mortis ſupplicio.

Sed

A Sed video hîc quid dicturi ſint veritatis hoſtes & aduerſarij, nempe ſuis ſe artibus à nobis peti. Non enim citari à nobis, vt ſunt, integra legis verba, ſed exceptis eis, quæ propoſito noſtro erant cõmoda, omiſſum id, quod fuit caput & cardo: & vnde planè cõuincimur, etiam iudicij præſidentium loco, quem elegerit Dominus, ſacerdotum, iudicem eſſe debere ſcripturam. Non enim ita dictum ſimpliciter, quemadmodum nos citauimus: & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quẽ elegerit Dominus, ſed additam hanc velut reſtrictionem: & docuerint te iuxta legẽ eius. Ergo, inquiunt, niſi nos docuerint iuxta legem Domini, non tenebimur tenere aut facere, quod docent aut præcipiunt. Quo pacto etiam illud legiſlatoris noſtri dictum in euangelio intelligi volunt: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, facite: hoc eſt, quæ dixerint aut docuerint ſecundum cathedram. Et quo tandem pacto, an ſecundnm legem aut cathedram doceant, niſi ex lege ſcripturaque dijudicandum eſt? Quæ ſi ita ſe habeant, an non planè ridiculus videbitur, ſeu ille Moyſes, ſeu ſacer ſpiritus, & non prorſus luſiſſe operam, quòd dubitantes nos legis ſcripturarumq; occaſione, remittit ad ſacerdotale, præſidentiſq; iudicium? Nam ſi per me mihi conſtabat quid eſſet ſecundum legem, vnde dubium? quorſum ad præſidentium remittor iudicium? Si eorum rurſus ſententia & iudicium, nobis ad examen iudiciumq; reuocandum eſt, quid erat neceſſe eorum iudicium & ſententiam exquirere, & non potiùs noſtro contentos ſtare iudicio, quibus adhuc de illorum iudicio, an ſecundum legem ſit & ſcripturas, diiudicandnm eſt? Quid eſt ergo quod præcipit facere abſque diſcrimine, quodcunq; illi dixerint? Quid eorum ſententiam prorſus atq; indiſcuſſe ſequi, nec ad dexteram ab ea declinantes, nec ad ſiniſtram? hoc eſt, qualiſcunq; tandem nobis viſa fuerit, nec ad dexteram quidem, hoc eſt, ad eam partem quæ nobis fortè æquior videret. Quid poſtremò, quod mortis ſupplicio mulctabat lex inobedientiam erga ſacerdotem præſidem, abſq; vlla omnino exceptione, nullum relinquẽs inobedientiæ palliũ, nullum ſubterfugiũ ſuperbis & contemptoribus ſacroſanctæ autoritatis, quaſi poſſent ſacerdotale & præſidentiũ iudicium ſuo rurſus ſubmittere iudicio? Hæc, vt verum fatear, primò mihi ſcrupulum ingeſſerunt de hac clauſula (& docuerint te iuxta legem eius) vt quæ nec præcedentibus, nec ſequẽtibus vllo pacto cohærere videretur: ſed

Coarguitur falſitas lectionis vulgaris Deu. 17. Si difficile, &c.

inconcinnè intruſa & aſſuta à neſcio quo, ſuſpectumq; reddiderũt hoc loco noſtrum interpretem, quicunq; tandem is fuerit, admonueruntq; primũ ad ſeptuaginta interpretes, deinde etiã ad fontẽ ipſum, hoc eſt, Hebraicã veritatẽ recurrere, à quibus plurimum variat noſtra vulgaris ęditio, cuiuſcunq; tandẽ autoris ſit. Quod vt intelligas, apud 70. interterpretes ita hîc locus redditus eſt Græcè: C

Ἐὰν δὲ ἀδυνατήσῃ ῥῆμα ἀπὸ σοῦ ἐν κρίσει ἀναμέσον αἷμα αἵματος, καὶ ἀναμέσον κρίσις κρίσεως, καὶ ἀναμέσον ἀφὴ ἀφῆς, καὶ ἀναμέσον ἀντιλογία ἀντιλογίας, ῥήματα κρίσεως ἐν ταῖς πόλεσί σου, καὶ ἀναστὰς ἀναβήσῃ εἰς τὸν τόπον, ὃν ἂν ἐκλέξηται κύριος ὁ θεός σου ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ, καὶ ἐλεύσῃ πρὸς τοὺς ἱερεῖς τοὺς λευίτας, καὶ πρὸς τὸν κριτὴν ὃς ἂν γένηται ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἐκζητήσαντες ἀναγγελοῦσί σοι τὴν κρίσιν, καὶ ποιήσεις κατὰ τὸ ῥῆμα ὃ ἂν ἀναγγείλωσί σοι ἐκ τοῦ τόπου, ὃν ἂν ἐκλέξηται κύριος ὁ θεός σου, καὶ φυλάξεις σφόδρα ποιῆσαι κατὰ πάντα ὅσα ἂν νομοθετηθῇ σοι κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν κρίσιν ἣν ἂν εἴπωσί σοι ποιήσεις, οὐκ ἐκκλινεῖς ἀπὸ τοῦ ῥήματος οὗ ἂν ἀναγγείλωσί σοι δεξιὰ οὐδὲ ἀριστερά. Καὶ ὁ ἄνθρωπος ὃς ἂν ποιήσῃ ἐν ὑπερηφανίᾳ τοῦ μὴ ὑπακοῦσαι τοῦ ἱερέως τοῦ παρεστηκότος λειτουργεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ θεοῦ σου, ἢ τοῦ κριτοῦ ὃς ἂν γένηται ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἀποθανεῖται ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, καὶ ἐξαρεῖται τὸν πονηρὸν ἐξ Ἰσραήλ, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας φοβηθήσεται καὶ οὐκ ἀσεβήσει ἔτι. D *Quæ Latinè ſic ferè ad uerbum exprimuntur:*

Si autem impoſſibile fuerit verbum à te in iudicio, inter ſanguinem & ſanguinem, & inter iudicium & iudicium, & inter lepram & lepram, & inter contradictionem & contradictionem, verba iudicij in ciuitatibus tuis: ſurges & aſcendes in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius illic. Et venies ad ſacerdotes, Leuitas, & ad iudicem, qui fuerit in diebus illis, & exquirentes annunciabunt tibi ipſum iudicium. Et facies ſecundum verbum, quod annũciabunt tibi ex loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et cuſtodies valde, vt facias iuxta omnia, quęcunq; ſancita fuerint tibi. Iuxta legẽ quæ fuerit, ſecundum iudiciũ quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo quod annũciauerint tibi ad dexteram nec ad ſiniſtrã. Et homo qui fecerit in ſuperbia, ne audiat ſacerdotem ſtantem ad miniſtrãdum in nomine Domini Dei tui, aut iudicem qui fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & auferes malum ex Iſrael. Hactenus hîc locus iuxta ſeptuaginta interpretes penè ad verbum expreſſus eſt.

Hîc vide, quã diſtrictè præcipiat lex obedire iudicio ſacerdotali & ſententiæ præſidentium cathedræ.

Hebraicam verò veritatē hoc loco ita no-
A bis ad verbum dudum reddidit vetus ſodalis & amicus, cùm vnà in vrbe viueremus, Ioannes Stunica Hiſpanus, vir trium linguarum peritia inſignis, at Hebraicæ in primis linguæ peritiſsimus.

Cùm abſcondita fuerit à te res, deducta ad iudicium inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter lepram & lepram, verbaq; contentionū in portis tuis: ſurges & aſcendes ad locum, quem elegerit Dn̄s Deus tuus in eo, & venies ad ſacerdotes, Leuitas, & ad iudicem, qui fuerit in diebus illis, & requires, & annunciabunt tibi verbum iudicij. Et facies iuxta verbum, quod annunciabunt tibi, de loco quem elegerit Dominus, & custodies, vt facias iuxta omne quod te docuerint. Iuxta legem quam docuerint, & iuxta iudicium quod dicent tibi, facies. Non diſcedes à verbo quod annunciauerint tibi, ad dexteram aut ſiniſtram. Et vir qui fecerit in ſuperbia, ne audiat ſacerdotem ſtantem, vt ſeruiat ibi Domino Deo tuo, aut iudicem, morietur vir ille, & auferes malum de Iſrael.

Hęc eſt eiuſmodi loci iuxta Hebraicam veritatem ad verbum expreſſa ſententia, editioni ſeptuaginta interpretum per omnia conſona, niſi quòd eſt aliquanto clarior &
B apertior. Interpretatio verò Chaldaica Pentateuchi, iuxta tranſlationem, quā imprimendā curauit reuerēdiſsimus quondā D. Frāciſcus cardinalis Toletanus, habet in hęc verba:

Si difficile tibi fuerit verbum iudicij inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter plagam lepræ & plagam lepræ, & fuerint verba iudicū diſcordantia in ciuitatibus tuis, conſurges & aſcendes in locū, quē elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad ſacerdotes, Leuitas, & iudicem, qui fuerint in diebus illis, & quæres ab eis, & annunciabūt tibi verbū iudicij. Et facies ſecundum pręceptū & verbum, quod nunciauerint tibi de loco, quē elegerit dominus. Et cuſtodies vt facias iuxta omnia quę docuerint te. Iuxta pręceptum legis quod docuerint, & ſecundū iudicium, quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo, quod indicauerint tibi, ad dexteram neq; ad ſiniſtram. Vir autem qui malignè egerit, vt nō obediat ſacerdotibus, qui ſtant ibi vt miniſtrent coram Domino Deo tuo, aut iudici, occidetur vir ille, & auferes facientem malum de Iſrael. Et omnis populus audient & timebunt, & nō agent impiè deinceps. Vides in his omnibus clariſsima legis verba, quæ ſuperbis inobedientibusq; nullā excuſationē relinquunt. Quin diligenter occurrere videtur horū pernitioſo admodum errori, qui pulcherrimum illum tabernaculi ordinem inuertere moliūtur, & ſubditos ar- C
mare aduerſus ſacroſanctos magiſtratus ſibi prępoſitos & cōſtitutos à Domino: imò verò vnumquemlibet è populo cōſtituere iudicē Dei & Christi. Tanquā pręuidēs ſpiritus hęc nouiſsima tēpora, in quibus doctrinam ſanā reiecturi eſſent homines, & ad ſua deſideria coaceruaturi ſibi magiſtros prurientes auribus. Et facies, inquit, iuxta verbū, quod annū- *Nota diligēter legis uerba, ut ſimpliciter ac diligenter obſequi iubeant & præcepto & definitioni ac doctrinæ præſidum.*
ciabunt de loco, quem elegerit Dominus, & cuſtodies valde, vt facias ſecundum omnia, quę te docuerint. Vides quantam à nobis in obedientia ſolicitudinem ac diligentiam requirat. Neq; addit hîc tuam illam reſtrictionem, tuum inobediētiæ ſubterfugium, vt ea tantùm iubeat facere, quæ nos docuerint iuxta lęgē Domini, ſed ſimpliciter iubet diligenter valde obſeruare, vt faciamus ſecundum omnia, quæ nos docuerint. Ibi enim diuiſa eſt ſentētia, tam apud 70. quā in Hebraica veritate. Statuit autem vbiq; duo hęc è regione, ea coniungens diuerſitatis copula, videlicet vt faciamus iuxta verbū, hoc eſt, præceptum aut iudicium, quod nunciauerint, & iuxta doctrinam, q̄ docuerint. Quorum primū ad ſupremam illam iudiciariam autoritatem pertinet: ſecundū verò ad illam definiēdi incidētia circa legem religionemq; dubia. Nec contētus ſemel hęc dixiſſe, iterū vtrunq; D
inculcat ac repetit: Iuxta legē, inq̄it, quā docuerint, & iuxta iudicium, quod dicent tibi, facies. Quandoquidem de legis præceptis cęremonijsq; eſt quæſtio & ambiguitas, tunc iuxta legem, quam docuerint, facies, hoc eſt, quicquid illi legis eſſe docuerint. Cùm verò ambiguum aut difficile eſt iudiciū cuiuſcūq; alterius negocij, quod intra portas tuas ritè expediri nō potuit, quodcunq; tunc ius aut iudicium dixerint, aut ſancierint, facies, nihil tuo in his omnibus reſeruādo iudicio, nihil tuę ſententiæ. Nec enim declinabis, inquit, à verbo, quod dixerint tibi, ad dexterā aut ſiniſtram. Vt autē iſtorū, ſeu iudicum, ſeu doctrinā perinde à nobis accipi voluerit, tan quam ſuū ipſius de loco illo per os eorū nobis loquentis, indicat horribilis pœna, q̄ in inobediētes cōſtituit: Et vir, inquit, qui fecerit in ſuperbia, ne audiat ſacerdotē ſtantē, vt ſeruiat ibi Dn̄o Deo tuo, ſeu vt habet noſtra tranſlatio: Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tēpore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille, & auferes malum de Iſrael.

Vides vir bone, nō tuis te artibus petitum, non truncata à nobis, aut vi obliquè detorta legis verba, ſed ſimplicem, ſinceram germa-

A namq; citatam lectionem: eliminatum autem expunctumque id, quod erat ſubdititium & adulterinum, & à tibi ſimili aliquo, neſcio quo, malè infartum, anſam inobedientiæ & contumaciæ præbẽs ſuperbis, & quod rapiũt impij ad ſuam aliorumq; perditionẽ. Tu autem iam audiſti Christiane lector, quẽadmodum illi veteri ſynagogæ diligentiſsimè prouiſum fuerit à Deo de vtraq; illa autoritate, quam oſtendimus in eccleſiaſtica hierarchia neceſſariam. Vna, ad quam referretur omne difficile negocium, cuius eſſet vltimum, ratũ & ſacroſanctum apud omnes iudicium. Altera, qua definiretur omnis de lege aut ſcripturis orta quęſtio, altercatio & contentio. Omnibus impoſita neceſsitate, abſq; vlla cõtradictione aut exceptione, ſequendi ſacerdotis præſidentis loco quẽ elegiſſet Dominus, doctrinam, ſententiam & imperium.

Sed nunquid, inquiunt, etiam ſi legi Dei repugnantia docuerit & præceperit? Hic reſpõdet ille tibi, cuius verbo cœli firmati ſunt, & cui nemo dicere poteſt, quare ſic præcepiſti, te diligẽter cuſtodire debere, vt facias ſecundum omne quod te docuerint, néue declines aut diſcedas à verbo, quod annunciauerint tibi ad dexterã aut ſiniſtrã. Hæc enim ipſa ſunt legis verba, de quibus nec apicem, nec iota præterire oportet. Sed idẽ ille, qui hoc tam diſtrictè exigit, tuę illi interrogationi occurrit. Siquidem ſecuros nos reddidit de veritate doctrinæ, & æquitate iudicij eorum, quæ ex illo loco docẽtur & ſanciuntur, qualeſcunq; tandem eſſent ei præſidentes. Hæc eſt enim illa prærogatiua cathedrę & loci, quẽ elegit dñs, cui ſemper adeſt ſingulari priuilegio, atq; ita dirigit ſentẽtiam & iudicium eidem prẹſidentium, vt ſuum magis, quàm illorum hoc nobis habendum ſit, nec de eius veritate & rectitudine quicquam hęſitandum. Et indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem, aut vt habent 70. Ipſum iudicium, videlicet quod quęrebatur. Hęc ille dixit, cuius dixiſſe feciſſe eſt, & qui non poteſt nec falli, nec fallere. De cuius fide nunquid dubitabimus? qui ſi de veritate iudicij eorũ nos ſecuros reddidit, quid adhuc diſcutimus? quid hæſitamus ſequi eorum ſententiam, quam ille tantopere, tam diſtrictè nos ſequi præcipit? Adhuc timemus, ne fortè ſequẽdo errabimus? Certè ſi errauerimus, nõ dubitabo ego cum Auguſtino dicere: Tu domine decepiſti me. Quòd ſi vita eos offendat præſidentiũ, habent illi iudicem ſuum. Tu verò audiſti quid te oporteat facere Nec propter vitam illorũ ſuæ fidei deerit ille fidelis & verax, quin tibi iuxta ipſius verbum ſint indicaturi iudicij veritatem. Idq; non ob merita ſua, ſed partim ob ſacerdotalis dignitatis prærogatiuam, partim ob cathedrę lociq;, quem elegerit Dominus, priuilegium. C

Diuinæ aſſiſtentiæ ſingulare priuilegiũ cathedræ & eidẽ præſidentiũ mu, quæ eorũ ſunt officij.

B

Suprà explicauimus varia ſacerdotalia munia, ad quæ conſecrantur ſacerdotes, viſibili quidem cõſecrationis ritu, & per hominum miniſterium, cui tamen diuina virtus inuiſibiliter adeſt, ordinatis ipſis virtutem poteſtatemq; tribuens efficaciter implendi quæ eorum commiſſa ſunt officio, cui tali ordinatione conſecrationeq; præficiuntur: niſi inanem quandam inefficacium cæremoniarum pompam, & ordinationis cõſecrationisq; in ſacerdotium vanum inefficacemq; ritum per Moyſen illũ in vmbra veteri, & per Apoſtolos in Christi eccleſia inſtitutum volueris ab omnipotente illa ſapientia. Quæ etiam prophanioribus miniſterijs quoſcunq; ſpecialiter addixerat & adſcripſerat, gratiam tribuit eiuſmodi miniſterio cõgruam. Itaq; etiã mechanicis illis artificib⁹, quos elegerat ad perficiendum cõſummandumq; opus tabernaculi, quod deſignauerat Moyſi, ſpiritu Dei impleuit, quo ſapientiam artemq; eorundẽ perfecit, & ad mechanica illa opera auctiorẽ efficacioremq; reddidit. Ecce, inquit, vocaui ex nomine Beſeleel filium Huri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapiẽtia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore & gemmis, & diuerſitate lignorum, dediq; ei ſociũ Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan, & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi. Exod. 31. D

Audis ſpiritum Dei illos impleuiſſe ſapientia, intelligentia & ſcientia, non ad gubernandum populum illum Domini, non ad docendam legem & eius cæremonias, ſed ad excogitandum in operę mechanico, quæ fabrefieri poſſent ex auro, argẽto, reliquaq; ad vſum tabernaculi & ornatus eius neceſſaria materia. Rurſus, cùm grauaretur Moyſes regimine tantę, cui præerat, multitudinis, nec ſolus ferendo eſſet tam immenſo oneri, petijſſetq; à Dño ſibi ea in re dari coadiutores ſocios. Congrega, inquit illi dominus, mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſunt & magiſtri, & duces eos ad oſtiũ tabernaculi fœderis, facieſq; ibi ſtare tecum, vt deſcẽdam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecũ onus populi, & tu non ſolus graueris. Vides, & hos electos à Moyſe coadiutores ad ciuile regimẽ, gubernationemq; populi: accepiſſe etiã gratiã ſpiritus, nõ ad quiduis Num. 11.

ſed

A ſed ad illud propriè officium implendum, ad quod ſpecialiter aſſumpti ſunt. Tradam, inquit, eis de ſpiritu tuo, vt ſuſtentent tecum onus populi. Et iterum, Ioſue cum committeretur ducatus populi, repletus eſt, inquit, ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. Vides vnicuique membro myſtici noſtri corporis, à capite influi ſpecialem energiam & efficaciam ad ſuā propriam functionem, vnicuique diſtribui ſpecialem gratiam ſpiritus ad opus miniſterij & officiū cui deputatus eſt. Ita quoque deinceps à ſacerdotibus inuncti ſunt reges ſacro oleo ſuper populum Domini. Nec vana fuit eiuſmo di vnctio, neq; nugator Deus, qui eandē fieri præcepit & inſtituit, ſed internā ſpiritus gratiam per eam contulit adiutricem & directricem ad regimen cui præficiebantur populi. Itaque mox vt à Samuele Saul inunctus eſſet in regē, immutauit, inquit, ei Deus cor aliud. Similiter, cùm idem vnxiſſet Dauid in regē in medio fratrū ſuorum, directus eſt, inquit, ſpiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps. Deut.xi.

Quòd ſi Deus ad mechanica illa opera deputatos præuenit ſpiritus gratia ad ea congrua, ſi electos ad prophanum populi principatum gerendum repleuit ſpiritu ſapientiæ & fortitudinis per impoſitionem manuū ſacerdotalium, aut vnctionem ſacri olei: nun-

B quid inanes reliquit ſacerdotes ſuos, quos tā diligēti ſanctæ conſecrationis ritu adſcripſit & ſanctificauit ad munia ſacerdotalia? Nunquid vanū eſſe voluit illū tam diligenter à ſe inſtitutum ſanctificationis ritum, qui ſolam ſacerdotalium manuum impoſitionem tam efficacem eſſe cōteſtatus eſt? Certè idem ipſe teſtis eſt fidelis & verax, minimè inefficacem eſſe & fuiſſe ordinationem & cōſecrationem eiuſmodi, ſed cōtuliſſe ſemper internā ſpiritus gratiam ad efficaciter peragenda, quæcunque tanti ſunt miniſterij.

Sacerdotalis officij & muneris hæc eſſe ſuprà oſtendimus, offerre hoſtias & orare pro populo & peccatis eius. Eidē benedicere & inuocare nomen Domini ſuper eum: præterea & mundare tunc lepram corporis, nunc lepram animi. Atq; in his omnibus ſimul & ſacerdotalis dignitatis efficaciam demōſtrauimus. Itaq; ad ſacrificātis ſacerdotis orationem promiſit Deus propitiū ſe futurū popu lo & dimiſſurum peccatū eius. Si, inquit, peccauerit omnis turba filiorum Iſrael, oblata pro peccato eius conſtituta hoſtia, roganteq; pro eis ſacerdote, propitius erit eis Dominus. Similiter, ſi vnuſquilibet è populo, ſeu princeps, ſeu alius peccauerit, oblata pro peccato eius hoſtia cōſtituta: rogabit, inquit, pro Leuit.4.

C eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Hæc Dei ipſius verba ſunt, qui æquè non poteſt falli ac fallere. Ita quoque ſuam benedictionem ad ſacerdotalem benedictionem certò ſubſecuturam promiſit, dicēs: Loquere Aaron & filijs eius: Sic benedicetis filijs Iſrael, &c. Inuocabuntq; nomen Domini ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Audis quid repromittat æterna veritas. Cui ſi non credimus, propter infidelitatē noſtram, nō autem ob ſacerdotalis benedictionis inefficaciam, eius effectum non percipimus. Ille certè negare ſeipſum non poteſt. Anna ſterili in amaritudine animæ ſuæ orante Dñm, & Heli ſacerdotis eius haud alioqui laudati benedictionem humiliter expetente, ad benedictionem eiuſdē obtinuit quod petiuit, & concepit, peperitq; Samuelem filiū. Et rurſus, cùm illū obtuliſſet Domino, benedixit, inquit, Heli Helcanę & vxori eius, dixitq; ei: Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodaſti Domino. Viſitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios & duas filias. Vides quàm diligenter exprimat ſcriptura, vt fidelibus non ſit vana benedictio, quamuis illaudati & reprobati à neo ſacerdotis. Ita quoq; nec inefficacē eſſe ſacerdotum noſtrorum autoritatem, ſuper mundanda lepra animæ, eadem te 1.Reg.1.

D ſtatur æterna veritas, quæ affirmat omnibus illis remiſſa peccata coram Deo, quæ remiſſa ſunt ſacerdotali miniſterio, remiſſum negās, quicquid ab illis remiſſum nō eſt. Quorum, inquit, remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retēta ſunt. Et in his omnibus nunquid nos vitam ſacerdotis diſcutiemus, & non niſi à ſanctis & vitę inculpatæ horum omniū expectabimus efficaciam? Nūquid inefficax erat baptiſma, vana hoſtia & euchariſtia, inanis abſolutio & peccatorū remiſsio ſacerdotis peccato obnoxij?

Sacerdotalis etiā officij eſſe pręter ea, quæ cōmemorauimus, docere populū, quæcunq; ad cultum Dei pertinent, ritus cęremoniarū, & legitima vniuerſa, teſtatur Dñs ad Aaron: Vinū, inquit, & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filij tui, quādo intrabitis in tabernaculum teſtimonij, quia pręceptū ſempiternum eſt in generationes veſtras, & vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſq; filios Iſrael omnia legitima mea. Et rurſus in Deuterono. Accedent, inquit, ſacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt miniſtrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum omne negotium pendet: & quicquid mundum eſt vel Leuit.10. Deut.21.

A immundũ iudicetur. Et iterum per Ezechielem: Populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum & pollutum, inter mundum & immundum oſtendent eis. Et cùm fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt.

Audis in his omnibus ſacerdotalis muneris & officij eſſe, docere populum quæ ad legem Dei, cæremonias, diuinumq́; cultũ pertinẽt. Et in his ſolis quæ grauiſsimi maximiq́; omnium ſunt momẽti, inefficax & inanis eorum erit autoritas? nihilo hîc plus habebunt adiutricis gratiæ, quàm prophanus quilibet è populo? Mechanici illi opifices, pręfecti cõſtructioni & operibus vmbratici illius tabernaculi, ad ea ritè perficienda, repleti ſunt ex gratia ſpiritus, ſapientia, intelligentia & ſcientia: & ſacerdotibus, quibus commiſſum eſt munus docendi, quæ abſq; vlla comparatione maioris momenti ſunt, nempe legem Dei, atq; eius colendi ritum & ſacras cæremonias, iudicandi quoq; in his exortas quæſtiones & controuerſias nulla præ alijs in his aderit pręrogatiua ſpiritalis gratię, & directricis in his ſapientiæ? Duces, regesq́; prophanos, quô ſufficere poſſent impoſito ipſis gubernãdi populi officio, per ſacerdotaliũ manuum impoſitionem, ſacrámue vnctionem, repleuit ſpiritu ſapientiæ, & fortitudinis: & ſacer-B dotes præfectos non ſolùm populo, ſed etiã regibus, in ijs, quæ ad Deum ſunt, & naturale rationis lumen excedũt, deſtituit omni prorſus adiutrice ad hęc gratia? Certè, qui præcepit in his recurrere ad ſacerdotũ iudicium, & ab eo non declinare, nec ad dextrã, nec ad ſiniſtram, idem ſecuros fecit de iudicij eorũdem veritate: & indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Habes ſponſorem fidelem, qui ſibi permittet imputari, ſi eius præcepto obtemperans, in ſubortis controuerſijs & quęſtionibus erraueris, ſacerdotum ſecutus ſententiam & iudicium. Hoc ſiquidem eſt illud pactum, quod per prophetam indignis ſacerdotibus exprobrat ſe pepigiſſe cũ Leui, hoc eſt, vniuerſo ſacerdotali ordine (nam Leui aliquot annorum centenarijs præceſſerat vniuerſum illud vetus ſacerdotium) quod illi, quantum in ipſis erat, faciebant irritum. Pactum meũ fuit cum Leui, dicit Dominus exercituum, pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius, in pace & ęquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate, labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legẽ requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Legẽ veritatis ſemper fu

Vides ex pacto Dei, legem veritatis fuiſſe in ore ſacerdotũ Leuiticę tribus, nec iniquitatem inuentam in labijs eius. Non dicit in manibus eius, ſed in labijs: Labia enim ſacerdotum cuſtodire ſcientiam, vnde & legem requirendam ex ore eius, non autem ex operibus. Quod ipſum vide quo pacto clariſsimè explicet ſaluator noſter in euãgelio præcipiens, vt faciamus quęcunq; nobis dicunt, qui in cathedra Moyſi reſident, etiamſi ſint vitæ perditę. Nam multa dicens in ſcribas & phariſęos, & væ iterum, iterumq́; eis comminatus, ne tamen exiſtimaremus eorũ demerita quicquã detrahere aut priuilegio cathedrę, cui pręſidebant, aut pręrogatiuę, autoritatique ſacerdotalis officij, quod indigni tenebant, adiũgit: Super cathedrã Moyſi ſederunt ſcribę & phariſęi: omnia ergo quęcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundũ opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciũt. Vides ex ore & labijs, nõ ex operibus ſacerdotũ diſcendam eſſe Dei legem. Vides nihil derogare nec prærogatiuę cathedrę cui præſident, nec autoritati ſacerdotalis officij, vitę eorundẽ indignitatẽ. Aequè illos tibi annunciare quæſiti iudicij veritatẽ, æquè te ſequi oportere eorum ſententiã, & facere iuxta omnia, quæ dixerint aut docuerint. Omnia, inquit, quęcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite. Non ſuffecerat illi dixiſſe omnia, ſed addidit, quæcunq;, vt omnem ſemel exceptionem excluderet. Et quid cauſæ, cur magis iubeor ſeruare & facere quæ dicunt illi, quàm quæ alij illis fortaſsis longè doctiores & meliores? Quoniam ſuper cathedram ſedent. Hanc cauſam ſaluator noſter in euangelio clariſsimè explicat. Nam ſcribas & phariſæos ſuis depictos antè coloribus, affirmat tamen ſuper cathedram Moyſi ſedere, & ſubiungit: Omnia ergo quæcũq; vobis dixerint, ſeruate & facite. Ideo ſeruate, non quia ſcribæ & phariſęi, non quia tales, quales deſcripſerat: ſed quia ſupra cathedram ſedent.

C *Iſſe in ore ſacerdotũ præſidentiũ cathedræ, etſi non ſemper in moribus.*

D *Nota ut cathedræ priuilegiũ ſtatuerit, nobiſq; cõmendauerit Chriſtus.*

Notabis autẽ in præmiſsis, & eccleſiaſticæ hierarchię ordinem nobis diligenter cõmendari, & cathedrę, cui pręſidet ſummus pro tẽpore ſacerdos & pontifex, ſingulare priuilegium adſtrui, & ſtabiliri clariſsimè. Audiſti enim pertinere ad ſacerdotalis dignitatis officium, etiam legem Dei docere populum, & quid ſit inter ſanctum & prophanum, pollutum & mundum: & cùm fuerit ſuper his controuerſia, ſtabunt, inquit, in iudicijs meis, & iudicabunt. Qui etſi paſsim habitãtes in ſuis vrbibus, diſtributis in vniuerſo Iſrael, non deſtituebãtur quidem autoritate ſui officij, non tamen ſubleuabantur illa prærogatiua cathedræ. Itaque etiam ad ipſos relatas quæſtio-

A ſtiones & iudicia, in ſuis quique ciuitatibus, definiebant quidem pro ſuo captu & modulo: ſicubi tamen eorum diſcordabant ſententiæ, neceſſe tum erat recurrere ad ſupremum tribunal, & iudicium, & ad locum quem elegerat Dominus, tunc iubebatur referri quæſtio ad ſacerdotes, videlicet Leuitas, qui pro tempore in eo miniſtrabant Domino. De his autem dicitur: Et indicabunt tibi iudicij veritatem. Itaq; hic demũ animaduertis cathedræ priuilegium, quo ſuſtentabantur pro tẽpore, quãdiu in ordine vicis ſuę in loco illo miniſtrabant Domino.

Priorum tamen iudiciũ non fuit planè deſtitutum officium auxilio ſupernæ gratię: attamen, quia ſubalternum, non erat omnino firmum & ſacroſanctum. At horum vltimorum vt prouocationem vlteriorem non admittebat, ſed omnimodam exigebat obedientiam, ita & certę veritatis teſtimonium accepit à oeo, ob ſingulare cathedrę priuilegium. Itaq; dignum notatu eſt, quod dignũ audiſti à Chriſto, ideo oportere nos eſſe audiẽtes per omnia eorum doctrinæ, ſententiæ & indicio, quia ſuper cathedram ſedent. Quanuis autem multorum, atq; adeò omniũ ſacerdotum, qui pro tempore ibi miniſtrabãt Domino, ad vltima eiuſmodi iudicia adhibeba-
B tur cõſilium: tamen vnius in eo vigebat ſummi ſacerdotis & pontificis autoritas. Itaq; iudicium illud, aut ſententia ac definitio, nunc multorum, nũc vnius dicitur: multorũ, ſi reſpicias ad ſacerdotale, quod adhibebatur, cõcilium: vnius, quantum ad autoritatem, qua proferebatur prę̃ſidẽtis cathedrę, aut ſummi ſacerdotis & pontificis. Quare controuerſiã inter ſe habentibus, quæ inferiorum iudicũ terminari non potuit iudicio, dicitur, vt aſcẽdant ad locum, quem elegerit oominus, vtq; ibidem interrogent ſacerdotes Leuitas. Qui indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Explicans deinde cuius autoritate ſubſiſtat hoc iudicium, reuertitur ad ſingularem vnitatem præſidis. Qui autẽ, inquit, ſuperbierit, nolẽs obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Vides hìc iam nõ plurium ſacerdotum, ſed vnius, prę̃ſidis videlicet, mẽtionem fieri, cuius cenſeatur illa ſententia & iudicium, & aduerſus quem inobedientia morte plectenda ſit. Non enim dicitur: Si quis ſuperbierit inobediens ſacerdotum Leuitarũ imperio, ſed ſacerdotis ſtantis, vt ſeruiat ibi Domino Deo tuo, vt habet Hebraica veritas, ſimul & editio 70. interpretum, ſtantis, inquam, ſuper alios, ac loco illi præſidentis. Sed hæc pòſt ſuo loco explicabuntur vberiùs & commodiùs. C

Interim hîc nunc clarè demonſtrauimus, vt veteri illi ſynagogæ diligenter prouiderit Deus, tam de autoritate iuriſdictionis, per quam terminaretur omne difficile & ambiguũ iudicium, quàm de autoritate definiẽdi omnem ex lege & ſcripturis exortam quæſtionem & controuerſiam, cuius ſententiam & iudiciũ abſq; vlla exceptione aut diſcuſsione ſequi omnes neceſſariò oporteret. Vtranque autẽ reſidere in cathedra cui prę̃ſideret ſummus ſacerdos & pontifex, loco videlicet, quem elegit Dominus, atq; adeò in ipſo ſummo ſacerdote & pontifice. Nam aduerſus illum commiſſa inobedientia, mortis expiabatur ſupplicio. Quare nihil dubium eſt, eccleſiæ ſuæ de vtraque tanto etiam diligentiùs prouidiſſe Chriſtum, quanto vtriuſque maiorem hîc ſuprà oſtendimus neceſsitatem, quàm in ſynagoga veteri: quanto præterea, quàm vmbra & figura potior eſt ſolida ipſa rei veritas: quãto deniq; noſtram eccleſiam, præ illa ſynagoga veteri pretioſiorem, charioremq; habuit.

Autoritatem omnem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, quam ex ipſa primum ratione ſocietatir eccleſiaſticæ, deinde ex eius umbra & figura ſynagogæ ueteri competere ipſi demonſtrauimus, ipſius Chriſti uerbis confirmare & adſtruere. D

CAP. IIII.

Recollectio ſupra demonſtratorum cũ tranſitu ad ſequentia.

DVabus vijs, quæ quantaq; autoritas eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi cõpetat, iam demonſtrauimus. Primùm ex ipſa ratione ſocietatis eccleſiaſticæ, vti alterius cuiuſque ſocietatis humanæ ſua præſidi propria, ex ipſa eius ſocietatis ratione ſtabilitur autoritas, cõfirmata quidem, & elucidata ſacris literis, ſed quæ ante omnes literas, tam ſacras, quàm prophanas ex ipſa ſocietatis ratione & eſſentia, ſuam firmitatem obtinuit. Deinde ex ipſa eius vmbra veteri, vnde ad ſolidam euangelicæ lucis veritatem efficax argumentum eſt, teſtante hoc Paulo & Apoſtolis, quos haud temerè inuenies alijs argumentis aut ſcripturis comprobáre noſtræ fidei dogmata & myſteria. Itaq; Paulus approbaturus diuini, euangeliciq; iuris eſſe, vt qui euangelium annunciãt, poſsint de euangelio & viuere, atq; ita ordinatum fuiſſe à Chriſto legiſlatore noſtro: Scriptum eſt enim, inquit: non alligabis os boui trituranti. Nunquid autem de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtiq; hæc dicit? Nam propter nos vtique ſcripta ſunt, quoniam debent in ſpe, qui arant, arare. Quod ipſum rurſus confirmat hoc argumento à ſi-

A mili,ab vmbra videlicet ad ſuã ſoliditatẽ:Ne ſcitis, inquit, quoniam qui in ſacrario operantur,quæ in ſacrario ſunt,edunt:& qui altari deſeruiunt, cum altari participant?Ita & Dominus ordinauit his,qui Euangeliũ annũciãt,de euãgelio & viuere. Vides dialecticã & locos argumentationũ Pauli, quibus approbat inſtitutum quid à Chriſto:quibus,& nec ferè alijs, vtuntur Apoſtoli, & vniuerſi illi ſcriptores veteres. Non dicit: Ita apud Matthæum,Lucam,Marcum aut Ioannem dixiſſe Dominũ,ſed ita conſtitutũ fuiſſe in vmbra veteri: proinde extare eiuſdẽ ſoliditatẽ in luce Euangelicæ veritatis, & Chriſtiana eccleſia. Quæ ideo inculcaui & admonui, ne quis parui momenti exiſtimet argumẽtum illud à ſimili ab vmbra illa veteri ad ſuam ſoliditatẽ,à figura ad ſibi è regione correſpondẽtem Euangelicæ veritatis claram lucem. Et cuiſnã obſecro,leue hoc argumentum videri poterit?De vtraq; hac autoritate,tam iuriſdictionis,quàm definitionis, diligenter prouiſum erat vmbræ & ſynagogę veteri.Et vtraq; longè magis eccleſiæ Chriſtianæ fuit neceſſaria. Ergo Chriſtus nec ſuæ defuit eccleſię,ſed de vtraq; prouidit ſufficienter. Quod ipſum nũc clariſsimis Chriſti verbis comprobare conabimur,& adſtruere.

Itaq; cùm Petrũ Chriſtus ſuę caput & fundamentum pronunciaret eccleſiæ, aduerſus

B quam inferorum portæ nunquam eſſent prę ualiturę,ne ipſi,vt eiuſmodi capiti,deeſſet efficax & neceſſaria autoritas, continuò ſubiungit: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Porro claues illas regni cœlorum tunc ſeu datas,ſeu promiſſas Petro, intelligũt omnes vniuerſam ipſam eccleſiaſticam poteſtatem, quæ vniuerſa illa comprehendat, quæcunq; nobis fragilibus, & ſub peccato venundatis hominibus,vt efficaciter dirigeremur ad cœleſtem illam hæreditatem cõſequendam(qui finis eſt & ſocietatis hierarchiæ eccleſiaſticę) fuerant neceſſaria: ligandi, inquam, & ſoluendi, dimittẽdi & retinendi peccata hominibus, cæteraque vniuerſa quæcunq; ad cõſeruandam catholicam Chriſti eccleſiam in vnitate religionis & fidei,eandemq́; dirigendam in finem ſuum, quem diximus,fuerunt neceſſaria. Quæ qualia ſint,partim continuò pergit explicare Chriſtus, partim alibi per opportunitatem explicat. Quare & claues regni cœlorum appellat à fine,vt diximus,tã congregationis, quàm autoritatis eccleſiaſticæ:ſimul & auguſtam eius poteſtatem, magnificentiamq́; hac veluti elocutionis metaphora explicans: vt quæ in terris exiſtens, etiam in regnum cœlorum vim ſuam exerat,eoque nos dirigat, promoueat & introducat. C

Has,inquam, claues regni ipſius cœleſtis, vni promiſit deditq́; Petro,nulli autem reliquorum Apoſtolorum, quamuis præſentibus vniuerſis,non etiã eccleſiæ ædificatæ ſuper Petrum, ſed tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum. Eccleſiæ quidem ſuper ipſum tunc conſtruendæ, nunc verò conſtructæ, quod inferorum aduerſus ipſam portę præualituræ non eſſent,promiſit. Illi tamen promiſsioni nequaq̃ de clauibus addidit, quòd ipſi eaſdem eſſet daturus:ſed tibi, inquit,eccleſię capiti,& fundamẽto,aut baſi dabo claues regni cœlorum.

Claues regni cœlorum vni promiſſas dataſq́; Petro, non reliquis Apoſtolis aut eccleſiæ, ex ipſis verbis Chriſti.

Quamuis autem D. Auguſtino alicubi videatur,has claues magis pertinere ad eccleſiã,quàm ad Perſonam Petri. Id quo pacto ſanè,recteque intelligi poſsit, ſuprà indicauimus:non enim datas vni perſonæ Petri certũ eſt, ſed etiam poſt Petrum perpetuò conſeruari in eius cathedra, & hæreditaria quadam ſucceſsione tranſire in eius ſucceſſores: non tamen illas habuit aut habet eccleſia,niſi mediante Petro, & in ſucceſſoribus eius eccleſiaſticę hierarchię prȩſidibus. Si enim eccleſię eas immediatè conferre voluiſſet Chriſtus,quorſum ergo cũ continuò loqueretur de eccleſia addidiſſetq́; magnificam illã promiſsionẽ ad eadẽ pertinentem:Et portę inferorũ nõ prȩualebũt aduerſus eam, nõ tamen continuauit de ea loqui,neq; dixit:Et illi dabo claues,ſed reuerſus ad petram fundamentũ eccleſię: Et tibi,inquit,dabo claues regni D cœlorum?Quis hîc non videat,nõ ipſi immediatè eccleſiæ, ſed eius capiti Petro,promiſſas, dataſque illas claues cœleſtis regni? Et quòd hic verus ſit, germanusq́; dictorũ Chriſti verborum ſenſus, ex ipſo ſenſu & conſenſu catholicę per orbem eccleſię,ex ipſa videlicet certa, infallibiliq́; rectę intelligẽtię ſcripturarum amuſſi,paulo pòſt intelliges.

Iam illam velut poteſtatem clauium particulatim explicare incipiens,iudiciariã in primis aut iuriſdictionis eius autoritatem ſtatuit,ſubiungens cõtinuò ad Petrũ:Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram,erit ſolutum & in cœlis. Quibus verbis non video quid dici potuerit efficacius, auguſtius aut magnificentius. In primis autoritatem eius & imperium nulla coarctauit certa diœceſi,nullis circunſcripſit limitibus,ſed quicquid ligaueris, inquit, ſuper terram,orbem videlicet terrę vniuerſum eius autoritati ſubijciẽs & imperio. Deinde non reſtrictã ad vnum aliquid aut alterum, ſed vniuer-

ſalem

A ſalem illi omnium, quę in eccleſiaſtica domo diſpenſanda, conſtituenda, ordinandaque ſorent, autoritatem attribuit, dicens: Quodcunq; ligaueris, ligatũ erit. Qui dicit, quodcunque, nihil excipit omnium. Ligat autem nos eccleſiaſticæ domui præſidens, non funibus aut catenis, ſed vinculo obligationis & pręcepti. Quod ille tanquam commodum & vtile ad eccleſiaſticæ ſocietatis finem conſtituit, præcipit atque ordinat in eccleſiaſtica domo: hoc ipſo obligamur omnes, qui eiuſdem ſumus ouilis Chriſti & familiæ: quemadmodum ſuo quodammodo in domo priuata patrisfamilias præceptum ligat omnes, qui ad eam domum & familiam pertinent. Si quid verò antè laudabiliter conſtitutum, temporum pòſt occaſione aliud exigẽte, ſoluitur ab eccleſiaſticę Hierarchię pręſide, hoc ipſum iam liberũ ſactum eſt, cùm priùs obligaret. Et ne quis tanquam humanas tantùm eiuſmodi obligationes parui penderet, vt ex quibus nihil præter humanas offenſas, legalesque aut canonicas (ſi quæ ſtatutæ eſſent) pœnas nobis metuendum foret, affirmat in cœlo, hoc eſt, coram Deo ligatum, quicquid ligauerit Petrus, coram Deo eiuſdẽ nos obligari vinculis & præceptis, eiſdem nos obedientiam debere. Nec eſt, quòd quiſquam imaginetur, aut de poteſtate excommunicandi, B aut dimittendi hominibus peccata, eademq; retinendi hîc loquutum Chriſtum. Quãdoquidem illa excommunicandi poteſtas non eſt alicuius ſingularis Eccleſiæ autoritas, ſed conſequitur ex hac, quam hîc adſtruimus, vniuerſali poteſtate clauium. Nam in excommunicatione nihil aliud facit Eccleſia, quàm quòd putrida membra ſua, hoc eſt, eccleſiaſticę autoritati contumacia, ordinẽ eiuſdem & diſciplinam diſſoluentia, & quæ nolunt obedire monenti, præcipientique Eccleſiæ, à ſe abſcindit, ſimul interdicendo ſuis fidelibus, ne eiſdem communicent, quô confundantur, coganturque reuerti ad cor, & eccleſiaſticæ ſe diſciplinæ humiliter ſubmittere. Quæ equidem includuntur vniuerſa in illa vniuerſali poteſtate clauinm, hoc eſt, autoritate eius, qui præſidet eccleſiaſticæ domui. Qui ſicut pro eccleſiaſticæ ſocietatis fine interdicere illis poteſt, qui intùs atq; eiuſdem domus ſunt, ne communicent ijs, quos ipſe notauerit, tanquam domeſticæ tranquilitatis, & diſciplinæ perturbatores: ita poteſt & alia vniuerſa, quecunq; ad eundem finẽ pertinent. Quod ipſum clariſsimè innuit Chriſtus Matth. 18. vbi & Eccleſiæ ſimilem quandam autoritatem nobis commẽdat, modum docens, & ordinem præſcribens corripiendi in nos peccantis fratris, quem noſtra correptione nõ emendatum iubet denunciari Eccleſiæ: Si, inquit, Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus: autoritatem hoc ipſo nobis commendans præcipiẽtis Eccleſiæ, & ſuo præcepto nos conſtringentis ad aliquid: Si, inquit, Eccleſiam non audierit, hoc eſt, præcipienti Eccleſiæ non obedierit. Sed quare nobis vt ethnicus, publicanusque habendus eſt, ſi quis contumaciter eſt inobediens eccleſię, ipſe tibi reſpondet Chriſtus: Quia, inquit, quæcunque alligaueritis vos, Eccleſiam conſtituentes & repræſentantes: hoc eſt, quęcunque alligauerit eccleſia ſuæ præceptionis vinculo (neque enim alios ſunes habet, alia vincula, quibus fideles alliget) alligata erunt & in cœlo. Quaſi diceret: Non ſolũ hac in re Chriſtianus quilibet obedientiam debet Eccleſiæ, ſed in omni præcepto. Non enim ſolùm quod hac in re ligat, ſed quæcunque alligat, coram Deo etiam ligata ſunt. Quæcunque, inquit: ſubintelligendum, ad eccleſiaſticę ſocietatis finem conſequendum ordinata & commoda. Nos tamen præcipienti Eccleſiæ ſimpliciter in omnibus obedire tenemur, & non de præceptis eius, an ad finem ſuum conducãt, ſuperbiæ & rebellionis inflati ſpiritu, temerè iudicare. Quare & à nobis obedientiam erga pręcipientem Eccleſiam exigens, nihil prorſus D excepit: ſed quęcunque, inquit, alligaueritis vos exiſtentes Eccleſia, ligata erunt & in cœlo. Quanq̃ vt ordinatè ſe habeant & hæc Eccleſiæ & illa eccleſiaſticę Hierarchiæ pręſidis autoritas, partim à nobis ſuprà indicatũ eſt, & ſeqnenti libro adhuc explicabitur clariùs.

Ad poteſtatem verò dimittẽdi peccata hominibus, quam & Apoſtolis, & Diſcipulis omnibus indifferenter poſt reſurrectionem ſuã contulit, non pertinere prædicta Chriſti verba ad Petrum, æquè clarum eſt.

Porrò vt baſi & capiti eccleſiaſticę Hierarchię autoritatem neceſſariam contulit ad gubernandam ſibi commiſſam domum eccleſiaſticam, affirmans toto orbe Chriſti fideles illius præceptis ligari, etiam coram Deo & in cœlis. Omnibus verò Apoſtolis & Diſcipulis, hoc eſt, ſacerdotibus omnibus, poteſtatem illam dimittendi peccata, cuius quotidie inter oẽs Chriſtianos, & vbiq; eſt & vſus mutuus, & neceſsitas, poſtea indifferẽter tribuit. Cuius ab illa Petri, vt eſt toto genere diuerſa ſubſtantia, ita diuerſa vtriuſq; opera, ipſius Chriſti verba clariſsimè explicant. Illius autoritatis Petri, eccleſiaſticę hierarchię capitis opus pręcipuũ eſt ligare: huius peccata remittere: illi quaſi priuatiuè opponitur ſoluere:

Differẽtia lõga inter poteſtatẽ ligandi & ſoluẽdi, & dimittẽdi peccata & retinendi.

A huic verò retinere, hoc eſt, non remittere. Vides, vt hæc toto genere diuerſa ſint. Hanc autoritatē ſacerdotibus omnibus competere, certum eſt: illam datam vni Petro, teſtatur communis fides, & conſenſus catholicæ Eccleſiæ, illa videlicet columna, illud robur, & firmamentum veritatis. Quod vt pòſt clariſſimè intelliges, ita nunc breuiter tibi ad memoriam reuocabimus conſona confeſsione & teſtimonio tot epiſcoporum orthodoxorum totius Aegypti, Thebaidos & Libyæ, vnà cum glorioſo illo Chriſti confeſſore, & orthodoxo fidei aſſertore Athanaſio: quorū, vt frequenter meminimus, fidem conſonam atque adeò eandem, teſtatur omniū nomine ſcripta ad Felicem Romanum pontificem epiſtola, in qua ſcribunt in hæc verba: A ſanctis, inquiūt, patribus in Nicena ſynodo congregatis, definitum eſt conſonāter, vt ſi quis Epiſcoporum, aut Metropolitanum, aut cōprouinciales iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam appellet ſedem: cui ab ipſo Domino poteſtas ligādi & ſoluendi, ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Hæc illi tam multi, tam ſancti patres: quorū confeſsione vides, non ad quoſlibet ſacerdotes, ſed ad vnum Petrum, eiusque in Eccleſiaſtica Hierarchia ſucceſſores, pertinere illa verba Chriſti ad Petrum: vni illi Apoſtolorum

B omnium, & ſucceſſoribus eius, ſpeciali priuilegio conceſſam à Domino ſupereminentem illam ligandi, ſoluendique ſuper omnes autoritatem. Et hactenus quidem illā regiminis eccleſiaſticæ domus, iuriſdictionisque principalem autoritatem, datam Petro, & ſucceſſoribus eius, eccleſiaſticę domui præſidentibus. Et qualis, quantaque ea ſit, ipſis Chriſti verbis ſatis explicauimus.

Iam & eiuſdem autoritatis eſſe, ſubortas de fide & religione controuerſias, quæſtionesq; dogmaticè definire, & cathedræ Petri ea in re ſingulare priuilegium, in eiſdem, quę ſuprà memorauimus, verbis haud obſcurè innuit Chriſtus, & alibi adhuc clariùs exprimit. Siquidem contendentibus inter ſe Apoſtolis, quis eorum eſſet maior, cùm pleraque dixiſſet ad omnes, quibus carnalem adhuc ambitionē eorū exprimeret, dicit vni Simoni Petro: Simō, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticū: ego autē rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Hic tu nota nobiſcum verba, & ſigna myſteria. Vni, vt audiſti, Simoni denunciat commune fratrum & Eccleſiæ periculum. dicit enim: Ecce Satanas expetiuit non te, ſed vos, vt ventilaret. Et quāuis omnes ſint expetiti à Satana, pro vno tamen Petro ſingulariter rogauit, dicens: Ego

C autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Non dicit, rogaui pro vobis, vt non deficiat fides veſtra: ſed vnius eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis, atque eius cathedræ ſingulare ea in re priuilegium ſtatuit. Subiungens itaque, cuius eſſet in ſubortis eiuſmodi dubitationum fluctibus, & hæreticæ perſecutionis tempeſtatibus ac procellis cōfirmare fluctuantes fratres in fide: Et tu, inquit, aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Vides itaque, ad cuius autoritatem Chriſtus voluerit pertinere, dubia, controuerſiasque, quæ inter nos de fide, lege, religioneque Chriſti quomodolibet oriuntur, definiri, ad cuius iudicium in omni ambiguo, difficilique negocio nobis recurrendum ſit: nempe eiuſdē illius, cui claues regni cœlorum credidit, cui commiſit Eccleſię ſuæ gubernationem & regimen, & ſuper eandem pleniſsimam autoritatem impartitus eſt. Vides denique, quòd vni Petro, atque eius cathedræ ſua Chriſtus oratione priuilegium impetrauerit: ne videlicet ad fratres confirmandos in fide deficeret eius fides. Quæ tamen Chriſti oratio haudquaquam pro illo ſtatu & tempore ad Petrū pertinuiſſe videtur, ex quo continuò pòſt ipſum ter abnegauerit: ſed magis ad ſequētem ſtatum Eccleſiæ, cùm abiens à nobis Chriſtus in cœlum, illum ſuper vniuerſam

D familiam ſuam paſtorem conſtituit, quam eius curæ etiam tertiò repetita diligenter cōmendatione commiſit. Quod ipſum eiſdem ipſis verbis ſatis innuit, dicens: Et tu aliquando conuerſus, innuens videlicet, eum priùs defecturum in fide: ſed deinceps eius fidem, eius, inquam, & qui locum eius tenerent, eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidum, non defecturam aliquando ad Eccleſiæ confirmationem: niſi vanam, inefficacemque illam Chriſti orationem eſſe voluerimus: quem tamen Paulus exauditū affirmat pro ſua reuerentia.

Sed dices etiam pro alijs Apoſtolis rogaſſe Chriſtum, cuius orationis effectum haud dubiè impletum cur non porrigimus etiam ad ſucceſſores eorundem, Epiſcopos reliquos, quemadmodum prædictæ de non defectura fide Petri, ad ipſius quoque ſucceſſores? *Obiectionis remotio.*

Facilis hic eſt, certaq; reſponſio. Nam quęcunque dixit Chriſtus aut Petro, vt eccleſiaſticæ Hierarchiæ principi, aut Apoſtolis, cæteriſque Diſcipulis, ad officij, gradus, & ordinis eorundem autoritatem pertinētia, æquè ad ſucceſſores eorundem pertinent. Vt illud dictum Apoſtolis omnibus: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Et rurſus, quod indifferenter dictum eſt

Apo-

A Apoſtolis vnà, & Diſcipulis illis ſeptuaginta
duobus: Quorum remiſeritis peccata, remit-
tuntur eis: & quorum retinueritis, retenta
ſunt. Et quęcunque Petro dicta ſunt, tanquã
baſi & capiti Eccleſię. Non enim illius puſilli
gregis tantummodo curam certum eſt habu
iſſe Chriſtum: ſed multo magis ſuæ huius Ec
cleſiæ in orbem diſperſæ & propagatæ. Non
voluit cõtinuò poſt apoſtolos derelinquere
Eccleſiam ſuam, ſine ordine & Hierarchia à
ſe diſpoſita, tumultuantem velut Babylonẽ
quandam: quæ quanto magis creſceret, & la-
tiùs diffunderetur, tanto magis opus habe-
bat ſuo ordine & Hierarchia in vnitate con-
tineri, & in finem ſuum dirigi. Itaque & hoc
vnum eſſe eorum, quæ ad caput eccleſiaſticæ
Hierarchiæ pertinent, videlicet vt eius ino-
biiquabilis conſeruaretur fides, cuius ſentẽ-
tia in ſubortis de fide dubitationib⁹, alijs eſſe
debebat certæ rectæque fidei regula, tam ex
ratione eccleſiaſticæ ſocietatis, quam ex eius
vmbra & figura ſynagogæ veteris ſuprà de-
monſtrauimus. Quod ipſum cùm hic Chri-
ſtus oratione ſua, veluti ſingulare priuilegi-
um, vni inter Apoſtolos, quamuis vnà præſen
tes, Petro eccleſiaſticæ domus velut patriſa-
milias impetrauerit, nunquid dubitabimus
ad ſucceſſores eius porrigere? Certè quòd
hic pro vno inter Apoſtolos Petro vt capite
B & baſi eccleſiaſtici ædificij rogauerit Chri-
ſtus, idem ipſe tibi teſtis eſt. Qui in omnium
præſentia vni Simoni dixit: Ecce Satanas ex-
petiuit ventilare vos, confratres nimirũ indi
cans. Attamen non dicit ſe rogaſſe pro illis,
ſed pro te, inquit, rogaui, ne deficiat fides
tua, vt tu illos confirmes. Vides hîc ſingularẽ
pro vno Petro orationem, vides illi tanquã
omniũ paſtori impetratũ ſpeciali priuilegio,
ne vnq̃ fides eius aut deficeret, aut titubaret.

Confirmatio à teſtimonio alexandrinæ ſynodi ſub Athanaſio.

Itaque illa Alexãdrina (vt audiſti) ſynodus
trecentis & eo ampliùs annis poſt Petrum,
Romano pontifici ſcribens, affirmat ipſi ca-
thedræ Petri, Romanæ Eccleſiæ hęreditario
quodam, perpetuoq́ue iure conſtabilita vni-
uerſa, quæ ad eccleſiaſtici regiminis principa
lem autoritatem pertinent, & in primis ligan
di illam, quam explicauimus, ſuper alios con
ceſſam ab ipſo Domino. Ipſam conſtitutam
lucidiſsimam formam Chriſtianæ religionis
& fidei. Ipſius pontificem dicit & confitetur
eſſe Petrum, autoritate videlicet & officio,
ita teſtante diuino eloquio: Tu es, inquit, ſi-
cut veraciter diuinum teſtatur eloquium, Pe
trus, tibiq́ue claues regni cœlorum commi-
ſit, & ligandi, ſoluendiq́; ſuper alios poteſta-
tem. Item: Tu prophanarum hæreſium, & im
peritorum atque inſeſtantium omnium de-
poſitor, tu princeps & caput omniũ, doctorq́;
C orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei
exiſtis. Et ad finẽ epiſtolæ: Vos ergo, qui in
ſumma ſpecula gratia Dei poſiti eſtis, ora-
mus, vt minimè deſpiciatis humilitatis no-
ſtræ, & omnium Orientalium orthodoxorũ
ſacerdotum & populorum afflictiones, & de-
precationes cum lachrymis oblatas: ſed ſicut
luminaria vniuerſo mundo verbum vitæ re-
tinẽtes, introductas extinguite tenebras ne-
fandiſsimorum inſidiatorum, temporibus
noſtris procaciter germinatas: quatenus fun
ditùs extincta huiuſmodi caligine, lucifer
nobis reſplendeat per vos ſanctiſsime pater,
& dogmatica definitio omnes lętificans, quã
glorioſi Eccleſiæ ſancti patres per propria
pijſsimè dogmata in æternæ vitæ firmam hæ
reditatem prædicaſſe noſcuntur, &c. Vides
hic tantę ſynodi, tot ſanctiſsimorum Epiſco
porum & Chriſti confeſſorum ex ſecunda ip
ſa totius orbis Eccleſia è medio Oriente &
Meridie, immenſis terrarum mariumq́ue ſpa
cijs diſtantium à cathedra Petri, atque adeò
Orientalium omnium orthodoxorum, tam
ſacerdotum, quàm populorum confeſsione
(quam nihil dubium eſt fuiſſe & eſſe catholi
cæ confeſsionem Eccleſiæ) quæ nam à Chri-
ſto dicta ad Petrum, pertineant etiam ad ſuc-
ceſſores eius, Romanos pontifices, & in eius
cathedra, Romana Eccleſia ſingulari priuile D
gio perpetuò conſeruẽtur, nempe claues re-
gni cœlorum. Illa ſupereminens gubernan-
di eccleſiſticam domum autoritas, omneſq́;
toto orbe terrarum Chriſti fideles, ligandi
& ſoluendi. Item in ſubortis hæreſium tem-
peſtatibus & procellis, docere orthodoxam
doctrinã, & immaculatã fidem. In qua ne er-
rarent, Chriſti oratione impetratum ipſis ſin
gulari priuilegio, vt verbũ vitæ fideliter reti
neant, & conſeruent ad aliorum confirmati-
onem in fide. Ad eoſdem etiam pertinere, cõ
demnare hęreſes, & omnem altitudinem ex-
tollentem ſe aduerſus orthodoxam Chriſti
fidem & religionẽ, deijcere. Iam & illud per-
pende, quid Simoni dixerit Chriſtus, cũ ma-
gnificum illud Cephæ, aut Petri illi nomen
imponeret, & baſim, caputq́ue pronunciaret
eccleſiaſtici ædificij: Ego, inquit, dico tibi,
quòd tu es Cephas, hoc eſt, lapis aut petra, &
ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam me-
am, & portæ inferorũ non præualebunt ad-
uerſus eam. Poteſt autẽ hoc relatiuum, eam,
tam petrã illam, Eccleſiæ caput & fundamen
tum, quàm Eccleſiam ipſam deſuper ædifi-
catam intelligi referre. Quanquam ſi ſermo-
nis proprietatem ſpectes, ad petram, velut
principale antecedens, vnde ſermo orditur,

& pro

A & propter quam ſuſceptus eſt potiſsimùm, quòd neceſſe habent reliqua ſubſequi, & nõ ad Eccleſiam, cuius obiter mentio intercidit, magis referendum intelliges. Alioqui potiùs aduerſus hanc dicendũ fuiſſet, quòd hanc propinqniùs, eam remotiùs mõſtret. Vtcunque autem hoc ipſum intelligatur, ſiue quòd promiſerit non præualituras infernales portas aduerſus petram illam ſuperædificandæ Eccleſiæ fundamẽtum: pro cuius fide, ne deficeret, ſed integra, ſynceraque ſemper perduraret, ad aliorum confirmationem, vt iam audiſti, ſingulariter rogauit omnipotentem patrem: ſiue ad Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam intelligatur pertinere illa promiſsio, vtroque modo certum eſt, etiam ad petram illam Eccleſiæ fundamentum pertinere eandem. Nam ſi nunquam pręualituræ ſint inferorum portæ aduerſus Eccleſiam, quæ Petro vt capiti adhæret, & connectitur, eidemq́ue veluti fundamẽtǫ innititur, certum eſt multo minùs aduerſus fundamentum illud præualituras eaſdem. Siquidem fundamento euerſo, neceſſe eſt corruere & ædificium: non autem è conuerſo, ſed poſſet ſubſiſtere fundamentum, etiam diruto ædificio. Quare ſi ſyncera, orthodoxaq́; ſemper permanebit fides Eccleſiæ, quę Petro capiti indiſſolubili vnitate cohæret, ipſius quoq; capitis fidẽ multo magis neceſſe eſt perdurare integram.

B Cùm autem non præualituras infernales portas aduerſus Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam ſpecialiter promiſerit Chriſtus, quód nam illis impenderet exitium, qui ab hoc ſe capite & fundamẽto ſeparaſſent, haud obſcurè ſignificauit, & innuit. Quare & orthodoxus ille Hieronymus ad Damaſcum Romanum pontificem ſcribens: Ego, inquit, nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnãte diluuio. Et nunquid mentitus eſt vir ille ſanctiſsimus? An tibi præualuiſſe non videntur inferorum portæ aduerſus omnes Eccleſias, quæ ab hoc fundamento ſe ſeparauerũt? Nunquid illud inundationis diluuium iam nõ abſorbuiſſe videmus, ac meritò dolemus, quoſcunque extra hanc arcam, extra nauiculam Petri inuenit? Vbi nunc ſunt illæ quondam ſuperbæ Oriẽtis Eccleſiæ? Vbi illa Conſtãtinopolitana Romanæ autoritatis æmula, & quæ collatũ diuinitùs Petro priuilegiũ, toties fruſtrà in totius Orientis ambiuit perniciem? Vbi centum illæ & quinquaginta tres

C cathedrales Eccleſiæ, quæ olim ſub vno Antiocheno fuiſſe commemorantur? Vbi tot illæ Aſię, Syriæ, Cæſareæ, Paleſtinæ, tot Damaſci, tot Apamearum quondam florentiſsimæ Eccleſię? Vbi illa Alexandrina cum Aegypto vniuerſa, vtraque Arabia cum tot Thebaidis, Libyęq́ue Eccleſijs? Vbi illa Carthaginenſis? Et in Africa, Numidia, Mauritania, vbi nunc tot Epiſcoporum cathedræ, ex quibus Africanorum illorum & Carthaginenſium conciliorum autores, tam multi præſules in vnũ conuenêre? Et vt propiùs ad nos accedam: vbi nunc illa Theſſalonicenſium, Corinthiorũ, Athenarum, cum Græcia vniuerſa? Nunquid non eſt demolitus eas aper de ſylua, & fera peſsima depaſta eſt? Cuius ſi cauſam diligenter, prudenterq́ue perquiſieris, haud aliam inuenies, quàm quòd ſe diuiſerunt à fundamento eccleſiaſtici ædificij. Solas autem, atq; adeò illas omnes ex hoc diluuio ſupereſſe videmus, quas ſaluauit nauicula Petri, & quæ eccleſiaſtici ędificij fundamento firmiter inhęſerunt. In cęteras deſęuit eadem diuina vltio, quę in illas tribus decẽ, quòd ſe ſeparauerant à Iuda & Beniamin. Et indignatus eſt, inquit, Dominus, omni ſemini Iſrael, & demolitus eſt eos, & dedit in direptionem: donec abijceret eos à facie ſua, quia diſsipatus eſt Iſrael à Domo Dauid.

D Quòd ſi non verbis tantùm, ſed & factis ſuis nos inſtruxerit Chriſtus, facilè perſpicis nec illud carere myſterio, quod tam diligenter exprimunt Euangeliſtę: videlicet quòd turbas docturus, in vnius Petri, non alterius nauiculam aſcenderit, de qua loqueretur populo: hoc nimirum ſignificans, quòd de nauicula, cathedraq́; Petri perpetuò nobis eſſet locuturus ad finem vſque ſeculi, qui ſe conſque nobiſcum eſſe, ſoreque promiſit. Hanc ſolam, inquit, ſacer ille Ambroſius, Eccleſię nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus, hęc ſemper ſupernatat in altum huius ſeculi: ita vt pereunte mundo omnes quos ſuſcepit, ſeruet illęſos. Illi ſiquidem promiſſum eſt, quòd portę inferorum non pręualebunt aduerſus eam.

Cur Petrus, cum Eccleſiæ fundamẽtum pronunciaretur à Chriſto, cœlitus illuminatus eſt, ad diuinitatẽ Chriſti præ alijs confitendam.

Sed nec illud myſterio vacuum eſt, quòd vnus ex omnibus Apoſtolis Petrus ad Chriſti diuinitatem & cognoſcendam, & pręđicandam, cœleſtis patris reuelatione illuminatus eſt, cùm ſuperędificandę Eccleſię petra & fundamentum conſtitueretur à Chriſto. Mihi certè etiam hoc ipſo clarè ſignificaſſe videtur, eccleſiaſticę Hierarchię capiti ac pręſidi, quantum ad confeſsionem, doctrinamq́ue ſyncerę fidei attinet, ſingulariùs pręalijs adeſſe diuinam illuminationem, & linguam

eius

A eius fieri mirabilis illius ſcribæ calamum velociter ſcribentis: quantumuis moribus, vitaq́ue permittantur cadere.

Itaque vt hîc tandem finiamus: Habes, cui claues regni cœlorum Chriſtus commiſerit, cui crediderit regendam, gubernandamq́ue ſuam Eccleſiam, quam illi autoritatem obligandi vniuerſos vinculis pręceptionum ſuarum dederit, affirmans coram Deo illis nos obligari. Habes quoque, ad cuius autoritatẽ pertineat definire ſubortas inter nos dubitationes & controuerſias. Habes deniq; tam cathedræ Petri, quàm in eadem præſidentiũ impetratum oratione Chriſti, eiusq́ue fideli promiſsione conſtabilitum ſingulare priuilegium, ex dictis actisq́ue chriſti non minùs euidenter demonſtratum, q̃ ex ipſa eius vmbra & figura in ſynagoga veteri, ex ipſa denique eccleſiaſticę ſocietatis ratione antè demonſtratũ eſt. Quod etiam ipſum cùm ſubſecuta (vt paulò pòſt audies) comprobet rei ipſius euidentia, nec minùs catholicæ Eccleſiæ communis, conſonaq́ue confeſsio: qui huic derogat, haud dubiè ad arcam illam non pertinet, in qua ſola ſalus eſt à diluuio huius ſeculi; ab ea ſe iam ſeparauit Eccleſia, aduerſus quam non præualent inferorum portæ: iam auulſus à baſi ædificij eccleſiaſtici, in ſe collapſus corruit, & per ſeipſum, ſuoq́ue ipſius iudicio damnatus eſt. B

Quæ de autoritate eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis, et ſingulari priuilegio cius cathedræ triplici iam medio demõſtrauimus, ex communi catholicæ Eccleſiæ fide & confeſsione, ipſaq; atteſtante rerum fide, adhuc euidens facere.

CAP. V.

AVtoritatem eccleſiaſticæ Hierarchiæ pręſidis ex ipſa ratione eccleſiaſticæ ſocietatis inuentã, & tam ex vmbra & figura in ſynagoga veteri, quàm clariſsima luce veritatis Euangelicæ, ipſisq́ue Chriſti verbis, geſtisq́ue comprobatam, vnà cum cathedræ tam Moſaicæ, quàm apoſtolicæ ſingulari, ſed ſuo cuiuſque priuilegio, nunc ex ipſa etiam totius catholicæ Eccleſiæ communi fide confeſsioneq́ue, ipſa quoque euidenti atteſtante rerum fide, demonſtrare conabimur. Tunc enim ſecuri, certiq́; eſſe poſſumus, veram nos inueniſſe in ſcripturis, germanãq́; earum intelligentiã, ſi adhibita illis ſua illa amuſsi & inobliquabili regula (cõmuni, inq̃, catholicæ eccleſiæ ſenſu & ſentẽtia) illi per oĩa cõſonet id, quod in ſcripturis rectè intellexiſſe, inueniſſeq́; cõfidim⁹.

Et quanquã catholicę per orbem Eccleſię hac de re communẽ ſententiam, atteſtanteq́; eidem ipſam rei euidẽtiam ex vniuerſis, quæ C hoc libro deinceps tractabũtur, euidens erit cernere: hîc tamẽ ex tenore profeſsionis orthodoxæ fidei ipſius catholicæ Eccleſiæ, ſub qua reuertẽtes à ſchiſmate, ad gremiũ & communionẽ catholicæ Eccleſię, in extremo Oriẽte, ſeptẽtrione & meridie, ante annos 1000 recepti ſunt: ex ipſa quoq; Alexandrinæ ſynodi ſynodali epiſtola hoc ſpecialiter demonſtrare conabimur. In illo Orientaliũ Eccleſiarũ ſchiſmate, quod per Acatium Conſtantinopolitanũ Epiſcopum excitatum eſt (cuius pòſt audies longã tragœdiam, euidentiùs cõprobantẽ, quod hîc paucioribus demõſtrare conamur) cùm illius ſucceſſor Ioãnes, ſeu fidelis populi votis (qui ęgerrimè ferebat ſe diuiſum à fundamento eccleſiaſtici ędificij, cõmunioneq́; ſedis apoſtolicę) ſeu Iuſtini imperatoris zelo fidei prouocatus, ad catholicæ Eccleſiæ vnionem reuerti cuperet, reuniriq́; ſuo capiti, eccleſiaſticę Hierarchiæ pręſidi libellũ profeſsionis & fidei orthodoxę & catholicę Eccleſiæ propriæ ſuæ manus ſubſcriptione roboratũ, etiam dicto in ſeipſum anathemate, ſeu cùm vnq̃ tranſgrederetur in poſterũ, miſit ad B. Hormiſdã eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidẽ, quò mereretur ab eo in cõmunionẽ recipi. Cuius tenor ad verbũ inſertus legitur in eiuſdem Ioannis ad eundẽ beatiſs. Hormiſdã epiſtola, quam ad rei fidẽ hîc D adſcribere libuit: Redditis, inquit, mihi veſtræ ſanctitatis literis, in Chriſto frater chariſsime, nuper per Gratũ clariſsimũ comitẽ, nunc verò per Germanũ & Ioannẽ reuerendiſs. Epiſcopos, & Felicẽ, & Dioſchorum ſanctiſsimos Diacones, & Blandũ presbyterum, lætatus ſum de ſpeciali charitatis veſtræ ſanctitate, quòd vnitatem Eccleſiarũ Dei ſecundum veterũ patrum requiris traditionẽ, & dilaceratores rationabilis gregis Chriſti, amore pulſare feſtinas. Certus igitur ſcito per oĩa ſanctiſsime, quia ſecundum quod vobis ſcripſi, tecum cũ veritate conſentiẽs, omnes à te repudiatos Hæreticos renuo, &c. Omnibus actis à ſanctiſs. quatuor ſynodis, Nicena, Cõſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonẽſi de confirmatione fidei, inſtituta eſſe eccleſiæ aſſentior, & nihil titubare de bene iudicatis patior, ſed & conãtes in ipſis vſq; ad vnũ apicem placitorũ turbare, lapſos eſſe à ſancta oẽi generali & apoſtolica eccleſia ſcio. et tuis verbis rectè dictis euidẽter vtens, per præſentia ſcripta hæc dico: Quia prima ſalus eſt, rectæ fidei regulã cuſtodire, & à patrum traditione nullatenus deuiare. Et quia nõ poteſt Dñi Ieſu pręteermitti ſentẽtia, dicẽtis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiam meã, & por-

& portæ inferorum non præualebuut aduer
A ſus eam. Atque hæc ipſa, quæ dicta ſunt, rerũ
comprobantur effectibus. Quoniam in apo-
ſtolica ſede inuiolabilis ſemper fides catho-
lica cuſtoditur. Hęc igitur fides eſt, à qua nec
cadere cupientes, ſed patrum ſequẽtes iu o-
mnibus conſtituta, anathematizamus omnes
hæreſes, & pręcipuè Neſtorium Hæreticum,
qui quondã Conſtantinopolitanę vrbis fuit
epiſcopus, damnatum in concilio Epheſiuo,
à beato Celeſtino Papa vrbis Romæ, & à ve-
uerabili Cyrillo Epiſcopo Alexandrinæ ci-
uitatis, & vnà cum illo anathematizamus &
Euticetem, & Dioſchorum Alexandriuæ ci-
uitatis Epiſcopum, damnatum iu ſancta ſyn-
odo Chalcedonenſi, quam venerantes ſequi-
mur, & amplectimur, quæ ſequens ſanctam
Nicenam ſynodum, apoſtolicam fidem præ-
dicauit. His coniungentes Timotheum par-
ricidam, Hellurum cognominatum, anathe-
matizamus, & huius Diſcipulum, & ſequacẽ
in omnibus Petrum Alexandrinum ſimiliter
condemnantes. Anathematizamus ſimiliter
Acatium, quondam Conſtantinopolitanæ
vrbis Epiſcopum, complicem eorum & ſe-
quacem factum, uec non perſeuerantem in
eorum communione & participatione. quo-
rum enim quis communionem amplectitur,
eorum etiam ſimilẽ adiudicationem in cou-
B demnatione conſequitur. Simili modo & Pe
trum Antiochenum condemnautes, anathe-
matizamus cum ſequacibus ſuis, & omnibus
ſupradictis. Vnde probamus & amplectimur
epiſtolas omues beati Leonis Papę vrbis Ro
mę, quas cõſcripſit de recta fide. quapropter
ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus ſe-
dem Apoſtolicam, pręđicamus etiam omnia,
quæ ab ipſa decreta ſunt. Et propterea ſpero
in vna communioue vobiſcum, quam apo-
ſtolica ſedes pręđicat, me futurum, in qua eſt
ſemper integra deuotio Chriſtianæ religio-
nis, & perfecta ſoliditas. Promittẽs in ſequẽ-
ti tempore ſequeſtratos à communioue Ec-
cleſiæ catholicæ, id eſt, in omnibus non con-
ſentientes ſedi Apoſtolicæ, eorum nomina
inter ſacra nõ eſſe recitauda myſteria. Quòd
ſi iu aliquo à profeſsione hac mea deuiare
teutauero, his, quos coudemnaui, etiam per
coudemnationem propriam, conſortem me
eſſe profiteor. Huic verò profeſsioni ſubſcri
pſi manu mea, & direxi per ſcripta tibi Hor-
miſdæ ſancto & beatiſsimo fratri & Papæ ma
gnę Romę, per ſupradictos Germanum & Io
annem venerabiles Epiſcopos, Felicem & Di-
oſchorum Diacones, & Blandum presbyte-
rũ. Huic ſuæ profeſsioni propria manu ſub-
ſcripſit in hæc verba: Ioanues miſericordia
Dei Epiſcopus Conſtantinopolitanę Eccle- C
ſię, uouella Romę, huic meę profeſsioni con
ſentieus omnibus ſupradictis, ſubſcripſi ſa-
uus iu Domiuo. Dat. meuſe Martio, die 28.
Indictione 11. Conſulibus Domino Iuſtino
imperatore Auguſt. & Heradio 4. CC. Eiuſ-
dem libelli profeſsionis & fidei catholicæ
Eccleſię tenorem, idem Hormiſda inſeruit
ſuis literis ad Hiſpaniarum Epiſcopos: vt ſi
quis (ſuper quo conſuluerant) Orientalium
clericorum à pręđicto ſchiſmate veniens, ec-
cleſiaſticam ab eis commuuionem poſceret,
ſecundum eius formam admitteretur, ſecun
dum quam & de Thracię & Scythię, Illyriei-
que partibus, ſimiliter & Syrię affirmat mul-
tos fuiſſe receptos, gaudentes ad recta con-
fluere, & deuia declinaſſe. Vides itaque, quę
ſit & fuerit fides catholicę per orbẽ eccleſię, *Nota cõfeſsi onem catholi cæ Eccleſiæ.*
videlicet, vt ſalus noſtra pręcipuè cõſiſtat iu
cuſtodia rectę fidei, & traditionis paternę,
ſeu eccleſiaſticę: vt infallibilis illa chriſti ſeu
tẽtia, qua Simonem petram conſtituit, & fun
dameutum ſuperędificandę Eccleſię, nun-
quam deficiat in eius cathedra, eiuſdemque
pręſidibus & pontificibus, comprobãte hoc
ipſa rei euidentia, ſubſecutiſque effectibus,
vt eius decretis & pręceptis omues obedien-
tiam debeant, vt in omnibus ſequi eius fidẽ:
in qua eſt, & couſeruatur integra, inuiolabi-
lis, perfectaque Chriſtianę religionis & fidei D
ſoliditas, cuius eandem agnoſcunt, & pręđi-
caut ducem & magiſtrum, vt apoſtolicę ſedi
non couſentientes, ſequeſtrati ſunt à com-
munione catholicæ Eccleſię. Simili ferè te-
nore Carthaginenſis Eccleſia ſub Bouifacio
ſecundo reconciliari meruit, quę ſub Boni-
facio primo & beato Celeſtino, aduerſus Ro
manam Eccleſiam ceruices ſuas erigere cœ-
perat, autore Aurelio Carthagineuſi Epiſco-
po: cui graue videbatur, quòd à tranſmarinis
illis Eccleſijs Epiſcoporum iudicia ad huius
ſedis examẽ referri oporteret. Volebat enim
comprouincialiũ ea in re vltimum, ratumq;
abſq; ratractatione manere iudicium. Cuius
occaſione etiam in ſexta Carthaginenſi ſyu-
odo, illa de Niceni concilij canonibus diſce-
ptatio exorta eſt: præſertim ſuper eo, quo id
expreſſe conſtitutum fuerat ab illis ſanctiſ-
ſimis patribus, quam pòſt latiùs explicaturi
ſumus tragœdiam. Itaque cùm etiam poſt il-
lum Aureliũ, nonnulli eius in Carthaginenſi
Eccleſia ſucceſſores, exempli quoque imi-
tatores fierent, debitamque & conſuetam o-
bedientiem detractarent Romanis pontifi-
cibus, prolaberenturque ob id in multos, va
rioſq; errores, qui ſemper vnà cum ſchiſma-
te veuiũt, & diſſoluto eccleſiaſticæ diſciplinę
vigore,

A vigore, in Africana illa eccleſia, magna iam exorta eſſet omnium ordinum confuſio, tot, tantiſq; prædeceſſorum ſuorum, & totius illius eccleſię malis edoctus Eulalius Carthaginenſis epiſcopus, vnà cum cæteris Africanę eccleſiæ epiſcopis, ad gremium matris eccleſiæ, & Apoſtolicę ſedis obedientiã ſupplices recurrerunt, & cõmunionem humiliter expetentes, eam obtinuerunt à præſato Bonifacio, ſub hniuſmodi ſuæ profeſsionis libello. Prima ſalus eſt, rectę fidei regulam cuſtodire, & à patrum cõſtitutis nullatenus deuiare. Et qnia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prętermitti ſententia dicentis: Tn es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiã meã, & portę inferorum non preualebunt aduerſus eam: & hęc quę dicta ſunt, rerum comprobãtur effectibus, quia in ſede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt catholica ſeruata religio. De qua ſpe & fide minimè ſeparari cupientes, & patrum ſequẽs conſtituta, anathematizamus omnes, qui contra ſanctam Romanam & Apoſtolicam eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt ceruices, ſequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem, & prędicantes eius omnia conſtituta: & per omnia ſpero, vt in vna communione vobiſcum, quam Apoſtolica ſedes prędicat, eſſe merear. In qua eſt inte-
B gra & vera Chriſtianæ religionis & perfecta ſoliditas. Promittens ſequeſtratos à commnnione eccleſiæ catholicę, id eſt, non conſentiẽtes ſedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Quod ſi in aliquo à profeſsione mea deuiare tentauero, his quos damnaui, complicẽ me eſſe mea ſententia profiteor. Hanc autem profeſsionem meam mea manu ſubſcripſi, & Bonifacio ſancto venerabili papæ vrbis Romæ direxi: damnans & anteceſſores, & ſucceſſores meos, & omnes, qui ſanctæ Romanæ & Apoſtolicę eccleſiæ priuilegia caſſare nitũtur. Hactenus libelli tenor.

Hæc autem ita geſta, euidenter comprobat eiuſdem Bonifacij ad Eulalium Alexandrinum epiſtola, qua Carthaginenſis illi eccleſiæ reconciliationem ſignificat, cui prædicti libelli tenorem ad verbum inſeruit, quam ad veritatis fidem viſum eſt haud alienum adſcribere.

Bonifacij Roman. põtificis ad Eulaliũ Alexand. epiſtola, hiſtoriæ prædictæ teſtimonium perhibens.

Bonifacius epiſcopus Eulalio epiſcopo ſalutem. Olim, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apoſtolorum principe fiduciam, vt habeamus autoritatem vniuerſali eccleſiæ auxiliante Domino ſubuenire, & quicquid nociuum eſt, autoritate Apoſtolica corrigere & ęmendare. Ad hoc enim diuinæ diſpoſitionis prouiſio gradus & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderẽt, vna concordiæ fieret ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret, &cæt. Quia igitur vnumquodqne ſalubriter tunc completur officium, cùm fuerit vnus ad quem recurri poſsit præpoſitus, vota noſtra charitatem tuam latere noluimus, ne qui particeps fnit ſolicitudinis, gaudiorum fructus reddatur extorris. Et ideo Carthaginenſem eccleſiam ad communionem noſtram rediiſſe, Domino propitiante, præſentibus ſignificamus alloquijs, & mãdatorum, quæ legatis noſtris dedimus, ſeriem in omnibus fuiſſe completam. De qua parte vt ad dilectionem tuam plenius perſectè gaudium perueniret, libellum Eulalij fratris & conſacerdotis noſtri, Carthaginenſis epiſcopi, & Iuſtiniani clementiſsimi principis Orientis ſacrarum literarum exemplaria, pariter eredidimus deſtinanda, indicantes nihilo minùs per Orientis partes plurimos epiſcopos ſic feciſſe. Supereſt, vt à nobis competentibus precibus exorata diuinitas concedat, quatenus de aliarum quoq: eccle- D
ſiarum redintegratione gratulemur. Aurelius enim prædictæ Carthaginenſis eccleſiæ olim epiſcopus cum collegis ſuis inſtigante diabolo, ſuperbire temporibus prædeceſſorum noſtrorum Bonifacij atq; Celeſtini contra Romanam eccleſiam cœpit. Sed videns ſe modo peccatis Aurelij Eulalius à communione Romanæ eccleſiæ ſegregatum, humilians recognouit ſe, pacem & cõmunionem Romanæ eccleſiæ petens. Et ſubſcribendo vnà cum collegis ſuis damnauit omnes ſcripturas, quæ aduerſus Romanæ eccleſiæ priuilegia quoquo ingenio factę fuerũt. Exemplar autẽ precum & libelli eius hoc eſt: Prima ſalus, &c. quemadmodum à nobis adſcriptum eſt. Committit deinde eidem Eulalio Alexandrino ſuas vices in reliquis (ſi qui adhuc extra eſſent, & ad gremiũ catholicę eccleſiæ humiliter recurrerent) reconciliandis & recipiendis, forma illi præſcripta, quam obſeruare deberẽt, qnædam illins prudentiæ plenariè committens, quędam etiam ſuo indicio reſeruans, quę volebat ad buius ſedis notitiam ſpecialiter referri. Vides & hîc rurſus catholicę per orbẽ diffuſę eccleſiæ orthodoxam fidem. In ſede Apoſtolica fidem catholicam extra maculam ſemper conſeruari, atque integram, veram, perfectamq;

A Chriſtianæ religionis ſoliditatem. Vides anathema effici, nec ad corpus catholicæ Eccleſiæ pertinere, quiſquis ſuperbiendo aduerſus Apoſtolicam ſedem atque eius, quæ ſuprà adſtruximus, ſingularia priuilegia ſuas ceruices erigit. Vides vt eandem omnes ſequi oporteat, & omnia eius decreta & precepta obſeruare. Et veriſſimum eſſe quod dixit ille Bonifacius, non aliter multitudinem in officio cõtineri poſſe, niſi ſit vnus ad quẽ recurratur præpoſitus. Eandem planè catholicę eccleſiæ confeſsionem orthodoxę fidei de prædictis omnibus eſt perſpicere in illa Alexandrinæ ſynodi orthodoxorum epiſcoporum (cùm Arrianorum graui perſecutione premerentur) ad Felicem Romanum pontificem ſuprà citata ſubinde à nobis ſynodali epiſtola. Quæ quoniam prolixa eſt, totaq; conformis in eandem, quam audiſti, ſententiam, ex ea ſequentia decerpſimus, vt ex quibus totius catholicæ & orthodoxę per orbẽ eccleſiæ ſententiam poſsis euidenter intelligere. Eſt autem in hæc verba:

Domino beatiſsimo & honorabili, ſancto patri Felici, ſanctę ſedis Apoſtolicę vrbis Romæ papæ, Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorum, Thebaidorum & Libyorum epiſcopi, in ſancta Alexandrina ſynodo, gratia Dei cõgregati. Deinde poſt pleraq;: Quia Apoſtolicis
B veſtra beatitudo viſceribus commota per tribulationem noſtram, nos omnes hortata eſt ad tuitionem catholicæ & Apoſtolicę eccleſiæ in vnum cõuenire, & de noſtra oppreſſione, canonicè & vnanimiter tractare, ſatagentes ne aliqua de eis, quæ nobis creditæ ſunt, ratiõabilibus ouibus à beſtijs capiatur. Ideo pater beatiſsime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra apoſtolia ſancta ſede auxiliũ hauſimus, & noſtri vos curam habere cognouimus, præfatam Apoſtolicam & ſummam ſedem, iuxta canonum decreta expetimus, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata acceperunt. Ad eam quoq; quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur. Quomodo non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum: ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos, quoniam non leuibus nos inimici noſtri implicauerunt, & quotidie magis implicare moliuntur afflictionib, ferroq; conſtringere minitantur, niſi eorum conſentiamus opinionibus: id quod nequaq̃ vobis inconſultis agere præſumimus, canonibus quippe iubentibus, de maioribus cauſis nos abſque Romano pontifice nihil debere decernere. Ideoque ad propoſitum recurrentes, &c. veſtræ Apoſtolicæ ſedis imploramus

C auxiliũ, quia vt credimus, non deſpexit Deus preces cum lachrymis ſibi oblatas ſeruorum ſuorum, ſed ob id vos, prædeceſſoresque veſtros Apoſtolicos, videlicet præſules, in ſummitatis arce conſtituit Dominus, omniumq; eccleſiarum curam habere præcepit: vt nobis ſuccurratis, nos tuentes (cui omne epiſcoporum iudicium eſt cõmiſſum) liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis.

Nã ſcimus in Nicena magna ſynodo 318. epiſcoporũ ab omnibus cõcorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani pontificis ſententia concilia celebrari, nec epiſcopos damnari. Licet hæc & alia quàm plura neceſſaria ab hæreticis (qui nos quotidie infeſtãt, & perdere nituntur, vt faciliùs non capere poſsint) ſint ſynodica capitula incẽſa, nobiſque ſublata. Qua de re, hac inuenta occaſione indifferenter omni canonica & Apoſtolica poſtpoſita autoritate, nos vi à proprijs, vobis inconſultis, illicitè expellunt ſedibus, oueſque nobis à Chriſto Domino, apoſtolica commiſſas gratia, inuadunt, gradibus priuant, & quod peſsimum eſt, & omnibus Chriſtianis legibus inimicum, perdere decertant.

Niceno cõcilio cõfirmatos antiquos canones, ne præter ſententiã Romani põtificis aut celebrentur concilia aut damnẽtur epiſcopi.

Vos ergo, vt ſemper veſtrę ſanctę ſedi conſuetudo fuit, periclitantibus ſubuenite, oppreſſos roborate, taliaq; prohibete, & leges imponite, vt Apoſtolica doctrina, quæ in vobis eſt, citò ad uictoriam iudicium perducere valeat noſtrum, noſq; Apoſtolorum ſuffragante principe Petro ab imminentibus periculis liberare. D

Deinde memorantes etiam ſtatuti Niceni concilij de ordine & modo obſeruãdo in accuſationibus epiſcoporũ: Similiter, inquiũt, & à ſuprà dictis patribus eſt definitum conſonanter, vt ſi quiſquam epiſcoporum, ant metropolitanum, aut comprouinciales iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellet ſedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi & ſoluẽdi, ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Ipſa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit, quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſsimam Dominus Ieſus Chriſtus veſtram Apoſtolicam conſtituit ſedem. Ipſa enim eſt ſacer vertex & cardo, in quo omnes vertuntur, ſuſtentantur & releuantur.

Deinde ipſum affirmantes (vt ſuperiori capite audiuiſti) Petrum autoritate & officio, & baſim, caputq; eccleſiaſtici ędificij, cui commiſſæ ſint à Chriſto claues regni cœlorum, & illa ſupereminens ligandi, ſoluendiq; poteſtas. Ad quem pertineat & hæreſes damnare, & orthodoxam omnibus, ſanamq; fidem docere & præſcribere.

Appellatiões ex toto orbe ad ſedem Apoſtolicam.

Igitur

A Igitur, inquiunt, ne deſpicias pater tuorũ
patrum pietatem, bonamque intentionem:
ſed ſicut illi patres, prædeceſſoresq́; noſtros
à multis liberauerunt oppreſsionibus & an-
guſtijs: ita & nos liberare digneris.

Nam fuit ſemper veſtrę apoſtolicę ſedi po
teſtas, iniuſtè damnatos, & vel excommuni-
catos, poteſtatiuè autoritate ſua reſtituere, &
eis ſua omnia reddere, illosq́ue, qui eos con
damnauerunt, aut excommunicauerunt, apo
ſtolico punire priuilegio: ſicut etiam noſtris
& anterioribus cognouimus actum tempo-
ribus. Deinde poſt pauca in hæc crumpunt
verba: O ſanctiſsime pater patrum, abſcinde
blaſphemias, & iactantiam vaniloquorum,
& inſidiantium infeſtationes, nos & fratres
noſtros opprimentium, & perdere volentiũ,
qui ad vos quaſi ad caput confugimus, vt ve-
ſtro fulti auxilio liberemnr, & vobis, nobis-
q́ue commiſſas Chriſti oues, à luporum ore,
Domino adminiculante, antequam deglu-
tiantur, eripiamus.

Neque enim fas eſt apoſtolicæ ſedi, ſuppli
cum ſcripto, aut ſine ſcripto, oblatas preces
deſpicere: ſed vt condecet, & priuilegium ve
ſtræ ſedis eſt, & nos & illi noſtri aduerſarij,
regulariter conuocemur, & ante vos de no-
ſtris obiectionibus cum omni probitate con
certemus: ſicut prædeceſſores noſtri penes
B veſtros fecerunt anteceſſores, & ſicut canoni
ca in prædicta ſancta ſynodo docẽt inſtituta.

Antiquis enim regulis ſancitũ eſt, vt quic-
quid quãuis in remotis & longè poſitis pro-
uincijs ſuper Epiſcoporum querelis & accu-
ſationibus ageretur, non priùs accipiendum
eſſet, quàm ad notitiam almæ ſedis veſtræ fu
iſſet pronunciatio prolata, quæ firmaret, aut
infirmaret, &c. ne paſsim ab accuſatoribus,
aut calumniatoribus columnæ conuelleren-
tur Eccleſiæ.

Ecce enim Dei Eccleſia non leuiter pertur
batur, columnæq́ue eius nimis infeſtantur,
atq; à prauis hominibus amoueri nituntur.
Chriſtianorum verò voces & gemitus Epi-
ſcoporum, longè lateq; reſonant, nouitates
inſurgunt, calũnlæ creſcunt, perſecutio graſ-
ſatur, perditio fit populorum. Veſtrum itaq;
eſt, nobis manum porrigere, quia vobis com
miſsi ſumus: veſtrum eſt nos defendere & li-
berare, noſtrumq́ue eſt à vobis auxilium ex-
petere, veſtris parère iuſsionibus. Tandem
concludentes epiſtolam, orant eum in ſum-
ma Eccleſiæ ſpecula Dei gratia poſitum, non
deſpicere, non ſolùm ipſorum, ſed & Orien-
talium omnium orthodoxorum, tam popu-
lorum, qnàm ſacerdotũ deprecationes obla-
tas cum lachrymis: ſed ſicut, inquiunt, lumi-
naria vniuerſo mundo verbum vitæ retinen- C
tes, introductas extinguite tenebras nefan-
diſsimorum temporibus noſtris procaciter
germinatas, quatenus funditus extincta hu-
iuſmodi caligine, lucifer nobis reſplendeat
per vos ſanctiſsime pater, & dogmatica defi-
nitio omnes lætificans, quam glorioſi Eccle
ſiæ ſancti patres in æternæ vitæ firmam hæ-
reditatem prædicaſſe noſcuntur.

Incolumem te & beneplacitum Deo ſan-
ctiſsime pater patrum, orantem pro nobis,
Dominus cuſtodiat in æuum.

Quàti faciẽda fit prædicta confeſsio.

Hæc non Romanus, ſed Alexandrinus ſe-
cundæ ſedis pontifex: neque is qualiſcunq;,
ſed ſanctus ille, vereq́; magnus, & glorioſus
Chriſti confeſſor Athanaſius, cuius fides tot
perſecutionibus, tot exilijs probata eſt: neq;
is vnus, ſed vniuerſi vnà Aegyptiorum, The-
baidorum, & Libyorũ orthodoxi Epiſcopi.
In quibus nunquid dubitabimus viguiſſe il-
lum Chriſti ſpiritũ? tam multis? tam ſanctis?
tot perſecutionibus pro Chriſti nomine, e-
iusque orthodoxæ fidei confeſsione, tan-
quam aurum in igne probatiſsimis, & in hoc
vnum congregatis & conuenientibus, vt or-
thodoxam fidem aduerſus Arrianam tueren
tur perfidiam, cùm ipſe Chriſtus affirmet e-
tiam, duobus aut tribus in nomine ſuo con-
gregatis ſe intereſſe medium? Nunquid hos
iſta confinxiſſe adulationis ſtudio vlla ſuſpi- D
tio eſt? Nunquid vt Romanæ Eccleſiæ (cùm
re vera non eſſet) autoritatem ſupra ſe effer-
rent, & ſtatuerent? Nunquid alia prædicaſſe
quàm ipſa erat rei veritas, quàm ipſa tenebat
catholica & orthodoxa per orbem Eccleſia?

Audis autem, quàm nõ obſcurè, quàm nõ
dubiè, ſed veluti omnibus notoriam, vniuer
ſoq́ue orbi confeſſam ac recognitam, eccleſi-
aſticæ Hierarchiæ præſidis, atque apoſtolicæ
eius ſedis autoritatem, & quale ſuprà adſtru
ximus, ſingulare priuilegium, quàm recurrãt
ſupplices ad cathedram Petri, ad ſummam &
apoſtolicam ſedem, tãquam ad vbera matris
Chriſtianitatis vniuerſę, tanquam ad ſacrum
verticem, & caput Hierarchiæ Eccleſiaſticę:
inde auxilium expetẽtes, vnde fatentur ſuos
prædeceſſores, & ordinationes, & dogmata,
& ſublcuationes accepiſſe.

Audis hos confitentes, ac prædicantes,
quòd canones eccleſiaſtici, omnes maiores
eccleſiaſticas cauſas, huius ſedis diſcuſsioni
reſeruarint. Et propterea in ſummitatis arce
couſtitutos à Domino Romanos pontifices,
omnium illis Eccleſiarum cura demandata,
vt per præſidentis vnitatem & autoritatem
pax & vnitas Chriſtiana conſeruaretur in Ec
cleſia: ne qui opprimerentur iniuſtè, ne Eccle

 ſiarum

A ſiarum paſtores aduerſum ſeſe tumultuarentur,& tot fierent ſchiſmata,quot ſacerdotes: ne ille ſacer ordo cõfunderetur eccleſiæ:fuiſſeq́; ſemper ab initio eã huic ſanctæ ſedi cõſuetudinem, vt ſubueniret periclitantibus, releuaret oppreſſos,legesq́; præſcriberet per quas malorum cohiberetur improbitas, & triumpharet doctrina apoſtolica.

Audis inſuper apoſtolicæ ſedis ſemper eã fuiſſe autoritatem, iniuſtè damnatos,ſua autoritate poteſtatiuè reſtituere,& iudices iniquos apoſtolico punire priuilegio.Id quod teſtantur etiam ſuis, etiam anterioribus ſanctũ temporibus.Vt nunquam licuerit appellationẽ ſeu verbo, ſeu ſcripto ad Apoſtolicã ſedem cuiquam contemnere, aut ei non reuerenter deſerre. Vt eius iuris & priuilegij fuerit, quoſuis inter ſe concertantes è toto orbe terrarum,etiam vltra marinis partibus, etiam primarum ſedium antiſtites, coram ſe euocare, vtq́; ſic euocati quemadmodum tenebantur,ita etiam comparere conſueuerint & ſuas inter ſe querelas coram eadem ſede canonicè proſequi, atq; inde ſuum reportare iudicium.Sicut, inquiunt, prædeceſſores noſtri, penes veſtros ſecerunt anteceſſores. Cuius veritatem adhuc pòſt clariùs in-
B telliges.

Audis præterea,vt ante mille ducentòs annos teſtati ſint illi tot tantiq́; pontifices,non tunc nuper & à recenti eorum memoria, ſed ab antiquis temporibus,antiquis regulis ſancitum fuiſſe in eccleſia Chriſti: vt quicquid quàmuis in remotis longinquiſq́; prouincijs ſuper quorumlibet epiſcoporũ querelis ageretur,non ante firmitatem & robur obtineret,quàm ad huius ſedis eſſet relatũ notitiã, etiam firmatum aut infirmatum autoritate & iudicio,quod etiã in cœlis ratũ haberi ipſe nobis Chriſtus atteſtatus eſt.Vt cõfundatur cęca Lutheri & ſuorũ impudẽtia & impudentiſsima ignorantia (ſi tamen confundi & erubeſcere poterunt)qui nõ ita nuper,atq; adeò à noſtra memoria dicunt Romanam ſe extuliſſe eccleſiam,& ſibi vendicaſſe primatum ſuper alias eccleſias. Idq́; contra omnem antiquitatẽ vetuſtamq́; hiſtoriam, quam nec ſalutaſſe vnquam mihi videntur à limine,contra primitiuæ eccleſiæ ritum & exemplum, contra ipſam deniq; Chriſti vocem.Quorum hominum prodigioſa dicã impudentia,an ignorantia,in progreſſu adhuc erit illuſtrior.

Audis denique vt ab vno Romano pontifice eiusq́; cathedra,expectetur ab orbe toto dogmatica veræ fidei definitio, omnes lætificans,per quam extincta hęreticæ prauitatis caligine orbi lucifer reſplendeat. Vides ſacram ancorã, ad quã in quacunq; aduerſarij C
machinatione exorta hæreticę impietatis tẽpeſtate ſancti patres omnes & toto orbe orthodoxi ſemper confugerunt: vt in qua extra maculam ſemper ſit conſeruata fides catholica,& integra,vera, perſectaq́; Chriſtianæ religionis ſoliditas.

Fidem,ſententiam ac definitionem Apoſtolicæ ſedis ſemper concordare cum orthodoxa fide & ſententia catholicæ eccleſiæ.Proinde ipſam eſſe tertium indubiæ ueritatis eorum, quæ certa nobis fide tenenda,credendaq́; ſunt, principium.

CAP. VI.

DEmõſtrauimus libro primo duo nos habere certa noſtrę fidei principia,& ex quibus certò demonſtrari poſsit, quid ad fidẽ noſtrã religionemq́; pertineat, nempe canonicam ſcripturam & eccleſiaſticæ traditionis autoritatem,quam euidenter ſit perſpicere, etiam ſine ſcripto,etiam abſque definitione ſynodica,in conſona videlicet fide atque obſeruatione totius ab initio eccleſiæ,vt quam certũ eſt deſcẽdiſſe ex viua traditione Apoſtolica. Et quoniã ſcripturas ſuo quilibet ſenſu intelligit, nec vſquã ita ſunt apertę,vt ab hæreticorũ vi fraudeq́; ſe prorſus vindicẽt, vt quouis flecti,trahi, detorqueriue, nõ ſe patiãtur à callido verſutoq́; ingenio:in omni fluctuatione, dubitatione,exortaq́; nouitate hæretica ad catholicæ eccleſiæ communem ſenſum, velut ad ſacram ancoram, velut ad inflexibilem colũnam, roburq́; & firmamentum veritatis, velut ad indubitatam orthodoxæ veritatis regulam, & magiſtram rectæ intelligentiæ ſcripturarum omnium, quàm ad ipſas ſcripturas potiùs confugiendum docuimus. D

Eccleſiaſticæ traditionis autoritas, & in quo ea conſiſtat.

Sed quoniam inter illos hæreticæ perſecutionis turbines, tẽpeſtates & procellas,quibus ab ipſis penè fundamentis vniuerſum ferè terrarum orbem concuſſum aliquando, paulo pòſt clariſsimè intelliges, non erat quorumlibet, nec in ſingulis facilè illũ perſpicere atq; intelligere. Itaque ne inter eiuſmodi turbas & fluctus incerti fluctuarentur Chriſti fideles,circunferrenturq́; omni vento doctrinæ,eccleſiæ ſuę prouidẽs miſericordiſsimus Dñs, ſpeculam quandam inter nos cõſtituit,cathedram videlicet Apoſtolorum, & totius eccleſiaſticæ hierarchiæ principis Petri,ad quam facilis cuiq; pateret recurſus, quam in omni dubitatione poſſet facilè cõſulere. In ea ſingulari priuilegio incorruptã ſemper ſeruans Apoſtolicã illam doctrinam

&

A &traditionem, quam viua voce ab initio ab ipſis accepit Apoſtolorum principibus, ipſamque catholicæ fidei & Chriſtianæ religionis integritatem ac ſoliditatem, continuaq́; orthodoxorum in ea Epiſcoporum ſucceſsione propagaret ad finem vſq; ſeculi, ad quā inter fluctus & turbines eiuſmodi, velut ad certam orthodoxę veritatis magiſtram, & regulam reſpicerent, quam ſeqnerentur quicunque errare nollent Chriſti fideles: & vnde omnium ad eandem relatarum quæſtionum certa omnibus veritas expectāda foret. Qnod cùm Moſaicæ illi cathedræ diligenter prouiſum fuiſſe à Domino, ſuprà demonſtrauerimus, nunquid ſuæ Chriſtū Eccleſiæ tāta in re defuiſſe credēdnm eſt? præſertim quem audiſti rogaſſe ſingulariter pro fide Petri eccleſiaſticæ Hierarchiæ capitis, ne vnquā deficeret ad confirmādos fratres in fide. De quo ſi inſuper certam ſemel acceperimus catholicę per orbem Eccleſiæ confeſsionem & ſententiam, iam tertium nobis partum, demonſtratumq́; erit indubiæ veritatis eorum, quæ certa fide tenenda, credendaq́ue nobis ſunt, principium, nempe fides, ſententia ac definitio ſedis Apoſtolicæ. Ita enim quamcunque huius fidem intellexerimus, definitionem, &
B ſententiam, eandē catholicæ eſſe Eccleſiæ iā certi erimus. Quanquā autem catholicæ per orbem Eccleſiæ, certam de hoc fidem, confeſsionem, & ſenteutiam, præcedenti capite euidenter demōſtrauerimus ex tenore profeſsionis orthodoxæ fidei, ſub qua toto Oriente, Meridie, & Septētrione, à ſchiſmate reuertentes, meruerunt ad communiouem apoſtolicæ ſedis, & catholicæ Chriſti Eccleſię recipi (quā einſdem catholicę Eccleſię fuiſſe fidem & confeſsiouem nihil dubitandū eſt. Nam quos ſeparanerat fidei, confeſsionisq́; diuerſitas, eoſdem catholicæ Eccleſię rurſus reconciliauit fidei, confeſsionisq́ue vnitas.) Quę, vt audiſti, clariſsimè affirmat, infallibilem illam Chriſti ſententiam, qua Simonem, petram, fundamentumq́ue superędificandæ Eccleſię conſtituit, nunquam deficere in eius cathedra & ſucceſſoribus, hoc ipſum cōprobante rei euidentia, ſubſecutisq́; effectibus, quòd aduerſus illam cathedram portæ inferorum nunquam prænaluerunt. Imò quòd in eadem fides catholica extra maculam ſemper conſeruata ſit, & Chriſtianæ religionis integra, vera, perfectaq́ue ſoliditas. Idem cōprobat tot orthodoxorum & ſanctiſsimorū Epiſcoporum in Alexandrinā ſynodum conuenientium ſynodalis epiſtola, qua omnes illi atteſtantur, & confitentur, verbum vitæ in ea cathedra fideliter retineri ad aliorum

Apoſtolicæ ſedis autoritatē eſſe orthodoxæ fidei regulam, ex catholicæ Eccleſiæ fide & cōfeſsione demōſtrare.

confirmationem, atque ad extinguendas vbique exortas Hæreticorum tenebras. Indeq́ue à toto orbe expectari dogmaticam definitionem exortarum vbicunque controuerſiarum & dubitationum, quam omnes ſequi oporteat. Cui etiam vniuerſam (quam pòſt explicabimus) primitiuę Eccleſię intelliges atteſtari hiſtoriam. Hîc tamē aliquot ſanctorum patrum, in quibus illum catholicę Eccleſię communem ſenſum facilè erit intelligere ac perſpicere, addemus hoc ipſum confirmare, & adſtruere teſtimonijs. C

Irenęus ille beatiſsimus Polycarpi Ioānis Diſcipuli auditor, aduerſus Valentinum, cęterosq́ue ſui ſeculi Hęreticos (vt primo libro explicauimus) oſtendens, quænam eſſet vera Apoſtolorum doctrina, affirmat eandē perſpici in Eccleſijs vniuerſis, quæ (modò orthodoxę ſint, & membra catholicę Eccleſię) adhuc hoc ipſum obſeruant, quod ab initio traditum receperūt ab Apoſtolis. Aduerſus Hęreticos tamen, vt inefficacem, aut vt infinitū per vniuerſas Eccleſias diſcurſum fugiens, vnam ex omnibus & pro omnibus profert maximam, vt dicit, antiquiſsimam, atque omnibus cognitam Romanam Eccleſiam, atq; eius fidem proferens, confundit vniuerſos, qui ſcripturis confundi non poſſunt, Hęreticos. D

Quoniam igitur, inquit, valde longū eſſet omnium hîc Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſsimę, ac ab omnibus cognitę, à glorioliſsimis duobus Apoſtolis, Petro & Paulo fundatę Eccleſię, eam quam habet ab Apoſtolis & annunciatam omnibus fidem, per ſucceſsiones Epiſcoporū ad nos vſque peruenientem iudicantes, confundimus omnes, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam, vel vanam gloriam, vel per cęcitatem & ſententiam malam, pręterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatē neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vbiq; fideles, in qua ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quę ab Apoſtolis traditio. A quibus enumerans deinceps ſucſionem in Romana Eccleſia Epiſcoporum vniuerſam ad Eleutherium vſq;, qui tūc pręſidebat ſedi Apoſtolicę: Hac, inquit, ordinatione Epiſcoporum & ſucceſsione, ea quę eſt ab Apoſtolis traditio in Ecclelia, & veritatis pręconizatio peruenit vſq; ad nos, & eſt pleniſsima hęc oſtenſio, demonſtrans vnam & eandem viuificatricem fidem eſſe, quę in Eccleſijs ab Apoſtolis eſt tradita, & vſque nunc conſeruata in veritate.

Audis, quid dicat ille ſanctus Irenęus, vix vnius hominis ętate poſt Apoſtolorum tem-

A pora vniuerſam toto orbe Eccleſiã,& eos qui ſunt vbiq; fideles,neceſſariò cõuenire debere ad Romanam eccleſiã, propter potentiorẽ eius principalitatẽ,hoc eſt,ob primatum quẽ obtinet,& etiam tũc(vt vides)obtinuit inter Eccleſias.Quẽ à recenti atq; adeò noſtra memoria,iſti ſacroſanctæ maieſtatis & autoritatis eccleſiaſticę gigantei oppugnatores,dicũt eandem ſibi vſurpaſſe, & vt ſimiles habẽt labra lactucas,inueniũt, quibus hoc perſuadeãt.

Audis, quid ille velut adamantinum murum confidentiſsimè obijciat Hæreticis, quò confundat eorum,qui confundi alioqui neſciunt, peruicaciam,nempe Romanæ Eccleſiæ fidem: in eadem incorruptam conſeruari affirmans apoſtolicam ab initio doctrinam & traditionem: idem videlicet,qnod in libello illo profeſsionis orthodoxæ & catholicæ fidei capite præcedenti, iterum iterumq́ue audiuiſti.

Audis deniq;, vt eadem perueniat ad nos, haud equidem ſcripto, ſed continua in eadẽ ſede ab Apoſtolis orthodoxorum Epiſcoporum perenniq; ſucceſsione, quam in vna hac ſede ab ipſo Petro ad Paulum vſq; tertium, qui eidem nunc cathedræ præſidet, certum eſt non defeciſſe.Quã & ille pleniſsimę probationis loco ſtatuit conſeruatę integritatis, vnitatisq́ue fidei in eadem cathedra, ab Apo B ſtolis ad nos vſque. Cuius etiam Diuus Auguſtinus in ſe virtutem fatetur & efficaciam, per eandem ſe retentum affirmans in catholica Eccleſia,ita ſcribens aduerſus Manichæi epiſtolam:In catholica Eccleſia,atq; eius gremio me iuſtiſsimè tenet ab ipſa ſede beati Petri Apoſtoli,cui paſcẽdas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad prẹſentem epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum,tenet & ipſum catholicæ nomen,quod non ſine cauſa inter tã multas hęreſes ſic iſta obtinuit. Vides itaque etiam Auguſtinum, quid retinuerit in catholicæ Eccleſiæ gremio. Vides inter tot vndiq; exortas hæreſes,vnam Petri ſedem catholicę nomẽ ſemper cum fide retinuiſſe,nec fruſtrà pro eo rogaſſe Chriſtum, ne deficeret fides eius ad alios confirmandos in fide.Quod vide, quoties in facie totius orbis iactitent, & tanquam notoria,perſpectaq́ue omnibus rei euidentia comprobatum proferant ſanctiſſimi illi pontifices.

Sedes apoſtolica cur catholica.

Lucij teſtimonium.

Lucius ille glorioſus martyr & pontifex, ante annos mille & circiter trecentos,ad conſulta Occidentalium per Gallias & Hiſpanias Epiſcoporum ex autoritate apoſtolicæ ſedis reſpondens, poſt explicatam de omnibus eiuſdem ſedis ſententiam, eamq́ue viuam,nõ ſcriptam traditionẽ Apoſtolorum affirmans, ſubiungit in hæc verba:Hæc ſancta & apoſto C lica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia,per omnipotentis Dei gratiã,à tramite apoſtolicę traditionis nunquam erraſſe probatur,nec Hæreticorum nouitatibus deprauata ſuccubuit:ſed vt in exordio normam fidei apoſtolicæ percepit ab autoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus,illibata fine tenus manet ſecundum ipſius Domini Saluatoris noſtri diuinam pollicitationem,qui Diſcipulorum ſuorum principi in ſuis ſatus eſt Euangelijs:Petre,inquiens, ecce Satanas expetiuit,vt cribraret vos,ſicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, ne deficiat fides tua:& tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Hactenus ille.

Audis, quid dicat glorioſus ille martyr & pontifex,quo tempore, & quibus dicat,non in angulis domorũ aut penetralibus, ſed in facie totius eccleſię,omnibus Galliarum,Hiſpaniarumq́ue Epiſcopis,& tanquam rem omnibus confeſſam & notoriam. Dicit autem idem, quod iam ex Irenæo,& paulo antè ex confeſsione orthodoxæ fidei catholicæ toties audiniſti, nempe vnam hanc ſedem à tramite apoſtolicæ traditionis nunquam aberrare,nunquam pollui Hæreticorum prophanis nouitatibus: ſed normam fidei vt ab initio accepit ab Apoſtolis, ad finem vſque ſeculorum conſeruare incorruptam. D

Eadem prorſus ſcribit ille Felix eidem cathedræ pręſidens ad Benignum Epiſcopum, reſpondens literis eius, quibus apoſtolicam ſedem ſuper quibuſdam quęſtionibus & dogmatibus fidei conſuluerat. Poſt cuius explicatam ſententiam dicit, quod ille Lucius, eam eſſe Apoſtolorum viuam traditionem.In cuius confirmationem ſubiũgit dicta verba antè vſurpata à Lucio. Hæc enim,inquit,ſancta & apoſtolica mater omnium eccleſiarum Chriſti Eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam à tramite apoſtolicę traditionis nunquã aberrare probatur. Et cætera,vt ex Lucio citata ſunt.Addit deinceps: Quoniã Dominus & ſaluator omnium,cuius fides,&c.& qui fidem Petri non defecturam promiſit,confirmare quoque eum fratres ſuos admonuit, quòd apoſtolicos pontifices,meę exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea, licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio cupit pediſſequa exiſtere. Hæc ille Felix non longè poſt Lucium.Marcus pręterea,eiuſdem ſedis & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, ad beatiſſimum Athanaſium, & vniuerſos Aegyptiorum Epiſcopos,reſpondens,de quibus con-

Marci pontificis.

ſultus

A ſultus erat decretis Nicenæ ſynodi, quæ Arriani per vninerſum Orientem autentica curauerant aboleri incẽdio, affirmat in primis ſcriptorum ab ipſis veritatem diligenter ſe inueſtigaſſe ac didiciſſe à ſuis qui eidem etiam interfuiſſent concilio: Non, inquit, quaſi nos ſiniſtrum aliquid veſtra ex parte arbitraremur: ſed quia nos, & vos, alioſque abſque vlla in poſterum titubatione, vnum ſentire optaremus, & ſancta Romana eccleſia, quę ſemper immaculata manſit, & Domino pronidente, & beato Petro opem ſerente in futuro manebit, ſine vlla hæreticorum inſultatione, firma & immobilis omni tẽpore perſiſteret. Deinde poſt conſignatam eiſdem Apoſtolicę ſedis autoritate fidem & veritatem capitulorum aut decretorum Nicenorum, quę ipſis per copiam aut trãſſumptum mittebat, de eiuſdẽ ſedis autoritate & priuilegio ſubiungens: Hęc, inquit, ſancta & Apoſtolica mater omnium eccleſiarum Chriſti eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apoſtolicę traditionis nũquam aberraſſe probatur. Et cætera omnia eiſdem verbis, vt à Lucio & Felice ea antè dicta fuerunt.

Ante hunc Euſebius eiuſdem Romanę & vniuerſalis eccleſiæ ſanctiſsimus pontifex, B in Epiſtola ad vninerſos per Campaniam & Tuſciam epiſcopos, inter alia docens, vt diligenter obſeruent decreta ſedis Apoſtolicæ, ſubdit in hęc verba: Prima enim ſalus eſt rectę fidei regulas cuſtodire, & à conſtitutis patrum nullatenus deuiare. Nec poteſt oomini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia, dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiam meam. Et hæc quæ dicta ſunt, rerum comprobantur effectibus: quia in ſede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt catholica ſeruata religio. Vides vt hac ipſa rei euidentia, quòd videlicet in ſede Apoſtolica ſemper extra maculam ſeruetur Chriſtiana religio, comprobet, eius decretis obediendum eſſe, vt eius ſuper quam ſuo modo conſtructum ſit vniuerſum ædificium eccleſiaſticum. Eandem catholicæ eccleſiæ de hac Apoſtolica ſede ſententiam in illius magnæ Chalcedonenſis ſynodi ſexcentorum triginta epiſcoporum ad beatiſsimum Leonem ſynodali epiſtola, qua actis definitionibuſque ſuis Apoſtolicæ autoritatis robur impartiri poſtulabat, adeſt perſpicere. In qua inter cætera, gratulantes eidẽ ſedi tam doctum, tamque ſanctum pontificem: Non deſinimus, inquiunt, Domino Deo noſtro gratias agere & pariter ſupplicare aggratulantes, quod tantę ſanctitatis, tantę fidei, tantæque doctrinę, Apoſtolici ſedi, vnde religionis noſtrę ſons

Synodi Chalcedonenſis teſtimonio.

C & origo manat, antiſtitẽ dederit. Audis quid illi DC.XXX. patres, imò verò quid vniuerſa de Apoſtolica ſede ſentiat Chriſti eccleſia, nempe vt inde in eccleſiam vniuerſam, velut perennis quidam ſons & origo religionis noſtrę ſynceriſsimos riuos deriuet. Atq; idẽ vniuerſos de ea orthodoxos ſanctoſque patres ſenſiſſe inuenies.

Hinc & ille orthodoxus doctiſsimuſque Hieronymus, in Oriente prope Antiochiam habitans, nõ confidens de his quas pertractabat fidei ſcripturarumq; qnęſtionibus, quiſnã certus eſſet catholicę eccleſię ſenſus, inter tot tumultuãtes Orientis eccleſias inuenire poſſe ac perſpicere, vltra tã vaſta terrarũ mariumq; ſpacia apud vnam Petri cathedrã eundem requirendũ cẽſuit, in hæc verba ſcribẽs ad Damaſum Romanum pontificem.

Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum ſurore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper contextam minutatim diſcerpit, & Chriſti vineam exterminãt vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſsit intelligi: ideo mihi cathedram Petri, Apoſtolico ore laudatam, cen ſui conſulendam, inde nunc animæ meæ poſtulans cibũ, vnde olim Chriſti veſtimẽta ſuſcepi. Neq; verò vaſtitas tanti elemẽti liquentis, & interiacens latitudo terrarum me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. D Vbicunq; fuerit corpus, cõgregabũtur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hęreditas. Ibi ceſpite terra fœcundo dominici ſeminis puritatem centeno ſructu refert, hîc obruta ſulcis ſrumenta, in lolium auenasq; degenerant. Nunc in Occidente ſol iuſtitię oritur: in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat, ſuper ſydera poſuit thronũ ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terrę, vos vaſa aurea & argẽtea: hîc teſtacea vaſa & lignea, virgam ſerream, & æternũ opperiũtur incendium. Quanquam autem me tua terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A ſacerdote victimam ſalutis, à paſtote pręſidiũ ouis flagito: ſaceſſat inuidia Romani culminis: recedat ambitio. Cùm ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor. Ego nullũ primum niſi Chriſtum ſequẽs beatitudini tuę, id eſt, cathedrę Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnãte diluuio. Hæc ille Hieronymus. Qui rurſus ad eundem, poſt expoſitum à ſe ſymbolum fidei, ſubiungit in

hęc verba: Hęc eſt fides, Papa beatiſsime, quã in catholica didicimus eccleſia, quamq́; ſemper tenuim'. In qua ſi minùs peritè, aut parũ cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri ſedem & fidem tenes. Si autem hæc noſtra confeſsio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolũ, vel etiam non cathólicum, ſed hæreticum cõprobabit. Hæc iterum ille Hieronymus. Qui etiam aduerſus Ruffinum ſcribens huius ſedis fidem etiam angelis de cœlo pręfert, ſi aliter annunciarent. Nunquid igitur etiam in orthodoxo hoc Hieronymo nõ perſpicis quiſnam ſemper fuerit ac ſit catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ ſenſus & conſenſus: idem nempe, quem toties ex totius eccleſiæ confeſsione audiſti ſuperiùs, & pòſt adhuc clariùs intelliges. Vt ad illam tanquam orthodoxæ veritatis regulam ac magiſtram, ſuboriente aliquo hæretici flatus turbine ſit confugiendum. In qua ſola ſeruatur, inquit, incorrupta illa patrũ hæreditas. Viua illa Apoſtolica traditio, quam ab initio ab ipſis Apoſtolorum principibus accepit. Illa orthodoxa catholicæ eccleſiæ fides, quam etiam Angelis de cœlo, ſi aliter annunciarent, pręferre non dubitat. Vt ad illam neceſſe ſit omnem eccleſiam conuenire, & eos qui ſunt vbiq; fideles, à qua quiſquis diuiſus fuerit, quiſquis extra eam agnũ comederit, prophanus eſt, inquit, extra arcam illam eſt, quæ ſola ſaluat: & peribit, inquit, ingruente diluuio. Quare & alibi etiam dicit: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Vitalem non noſco, Melitũ reſpuo, Paulinum ignoro, vt qui ab huius ſedis communione ſe ſeparauerunt. Vides vt etiam nõ catholicum ſed hereticum pronunciare non dubitet, quiſquis huius ſedis damnat, impugnátue iudicium.

Epiſcoporum Terraconẽſis prouinciæ cõmuni teſtimonio.

Eundem catholicæ eccleſiæ orthodoxum ſenſum vide num proſpicias in illis Terraconenſis prouinciæ vniuerſis epiſcopis, qui exortas inter ſe dubitationes ad Petri cathedrã referentes, ante annos vndecies ferè centenos in hæc verba ſcripſerunt ad B. Hilarium Romanum põtificem: Etiamſi, inquiunt, nulla dictaret neceſsitas eccleſiaſticæ diſciplinę, expetendum nobis reuerâ fuerat illud priuilegium ſedis veſtræ, quo ſuſceptis regni clauibus, poſt reſurrectionem ſaluatoris per totum orbem beatiſsimi Petri ſingularis prædicatio, vniuerſorum illuminationi proſpexit. Cuius ſucceſſoris principatus, ſicut eminet, ita metuẽdus eſt ab omnibus & amãdus. Proinde nos demum in vobis primitus adorantes, cui ſine querela ſeruitis, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam: inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed pontificali totum deliberatione præcipitur. Hactenus illi. Mihi ſanè idem fuiſſe & in illis videtur, quem antè audiuiſti, de ſede Apoſtolica communis catholicæ eccleſiæ ſenſus, vt agnouerint huius ſedis ſingulare priuilegium, vt non ignorauerint, vnde in occurrentibus dubijs deberent reſpõſa petere, vnde Chriſtus ipſe, tanquam de nauicula Petri, nobis perpetuò reſpõdeat. In primis enim fatentur eccleſiaſticę diſciplinæ hoc neceſsitatẽ requirere, vt quicquid toto orbe mouetur, vnde oritur aliquid turbationis aut ſcãdali in eccleſia, ad apoſtolicam ſedem hoc referendum ſit. Quæ, inquiunt, etiamſi non vrgeret neceſsitas, tamen illius ſedis priuilegium omnibus merito expetendum eſſet & conſulendum pro diſcutiendis dubitationum ac nouitatũ exortis tenebris, quo vniuerſorũ Chriſtus illuminationi proſpexit. Deinde principatũ eccleſiæ agnoſcentes & confitentes in ſucceſſoribus Petri, omnibus reuerendum atq; amandum, ad fidem recurrunt eius cathedræ, vnde nihil errore, ſed pontificali totum deliberatione præcipitur.

Epiſcoporum Numidiæ cõmuni teſtimonio.

Idem feciſſe & ſenſiſſe vniuerſos Numidię epiſcopos, teſtis eſt beatiſsimi Damaſi ad eoſdem epiſtola illa de corepiſcopis: Nõ probare, inquit, non poſſumus veſtram diligentiã circa inſtituta maiorum, qua cuncta quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad caput (vt ſemper fuit conſuetudo) deferre non deſinitis, vt inde capiatis reſponſa, vnde accepiſtis inſtitutionem & normam rectè viuendi. Vnde nec immemores vos canonũ eſſe recordamur, qui & ipſum fieri pręcipiunt. Non quaſi vobis ſciẽtiæ eccleſiaſticæ regulæ aliquid deſit, ſed vt autoritate ſedis Apoſtolicę fulti in nullo ab eius deuietis inſtitutis. Hæc ille Damaſus. In quibus audis, quid ante mille ducentos annos, requirebat antiqua & ſemper ab initio obſeruata eccleſiaſtica conſuetudo, quid regulę aut canones eccleſiaſticæ diſciplinæ: nempe vt ad caput referretur omnis vbique orta quæſtio, dubitatio, aut controuerſia.

Et quando ex vniuerſis, quæ tractabimus deinceps, non erit obſcurum intelligere catholicæ eccleſiæ conſenſum de illo ſingulari priuilegio, quod hîc adſtruimus cathedrę Petri: vnum adhuc adiungere prædictis libuit ex Oriente teſtimoniũ, ſed quod multorum inſtar erit, & in quo non erit difficile totius etiam catholicæ eccleſiæ conſenſum perſpicere, Iuſtiniani, inquam, glorioſiſsimi & verè

orthodoxi

orthodoxi Imperatoris. Qui, cũ in Oriẽtalibus partibus quidam Neſtorianam renouarent perfidiam, audi quàm religioſa, quanta cũ reuerentia id tulerit ad cathedram Petri in hæc verba ſcribens ad Ioannẽ Romanum pontificem per ſuos ad ipſum oratores Hypatium & Demetrium.

A

Victor Iuſtinianus, &c. Reddentes honorem debitũ Apoſtolicę ſedi, & veſtræ ſanctitati, qnod in votis nobis fuit, & eſt, & vt decet tanquam patrem honorãtes veſtram beatitudinem, omnia quæ ad ſtatũ eccleſiarum pertinent, feſtinamus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis. Quoniam magnũ ſemper nobis fuit ſtudiũ autoritatẽ veſtræ Apoſtolicæ ſedis, & ſtatum ſanctarũ eccleſiarum Dei cuſtodiri, quẽ hactenus obtinet, & qui incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoq́; ſacerdotes omnes Orientalis tractus, & ſubijcere, & vniri ſedi veſtræ ſanctitatis properauimus. In pręſenti ergo, quoniã ita cõmodum eſt, tametſi manifeſta videantur, quæ nunc monẽtur, & ſecundum Apoſtolicæ ſedis veſtræ doctrinam ab omnibus ſemper ſacerdotibus cuſtodita, & prędicata, neceſſariũ tamẽ duximus ad notitiam veſtræ ſanctitatis peruenire. Neq; patimur quicquid quod ad eccleſiarũ ſtatũ pertinet, quãuis manifeſtũ & indubitatum ſit quod mouetur, vt nõ etiã veſtrę innoteſcat ſanctitati, quia caput eſt omnium ſanctarũ eccleſiarũ, cui per omnia ſtudemus honorẽ & autoritatem accreſcere. Subiungens deinde, quemadmodũ à quibuſdam monachis renouaretur olim dãnata Neſtoriana perfidia: Rogamus ergo, inqnit, veſtrum paternum affectũ, vt veſtras ad nos deſtinetis literas, & ad ſanctiſsimum epiſcopum huius almæ vrbis veſtrum fratrẽ (quoniam & ipſe per Hypatium & Demetriũ ſcribit ad veſtram ſanctitatem, feſtinans in omnibus ſequi ſedẽ Apoſtolicã beatitudinis veſtrę) quibus manifeſtũ nobis faciatis, quòd omnes qui prædicta rectè cõfitẽtur, ſuſcipit veſtra ſanctitas, & eorum qui Iudaicè auſi ſunt negare fidẽ rectã, cõdemnat perfidiam: plus enim ita, & circa nos omnium amor, & veſtræ ſedis creſcet autoritas, & quæ ad vos eſt, vnitas ſanctarum eccleſiarum ſeruabitur, qnando per vos didicerint omnes beatiſsimi epiſcopi, eorum, quæ ad vos relata ſunt, ſynceram veſtræ ſanctitatis doctrinam, &c. Diuinitas te ſeruet per multos annos, ſancte & religioſiſsime pater. Hactenus ille Iuſtinianus. Sed hæc paulo citra mille annos ſcripta ſunt, inclinante iam orbe ad ſciſmata & ſeditiones grauiſsimaq́; ſcandala, Conſtantinopolitanorum pręcipuè epiſcoporum am-

B

bitione excitata, qua ſe inter Orientis eccleſias ſupra modum ſuum efferre conati ſunt. Labefactato quoq; iam plurimum eccleſiaſticæ hierarchiæ vigore. In qua, quo verſus illã primitiuam eccleſiam aſcenderis altiùs, tanto ſemper ſedis Apoſtolicę dignitatem autoritatemq́; magis viguiſſe inuenies, quãto magis ipſa viguit Chriſtiana religio. Attamen illo ipſo ſeculo vides, vt verè orthodoxus imperator ſtatũ ſanctarum eccleſiarum, qni eatenus inconcuſſe durauerat ab initio, conſeruari cupiens & ſtudens, vniuerſos Orientalis tractus ſacerdotes & epiſcopos, qui per pręcedentia (de quibus pòſt audies) ſchiſmata excitata per Acatiũ Coſtantinopolitanũ & alios qui adhuc extra cõmunionẽ remãſerãt catholicæ eccleſiæ & ſedis apoſtolicæ, eidem ſedi ſubditos rurſus & vnitos facere ſedulò curauerit. Vtq́; (quod diligenter notandum eſt) fateatur velut toti orbi euidens & notorium, vnitatem ſanctarum dei eccleſiarum cõſiſtere in earum vnitate ad Romanum pontificem. Ita enim, inquit, quæ ad vos eſt, vnitas ſanctarum eccleſiarum ſeruabitur. Præterea, vt nihil ad ſtatum ſanctarũ eccleſiarum pertinens, quamuis manifeſtum & indubitatum videretur, moueri permiſerit, incõſulto Romano pontifice omnium, vt dicit, eccleſiarũ capite. Vt doctrinam hnius ſanctæ ſedis (de quo nunc præcipuè agimus) tanquam magiſtræ rectę fidei toto orbe tenuerint, credide rint, & confeſsi fuerint omnes orthodoxi ſacerdotes & epiſcopi. Vt non ſatis habuerint Conſtantinopolitanus & Orientalium ſedium orthodoxi epiſcopi quoſdam damnatæ olim in Epheſina ſynodo Neſtorij impietati communicare, ad hoc vt à communione excluderentur fidelium, niſi ſuis literis eis ſignificaſſet Romanus pontifex, ſe quoq́; tales à ſua communione alienos habere, ſecùs autẽ ſentiẽtes recipere, vt huic orthodoxi illius Hieronymi (quã ſuprà audiſti) catholicæ ſententiæ: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt, animo fideliter acquieſcentes: ita magnopere metuentes, ne quos inconſulta temeritate damnarent, quos non damnaſſet Apoſtolicę ſedis iudicium.

C

D

Apoſtolicæ ſedis, vt magiſtræ rectæ fidei doctrinã ſecutos ſemper orthodoxos omnes.

Vides poſtremò vt nõ diſsimulãter habuerit prudẽtiſsimus alioqui victorioſiſsimuſq́; imperator, ſibi quoq; ſubditorũ erga ſeaĩos & amorẽ hinc aucupari, quod ſuo ſtudio Romani põtificis literis innoteſceret oĩbus apoſtolicę ſedis, de quibus cõſuluerat, ſentẽtia.

Epilogus demonſtratorũ hactenus.

Itaque vt hic tandem concludamus: Habes iam multifariam demonſtratum cathedræ Petri & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis ſingulare priuilegium. Primùm ex ipſa

A ratione ſocietatis eccleſiaſticę, quæ ſine hoc
omnino ſubſiſtere nō poterat, nec ad ſuum
finem attingere. Deinde ex ipſa eccleſiæ no-
ſtrę vmbra,& figura in ſynagoga veteri, à qua
ad correſpondentem ſibi euangelicæ lucis
ſoliditatem efficax eſſe argumentum oſten-
dimus.

Præterea ex ipſis ſcripturis euāgelicis, fide
libusque Chriſti ipſius verbis. Poſtremò ex
ipſa rectę intelligētię ſcripturarū amuſsi, cer
taq; regula, videlicet catholicę ipſius eccleſię
conſenſu apertaq; confeſsione.

Habes inſuper illam Chriſti fidelem pro-
miſsionem: Et portæ inferorum non preua-
lebunt aduerſus eam, non minùs pertinere
ad caput fundamentumq; eccleſiæ, atq; eius
cathedram, quàm ad catholicam deſuper æ-
dificatam eccleſiā: ſicut nō poteſt fundamen
to euerſo ſubſiſtere ædificiū, hoc ipſum com
probante rei euidētia ſubſequutisq; effecti-
bus: æquè non poſſe illius fidem deficere. In
qua perpetuò conſeruatur Apoſtolicæ tradi-
tionis fideiq; integritas atq; integra patrum
hæreditas, nulla vnquam infecta contagione
prauitatis hęreticæ, nunquam maculanda.

Habes poſtremò demonſtratum conſtabi
litumq; tertium indubiæ veritatis eorū, quæ
certa fide tenenda nobis credendaq; ſunt,
principium, nempe fidem, ſententiam, defini
B tionemq; ſedis Apoſtolicæ: quę certa eſt or-
thodoxę veritatis magiſtra & regula, talemq;
ſemper ſe exhibuit in omni turbine tempe-
ſtateq; hęretica, qua ab ipſis fundamentis &
ſedibus, vnà hac perſiſtente immobili, totus
aliquando terrarum orbis cōcuſſus commo-
tusq; eſt: quemadmodum pòſt luce clariùs
demonſtrabimus. A cuius fide & ſententia
æquè nō poteſt diſſentire catholica per orbē
eccleſia, quàm non poteſt corpus vniuerſum
à ſuo capite, à quo illi omnis ſenſus influit.

*Hæreticorum aduerſus præaſſertam catholicam, or-
thodoxamq; de priuilegio cathedræ Petri ueritatē,
calumnias obiectionesq; diſſoluere.*

CAP. VII.

VT orthodoxis omnibus reueren-
da & ſacroſancta, ita hæreticis
ſchiſmaticisq; grauis nimium, in-
uidioſaque fuit Apoſtolicæ ſedis
autoritas, vt quæ ſola ſemper vigilauit & vi-
guit aduerſus eorum perfidiam, & impijs eo-
rum conatibus obſtitit. Sed nunquam eò te-
meritatis & inſolentiæ eorum eualit ac pro-
rupit improbitas, vt palam apertoque Mar
te eius impugnarint autoritatem: quemad-
modum quidam noſtro ſeculo. Aduerſus
quos quum iam euidenter demonſtraueri-
mus illius cathedræ Chriſti oratione im- C
petratum illi ſingulare priuilegium compro
batum (vt toties audiſti) aperta catholicæ ec-
cleſiæ confeſsione, communiq; conſenſu at-
que ipſa rei euidentia: vtq; aduerſus eādem
portæ inferorum nunquam præualere pote-
rint: quid tandem habent, quod obijciant?

Sed, inquiunt: Si nunquā pręualituræ ſunt
inferorum portæ, nec aduerſus catholicam
eccleſiam ſuper Petrum ędificatam, nec ad-
uerſus fundamentum caputq; eccleſiaſtici ę-
dificij Petrum ipſiusq; ſucceſſores, & cathe-
dram: quid ergo aduerſus ſucceſſorum eius
plurimos, quos fuiſſe vita ſceleratiſsima con
ſtat, atq; adeò aduerſus Romanam illam cu-
riam, quam ſentinam malorum omnium vi-
deri volūt, in tantum præualuiſſe eaſdem vi
demus? Et hîc omnes maledicentię ſuæ ner-
uos intendit & explicat ille angelicæ caſtita
tis & ſanctimoniæ Lutherus, & quicquid vi
tiorum & impuritatis cōminiſci poteſt (quæ
ſanè non pauca illi ad manum eſt) homo ex
vitijs & conuitijs conſutus, polluto, blaſphe-
moq; ore in Apoſtolicam ſedem expuit.

At nos nullius palpamus vitia, ſed dicimus
cum beatiſsimo Auguſtino, quia iuſtos opor
tet eſſe Dei miniſtros eccleſiaſticę hierarchię
præpoſitos, ſi inſtè miniſtrare voluerint. Si
iuſti eſſe noluerint, habent ipſi iudicem ſuū,
cuius iudicium & manus nō effugient, & po- D
tentes potenter tormenta patientur. Nos ve
rò quid eo caſu facere oporteat, clariſsimè
docuit Chriſtus, dicens de ſceleratis homi-
nibus, qui cathedræ præſidebant: Super ca-
thedram, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ &
phariſæi. Omnia ergo quęcunque vobis di-
xerint, ſeruate & facite: ſed ſecundum opera
eorum nolite facere. Omnia ergo, qùia ſu-
per cathedram ſedent, & quęcunque vobis
dixerint, abſque vlla exceptione ſeruate dili
genter & facite, hoc eſt, obedite per omnia.
Vides peccata pręſidentium nō derogare pri
uilegio cathedrę: quemadmodum hoc ſuprà
euidenter demonſtrauimus.

Quare illorum reſpondentes calumnię di
cimus, illam Chriſti fidelem promiſsionem,
qua inferorum portas promiſit non præua-
lituras aduerſus eccleſiam ſuper Petrum ædi
ficatam, & conſequenti, multo minùs aduer-
ſus Petrum, vt caput fundamentumq; eccle-
ſię, de fide intelligenda eſſe, vt quę & in pe-
tra illa fundamentoq; eccleſię, & in eccleſia
ſuper eādem ędificata, integra ſemper ſynce-
raq; permanſura ſit. Nam à peccato, quandiu
in hac militia ſumus, nemo immunis, neque
eccleſiaſtici fundamentum ędificij, aut caput
hierarchię eccleſiaſticę, neque ipſa eccleſia,

quam

A quam aliud non eſſe, quàm Chriſti fidelium congregationem quãdam, ſuprà demonſtrauimus. Inter quos, cũ nemo ſit, nõ ſolum impeccabilis, ſed neq; qui opus nõ habeat quotidie etiam pro ſuo ipſius peccato deprecari Deum (Si enim, inquit ille, dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt) quomodo ergo abſq; pecccato etiam mortali noſtram hanc vindicabimus eccleſiam? Niſi in damnatam iamdudum exploſamq; eorum ſententiam reincidere voluerimus, qui omni mortali peccato contendunt nos extra eccleſiam fieri, & ab eius vnitate ſeparari. Proinde nec ſacerdotes, nec epiſcopos hoc eſſe, quod dicuntur aut habẽtur, nec vllam in eccleſia poteſtatem autoritatemq; exercere poſſe, ſi in mortalem aliquã culpam inciderũt, pluſquã cimerias tenebras inter nos inducentes, vt nec mutuo nos, nec eccleſiæ miniſtros prælatosque noſtros, ſed nec ipſam eccleſiam, vbi aut quæ ſit, poſsimus agnoſcere. Quorum cęcam impiamq; aſſertionem libro II, euidẽter confutauimus.

A peccato neminẽ hic eſſe immunẽ, nec eccleſiam.

Itaq; cùm eccleſiam intra ſe continere, nõ ſolum iam expurgatos ab omni ſcoria peccati, qui hic planè nullus eſt, niſi mẽtiatur Apoſtolus, ſed etiã multo plurimos mortalibus peccatis illaqueatos, certũ ſit, & malos permi-

B xtos bonis: quo pacto impleta erit illa Chriſti promiſsio, quòd portæ inferorũ non pręualebunt aduerſus eam, ſi quolibet peccato ſuperari eã dixerimus à portis infernalibus? Quòd ſi hìc dicas, in eccleſia ſemper eſſe mũdos à peccato aliquos, in quibus illa ſaluetur verificeturque diuina promiſsio, ſecundum quod dicit diuinum reſponſum: Adhuc reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui nõ curuauerunt genua ſua ante Baal: quo te obſecro pacto, & quos noſti inter nos mundos etiam à mortali peccato: præſertim ſi illorũ dogma recipiamus, qui nos maximè impugnant, qui inter peccatum mortale & veniale ex ſe nullam ſtatuunt differentiam? Nam ſcriptura quæ inducitur, vides à quo peccato dicat reſeruaſſe ſibi ſepties mille viros, nempe infidelitatis & idololatriæ: Qui, inquit, non curuauerunt genua ſua ante Baal, à quo peccato eccleſiam ſuam perpetuò immunem fore pollicitus eſt Chriſtus, cũ aduerſus eãdem promitteret non præualituras inferorũ portas. Sed quòd inter illa ſeptem millia nemo fuerit alteri alicui peccato obnoxius, non dixit diuinum reſponſum. Vt autem daremus, ab omni labe mortalis peccati eſſe inter nos immunes aliquos, vbi quæſo hos requiremus, ſi quando ad eccleſiam nobis reſe-

C rẽdum ſit aliquid, aut eccleſiaſtica ſacramenta petenda? vt agnoſcemus? Et nunquid hi vnus & alter, & (quod verendum eſt) admodũ pauci? præſertim hoc tempore, quo refrixit charitas, & abũdauit iniquitas, quo maximè impletum cernimus illud prophetæ: Non eſt qui faciat bonũ, non eſt ad vnum. Hi, inquã, vnus & alter in diuerſis mundi angulis forſitan latitantes, nunquid ſoli ad eccleſiam pertinebunt? Quòd ſi non ſoli, quomodo ergo verum erit non pręualere inferni portas aduerſus eccleſiam, aduerſus cuius membra penè omnia & præcipua ipſas præualuiſſe confiteris? Certum eſt enim illos vnũ & alterũ (ſi qui tamen ſunt ab omni peccato immunes) non eſſe catholicam eccleſiam, ſed vix minimam eius particulam. At aduerſus eccleſiam catholicam ædificatã ſuper Petrum, non pręualituras vnquam infernales portas promiſit Chriſtus.

De fide ergo intelligendum cõſtat, quòd ea & in petra fundamẽto eccleſiæ, & in eccleſia ſuper eandem ædificata ſemper permanſura ſit integra, cũ dixit Chriſtus: Et portę inferorum non præualebunt aduerſus eam. Pro qua audiſti etiam ſingulariter rogaſſe Chriſtum, vt pro aliorum confirmatione ea maneret integra in petra eccleſię. Quam nec in veteri illa ſynagoga defeciſſe ſignificat diuinũ illud, quod inductum eſt, reſpõſum, cùm Helias ſe ſolũ ſupereſſe ex Dei cultoribus quereretur, & adhuc quæri animam ſuam. Siquidẽ nõ ſolum ſupereſſe illum, ſed adhuc ſeptem millia ex Dei cultoribus ſupereſſe.

Fidem, nec in capite eccleſiaſticæ hierarchiæ, nec in eccleſia catholica unquã deficere.

D Conſtat ſanè etiam Petrum illum eccleſiæ caput & fundamentum, non ſolum poſt acceptam illam magnificam in eccleſia autoritatẽ, poſt acceptas claues regni cœlorum, continuò pòſt audiſſe à Chriſto: vade retro me Satana, ſcandalum mihi es, & grauiſsimè deinceps peccaſſe, ter abnegando ſuum Dominũ.

Imò ſi Luthero credimus, etiam poſt acceptum ſpiritum ſanctũ mortaliter deliquiſſe, cùm facto ſuo ſcandalizaret gentes, & Iudaizare cogeret, ob id in faciem reprehenſus à Paulo. Quo minùs de ſucceſſoribus eius mirandum eſt, ſi non fuerint omnes confirmati in gratia, ſi inueniantur fuiſſe homines peccatores. Sed ad fidem pertinet adamantina hæc, quæ promittitur, firmitas ac ſoliditas, aduerſus quam nec inferni portę, nec vlla poteſtas præualitura eſt. Quare & Petro ſua oratione impetrauit Chriſtus, nõ quidem ne peccaturus eſſet vnquam, ſed ne deficeret fides eius. Cuius equidem orationis effectum, non ad vnam eius ſingularem perſonam, ſed tanquã ad caput eccleſiaſticę hierar-

chia

A chiæ pertinere & pertinuiſſe,ex aperta clara-
q́ue cõfeſsione catholicæ Eccleſiæ ſuprà de-
monſtrauimus. Ipſa quoque comprobante
rei euideutia,Romanam eccleſiam à tramite
Apoſtolicæ traditionis nunquam aberraſſe,
nec hæreticorum nouitatibus deprauatam
ſuccubuiſſe:ſed vt in exordio normam fidei
Chriſtianæ percepit à ſuis autoribus,Apoſto
rum Chriſti principibus, illibatam ſemper
conſeruaſſe. Quod ipſum libet adhuc ſancti
illius Agathonis verbis,& vniuerſalis conci-
lij eiſdem conſentientis teſtimonio hîc ite-
rum comprobare.

Cùm totus penè Oriens infectus eſſet Mo
nothelica hęreſi,omnesq́; illæ principales ſe-
des,Alexandrina,Antiochena,& Conſtanti-
nopolitana eam ob rem à communione Apo
ſtolicæ ſedis(quæ vt ſemper,ita tunc penè ſo
la,integritatem rectæ fidei tutata eſt & cuſto
diuit)aliquandiu manſiſſent diuiſę,Conſtan
tinus religioſiſsimus imperator, quàm pri-
mùm reipublicę ſuſcepiſſet gubernacula,gra
uiter admodum ferens ita diſcerpi inconſu-
tilem nomini tunicam,omni ſtudio annixus
eſt,vt vniuerſalis ſynodus congregaretur.

Qua de re cũ ſcripſiſſet ad Domium Ro-
manum pontificem,vt ſua autoritate, & per
ſuos dignaretur adeſſe expetito cõcilio, eo-
q́ue priuſquam perſerrẽtur iam exempto re-
B bus humanis,Agatho ille factus ſucceſſor,re
cepiſſet religioſi principis literas, nihil ille
cunctatus ſuos legaros miſit ad præſatum cõ
cilium,vt eidem orthodoxæ fidei Apoſtoli-
cæ ſedis normam præſcriberenr,quam ſequi
amplectiq́; omnes deberent. Per quos in epi
ſtola,quam ea de re ſcribit Conſtantino im-
peratori præſato,& Heracleo,Tyberioq́; Au
guſtis,poſt expoſitã eis Apoſtolicę ſedis, de
quæſtione propoſita fidem ac traditionem,
ſubiungir in hæc verba:

Hæc eſt Apoſtolica atque euangelica tra-
ditio, quam tenet ſpiritalis veſtri felicißimi
imperij mater, Apoſtolica Chriſti Eccleſia,
hęc eſt mera confeſsio pietatis, hæc Chri-
ſtianæ religionis vera immaculataq́; profeſ-
ſio,&c. quam cooperator piorum laborũ ve-
ſtrorum beatus Petrus Apoſtolus tradidit,
non vt ſub modio condatur,ſed vt tuba cla-
riùs in toto orbe prædicetur, quia eius con-
feſsio à patre de cœlis eſt reuelata, pro qua à
Domino omnium beatus pronunciatus eſt.

Qui & ſpiritales oues eccleſię ab ipſo re-
demptore omnium, trina commendatione
paſcendas ſuſcepit. Cuius adnitente pręſidio
hęc Apoſtolica eius eccleſia nunquã à via ve-
ritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt.
Cuius autoritatem, vtpote Apoſtolorum o-
mnium principis, ſemper omnis catholica C
Chriſti eccleſia,& vniuerſales ſynodi fideli-
ter amplectentes, in cunctis ſequutæ ſunt.

Omnesq́; venerabiles patres,Apoſtolicam
eius doctrinam amplexi. Quam & ſancti qui-
dem doctores venerati atque ſecuti ſunt: hæ
retici autem falſis criminationum odijs in-
ſecuti,&c.

Hæc eſt enim verę fidei regula,quam & in
proſperis & aduerſis viuaciter tenuit & de-
fendit, hæc ſpiritalis mater trãquilliſsimi ve
ſtri imperij,Apoſtolica Chriſti eccleſia, quæ
per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apo
ſtolicæ traditionis nunquam erraſſe proba-
bitur,nec hęreticorum nouitatibus depraua
ta ſuccubuit,ſed vt in exordio normam fidei
Chriſtianę percepit, ab autoribus ſuis Apo-
ſtolorum Chriſti principibus illibata fine te-
nus permanet,ſecundum ipſius Domini ſal-
uatoris diuinam pollicitationem,quam diſci
pulorum ſuorum principi in ſacris euãgelijs
fatus eſt: Petre,inquiens, ecce Satanas expeti
uit vt cribraret vos ſicut qui cribrat triticũ:
ego autẽ pro te rogaui, ne deficiat fides tua.
Et tu aliquando conuerſus confirma fratres
tuos. Hæc ille Agatho. Qui iuxta illud Chri
ſti pręceptum præceſſorum ſuorum ea in re
imitatus exemplum, ea ſe ait ſcribere ad fra
trum ſuorum in eam ſynodum conuenien-
tium cõfirmationem in orthodoxa & catho D
lica fide. Cuius ſi tibi tanquã in cauſa propria
non videatur ſufficiens teſtimonium (quan
quam ſi ſcribentis autoritatem attendas, ſi
ſcripturę energiam,ſi ad quos hæc ſcripſerit,
facilè intelliges,nihil in his noui commentũ
de ſuo capite, ſed toti orbi fuiſſe hæc & con
feſſa & notoria. Nam ipſa rei euidentia eorũ,
quæ dicit, veritatem comprobat)audiſti ta-
men ſuperiùs etiã catholicæ eccleſiæ hac de
re clariſsimam conſeſsionem, tam in recõci
liatione Conſtantinopolitanę,quàm Cartha
ginẽſis eccleſię,pręterea & ex ſynodali epiſto
la Alexandrinæ ſynodi. Quin & eandem au-
di ex cenſura illius ipſius ſextæ ſynodi de
præfata Agathonis epiſtola. Ita enim in actis
eiuſdem legitur. Cùm prælecta eſſet in conci
lio dicta Agathonis epiſtola, rogarenturq́ue
vniuerſi ab imperatore pijſsimo, num illi &
ſuggeſtionibus eius, toto animo conſenti-
rẽt,primus Gregorius Cõſtantinopolitanus
epiſcopus,abiecta cõtraria,quam ante defen
derat,monothelica hęreſi, profeſſus eſt,illi
toto animo ſe aſſentiri amplectiq́; Apoſtoli-
cę ſedis fidem & ſententiam. Poſt quem & cę
teri epiſcopi omnes ſurgentes in hęc & ſimi
lia verba,pro ſe quiſq́; profeſsi ſunt, & dixe
runt: Suggeſtiones à patre noſtro Agathone,
ſan

Vide quorſũ pertineat illa Chriſti oratio pro Petro, ne eius fides defi ceret ad cõfirmãdos fratres

A ſanctiſsimo archiepiſcopo principalis ſedis antiquę Romæ,&c.tanquam à ſpiritu ſancto dictatas per os ſancti & beatiſsimi principis Apoſtolorũ Petri prædico,& digito ter beatiſsimi Agathonis ſcriptas ſuſcipio,& amplector,& ita credo,ita ſentio.Ab eis verò quos ab errore monothelico ad pœnitẽtiam receperunt, ſuæ fidei profeſsionisq; libellos exegerunt,quibus profeſsi ſunt,ſe ſimpliciter in omnibus conſentire dictę epiſtolæ ſanctiſsimi ac beatiſsimi Papæ Agathonis , & permanere in cunctis,quæ in ea continentur.

Vide ut uniuerſale concilium cõfitetur Romanã eccleſiã eſſe cathedrã Petri.

Rurſus in ſermone proſphonetico eiuſdẽ ſynodi ad Conſtantinum imperatorem, velut gratias agentes Deo, quòd per Apoſtolicam ſedẽ ipſis reſulſiſſet orthodoxa veritas: Summus, inquiunt, nobiſcũ cõcertabat Apoſtolorum princeps. Illius enim imitatorẽ & ſedis ſucceſſorem, habuimus ſautorem, & diuini ſacramenta myſterij illuſtrantem.Per literas confeſsionem tibi à Deo inſcriptam,illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & diẽ catholici dogmatis à veſpertinis partibus extulit,charta & attamentũ videbatur,& per Agathonem Petrus loquebatur.Hæc verba ſynodi ſunt.Ipſe quoq; imperator ex ſententia ſynodi,in epiſtola ad Occidẽtis epiſcopos, qui ſub Agathone conuenerant, gratulatoria de feliciter eorum quoq; opera peracta ſynodo:

B Interfuiſtis nanq; & vos,inquit,cum vniuerſali principe paſtorum, ſimul cum ipſo diuinitus loquentes,tam ſpiritu,quàm litera.Suſcepimus enim non ſolũ ex beatitudine eius, verumetiã à ſanctitudine veſtra directas nobis literas,quę prolatæ,lectę ſunt,& veritatis verum ſtylum declarauerũt, orthodoxamq́; fidem depinxerunt, &c. Idcirco omnes conſonanter mente & lingua concredimus,& ſimiliter confeſsi ſumus,& tanquam ipſius diuini Petri vocẽ, Agathonis relationẽ ſupermirati ſumus. Non enim diſcrepauit niſi vnus,&c.Hactenus ille.

Audis itaq; verbis dictæ vniuerſalis ſynodi,catholicæ eccleſiæ,cenſuram de dicta Agathonis epiſtola:tanquam enim dictatam à ſpiritu ſancto per os principis Apoſtolorum Petri,eãdem acceperũt omnes,& amplexi ſunt. Non ergo mentitus eſt, quæ in faciem totius eccleſię de huius ſedis autoritate & ſingulari priuilegio protulit & inculcat, vt Apoſtolicã euangelicamq́; traditionem,& Chriſtianę religionis veram immaculatamq́; cõfeſsionem ſemper retinuerit , nec vnquam à via veritatis deflexerit in quẽlibet prophanę nouitatis errorẽ. Vtq́; eius autoritatem,velut magiſtrã & regulam orthodoxæ fidei , ſemper omnis catholica Chriſti eccleſia,& vniuerſales ſynodi fideliter amplectentes , in cunctis ſecutæ ſint.Quin potius ex eiuſdem eccleſiæ cõſenſu confeſsioneq́; conſtat eſſe veriſsima. Non ergo ad vnã perſonam Petri pertinuit illud Chriſti oratione eidem impetratum priuilegium,ne deficeret fides eius ad fratrum confirmationem in fide , quod perpetuò in eius cathedra adeſt perſpicere: ſed tanquam ad caput eccleſiaſticæ hierarchiæ etiam in ſucceſſoribus eius cõſeruatum eſt.Quos etiam ſingulariter tuetur illa Chriſti promiſsio, qua promiſit eccleſię,cuius baſis caputq́; eſſet Petrus & eius ſucceſſores, ne inferorum portæ vnquam præualerent aduerſus eam.Per inſerorum autem portas oſtendimus infidelitatem,aut nõ rectam fidem deſignari. Vt enim fidei integritas eſt ianua aut porta,qua ingredimur ad viam perducentem ad regnum cœlorum:ita infidelitas & peruerſa fides porta eſt, per quam ingredientes rectà vadunt ad perditionem & interitum. C

Non ſolum ad cathedram Petri , ſed etiam ad ipſum & ſucceſſores eius Romanos pontifices pertinere illud Chriſti oratione eidem impetratũ priuilegium, ne quando deficere poßit eius fides ad fratrum confirmationem in fide.

CAP. VIII.

NON ſum neſcius in ipſo ſtatim limine,& noſtræ huius diſputationis ingreſſu exclamaturos quoſdam per ſe malè affectos hierarchiæ eccleſiaſticæ , adulari hic nos Romanis pontificibus , & ex hominibus Deos facere, qui negamus eos fieri poſſe hęreticos : quod cõcedit ſchola Canoniſtarum vniuerſa ex c. Si papa 40. diſtinctione, quod & Theologi omnes,quicunq; hac de re prodiderũt & ſcripſerunt aliquid.Sed nolim ita quiſquam ſibi de nobis perſuadeat.Nihil enim (ita mihi velim Chriſtum propitiũ in die iudicij)hic aut dixi , aut dicturus ſum in cuiuſquã gratiam, quàm vnius veritatis. Quam ſi non aſſequor vbiq;,certè ſtudium non defuit. Non tamen multum me mouet Canoniſtarum ille cõſenſus,qui debili arũdineoq́;(vt pòſt audies) fundamẽto innititur dicti c. Si papa.Sed hæc nobis ex certiſsimis illis, quæ ſuprà ſtabiliuimus,principijs noſtræ fidei religionisq́; eruenda ſunt, nẽpe ſcriptura canonica eiuſq́; rectę intelligentię certa inflexibiliq́; amuſſi, catholicæ eccleſiæ confeſsione , conſenſu & orthodoxa ſentẽtia: & (quod paulo antè his addidimus)Apoſtolicę ſedis certa definitione,fide & ſententia. Ex quibus quicquid nobis nõ ſtabilitur,ſeu à Canoniſtis, ſeu Theologis,non magni apud nos ponderis,aut mo- D

 menti

A menti eſt. Attamen in hac cauſa vltimo illo, quamuis certo, vt à nobis demonſtratum eſt, non vtemur principio, ne velut in cauſa propria, minus ponderis efficacięq́; habeat. Ego tamē hac in re vt nolim aliquid ſtatuere aut affirmare pertinaciùs, ita nō poſſum nō liberè etiā proferre, quicquid ex illis ipſis noſtrę fidei religioniſq́; indubitatis principijs mihi euidēter cōſequi viderur. Ceſſurus cuicunq; qui noſtris his rationibus diſſolutis certius euidentiuſq́; aliquid attulerit in cōtrarium.

Vt autem cuiq; pateat clariùs, ſeu vt ſequatur, ſi perſuaſerimus, ſeu vt improbet, ſi certius aliquid attulerit noſtra hac in re ſententiā: repetenda quædam ſunt eorum, quæ ſuperiùs demonſtrauimus. Demonſtrauimus autem omnem fidei quæſtionem, & ſubortas circa eam inter nos dubitationes & controuerſias, ad præſidentis in eccleſiaſtica hierarchia autoritatē referri neceſſariò oportere, illiusq́; definiri iudicio: quod oēs ſequi neceſſe eſſet, ſi modò in lege, religione, fideq́; chriſti idem dicere & ſentire omnes debeamus, imò ſi vlla debuit eſſe Eccleſia. Quandoquidem ſine illo futuræ erant tot hæreſes, quot capita, quot deniq; Chriſtiani. Quare & præſidem, ſingulari aliquo munitam, conſeruatamq́ue oportuit priuilegio, quæ in alijs omnibus orthodoxæ fidei eſſe debuit & regu-

B la & magiſtra. Alioqui, ſi & ipſe, ſicut vnuſquilibet noſtrûm, errare permitteretur in fide, ad quē omnis inter nos fidei quęſtio reſerenda eſt, & cuius omnes ſequi oportet iudicium & ſentētiam: quid reſtaret, quàm vt cæcis cæcus dux factus, nos vnà omnes ſecū in foueam traheret? Quo igitur pacto ſuæ Chriſtus rectè, ſufficienterq; prouidiſſet Eccleſię? Sed vt hac in re diligētiſsimè prouiſum erat etiam illi ſynagogæ veteri, figuræ atq; adeò vmbræ noſtræ eccleſiæ: ita Chriſtum non minorem habuiſſe curam ſuæ ſponſæ dilectiſsimę, ſed & in hoc, & in alijs omnibus eidē prouidiſſe ſufficiēter, ſatis ſuperq; etiam demonſtrauimus. Quare nō abs re pro vno rogauit Petro, ne deficeret fides eius, quô reliquos confirmaret in fide. Cuius orationis effectū, ad ipſum ptinuiſſe tanq̄ ad caput hierarchiæ eccleſiaſticę, proinde etiā ad ſucceſſores eius, non verò tanquā ad vnam perſonā eius Simonem Ioannis filium, vt apertè indicat illa oratio Chriſti pro vno Petro inter omnes Apoſtolos, quamuis pręſentes, ſingularitas: ita ex illa rectę intelligētię ſcripturarum amuſſi cōmuni catholicę eccleſiæ ſenſu luce clariùs ſuprà à nobis demonſtratum eſt. Neq; enim illius tantùm puſilli gregis curā geſsit Chriſtus, ſed multò magis huius ſuæ in vniuerſum orbem propagandæ eccleſiæ neceſsitati proſpexit. Hoc in primis certum eſt, quod &

C ipſa comprobauit rei euidentia, & totius per orbem catholicę eccleſiæ, quam toties audiuiſti, cōfeſsio & recognitio, quòd vna cathedra Petri, ſpeciali conſeruata diuinę protectionis priuilegio, nullā vnquā hæreticę nouitatis contagione infecta fuerit, ſed normam orthodoxæ fidei, vt eam à principio accepit ab ipſis Apoſtolorū principibus, illibatam cuſtodierit ſemper, diuinę illi promiſsioni hoc referētes acceptū, qua Petro Chriſtus promiſit, ne deficeret fides eius ad cōfirmandos fratres in fide, adeò vt Orientales illæ Eccleſiæ reuertētes à ſciſmate ad gremiū catholicę eccleſię (quod in Conſtantinopolitana, Carthaginenſi, & alijs pleriſq; oſtēdimus) non dubitauerint ad hāc ſe fidei profeſsionem, etiam anathemate in ſe dicto, perpetuò adſtringere: vt firmiter crederent, nō poſſe domini noſtri Ieſu Chriſti pretermitti ſententiam, quæ Petrum petram ſuperędificandę eccleſię pronunciat, nec inferorū portas aduerſus eandē pualere poſſe, q̄ illi adhęret, vt capiti, & velut fundamēto inſeparabiliter vnitur ędificium, quandoquidem eam conſtet rerum comprobari effectibus: Quoniam, inquiunt, in Apoſtolica ſede inuiolabilis ſemper fides catholica cuſtoditur. Quare ad illā, vt ſacri illius Ire-

Secunda ratio ante demonſtrato & totius eccleſiæ cōfeſſo indefectibilis fidei priuilegio cathedræ Apoſtolicæ.

D nęi verbis dicam, neceſſe eſt omnem cōuenire eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vbiq; fideles, in qua, inquit, ſemper conſeruata eſt ea, quę eſt ab Apoſtolis, traditio.

Si autem cathedrę Petri hoc eſt certum, & ab vniuerſa Chriſti eccleſia ab initio recognitum priuilegium, multo magis eſt ipſius Petri, vt eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis. Nam pro Petro rogauit, non pro eius cathedra Romana eccleſia. Cum Petro venit ſedi priuilegium, & non contrà. Quod verò Petri eſt vt Eccleſiaſticę Hierarchiæ capitis, æquè ad ſucceſſores eius omnes pertinere indubitatum eſt.

Nec minùs efficaciter probare mihi videtur indefectibilem fidem Petri & ſucceſſorū eius eccleſiaſticę hierarchię pręſidum, diuinum illud promiſſum, quo pollicetur Chriſtus non pręualituras inferorum portas, hoc eſt, vt pręcedenti capite demōſtrauimus, infidelitatem aut peruerſam fidem aduerſus eccleſiam, quę Petrum caput fundamentumq́; habeat. Nam ſi nec hęreſis nec infidelitas pręualebit aduerſus eccleſiam, quę Petro fundamento innititur, & cohęret vt capiti: quomodo hęc pręualebunt aduerſus illud fundamentum & caput eccleſię? Si enim aduerſus fundamentum pręualent, ſi hoc euertunt,

A tunt, quo pacto ſtabit ædificium? Quomodo ſubſiſtet illa catholicæ eccleſiæ fides & confeſſio, quæ diuino illi promiſſo rerũ euidentiã, effectumq́; profitetur ſubſcribere? Quomodo in vna Apoſtolica ſede inuiolabilis ſemper cõſeruata eſt orthodoxa fides, quam accepit ab Apoſtolis, ſi eius caput hæretica contagione ſubinde fuit obnoxium?

Scribit beatiſsimus Gregorius aduerſus Ioannis Conſtantinopolitani epiſcopi, qui œcumenicum & vniuerſalem ſe faciebat patriarcham, ſtultiſsimam inſolentiam, ad Mauritium imperatorẽ: Certè, inquit, multos Cõſtantinopolitanę eccleſiæ in hęreſeos voraginem incidiſſe nouimus ſacerdotes: & non ſolùm hęreticos, ſed etiam hęreſiarchas factos, hoc ipſum demonſtrans in Neſtorio & Macedonio Conſtantinopolitanis epiſcopis. Si igitur, inquit, illud nomẽ vniuerſalis epiſcopi, in ea eccleſia ſibi quiſquam arripit, vniuerſa eccleſia, quod abſit, à ſuo ſtatu corruit, cùm is qui appellatur vniuerſalis, cadit. Vides quid ille dicat doctor & pontifex ſanctiſsimus: Vniuerſam videlicet eccleſiam à ſuo ſtatu corruere, ſi ille cui vniuerſę cura, epiſcopatusq́; commiſſus eſt, in hæreſim cadat.

B *Quarta ex neceſsitate conſeruandæ in finem legis euangelicæ.*

Demonſtratum eſt ſuperiùs, legiſlatorem noſtrum Chriſtũ, non ſcripto, vt illum veterem Moyſen, ſed viua tantùm Apoſtolorum traditione, legem ſuam ab initio commẽdaſſe eccleſijs: Quam tamen immutatam, incorrũptamq́; perdurare in finẽ erat omnino neceſſarium, id quod diligentiſsimè perſcriptis legibus admodum eſt difficile. At viua tantũ traditione commẽdatam, neq; vni alicui, cognatoque populo, ſed totius orbis nationibus, tanta linguarum, morum, inſtitutionum diuerſitate viuẽtibus, inter tot hæreticorum horrendas tempeſtates, quibus ab ipſis penè fundamentis vniuerſam ſæpe eccleſiam commotam pòſt intelliges, conſeruari eandẽ erat prorſus impoſsibile: niſi in vna aliqua totius orbis ſede (quam ſuprà demõſtrauimus eſſe cathedram Petri Romanam eccleſiam) ſingulari priuilegio conſeruata fuiſſet, ad quam in eiuſmodi fluctibus, tempeſtatibusq́ue reſpicientes orthodoxi, ſe poſſent eripere à naufragio. Vt autem ea conſeruari potuerit, nec imaginari eſt, niſi eo, quo videmus, modo, perenni videlicet ſucceſsione orthodoxorum ſibi mutuo ſuccedentium epiſcoporum, ab ipſis Apoſtolis ad finem vſq; ſeculi, per quos velut per manus tradita Apoſtolica illa traditio perueniret ad poſteros. Quam equidem ſucceſsionem indeficientem, & in vna hac ſede ad præſentem vſque diem conſeruatam, à beatiſsimo principe Apoſtolorũ Petro ad ſua vſque tempora enumerans ille ſacer Irenæus: Hæc, inquit, ſucceſsio eſt pleniſsima oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem fidem perdurare in eccleſijs, quæ eſt ab Apoſtolis tradita, conſeruataq́; in veritate. In qua ſucceſsione ſi interueniſſent hæretici epiſcopi, per quos hæretica contagione inſecta fuiſſet illa Apoſtolica traditio, quo pacto eſſe poſſet oſtenſio pleniſsima (quemadmodum ille tanta cum fiducia profert aduerſus hæreticos) conſeruatę per eam integritatis ſidei & traditionis Apoſtolicæ? Nam ęgrotũ & peſtilens caput quàm citò vniuerſum corpus inficiat, quis non intelligit? C

Quinta ex ipſis uerbis Chriſti, quibus aſfirmat ſe rogaſſe pro Petro, ne fides eius deficeret.

Iam & illud perpende, ad eundem pertinere effectũ illius orationis Chriſti pro Petro de indeſectibili eius fide, ad quem pertinet reliquos confirmare in fide. Sed hoc erat & eſt Petri, vt eccleſiaſticæ hierarchię capitis, & ſucceſſorum eius: non cathedrę, ſed ſedentis in cathedra. Quare & idẽ præcepit Chriſtus vt diligenter ſeruemus, & faciamus omnia, quæcunq; nobis dixerint, qui ſedent ſuper cathedram. Non enim loquitur cathedra, ſed qui ſedent in cathedra. Hinc ſuprà audiſti, ſanctiſsimi pontifices vt ſui memores officij cunctos ſemper toto orbe Chriſtianos fratres, quoties per hęreticos exagitata fides eſt cõfirmauerint in fide. Ita ille glorioſus Chriſti martyr & pontifex Lucius, ad vniuerſos D ſcribens Occidentis per Gallias & Hiſpanias epiſcopos, poſtquã eorundem conſultis reſpondit, hortatuſq́; eſt, vt fidem, ſentẽtiamq́; Apoſtolicæ ſedis firmiter ſequantur, vt quæ per omnipotentis Dei gratiã, Apoſtolicę traditionis ſemper conſeruauit integritatẽ, quę nulla apud eandem vnquam infecta eſt nouitate contagionis hæreticæ. Idq́; Chriſti oratione impetrato illi ſingulari priuilegio in Petro, ne fides eius deficeret, cui & præcepit confirmare fratres in fide: tanquã hoc ipſum ſibi & omnibus eidem cathedræ præſidentibus dictũ intelligẽs, ſubdit: Quod Apoſtolicos meæ exiguitatis prædeceſſores cõfidẽter feciſſe, cunctis ſemper eſt cognitum. Quorũ & puſillitas mea, licet impar & minima, pro ſuſcepto tamẽ diuina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere. Væ enim erit nobis, qui huius miniſterij onus ſuſceprũ habemus, ſi veritatem fidei ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quam Apoſtoli pędicauerunt, prędicare neglexerimus. Væ erit nobis, ſi ſilentio veritatẽ oppreſſerimus. Hæc longè ante mille ducentos annos ille Lucius, in facie totius eccleſię prędicans cunctis toto orbe notoriũ ad Petrum, ſucceſſoreſq́; eius pertinere illud Chriſti pręceptũ de cõfirmandis fratribus in

A fide,vniuerſamq́; ſemper recognouiſſe Chri
ſti eccleſiã,ad cathedræ Petri & eccleſiaſticæ
hierarchię præſidum officiũ, hoc ipſum per-
tinere.Ad eoſdem ergo neceſſe eſt præcipuè
pertineat illius orationis Chriſti pro indefe
ctibili fide Petri effectus,vt quę planè eſt ne-
ceſſaria ad alios conrfimandos in fide.

Iam & hæc mihi ratio haud videtur ineffi-
cax ad demonſtrandũ, quòd caput eccleſiaſti
cæ hierarchię eſſe nõ poſsit hęreticus. Siqui-
dẽ æquè hęreticus ac ſchiſmaticus,ſuo ipſius
facto, aut per ſeipſum diuiſus eſt à corpore
catholicæ eccleſię,quare nec cõmunicare eiſ-
dẽ,ſed eos deuitare,atq; ab eis ſeparari nobis
pręcipiũt Apoſtolicę literę:Hęreticũ,inquit,
hominẽ poſt vnã & alterã correptionẽ deui-
ta.Et rurſus:Rogamus vos fratres,vt ſubtra-
hatis vos ab omni fratre ambulãte inordina-
tè,& nõ ſecundũ doctrinam q̃ accepiſtis. Sed
nullo caſu nobis licet nos ſeparare ac diuide
re à capite eccleſiaſtici corporis,à quo diuidi
ſeparariq́;,eſt eſſe ſchiſmaticũ.Nã Petrũ Chri
ſtus eccleſiæ caput pronũcians,petrę eidẽ co-
gnomẽ impoſuit, addiditq́; ſuper eã petram
ſe ædificaturũ eccleſiã ſuam,aduerſus q̃ inſe-
rorum portę nõ pręualerẽt.Illis ipſis verbis
clariſsimè ſignificans,quicquid illi capiti in-
diſſolubili vnitatis vinculo non cohæreret,
nõ vniretur,ac veluti fundamento ſuo ędifi-
ciũ nõ inniteretur,ad eccleſiã ſuam nõ magis
B pertinere,q̃ ad ædificiũ, ſi qua eius pars à ſuo
fundamento auulſa iaceret , atq; aduerſus i-
pſum iã pręualuiſſe portas inſerorũ.quare eſ
ſe omnino non poteſt, vt ſit papa hæreticus.

Confirmatur iſtud etiã ex eo,quòd cõcor-
di ſanctorum patrũ ſententia, hæreticus aut
ſchiſmaticus nullam habeat autoritatem aut
poteſtatẽ eccleſiaſticam, tanquã diuiſus à ca-
pite eccleſiaſtici corporis, à quo omnis eccle
ſiaſtica alligãdi, ſoluẽdi , paſcendiq́; gregem
dominicum autoritas,in mẽbra influit ad ędi
ficationem totius corporis.

Ita glorioſus ille Chriſti martyr & põtifex
Cyprianus dicit vniuerſos hęreticos nihil ha
bere iuris aut poteſtatis eccleſiaſticæ,& pro-
pterea Nouatianũ,qui nec vnitatem ſpiritus,
nec cõmunionẽ pacis obſeruat, & ſe ab eccle
ſiæ vinculo & collegio ſeparat, nec epiſcopi
poteſtatẽ habere poſſe, nec honorẽ.Ita quo-
que eruditiſsimus ille & inſignis Chriſti con
feſſor Hilarius,orthodoxã fidem dicit eccle-
ſiæ fundamẽtum , eandẽ habere claues regni
cœleſtis,& poteſtatẽ,vt quicq̃d ligauerit aut
ſoluerit,ligatũ,ſolutumq́; ſit in cœlis.Hac ip-
ſa locutionis figura ſignificans orthodoxã fi
dẽ in capite eccleſiaſtici corporis,cui cõmen
datę ſunt claues regni cœleſtis,cui data ligan
di,ſoluendiq́; illa ſupereminẽs poteſtas, eſſe C
planè neceſſariã, & ita neceſſariã, vt ſine hac
prędicta nõ poſsint ſubſiſtere.Ita quoq; ſan-
ctiſsimns Amb.dicẽs Dñm par ius & ſoluẽdi De Trini.lib.
eſſe voluiſſe & ligãdi,ſubdit:Certũ eſt,quod 6.In Paſto.g
eccleſię vtrũq; licet, hęreſis vtrũq; nõ habet.
Ita D.Aug.in Sermo.de Paſto. tractans illnd
Cãticorũ:Paſce hœdos meos. Manẽti,inquit,
Petro dicitur:Paſce oues meas.Exeunti hęre
tico dicit:Paſce hœdos tuos.Ex quib' omni-
bus clariſsimè cõſtat nihil autoritatis aut po
teſtatis eccleſiaſticę ſuper Chriſti corpus my
ſticum pertinere ad hæreticos. Ergo contra-
dictionẽ planiſsimè implicaret, eccleſiaſticæ
hierarchiæ caput eſſe hęreticum.Nam ſi hęre
ticus,iam nec ſoluẽdi,ligandiq́; ius aut pote-
ſtatẽ habebit, aut vllam autoritatẽ paſcẽdi ec
cleſiã: contrà,ſi caput eccleſię,cõſiſtit in ipſo
totius illius poteſtatis, fontalis quædã,vt ſic
dicam, plenitudo, per ipſum deriuata in alia
mẽbra eccleſię,habebitq́; neceſſariò ſupere-
minẽtẽ illã poteſtatẽ ligãdi & ſoluẽdi,vniuer
ſiq́; paſtoralis offitij ſup vniuerſam eccleſiã.

Aduerſus iſta nihil me mouet, quòd quidã
ex illo Romanorũ pontificũ catalogo, hęreti
cos quoſdã nobis proſerunt & obijciũt.Qni-
nimo,quoniã etiam illi ipſi, quos momica ac
planè maligna in omnes facta inquiſitione
nobis vt hęreticos obijciunt,inueniũtur ſuiſ
ſe verè orthodoxi,& ab omni nota hęreſis lõ
giſsimè abſuiſſe: certiſſimũ inde mihi argu- D
mentũ eſt,ipſam rei euidẽtiã ſubſcribere no-
ſtrę ſentẽtię:& ſicut ab initio à beatiſſ.Petro,
ad Paulũ vſq; tertiũ,his annis 1500.nemo fuit
hæreticus eccleſiaſticę hierarchię & Apoſtoli-
cę cathedrę p̃ſidens, ipſos p̃ſeruãte ſingulari
illo Chriſti oratiõe ipſis impetrato priuilegio
ita iuxta ęternę veritatis indefectibile promiſ
ſum,ad finẽ vſq; fore, nihil dubitandum eſt.

Quos hęreſis notãt ex vniuerſo illo Roma *Qui ex Rom.*
norum pontificũ catalogo,hi fere ſunt:Mar- *põtificibus ab*
cellinus, Lyberius , Felix II. Anaſtaſius II.& *indoctis notẽ*
Ioannes XXII. Quibus etiã Benedictũ XI. *tur hæreſeos.*
annumerãt quidã,ſed neſcio quo colore.In-
ter quos nolo p̃terire Honoriũ I.nõ,quòd à
quoquã eorum,qui nobis aduerſantur,inter
hæreticos põtifices cõnumeratũ inuenerim,
vt cui omnes etiam hiſtorię ſanctitatis,& or-
thodoxæ fidei teſtimonium luculẽtiſsimum
perhibent:ſed quoniam hac nota inuri vide-
tur à ſexta vniuerſali ſynodo Cõſtantinopo-
litana tertia,vt eundem ab hac nota vindicẽ.

Marcellinũ autẽ ideo hoc carbone notant,
quòd in horribili illa ſub Diocletiano & Ma
ximiniano mota perſecutione carnificũ vio-
lẽtia ad impia pertractus ſacrificia ſuccubuit,
crudeliſsimorumq́; tormentorũ metu, & nõ
ſim-

Tit.3.
Theſſ.3.

A ſimplici mortis genere victus, thura adole-
uit,ariſq; iniecit. Sed non erat hic hæreticus,
fidem tectam non amiſerat, quamuis in con
feſsione ſuæ fidei aduerſus intẽtata tormen
ta & ſupplicia, ſatis cõſtans, fortiſq; non fue-
rit, & Chriſti per hoc ſcandalizauerit eccle-
ſiam. Quam tamen cõtinuò ad cor reuerſus,
ſuę infirmitatis grauiſsimè pœnitens, confeſ
ſionis ſuæ vſq; ad mortem ędificauit conſtan
tia, & effuſo pro fidei confeſsione ſanguine,
confirmauit in fide, glorioſo conſummatus
martyrio.

Lyberio etiã mendaciſsimè impingi crimen hæreſis.

Lyberio etiam mendaciſsimè impingunt
quidam crimen hęreſis, cuius extant pro or-
thodoxa fide glorioſa certamina, extãt perſe
cutiones & exilia: quæ ob rectę fidei defen-
ſionem ab hæreticis imperatoribus pertulit.
Et quamuis credant nonnulli ex tribus ver-
bis, quę adſcribuntur Hieronymo, ipſum vi-
ctum exilij tædio, hæreticorum ſe polluiſſe
communione, falſum eſſe hoc ipſum & ſubdi
ticium ab aliquo, neſcio quo, ſeu dolo, ſeu i-
gnorantia inſartum (quod in Chronicis il-
lis, in quibus geſta non oratione continua
explicantur, ſed ſingulis verbis è regione ſui
cuiuſq; anni annotãtur, eſt facillimum, nec
ita orationis ſeries coarguit falſarium) eorũ-
dem temporũ indubitatę fidei demonſtrant
B hiſtoriæ: quę non ſolùm actorũ, geſtorumq;
ſubſtantiam, ſed & ipſa verba vtrinque dicta
& excepta à præſentibus & audientibus, cer-
ta fide ad nos protulerunt. Quam hìc adſcri-
bemus ex Theodoreto illo Cyrenẽſi epiſco
po, Græco autore (quò maiorẽ fidem habeas
de fide & præconijs Romani põtificis) & eo-
rundem ferè temporum ſcriptore, qui libro
ſecundo hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ perſecu-
tionis, quæ ab Arrianis toto orbe orthodo-
xis excitata eſt, mentionem faciens: Lubet,
inquit, narrationi intertexere liberrimas vo
ces laudatiſsimi Lyberij, & admirabilem ſer-
monem habitum cũ imperatore Conſtãtio,
quos illius temporis amantiſsimi Dei perſcri
pſere, qui acuere atq; excitare ſtudium ama-
torum diuinarum rerum facilè poſſunt. Sub-
ijciens deinde illum eius cum Cõſtantio ſer
monem, qui eidem conatus eſt perſuadere,
vt ſubſcriberet in damnationem Athanaſij,
orthodoxæ fidei propugnatoris, cùm vince-
re non poſſet inuictum, damnat exilio, rele-
gari præcipiens Beroeam Thraciæ. Athleta
quidem, inquit, veritatis victorię compos, in
Thraciam (vt imperatum fuerat) venit. Poſt
annos autem duos, cùm Romę eſſet Conſtã-
tius, magiſtratuum & primariorum ciuiũ cõ
iuges obſecrant maritos, vt ſupplicent Con-
ſtantio pro paſtore, quò reſtituatur eccleſiæ
ſuæ: ſeque niſi impetraſſent, deſertis ipſis, ad C
magnum illum paſtorem ituras minantur.
Qui reſponderunt, ſe formidare iracundiam
imperatoris, ſibiq; nõ magnam eſſe ſpem ve-
niæ, quòd viri eſſent: Vos autem, inquiunt, ſi
ſupplicetis, illa nõ lædet. Et horum alterum
conſequemini, vt aut admittat deprecationẽ
veſtram, aut certè nullo malo affectas dimit
tat. Hac via demõſtrata, accedunt, inq̃t, lauda
biles matronę ad imperatorẽ, pretioſiſsimis
veſtibus ornatæ, quò magis imperator nobi-
les ratus, precibus, volũtatiq; ipſarũ gereret
morem. Erat autem deprecatio talis: Miſere-
ri vellet tantæ ciuitatis ſpoliatæ paſtore ſuo,
& expoſitæ luporum inſidijs. Sed imperator
reſpondit, non illam paſtore alio egere, quæ
prudentem, bonumq; haberet: fuerat equi-
dem creatus poſt Lyberium vnus ex diaconis
illius vir fidelis, Felix nomine, qui incorru-
ptam quidem ſeruabat Niceæ expoſitam fi-
dem, ſed violatoribus eius coniungi non ve-
tebatur. Nemo tamen omnium ciuium Ro-
manorum in ędem orationis ingreſſus eſt, cũ
ipſe intus foret. Quod ipſum & matronæ tũ
regi ſignificarũt. Itaque flecti ſe paſſus, iuſſit
optimum quidem Lyberium de exilio reuo
cari: ſed amborum eſſe communem Eccleſię
adminiſtrationem. His lectis literis in circo, D
exclamauit multitudo egregiã eſſe imperato
ris ſententiam, qui ſpectatoribus in duas par
tes diuiſis, & à colore cognominatis, his vnũ,
itemq; alteris vnum, præficeret. Ita dicterijs
inceſſentes imperatoris literas, exclamãt vna
voce (nam voces, inquit, ipſas ponere viſum
eſt) vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Epiſco-
pus. Poſt has amantiſsimas Chriſti plebis vo
ces reuertitur admirabilis Lyberius, cui ce-
dens Felix in aliam vrbem ſe contulit. Hacte
nus Theodoretus ille.

Vides itaque Chriſtiane lector, quales hi
hæreticos nobis Rom. pontifices obijciant,
hoc eſt, glorioſiſſimum Chriſti cõfeſſorem,
& qui inuictus permanſit veritatis athleta,
compos victoriæ. Quanquam vt daretur ſe
polluiſſe hęreticorum communione, victum
exilij tædio: ex hoc tamen conſequens nõ eſ-
ſet, fuiſſe hæreticum: ſicut nec Marcellinum,
qui eo tempore victus metu tormentorum,
non fuit ſatis conſtans ac fortis Chriſti cõfeſ
ſor: at hæreticum fuiſſe nunquam ſanè pro-
babitur. Eſt enim hæreſis, non morum, non
cõfeſsionis, ſed fidei vitium, quo quis ſingu-
lare aliquid à cõmuni catholicæ eccleſię fide
ac ſententia eligit, ac proinde ſeipſum ab ec
cleſia ſeparat, qua ſe rectiùs ſentire, credere-
que pręſumit, & ob id hęreſis, hoc eſt, electio
(quemadmodum ſuperiùs pleniùs demõſtra

A uimus)hand inſignificanter appellatur. Cni quod pertinaciam addunt nonnulli,tãquam ad eſſentiam eius, definitionemq́; pertinens, nihil quidem addunt extraneum, ſed tamen quod in finitione prædicta ſatis includitur. Electio ſiquidem nouitatis alicuius, aut ſingularis opinionis à communi Eccleſiæ ſententia, certum ſtudium, ſcientiamq́; importat, & quod appoſitum teneat communis Eccleſiæ ſentẽtia, & quod quærat,eligat,aut ſequatur ſingulare aliquid ac proprium. Quod qui facit, certum non eſt auditurum corripientem Eccleſiam, admonentemq́ue ab eius cõmuni ſententia & opinione nõ recedere: ſed dicturum id,quod Hęreticorum eſt propriũ,ex ſcripturis inſtrui, conuinciq́; ſe velle,quas pręſumit ſe rectiùs intelligere,quàm communis Eccleſia. Itaque iam pertinaciam illam ſecum habet,qua adeò Eccleſiæ ſententiæ ſe non ſubijcit, vt ſciens,eligensq́; ei contradicat. De qua tum demum certi erimus,ſi poſt vnam,alterámue correptionẽ, vt inquit Apoſtolus, non diſputationem, in ſua perſiſtat ſententia. Qui verò in errorem aliquem incidit,diſcrepantem quidem ab orthodoxa catholicæ Eccleſiæ ſententia,intra tamen arcam catholicæ Eccleſiæ ſe continens, & fide generali eidem ſemper conſentiens,& ignorans ſe aberrare à communi eius fide & ſententia, de qua, quàm citò admonetur, quàm citò fit certior, continuò abiecto illo ſingulari aut proprio, communem Eccleſiæ ſententiam ſequitur: is (quemadmodum de ſe dicit Diuus Auguſtinus) errare equidem poteſt,at Hæreticus eſſe nõ poteſt. Sed hæc paulo longiùs nos protraxerũt ab inſtituto. Itaque in Marcellino& Lyberio nec minima hęreſis nota deprehenditur.

Error in fide ſine crimine hereſis.

B

Felicem II. in hoc albo qui adſcribunt, vocem propriã conuincuntur non intelligere, ſed odio in Romanam Eccleſiam congerere, quicquid fortè inciderit,etiãſi ſeipſum protinus falſitatis coarguat. Conſtat enim Felicem I. ſub Probo imperatore glorioſo conſummatum martyrio, circa annum Domini 285. Felix II. ſub Zenone præſuit Chriſti Eccleſię circa annum nomini 486. Is ille eſt,qui in Acatium Conſtantinopolitanum Antiſtitem protulit condemnationis ſententiã. Cuius tragœdiam aliquanto pòſt explicabimus. Inter hos nemo intercidit Romanus pontifex eius nominis. Niſi fortè ab Hæretico imperatore Conſtantino ſubſtitutum illi, cùm pro fide orthodoxa & catholica exularet, Lyberio, quis adſcribat Romanorũ pontificum catalogo. Quod qui facit, ſuam ignorantiam prodit: cùm certum ſit illum non fuiſſe Romanæ Eccleſiæ pontificem, adhuc viuo Lyberio, indubitato eius pontifice, hoc ipſum cõteſtãte orthodoxo Romano populo, qui illi' cõmmunionẽ,vt nothi & ſuperintruſi ab hæretico ſemper declinauit: quẽadmodum paulo antè audiſti, referente Theodoreto. Hic itaq; ſi illi ſimilis fuiſſet, à quo cathedrę Petri cõtra ius,fas & eccleſiaſticos canones intruſus fuerat, imperatori Arriano & hęretico, nihil ſanè mirandũ hoc fuiſſet, nec quicq̃ derogaret priuilegio,quod ſuprà adſtruximus, Apoſtolicę cathedrę atq; eidẽ pręſidentiũ. Sed Chriſto gratię, quòd nec is ille ipſe hæreſeos à quoquam infamatus ſit, quanquã variẽt de illo hiſtorię, quòd quidam (quemadmodum ex Theodoreto audiſti) tametſi integram fidem, ſicut Niceæ expoſita fuerat, inconcuſſe illum conſeruaſſe affirment, communicaſſe tamen aſſerũt hęreticis: alij negãt hoc ipſum, Imò tam conſtantem orthodoxæ fidei aſſertorem prædicant, vt aliquanto poſt reditum Lyberij,& poſtquã Roma ceſſaret, affirment illum etiam martyrio coronatum ab hæreticis. In qua ſentẽtia eſt beatus Antoninus Florentinus archiepiſcopus. Vides itaq; impugnator priuilegij apoſtolicę cathedrę, quales nobis hęreticos proferas Romanos põtifices?

Error aduerſariorũ in nomine Felicis II.

C

Anaſtaſium ſecundum pontificẽ ſanctum & orthodoxũ infamat Gratianus ille decretorum compilator (vt multa collegit & congeſsit ſine iudicio) qui ex neſcio qua cõficta & mẽdaciſsima hiſtoria geſtorum Romanorum pontificum hanc de illo fabulam adſcribit,& ſuæ illi compilationi inſeruit 19. diſtinctione, c. Anaſtaſius, his verbis:

D

Anaſtaſius ſecundus natione Romanus, fuit temporibus Theodorici regis. Eodem tempore ſe multi clerici à cõmunione ipſius abegerunt, eo quòd communicaſſet ſine concilio epiſcoporum vel presbyterorum & clericorum cunctę catholicæ eccleſiæ, diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communicauerat Acatio. Et quia voluit occultè reuocare Acatium, quod non potuit, nutu diuino percuſſus eſt. Hactenus ille ex ſua illa hiſtoria. Cui gloſſa modum explicans, quo diuina vltione perierit (vt dignum eſſet patellę cooperculũ, iuxta prouerbiũ) addit, effuſis inteſtinis dum aſſellaret. Ita enim de quodam hæretico, oblitus fortaſsis nominis, audiſſe ſe ſomniarat gloſſator ille, aut potiùs, nugator temerarius. Eadem inſulſit idẽ ille Gratianus prima quæſtione prima, c. Dictum eſt. Hunc itaq; Anaſtaſium, idem affirmat fauore imperatoris Anaſtaſij, qnos Acatius ille Cõſtantinopolitanus, poſt in ſe prolatam damnationis ſentẽtiam, ſacerdotes vel

Leuitas

A Leuitas ordinauerat,acceptis offitijs rite fungi poſſe,malè decreuiſſe, ſubiecta parte eius decretalis epiſtolæ in c.ſecundum,eadem diſtinctione. Qua recitata ſubiungit in hęc verba.Quia ergo illicitè & nó canonicè,ſed contra Dei decreta,& prędeceſſorum & ſucceſſorum ſuorum hic reſcripta dedit,vt probat Felix & Gelaſius,qui Acatium antè excommunicauerũt,& Hormiſda,qui ab Anaſtaſio tertius,eũdem Acatium poſtea damnauit, ideo ab eccleſia Romana repudiatur,& à oeo percuſſus legitur.In eius fidem ſubijciés, quam paulo antè deſcripſimus hiſtoriã, aut veriùs fabulam.Et hęc vnus ſcribens poſt alium,cęcus cæcum ducit in foueam.Qui tamen ſi vel paululum aperirent oculos,viderent luce clariùs,quàm impudés & ſeipſum euertés mendacium cótineat hæc fabula. Quid enim hoc probabilitatis habere poteſt, Anaſtaſium conatum reuocare Acatium,quamuis non potuerit:& ob id diuino percuſſum iudicio, cũ certò conſtet rebus humanis iamdudum exemptum hunc,priuſquam ille ad Romanę eccleſiæ pontificatũ aſſumeretur?Quod ipſum etiam illa ipſa teſtatur eius decretalis epiſtola,quam ſcribit ad imperatorem Anaſtaſium, vnde hanc ipſam illi ſtruunt calumniam.Sed poſt mortem,inquis,eius voluit reuocare A-

B catium. Expectabam, vt diceres voluiſſe illũ reuocare à mortuis.quòd verò poſt mortem illum reuocare voluerit, nó habet citata illa à Gratiano hiſtoria,ſed dicit,quòd voluit occultè reuocare Acatium. Sed quòd nec memoriæ eius ſuccurrere voluerit, aut eandem reuocare ad communionem catholicę Eccleſiæ,eadem illa eius epiſtola etiam teſtis eſt. In qua orat principem, vt conſentiat nomen eius in perpetuum aboleri à catholica Chriſti eccleſia,vt cui illud ipſum multis ex cauſis magno offendiculo & ſcãdalo fuerit, quemadmodũ paulo pòſt audies.Iam & hoc quid, obſecro,probabilitatis habet,quod eſt in eadem fabula, magnam cleri partem ſe ſubtraxiſſe à communione Romani pontificis, eccleſiaſticę hierarchiæ capitis, quòd ſine concilio epiſcoporum, presbyterorum & clericorum cunctæ eccleſiæ catholicæ communicaſſet cuidam Photino cómunicatori excommunicati Acatij? O graue & arduam cauſam, propter quam clericorum totius eccleſiæ có cilium connocandũ eſt.Quaſi ſine fine procederet excommunicationis contagio. Quaſi denique à communione capitis eccleſiaſtici corporis ſeſe ſubtrahentes nó forent ſciſmatici. Quaſi poſtremò in eiuſdem capitis poteſtate non eſſet, eccleſiaſticam communionem reſtituere his, qui ob communionem cum excommunicatis eandem perdiderunt, C niſi connocato ad hoc clericorum totius orbis concilio.Quis has ferat, quis non rideat ineptias?quis in Gratiano hac in re vel cõmunem non deſideret ſenſum hominũ?Sed hæc eſt ipſiſsima rei veritas.

Deceſſerat iamdudum excommnnicatus ille ab apoſtolica ſede Acatius. Cui, quòd *Vera de Acatio hiſtoria* per neceſsitatem quandam,præeminentię videlicet ciuitatis regiæ,& imperialis autoritatis & gratię,communicauerat pars maxima epiſcoporum Græcorũ & Orientalium,vniuerſuſq; clerus & populus Conſtantinopolitanus vnà cũ principibus,plurimos inuoluerat illa excómunicationis eius ſententia.Nec tamé etiam poſt mortem Acatij obtineri potuit,aut in Conſtantinopolitana, aut in alijs per Orientem eccleſijs,vt ſecundum Apoſtolicæ ſedis iudiciũ & ſentétiam,non cõmemoraretur eius nomen inter catholicos, ſed auferretur è ſacris diptitijs.Vnde & grauiſsimũ ſchiſma excitatum eſt per Orientis eccleſias, atq; vniuerſus diſſolutus vigor diſciplinæ eccleſiaſticæ.Quæ cùm duraſſent annis nó paucis non ſine magna confuſione eccleſiaſtici ordinis, atq; adeò vniuerſæ Chriſti eccleſię, Anaſtaſius II. mox vt pontificatu inauguratus fuerat, conuerſus toto animo ad reformandam pacem eccleſiæ, ſcribit hanc(quam ille reprobatam dicit)ad imperatorem Anaſtaſium epiſtolam, eundem orans & obſecrans, vt eius opera ac ſtudio hæc ſcandala D & ſciſmata eccleſiarum tollerentur è medio,&apoſtolicę ſedi ſua agnoſceretur neceſſaria toti eccleſiæ autoritas, & debita præſtaretur obediétia. Ad quod velut facile mediũ proponit,vt auferatur è numero & memoria catholicorum nomen vnius Acatij,quem affirmat pro notorijs ſuis damnatum & anathematizatũ exceſsibus à ſede apoſtolica.Cuius damnationem ne alij, qui neceſsitate quadã (vt diximus)illi communicauerant,& baptiſmi,aut ſacri ordinis ſacraméta ab eodem acceperant,vt perſuadebantur à quibuſdam pacis hoſtibus, ſibi detrimento fore crederent in perceptis ab illo ſacramentis, & ob id, vt eius damnationi ſubſcriberét, difficilius induci poſſent, impedirenturq; per id fructus optatę & ſanctæ vnionis,pacis & concordiæ: illud ipſum pręueniés ſanctus & ſapiens pótifex:non quidem contra Dei decreta,& ſuorum prædeceſſorum & ſucceſſorum (quemadmodum ille non minùs impie quàm inconſpectè contra orthodoxum pontificem effutijt)ſed ſecundum orthodoxę fidei regulam, & ſanctorum (quod pòſt intelliges) prędeceſſorũ ſuorum exemplum declarauit,

A illius damnationẽ, nulli damno aut præiudicio fore, his, qui ab eo baptiſmi aut ſacri ordinis ſacramenta ſuſceperant, redintegratis ac reunitis catholicæ eccleſię. Quæ vt ita acta ac veriſsima intelligas, illam ipſam eius epiſtolam ſubijciemus ad imperatorem Anaſtaſium ſcriptam in hæc verba:

Epiſtola Anaſtaſij pontificis ad Anaſtaſium imperatorem.

Glorioſiſsimo ac clementiſsimo filio Anaſtaſio Auguſto Anaſtaſius epiſcopus. Exordium pontificatus mei primitus oblata populis pace pronuncio, confidenter pro fide catholica, humilis pietati veſtræ precator occurro. In quo primum mihi diuinum fauorẽ propinquaſſe confido, quòd nunc conſonantiã me auguſtiſsimi nominis tui, nõ dubium præſtat auxilium, vt ſicut præcelſum vocabulum pietatis tuę per vniuerſas gentes toto orbe pręfulget: ita per miniſterium humilitatis meæ, ſicut ſemper eſt, ſedes beatiſsimi Petri in vniuerſa eccleſia aſsignatum ſibi à Domino Deo teneat principatum, nec propter vnũ mortuum diutius tunica illa ſaluatoris deſuper contexta per totum, malæ ſortis patiatur incertum, quæ ſola in diſcuſsionem pro firmitate ſui venire non potuit, ſerenitate tua præcipuè rempublicam gubernante, cui etiã in priuata vita tantum circa ſynceram religionem ſtudium fuit, vt ſicut fama certiſsimè celebrauit, nemo magis, vel inter præcipuos ſacerdotes, præfixas à ſanctis patribus regulas cuſtodiſſe dicatur. Quod ſanctum ſtudium cum maieſtate imperij creuiſſe confidimus.

B Legatione itaque fungimur pro Chriſto. Ne igitur eos propter offenſionem vel ſcandalũ patiamini publicè nominari, quorũ merita vel actus illum iudicem latere non poſſunt, in cuius iam ſunt iudicio conſtituti. Neque illic ſe poteſt interſerere in corpore mortali adhuc temeraria præſumptio, vbi nõ ſolùm cõfeſsio facit aperta merita ſingulorum, ſed etiam ſilẽtij ipſius nõ poteſt latere ſecretum. Nanque & prædeceſſor noſter Papa Felix, & etiã Acatius illic procul dubio ſunt, vbi vnuſquiſque ſub tanto iudice non poteſt perdere ſui meriti qualitatem, &c. Precamur itaq; dilectionem veſtram, vt ſpecialiter nomen taceatur Acatij, vt quod multis ex cauſis ſcandalum atq; offendiculũ eccleſiæ concitauit, &cæ. Quantos enim exceſſus atque præſumptiones habuerit Acatius, ne clementiæ tuæ ſuggerere per ſingula fortaſsis videatur onerosum, Creſconio & Germano fratribus, & coepiſcopis meis, quos miſimus ad ſerenitatem tuam, de cauſis ſingulis Acatij, qualis fuerit, inſtructionem pleniſsimam dedimus, clementiæ veſtræ ſpecialiùs recẽſendam, ſi hoc pietati tuę placuerit curioſiùs indagare, ne in aliquo ſuggeſtioni noſtræ veritas defuiſſe videatur, vt pro diuina ſapientia veſtra perſpicuè videre poſsitis, nõ ſuperbia vel elatione C ſedis Apoſtolicę, talem in Acatium proceſsiſſe ſententiam, ſed facinoribus certis, quantũ nos illud iudicium, quod ſolum falli nõ poteſt, æſtimamus, zelo magis diuinitatis extortam, &cæ. Deinde occurrens illi, quod plurimos retrahebat à ſubſcribẽdo in damnationem Acatij ob neceſſariam quandam, quam cum eo viuo habuerunt, cõmunionem, præſertim in ſuſceptis ab eodem ſacramentis eccleſiaſticis:

Iam, inquit, ſecundum catholicæ eccleſiæ conſuetudinẽ ſacratiſsimum ſerenitatis tuæ pectus agnoſcat, quod nullum de his, quos baptizauit Acatius, vel ſacerdotes, ſeu Leuitas, ſecũdũ canones ordinauit, ne vlla eos ex nomine Acatij portio lęſionis attingat, quô forſitan per iniquum tradita ſacramenti gratia minùs firma videatur. Nam & baptiſmi, quod procul ſit ab eccleſia, ſiue quod ab adultero, vel à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum. Quia vox illa, quæ per columbam ſonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excluſit, qua declaratur ac dicitur: Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu & igne. Nam ſi viſibilis ſolis iſtius radij, cũ per loca ſœdiſsima tranſeunt, nulla cõtactus D inquinatione maculãtur, multo magis illius, qui iſtum viſibilem fecit, virtus, nulla miniſtri indignitate conſtringitur, &c. Ideo ergo & hic, cuius nomen dicimus reticendum, malè bona miniſtrãdo, ſibi tãtùm nocuit. Nam inuiolabile ſacramẽtũ, quod per illũ datũ eſt alijs, perfectionẽ ſuę virtutis obtinuit. quod cùm ita ſit, aliquorum tamen in tãtum ſe extendit curioſa ſuſpicio, vt imaginentur, prolato à Papa Felice iudicio, poſtea ineſſicaciter in ſacramentis, quæ vſurpauit Acatius, egiſſe, ac proinde eos metuere, qui vel in cõſecrationibus, vel in baptiſmate myſteria tradita ſuſceperunt, ne irrita beneficia diuina videantur. Sed meminerint in hac quoque parte tractatum præualere ſuperiorem. Quia nõ ſine vſurpatione nominis ſacerdotij adiudicatus hoc egit. In quo virtutem ſuam obtinẽtibus myſterijs, in hoc quoq; rea, ſibi tantũ perſona nocuit. Nam ad illũ pertinuit, quod tuba Dauidica canitur: Verũtamen Deus cõquaſſabit capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Nam ſuperbia ſemper ſibi, non alijs facit ruinam, &c. Vnde cùm ſibi nomẽ ſacerdotis vindicauerit damnatus, in ipſius verticẽ ſuperbiæ tumor inflictus eſt, non autem populus diuinis myſterijs, quę ab illo percepit excluſus

A ſus,ſed anima ſola quæ peccauerit,iuſto iudicio propriæ culpæ erat obnoxia, quod vtiq; numeroſa ſcripturarum teſtatur inſtructio. Vnde remotis hominum ſtudijs,ſiue verſutijs in hac adhuc præſenti fragilitate poſitorum,ſecundum preces noſtras, anniſu & autoritate imperiali offerte Deo noſtro vnam catholicã eccleſiam & Apoſtolicã. Quia hoc ſolũ eſt,in quo nõ ſolũ in terris, ſed etiam in cœlo triũphare ſine fine poſsitis.Hactenus illius epiſtola ad imperatorẽ Anaſtaſium.Quę ſanè me cogit,neſcio quid mirari de illo Gratiano.Nam nõ lectam eidem quis poſſet credere,vnde excerptum eſt illud c. Secundum, prædicta diſt.19.quod contra nei & prędeceſſorum ſuorum decreta calũniatur ſcripſiſſe Anaſtaſium. Et ſi legit,quo pacto nõ intellexerit impudentiſsimã eſſe fabulam,quam ex neſcio qua hiſtoria in derogationem nominis & memoriæ ſancti & orthodoxi pontificis ſubnexuit.Scilicet,Anaſtaſiũ voluiſſe occultè reuocare Acatium,& propterea diuino percuſſum iudicio? O craſſam nimis impndẽtiam.Quaſi non conſtet luce meridiana clariùs ex dicta eius epiſtola, quó nam pacto illum reuocare voluerit? Viuum certè non potuit,iamdudum enim obierat.Mortui autem vt nomen & memoria aboleretur à catholica Chriſti eccleſia, ſategit omnibus viribus,

Supinus nimium Gratiani error de Anaſtaſio clariſsimè traducitur

B tam literis,quàm nuncijs oſtendens & perſuadens defendenti memoriam eius imperatori ob graues intolerãdosq́; exceſſus ſuos, & certa facinora iuſtiſsimè damnatum à ſede Apoſtolica. Et hoc erat occultè reuocare velle Acatium?

Aduerſus epiſtolam Parmeniani.

Iam(quod ille infamat)eius decretum velut Dei decreto, & prædeceſſorũ ſucceſſorũque eius in ſede Apoſtolica cõtrarium, quid obſecro continet non pium,orthodoxum & catholicum?Quid,quod non toties inculcat D.Aug.aduerſus Donatiſtas hæreticos? Nec enim ſacramẽtum aut baptiſmi aut ordinis, nec etiam ius dandi ſacramẽtum(vt eiuſdem verbis dicam)amittit ſciſmaticus aut hæreticus,vtrunq; enim, inquit, ſacramẽtum eſt,& quadam conſecratione vtrunq; homini datur,illud,cùm baptizatur,iſtud,cùm ordinatur.Ideo non licet à catholico vtrunque reiterari.Nam ſi ex ipſa parte ſciſmaticorum venientes,etiam præpoſiti aut epiſcopi,qui pro bono pacis,correcto ſciſmaticorum errore, ſuſcepti ſunt,& ſi viſum eſt opus eſſe vt eadẽ offitia gererent quę gerebant:nõ ſunt tamen rurſus ordinandi : ſed ſicut baptiſmus in eis, ita & ordinatio manſit integra. Quia tantùm in præciſione fuerat vitium, quod vnitate pacis correctum eſt.Hæc docet & aſſerit ille Auguſt.non hæreticus, ſed orthodoxus,atq; adeò orthodoxorum lumen,& inſignis doctor eccleſiæ:hæc, inquam,ille docet pro aſſertione orthodoxę veritatis aduerſus hæreticos.Quòd ſi ab hæreticis& ſciſmaticis accepta ſacramenta,etiam ab ipſis ſciſmaticis & hæreticis ſuam efficaciam & vtilitatem habeant,correcto ſolo diuiſionis vitio,nũquid aut infirma,aut irrita erunt eadem, quæ accepit fidelis & orthodoxus populus,in vnione maneos catholicæ Chriſti eccleſię,à proprio ſuo epiſcopo,nec hæretico, nec ſciſmatico: ſed qui ob alios tãtùm exceſſus ſuos excommunicatus fuerat? Cuius etiam communionem deſerere non potuit: præſertim quãdiu non ſolùm ille ipſe, ſed cum eo pars maxima totius orbis epiſcoporum (quemadmodum de Acatio factum demonſtrat illa eius,quam aliquanto pòſt explicabimus,tragœdia) iniuſtam atq; adeò irritam eius excommunicationem contenderent,& in eiuſdem communione perſiſterent? Certè vbi nunquam fuit io orthodoxo populo diuiſionis vitiũ, nihil illi obeſſe potuit ſui epiſcopi damnatio, nec eidem eſſe damno neceſſaria quędam eius cũ illo communio:præſertim quandiu probabiliter ignoraret ritè excommunicatum & validè,ob epiſcoporũ penè totius orbis, quod videbunt,præiudicium.Nunquid ergo hęretica eſt hæc Anaſtaſij ſententia,& declaratio, quòd Acatij damnatio nihil obfuerit fideli eius,orthodoxoq́; populo, nec irritam, aut infirmam reddiderit ſacramẽtorum, quę ſecundum ſacerdotalis offitij ſui debitum eidem miniſtrauit, gratiam?

C

D

Vt autem intelligas, non noſtrum ſolùm, ſed etiam Canoniſtarũ (qui alioqui craſſiuſculi ſunt, nec nimis emunctæ naris) tam de Gratiano ſuo,quã de Anaſtaſio iudiciũ,Gloſſa prima in dicto c.Secũdum, laborat in cenſura eiuſdem,ob Gratiani illud, quod ſuprà audiſti,de eo pręiudicium.Nam dicit variam eſſe de illa decretali & eius autore Anaſtaſio ſententiam.Gratiani equidem,qualem audiuimus. Cui dicit conſentire Melẽdum quendam,& omnes, qui dicunt veritatem ſacramentorum non eſſe apud hæreticos. Quæ ſanè ſententia eſt hæretica & reprobata à catholica Chriſti eccleſia, quę nec in baptizatis nec ordinatis ab hæreticis aut ſchiſmaticis reuertentibus ad ſynceritatem fidei & vnitatem eccleſiæ,ſacramenta reiterat. Hugonis deinde cuiuſdam adfert ſententiam planè contrariam,& nobiſcum conſentientem per omnia:qui nec decretalem eam reprobatam, nec damnatum eius autorem affirmat, cùm illa nihil cõtineat non ſanctũ, orthodoxum

&

A & canonicum.Poſtremò,etiam tertiam quorundam adducit ſententiam, affirmantium ideo reprobatum illud c.Secundum,cum au autore ſuo,quia voluit,quod ordinati ab hę retico,ſine omni diſpenſatione, de iure ſua exercere poſsint officia.Qua in re vide,obſe cro,temeritatem hominum, cùm nihil horũ omnium dicat Anaſtaſius, quæ hi in illũ con gerunt. Neq; enim loquitur de ordinatis ab hæretico,ſed ab Acatio, qui à nemine vnquã hæreſeos alicuius inſimulatus eſt, ſed tãtùm excommunicatus ob exceſſus alios, & quia communicauerat hæreticis. Quod ipſum tamen idem ſemper negauit,negaruntque,qui iniuſtam eius damnationem contendebant, Orientis epiſcopi, quemadmodum diuerſæ Gelaſij teſtantur epiſtolæ, quibus eius damnationem iuſtam aſſerit, præſertim autem ea ad Dardaniæ epiſcopos. Deinde,nihil dicit, nec de iure,nec de diſpẽſatione, vt impudẽs hic nugator affirmat (quanquam quicquid dicit,merum ius ſit)ſed tantùm pacis & eccleſiaſticæ vnitatis intuitu decreuit, aut potiùs declarauit,nihil obeſſe culpam & damnationem Acatij his,qui in fide & vnitate catholicæ eccleſiæ ſacramẽta ab eo perceperunt,nec ſacramentorum illorum gratiam illius culpa aut damnatione euacuatam aut infirmatam. Qua in re ſi hæreticus eſt Anaſtaſius, bis hæ-

B reticum fuiſſe beatiſsimum illum Leonem neceſſe eſt, qui eodem intuitu permiſit illũ Anatholium Conſtantinopolitanum epiſcopum miniſtrare in ſuo gradu & ordine. Quẽ tamen ter execrandus ille Dioſcorus, exturbato & per vim ac ſcelus eiecto S.Flauiano epiſcopo,atque adeò neci dedito,è ſuo veluti latere aut ſinu (nam eius archidiaconus fuerat)Conſtãtinopolitanæ intruſerat eccleſiæ, & ordinarat epiſcopum.Sed pacis(vt dixi)intuitu,in ſuo illum gradu & ordine confirmauit beatiſsimus Leo, ſatis habens, quòd ſecũ amplexaretur veritatem orthodoxæ fidei, & deteſtaretur Euticetis perfidiã, id quod plurimæ eiuſdem teſtãtur epiſtolæ.Quin & vniuerſam Chalcedonenſem ſynodum bis hęreticam fuiſſe neceſſe eſt: vt quæ ex præſcripto eiuſdem Leonis,neminem eorum,etiam qui epiſcopi ordinati eſſent, ab impia illa hæreticorum factione Dioſcorica, iacturam facere voluit ſuæ illius dignitatis,gradus aut ordinis:modò per veram pœnitentiam reuerſi ad vnitatem catholicæ eccleſiæ, amplexarentur ſynceritatem fidei, & execrarentur impietatem hæreticam.

Et hæc quidem de Anaſtaſio ſuffecerint ad vindicãdum eius nomen & memoriam à nota atrociſsimi criminis, hæreſeos inquam: quod nulli facilè imponẽdum eſt, præſertim C iamdudum in Chriſto quieſcẽtium,niſi quibus aperto eccleſiæ pręiudicio iniuſtum con ſtat.Quin & impudentẽ falſitatem coarguũt eius,ſabulę,qua Gratianus ille ſancti&orthodoxi põtificis nomini & memoriæ impiè detrahit:temeritatem quoque cenſuræ & iudicij eiuſdem de prędicta illius decretali epiſtola,quam planè conuincitur, aut non legiſſe, aut minimè intellexiſſe. Cuius ſentẽtia, ſi ea fuit,quæ à Gloſſa illa eidem attribuitur,non verò illius Anaſtaſij, vt audiſti,eſt planè hæretica.

Benedictum XI. (vt quos volunt,pro ſuo arbitrio hi hæreticos faciunt)etiam hac nota inuenio perſtrictum à nonnullis,qui aduerſant illi indefectibilis fidei priuilegio,quod cathedram Apoſtolicam atque eius præſules tueri aſſerimus,ſed quo prætextu aut colore non inuenio. Quod dum quæro per omnes de illo ſcriptores & hiſtorias, ne leuiſsimã apud vllam ſuſpitiunculam deprehendo tam atrocis in illum notæ & infamiæ. Quin potiùs,omnes velut vno ore, eximiæ virtutis, doctrinæ & ſanctè adminiſtrati pontificatus menſibus illis nonem, quibus ſolis pręſuit, teſtimonium perhibent: ex generali ordinis Dominicani,primùm in Cardinalem,deinde electus in ſummum pontificem. Et ne fortè D (vt fit facilè)in numero incidiſſet error, per omnes eius nominis pontifices percurrens, neminem tamen inuenio,in quem vel minima nota eius criminis competat. Ita hi quaſi pro ludo habent infamare ſanctos & orthodoxos pontifices iam cum Chriſto regnantes, de omnium atrociſsimo crimine impietatis hæreticæ.

In eundem modum & quę de Ioanne vigeſimo ſecundo afferuntur à nonnullis, meræ nugæ ſunt,mera mendacia. Scripſerunt quidam noſtra tempeſtate vitas pontificum Romanorum, ſed plurima pro ſuo ſcripſerunt affectu & libidine:quibus dum ſeruiunt,impudentiſsimè ac mendaciſsimè debacchantur in famam innocentiũ & ſanctorum pontificum. Quod nuper quidam Ioannes Battus fecit in vita ſanctæ memoriæ Adriani ſexti pontificis maximi,in Theologicis his ſtudijs quondam præceptoris noſtri. In quem virum ſine controuerſia ſanctum, doctiſsimumque ille tam impia, tam nefanda, tam execranda mẽtitur impudẽtiſsimè, vt ipſum etiam cœlum commaculare poſſent & inficere.Idem,tametſi magis diſsimulanter & tectè,feciſſe Platinam in Paulum ſecundum, certum eſt. De quo defuncto (quod illi ob ſua demerita meritò aduerſus fuerat) vt ſe-

vlciſci

A vlciſci poſſet cõmodiùs, omnium ad ſua tempora pontificum hiſtoriam cõgerere aggreſſus eſt, quô ita maiori fide & à pluribus legerentur, quæ de Paulo mentiri voluit. Sic & Ludouici illius Bauari execrati à Ioanne vigeſimo ſecũdo & ſede Apoſtolica, deinde etiam priuati imperio (cuius libro ſequẽti explicaturi ſumus tragœdiam) ſtudium & largitio multos eo ſeculo venalia habentes ingenia, venâles linguas & calamos, impulit execrãda multa comminiſci & effutire aduerſus doctiſsimum, magniq; animi pontificem & dignitatem eccleſiaſticam. Inter quos præcipui & velut anteſignani quidam erant Marſilius ille Patauinus (quem libro ſequẽti excutiemus exactiùs) & Occam pſeudomonachus pſeudoq; Theologus, illius Ludouici familiaris cõuictor. Qui Ioannis illius vigeſimi ſecũdi definitiones quaſdam calumniabantur vt hęreticas, ipſi hęreticiſsimi, alia eidem impingentes mendacia, velut impietatis ſeruiles, cõductitijq; milites, & qui in hoc, impio execrandoque imperatori locauerunt ſuam operam. Quorum nudis, impijſque aſſertionibus, ſi quis vel tãtillum moueri poſsit aduerſus clariſsima, quę induximus, priuilegij Apoſtolicæ cathedræ & eidem præſidentium argumenta & teſtimonia, is mihi non bene ad
B veritatem, pietatemq; affectus videbitur: pręſertim cùm non facilè adduci quis debeat, vt credat de his, quorum in pace requieſcit memoria, non tam atrox crimen prauitatis hęreticę, niſi aperto eccleſię iudicio de eodem notatus fuerit.

Qua de cauſa de vno Honorio maiorẽ nobis difficultatẽ ingerit ſynodalis (vt videtur) autoritas. Siquidem perſtrictum ea nota illũ legimus in actis ſextę ſynodi (vt à nobis Latinè interpretata & impreſſa legũtur) inter autores monotheliticæ hæreſis, hoc eſt, vnius voluntatis & operatinnis in Chriſto. Cuius in eiſdẽ actis inſeruntur duæ epiſtolæ ad Sergium Conſtantinopolitanum, eiuſdem hęreſis ſeminatorẽ, & primũ aſſertorem, ex quibus eiuſmodi hęreſi conſenſiſſe videri volũt. Itaq; in principio actionis decimę tertię hæc legitur cẽſura concilij, tã de Honorio, quàm de eius epiſtola.

Sanctum conciliũ dixit, retractantes ſecundũ promiſſa dogmaticas epiſtolas, quæ à Sergio quondam patriarcha huius à Deo conſeruandæ regię vrbis ſcriptę ſunt, tam ad Cyrũ, qui tũc fuerat epiſcopus Phaſidis, quàm Honorium quondam papã antiquę Romæ: Similiter autẽ epiſtolam ab Honorio reſcriptam ad eundem Sergiũ, haſq; inueniẽtes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus,
C & definitionibus ſanctorum conciliorum, & cũctorum probabiliũ patrũ, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, eas omnino abijcimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum & nomina à ſancta Dei eccleſia proijci iudicauimus: Id eſt, Sergij quondam pręſulis huius vrbis regiæ, qui aggreſſus eſt de huiuſmodi impio dogmate cõſcribere. Cyri Alexandrinę, Pyrrhi, Pauli, &c. quorum mentionem fecit Agatho ſanctiſsimus & ter beatiſsimus papa antiquę Romæ, in ſua ad piiſſimum imperatorẽ epiſtola, eoſq; abijcit, vtpote cõtraria rectę fidei ſentientes, quos anathemati ſubmitti definimus. Cũ his verò ſimul proijci à ſancta Dei catholica eccleſia, ſimulq; anathematizari præuidimus & Honorium, qui fuerat papa antiquæ Romæ, eo quòd inuenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quòd in omnibus eius mentem ſecutus ſit, & impia dogmata confirmauit. Hactenus verba concilij, vt impreſſa circumferuntur.

Sed quoniam ex omnibus horum temporum ſcriptoribus & certiſsimæ fidei hiſtorijs clariſsimè cõſtat, eundem illum Honorium fuiſſe primũ huius hęreſis damnatorem, annis ferè 60. ante celebratã ſextam ſynodum, ſatis clarè deprehenditur hanc ſynodum paſſam in damnatione memoriæ & epiſtolarum D
ſancti Honorij, quod in 14. actione eiuſdem concilij per legatos Apoſtolicæ ſedis conuictum eſt paſſam fuiſſe 5. ſynodum in actione eius 7. hoc eſt, per falſarios infarta, quæ aliena erant à mente ſynodi.

Potuit equidem fieri, vt in eius initio intelligens (vix dum expugnata impia hæreſi Eutichetis & Dioſcori de vnitate naturæ in Chriſto, ſtabilitaq; in eodẽ autoritate beatiſſimi Leonis & Chalcedonẽſis concilij, veritate naturę duplicis) cœpiſſe repullulaſcere in eccleſia noua diſſenſionum & ſcandalorum ſemina, de vnitate volũtatis aut operationis in Chriſto, ita reſcripſerit de hoc ſubdolè cõſulenti Sergio, quemadmodum habet tenor inſertæ actis dictæ ſynodi, ſecundæ illius epiſtolæ (nam prima mihi non germana aut ſyncera videtur, tametſi nihil etiam erroris cõtineat) videlicet vt nouæ adinuẽtionis vnius vel duarum operationũ vocabulo refutato, claro eccleſiarum Dei præconio, nebuloſarũ contentionum caligines rurſùs non effundantur aut conſpergantur, præcipiens propterea vt vnius vel geminæ operationis nouiter à contẽtionum ſtudioſis introductum vocabulum à prędicatione fidei eximeretur. Nam qui, inquit, hæc dicunt, quid aliud, niſi iuxta

Sententia epiſtolę Honorij ad Sergium.

A iuxta vnius vel geminæ naturæ Chriſti Dei
vocabulum: ita operationis vnius vel gemi-
nę ſuſpicantur fuiſſe mediatorem Dei & ho-
minum Dominum Ieſum Chriſtum ſentire
vel promere, quod ſatis ineptum eſt? Habet
autem & circa finem eadẽ epiſtola ſic: Et hoc
quidem, quantum ad inſtruendam notitiam
ambigentium, ſanctiſsimę fraternitati veſtrę
per eandem inſinuandum præuidimus. Cæte
rùm, quãtum ad dogma eccleſiaſticum per-
tinet, quę tenere vel pdicare debemus, pro-
pter ſimplicitatem hominum, & amputandas
inextricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſu
periùs diximus, nõ vnã aut duas operationes
in mediatore Dei & hominum definire, ſed
vtraſq; naturas in vno chriſto, vnitate natura
li copulatas, cũ alterius cõmunione operãtes
atque operatrices confiteri debemus, & diui
nam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & hu
manam, quæ carnis ſunt exequentem, non di
uiſe, neque confuſe aut conuertibiliter, Dei
naturam in hominem, nec humanam in Deũ
conuerſam edocentes, ſed naturarũ differen
tias integras confitẽtes, vnus atque idem hu
milis & ſublimis, æqualis patri, & minor pa-
B tre, ipſe ante tempora natus, in tempore eſt,
per quẽ facta ſunt ſecula, natus in ſeculo eſt,
& qui legem dedit, factus ſub lege eſt, vt eos,
qui ſub lege erãt, redimeret, ipſe crucifixus,
ipſe chirographum, quod erat cõtra nos, eua
cuãs, in cruce de poteſtatibus & principibus
triumphauit. Auferẽtes ergo, ſicut diximus,
ſcandalum nouellę adinuentionis, non opor
tet nos vnam vel duas operationes definien-
tes prædicare, ſed pro vna (quam quidem di-
cunt) operatione, oportet nos vnum opera- *Vnus operator Christus in duabus naturis.*
torem Chriſtum Dominum, in vtriſq; natu-
ris veridicè cõfiteri, & pro duabus operatio-
nibus (ablato geminę operationis vocabulo)
ipſas potiùs duas naturas, id eſt, diuinitatis & *Vtranq; naturã in una persona operari propria.*
carnis aſſumptę, in vna perſona vnigeniti dei
patris, inconfuſe, indiuiſe atq; inconuertibi-
liter prædicare propria operãtes. Et hoc qui-
dem beatiſsimæ fraternitati veſtræ inſinuan
dum præuidimus, quatenus vnius confeſsio
nis propoſitum, vnanimitati veſtræ ſanctita-
tis monſtraremus, vt profectò in vno ſpiritu
anhelantes, pari fidei documento inſiſtere-
mus. Scribentes etiam cõmunibus fratribus
Cyro & Sophronio antiſtitibus, ne nouæ vo
cis, id eſt vnius vel geminæ operationis voca
bulo inſiſtere vel immorari videamur, ſed ab
raſa huiuſmodi nouę vocis appellatione, vnũ
Chriſtum nobiſcum vtriſq; naturis, diuina
& humana prædicent operãtem. Quanquam
& hos, quos ad nos prędictus frater & coepi-
ſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruxi-
mus, ne duarũ operationum vocabulum prę C
dicare innitatur. Quod inſtantiſsimè promi
ſerunt dictum virum facturum, ſi etiam Cy-
rus frater & coepiſcopus noſter ab vnius vo-
cabulo diſceſſerit. Hactenus ille Honorius.

Vides itaque Chriſtiane lector & clariſsi-
mè intelligis, ex illa ipſa Honorij epiſtola,
quæ eſt in actis eiuſdem ſynodi, paſſam ean-
dem ea parte, quę legitur de dãnatione me-
moriæ viri ſanctiſsimi, & verè orthodoxi,
quod legati ſedis Apoſtolicæ in eadem con-
uicerunt paſſam quintã ſynodum, in actione
eius ſeptima, hoc eſt, per falſarios & menda-
ces Græculos, in odium & detractionem Ro
manæ eccleſię (cui aduerſantes in direptionẽ
dati ſunt) hæc inſarta alieniſsima à mẽte ſan-
cti concilij. Quod enim ad hoc ipſum procli
ues Græci fuerint, non ſolùm prædicta teſta
tur quinta ſynodus, ſed etiam conqueritur
beatiſsimus Leo ſuę (qua ad B. Flauianum in-
carnationis verbi myſterium explicauerat)
idem accidiſſe epiſtolæ, vt in alia quadam ſua
ad Paleſtinos teſtatur. Idem quoque teſtatur
ille Nicolaus I. eius nominis Roman. ponti-
fex ad Michaelem imperatorem Cõſtantino
politanũ, ſcribens aduerſus inordinatã pro-
motionem Photij, ſubitò ex Palatino tonſu-
rati & ordinati in epiſcopum, citans autorita- D
tem ſeptimę ſynodi & epiſtolæ Adriani pon
tificis, quæ in acta eiuſdem relata legitur: in
qua, inquit, quantũ idem pontifex illam prę-
ſumptionem, qua ex laicis quidam ſubitò tõ
ſurantur, & in epiſcoporum numerum proſi
liunt, ſi diligenter inquiſieritis, profectò in-
uenietis. Si tamen non falſam Gręcorum mo
rè, ſed ſicut à ſede miſſa eſt Apoſtolica, penes
eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus
perſeuerat. Hæc ille ad imperatorem Græ-
cum. In quibus audis Græcorum morem.
Quin & idem ille ſuis literis hoc ipſum acci-
diſſe à Græcis in eadem conqueritur epiſto-
la. Et eã ob cauſam, quaſi illud ſibi pręuiſum
foret, oĩm à ſe ſcriptorũ & miſſorum authen
tica exemplaria penes ſe retinuiſſe teſtatur,
ad quæ prouocat. Nihil itaque mirum, etiam
hac parte idem paſſa ſextę ſynodi, quæ circũ-
feruntur incertæ fidei & autoris nuper emiſ-
ſa exemplaria. Qua enim ratione, quo colorẽ
damnari potuiſſet illa, quã dicta epiſtola ex-
plicat, verè orthodoxa ſententia ac cõfeſsio,
& ſaluberrimum illud vitãdarum diſſenſio-
num & contentionum, ob noua quædam in-
troducta vocabula, conſilium? quod quia ſer
uatum nõ eſt, illa exigua (vt in ſpeciem appa-
rebat) ſcintilla & de duabus voculis perni-
cioſa contentio, 60. ferè annis ſua paulatim
incremẽta, fomentaq; ſuſcipiens, excreuit in
gra-

A grauiſsimum,pernicioſiſsimumq́; incendiũ, vniuerſas penè inuoluens Orientis eccleſias.

Maximas poſt controuerſias & difficultates, vix dum obtinuerat orthodoxa veritas duarum naturarum in Chriſto,aduerſus Eutic etis & Dioſcori blaſphemiam, & cõtinuò reſuſcitatis contentionũ ſeminibus, de vnitate & dualitate operationum in Chriſto,præcepit verè orthodoxus,ſapientiſſimusq́; pontifex,auferri de medio nouarũ vocum ſcandala,vnde contentiones, diſsidia & hæreſes excitarentur, & præſcripta verè orthodoxa, planiſsimaq́; fidei confeſſione,qua nec hinc, nec inde impingerẽt nouitatum captatores, neq; vnam,neq; duas operationes: ſed duas potiùs operatrices naturas docuit confitẽdas in vno Chriſto,iuxta Chalcedonenſis definitionẽ cõcilij.Qualibet cùm alterius quadam communione operante ſibi conuenientia,vt diuina quę Dei ſunt, humana verò,quæ carnis aut hominis, non diuiſe, vt ille blaſphemat Neſtorius,nõ confuſe & conuertibiliter vt Eutices & Dioſcorus. Itaq; velut inuento medio,quo vtriq; parti ſatiſfaceret, duarum operationũ aſſertoribus pręcepit,vt cõfiteantur duarũ naturarũ differentiũ integras varietates in vnitate ſuppoſiti,ſuas quæque habentes operationes proprias.Alteri verò parti,vt deuitato vnius operationis vocabulo,

B vnum operatorem Chriſtum cõfiteantur eorum,quę vtriuſque naturæ ſunt. Ita vt vnus idemq́; chriſtus,ſit humilis & ſublimis,ęqualis patri & minor patre, ante tẽpora,& factus in tempore,per quem facta ſunt ſecula,in ſeculo natus.Qui legem dedit,factus ſub lege, & ad mortẽ obediens, & in cruce de poteſtatibus tenebrarum triumphans.

Hac confeſsione num quid eſſe potuit magis orthodoxum,magis pium, ac ſanctum,& ad retinẽdam pacem, tollendaq́; nouitatum, contentionum,& ſcãdalorum ſemina, magis vtile?Certè ſi confeſsionem eiuſmodi damnaret,non ſolùm vlla ſynodus,ſed etiam angelus de cœlo, non dubitarem vtrunq; cum Apoſtolo anathema dicere, vnà cũ impia illa Epheſina ſynodo ſecunda, quæ damnata (vt pòſt clariùs intelliges) orthodoxę fidei veritate,ſtatuit & probauit impiam euticetis blaſphemiam.

Sed cũ pòſt luce clariùs intelligeret S.pontifex,quò tenderet illorum ſtudium,hoc eſt, Cyri,Sergij & ſectatorum,primus eius perfidiæ damnator extitit, & Cyrum ac Pyrrhum Sergij ſucceſſorem anathemari ſubiecit. Quem nouiſsimũ Heraclius imperator,Apoſtolicæ ſententiæ executor factus, relegauit in Africam. Nam eũ ab eodem & ipſe monothelitica inſectus eſſet hæreſi,haud irreligioſus primùm nec malus imperator,& ob id in varias incidiſſet calamitates & miſerias, ſentiẽs corripientem ſe Dei manum,hæretici erroris vltricem & vindicem, ad cor reuerſus à beatiſsimo Honorio orthodoxæ fidei regulam doctrinamq́; ſuſcipiens,Pyrrhum relegauit tanti in ſe mali autorem.Quam tragœdiã pòſt plenius explicabimus in hiſtoria ſextæ ſynodi. Hæc de illo teſtantur Foroliuienſis Pius pontifex, Ioannes Nauclerus, Sabellicus,& cæteri. C

Heraclius à monothelitica hæreſi reſipiſcẽs,regulã orthodoxæ fidei ſuſcepit ab Honorio.

Quin & illa beatiſsimi Agathonis epiſtola, quam dicta ſynodus vt dictã tam à ſpiritu ſancto per os principis Apoſtolorum Petri amplexata eſt & ſecuta in omnibus,velut orthodoxæ veritatis regulam, præfatũ Honorium ab omni hæreſis nota prorſus vindicat.Siquidem poſt perſtrictos in eadem autores pręſatæ hęreſis monothelitice,Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum,Petrum, Conſtantinopolitanos epiſcopos,demõſtratamq́; eorum inconſtantiã & inter ſe cõtrarietatem: Quis,inquit, tantæ cæcitatis errores non abomineturi&cę.Eximenda proinde ac ſummis conatibus cum Dei præſidio liberanda eſt ſancta Dei eccleſia de talium doctorũ erroribus,vt Euangelicam atq; Apoſtolicam orthodoxę fidei rectitudinẽ ſeruet,quę fundata eſt ſuper firmam petram huius B.Petri Apoſtolorum principis eccleſiæ,quę eius gratia & pręſidio ab omni errore illibata permanet.Hæc ille Agatho.Quibus vides illum affirmare,è cathedra Petri apoſtolorum principis,nullam vnquam prodijſſe hæreſim, quin potiùs Euangelicę atq; Apoſtolicæ,orthodoxęq́; fidei rectitudinem in eadem ſuiſſe conſeruatam,quæ diuina gratia & ſingulari pręſidio,ab omni errore illibata permanet.Quod qua ille fronte dixiſſet in facie totius Chriſti eccleſiæ, ſi Honorius ille ex eadem cathedra illã ipſam q̃ impugnabat, docuiſſet hæreſim? Qua etiã fronte Nicolaus ille primus Michaelis imperatoris Conſtant. retũdens impiam arrogantiã, auſus fuiſſet iactare,in ea, qua illi reſpondet, epiſtola(quam & totius Orientis & Meridiei orthodoxis direxit epiſcopis)de Apoſtolicæ ſedis põtificibus, quòd illos nec tenuis vnquam rumor aſperſerit impiæ aut hæreticę ſententiæ?Hos enim,inquit,nec ſaltem tenuis rumor aſperſit aliquando,cũ praua ſapientibus ſapere, quanto minùs concertare?Quod qua fronte audes dicere Nicolae, ſi non ſolùm Honorius ille Apoſtolicę ſedis præſul aſſertor fuit impietatis monotheliticæ,ſed etiam tot alij,quot hi faciunt,hæretici Romani pontifices? D

A

Concluditur nō ſolū cathedræ ſed multo magis Petri & ſucceſſorum eius indefectibilis fidei priuilegium.

Quare, vt hîc tandem concludamus, nobis conſtat, non ſolùm cathedræ, ſed multo magis Petri & ſucceſſorum eius indefectibilis fidei priuilegium ad confirmandos fratres in fide. Quod ita tutatū eſt omnes Romanos pontifices, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides, vt ab initio ad hûc vſq; diem nemo ſit inuentus inter eos hæreticus, ſed nec iuuenietur ad finem vſq; ſeculi.

Non tamē hîc imus inficias, quin præſidentes cathedræ, in definitione relatarum ad ſe quæſtionum difficiliū, & quę magni alicuius ponderis ſunt, adhibere ſecum debeāt ſacerdotale concilium: quemadmodum ſuperiùs ex verbis Deuteronomij diligenter annotauimus, & comprobat ab initio obſeruatio eccleſiaſtica. Siquidem in cunctis ſemper difficultatibus, quæ magni alicuius momēti erāt, ad cathedram Petri relatis, inueniuntur præſidentes cathedræ ſecum congregaſſe ſacerdotale concilium: non quidem ex toto orbe, ſed eorum, qui etiam in eadem cathedra miniſtrabāt oomino, & nonnunquā viciniorum quoq;, aut etiam diſtātiorum epiſcoporum, pro qualitate negotij. Sed non habet illud ſacerdotale conciliū ex ſeipſo aut ex proprio priuilegio, inobliquabilē regulā orthodoxę veritatis & fidei, niſi ex priuilegio Petri eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, cui vni impetrauit Chriſtus, ne fides eius deficeret ad

B

confirmandos fratres. Cui etiam quādiu (vt fundamento ędificium) vnitur & innititur, fit particeps eius priuilegij capitis, & quicquid ab eiuſmodi concilio congregato vnà cū ſuo capite definitur, ſancitur aut decernitur, hoc verum, iuſtum & ſacroſanctum eſt. At ſine ſuo illo capite, quantumuis maximum & numeroſiſsimum, concilium eo priuilegio planè deſtituitur, quemadmodum clariùs demōnſtrabimus in ſequentibus. Itaque tametſi multorum conſilia adhibeantur ad definitionem eorum, quæ referuntur ad cathedram Apoſtolicam: vnius tamen præſidentis autoritate & priuilegio profertur indubię veritatis ſententia. Ita & in illa ſynagoga veteri, quemadmodum ſuperiùs demonſtrauimus, difficiliora & magis ambigua iudicia, quæ referri præcipiebātur ad cathedram illam Moſaicam, definiebantur conſilio quidem ſacerdotum omnium, qui pro tempore miniſtrabant Domino in eo loco, quem ipſe elegerat: autoritate tamen vnius præſidis cathedræ. Itaque cōtrouerſiam eiuſmodi inter ſe habentibus dicitur, vt aſcēdant ad locum, quem elegerit Dominus: Ibique interrogent ſacerdotes Leuitas, qui indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Cuius verò in

Cōcilia, quantūuis numeroſa, ſine autoritate capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ cōgregata deſtitui dicto priuilegio.

C

eiuſmodi cōcilio ſacroſanctam autoritatem reuereri & prorſus ſequi debeant, continuò ſubditur: Qui autem, inquit, ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Vides hîc non iā plurium ſacerdotum mentionem fieri, ſed vnius: præſidis, inquam, cuius illa cenſeatur ſententia, illud iudicium, & aduerſus quem inobedientia mortis expiabatur ſupplicio. Non enim dicitur: Si quis ſuperbierit, nolēs obedire ſacerdotum imperio: ſed ſacerdotis ſtantis, vt ſeruiat ibi Domino Deo tuo. Ita enim habere Hebraicam veritatem ſimul & LXX. Interpretes, ſuprà indicauimus: Stantis, inquam, ſuper alios, & loco illi præſidentis. Sed horum pòſt erit adhuc vberior explicatio.

Oſtendit inefficacia argumēti Canoniſtarū ex c. Si papa.

Ad argumentum autem Canoniſtarum ex c. Si papa. XL. diſt. quod omnibus illis cōtrariæ aſſertionis fundamentum eſt, accuratiore reſponſione nequaquam opus eſt. Non eſt enim dictum alicuius, cuius nos magnopere premat, aut pregrauet autoritas. Non equidē diuinæ ſcripturæ, non definitio aut ſynodalis, aut præſidentis hierarchiæ eccleſiaſticæ, non deniq; alicuius ex illis primæ claſsis ſcriptorib⁹ eccleſiaſticis: ſed quod vix noto cuidam Bonifacio martyri adſcribit Gratianus: verè an falſe, neq; id quidem ſatis exploratū

D

eſt. Quod ipſum tamen nihil ponit, nihil affirmat nobis cōtrarium, ſed dicit, quòd papæ ſalutis ſuæ fraternęq; negligentis culpas hic redarguere præſumat mortaliū nullus. Quia cūctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus, niſi fortè deprehendatur à fide deuius. Pro cuius perpetuo ſtatu vniuerſitas fideliū tanto orat inſtantiùs, quanto ſuam ſalutem poſt oeum ex illius incolumitate animaduertit propenſiùs pendere. Vides conditionalē, quę nihil ponit, nec affirmat, papam eſſe poſſe hęreticum: ſed ſi fortè eſſet, quod tunc hîc iudicādus foret: clariſsimè ſignificans nō ſe credere, quòd ita eſſe poſſit, ſed ſi fortè eſſet.

Vt ab initio omnes ſe geſſerint Romani pontifices pro eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, illamq; principalem eccleſiaſtici regiminis autoritatem ſuper vniuerſam eccleſiam re ipſa & facto exercuerint, luculentiſsimè demonſtrare.

CAP. IX.

Breuis recollectio demonſtratorū hactenus cum tranſitu.

Actenus ex ipſa primùm forma ſocietatis eccleſiaſticæ, deinde ex eius vmbra in ſynagoga veteri, preterea ex clariſsimis Chriſti ver

bis;

A bis:poſtremo ex ipſa rectæ ſcripturarum intelligentiæ infallibili amuſſi,videlicet catholicæ eccleſiæ conſenſu & communi ſentētia, clariſsimè demonſtrauimus, vt erat planè neceſſarium Chriſtianæ eccleſiæ dirigi gubernarique ſub vno capite:ita illi conſtitutum à Chriſto Petrum caput,ſucceſſoresq; eius Roman. pōtifices, vtq; eiſdem dederit in Petro vniuerſam illam autoritatem patriſamiliâs eccleſiaſticæ domus neceſſariam,nempe obligandi omnes,qui eiuſdem familiæ Chriſtianę ſunt,ſuarū præceptionū vinculis,vnicuiq; pręſcribendi officium, eiuſque rationem ab vnoquoque exigendi,& vt ligandi,ita & ligata diſſoluendi pro vſu & vtilitate eccleſię,atque adeò ipſas claues regni cœlorum. Ad quorum etiam referri oporteat iudiciū,definitionem & ſententiam, quicquid in eadem domo eccleſiaſtica exortū fuerit quæſtionis ac cōtrouerſię inter eiuſdē domus familiam: quatenus eiuſmodi, hoc eſt,de fide,religione,alijſq; eccleſiaſticis negotijs.quibus eā ob cauſam etiam indefectibilis fidei priuilegiū contulit, tanquam alijs pręſcribendi, quam ſequi tenerentur fidei regulam, poteſtatem habentibus.

Nunc ex ipſa rei euidentia,conſecutiſq; effectibus, eadem ipſa comprobare vniuerſa, tempeſtiuum mihi videtur. Et in primis vt
B Romani pōtifices à naſcentis eccleſię primordio vniuerſi ita ſe geſſerint,tanquam eccleſiaſticæ hierarchię principes,magnaq; cū libertate,maximoq; totius orbis conſenſu ſupereminentem illam eccleſiaſtici regiminis autoritatem ac poteſtatem exercuerint ſuper omnes mundi eccleſias.Vtq; in omnibus grauioribus difficilioribuſq; cauſis ex toto orbe ad eorūdem recurrerint iudicium.Quanquam autem illius primitiuę eccleſię hiſtoria haud ſanè ſatis perſcripta diligenter fideliterq; ad nos peruenerit (Ea ſiquidem tempeſtate magis ſatagentibus quibuſq; memoriæ digna agere,quàm aliorum geſta commentari,aut commendare memoriæ. Adhuc enim feruens illa eccleſia à recenter fuſo Chriſti ſanguine,in aſsiduis preſſuris,& huius mundi aduerſitatibus ſuccreſcēs, aduerſus huius mūdi poteſtates, aduerſus dominos tenebrarum,aduerſus ſpiritales nequitias in cœleſtibus,ſemper tum in procinctu, ſemper ſtabat in acie) attamen ex ſanctiſsimorum pontificum,quæ eccleſiaſticorum occaſione negotiorum ſcriptę, & veluti eccleſiaſtici quidam canones in eccleſia diligentiſsimè ſemper religioſiſsimeq; conſeruatę fuerunt, varijs decretalib^9 epiſtolis,aliorumq;,qui paulo poſt ea tempora ſubſecuti ſunt ſcriptorum luculentiſſimis teſtimonijs,haud erit difficile ęſti C mare illius primitiuæ eccleſię faciem, quantus in ea vigor eccleſiaſticę diſciplinę,quę in eccleſiaſtica hierarchia pręſidentium, quàm reuerenda,quàm metuenda autoritas.

Primùm itaq; illius ſancti Anacleti,beatiſſimi Petri diſcipuli & in cathedra ſucceſſoris epiſtola ad vniuerſos toto orbe Chriſti ſacerdotes,ſatis indicat illius(quæ tunc proximè ab Apoſtolis conſtituta fuerat) hierarchię eccleſiaſticę faciem, per quam ex toto orbe terrarum,eccleſiaſtica negotia,& totius eccleſię cura ad vnam Petri ſedem ordinatiſsimè referebantur:ipſarum principalium ſedium ordinem,qui ab Apoſtolis cōſtitutus eſt,explicans.Inter quas omnes Romanam eccleſiam non ab Apoſtolis,ſed ab ipſo Domino ſaluatore noſtro docet accepiſſe primatū,quemadmodū ſuperiùs audiuiſti.In qua tandem ſubiungit in hęc verba: Si, inquit, frater aliquis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis,inſtruite eum in ſpiritu lenitatis.Si quę vero alię cauſę difficiliores inter vos ortę fuerint,ad huius ſanctę ſedis apicem,quaſi ad caput referte,vt Apoſtolico terminentur iudicio. Quia ſic dominum velle, ab eoq; ſic conſtitutum eſſe, antedictis teſtimonijs declaratur. Hæc enim Apoſtolica ſedes,cardo & caput à Domino, & non ab alio eſt cōſtituta.Et ſicut cardine oſtium regitur: D ſic huius ſanctę ſedis autoritate omnes eccleſiæ diſponente Domino reguntur. Hæc ille Anacletus illis ipſis Apoſtolorum temporibus.Ex quibus clariſsimè demonſtratur etiā ab initio conſtituta iam eccleſiaſticæ hierarchiæ forma,totius eccleſiæ curam, omneſq; toto orbe difficiliores eccleſiaſticas cauſas relatas fuiſſe ad Apoſtolicam ſedem.

Anacleti tempore quæ fuerit eccleſiaſticæ hierarchiæ facies, quæ ipſius & cathedræ Apoſtolicæ toto orbe recognita autoritas.

Non minorē autoritatem præferunt, quæ ſcribit Euariſtus, illius Anacleti continuus ſucceſſor:ſimulque euidentiſsimum teſtimonium perhibent eiuſdem, quod ex Anacleto iam demonſtrauimus,videlicet vt ex toto orbe terrarum ad cathedram Petri relatum fuerit,quicquid vſquam in eccleſia orirettur difficultatis,quæſtionis ac controuerſiæ.Quod maximè indicat illa eius,qua vniuerſæ Africanę regionis epiſcoporum cōſultationibus reſpondet, epiſtola in hæc verba: Conſulentibus vobis fratres chariſsimi,quid ſuper his,quæ in veſtris continebantur ſcriptis,viſum eſſet nobis,vel quid docibilis ratio perſuaderet, aut quid à beatis Apoſtolis nobis traditum aut cuſtoditum remaneret, optantes,vt retuliſtis,noſtris inſtrui documentis, dilectio veſtra eccleſiaſticam normam ſecuta,ad ſedem Apoſtolicā referre maluit quaſi

Hic nota, q. etiā tū exigebat eccleſiaſtica regula ab Africanis epiſcopis.

A ad caput,quid deberet de rebus dubijs cuſtodire,quàm vſurpatione temeraria, quæ ſibi viderentur,pręſumere.

Rurſus,in altera eiuſdem ad Aegyptiorũ epiſcopos epiſtola,poſtquam illos redarguit vt tranſgreſſores eccleſiaſticorum canonum, quòd ſuis ſedibus quoſdam eieciſſent ex fratribus,& in eorundem locum ſuperordinaſſent alios,præcipit,tanquam ſuper eos poteſtatem exercens, vt eiectis, quos prioribus ſuperordinauerant, illos in priſtinas ſuas eccleſias reſtituant. Quod ſi, inquit,aduerſus eos aliquam querelam habueritis,poſt reſtitutionem de ea inquirendum erit, & huius ſanctæ ſedis autoritate terminandum. Vides itaque etiam tunc huius ſedis autoritate terminari conſueuiſſe querelas,quæ in tranſmarinis regionibus inter Aegyptiorum oriebantur epiſcopos. Vides normam eccleſiaſticam,quam ſecuti illi Africani epiſcopi,referebant ſuas dubitationes ad beatiſsimi Petri cathedram, cui atteſtantes, vt ſuprà audiſti, illi Terraconen. prouinciæ epiſcopi ad beatiſſimum Hilarium:Etiamſi,inquiunt, nulla dictaret neceſsitas eccleſiaſticæ diſciplinæ, nobis expetendum reuerà fuerat illud priuilegium ſedis veſtræ,&c. Inde reſponſa quæ-

Etiā tranſmarinas querelas huius ſedis autoritate terminari cōſueuiſſe ab initio

B rentes,vnde nihil errore,nihil præſumptione,ſed pontificali totum deliberatione præcipitur. Vides etiam hîc conſeſſam normam eccleſiaſticæ diſciplinæ,quæ neceſsitatem omnibus imponit ſua dubia ad Apoſtolicam ſedem referendi. Vides confeſſum & notorium eiuſdem ſedis priuilegium. Eadem clariſsimè atteſtantur Alexandri illius primi, qui Euariſto ſucceſsit, diuerſæ decretales epiſtolæ.Inter quas,in ea quæ inſcripta eſt orthodoxis omnibus per diuerſas prouincias Domino famulantibus,legitur in hæc verba: Relatum eſt,inquit,ad huius ſanctę ſedis apicem(cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum & omnium negotia eccleſiarum à Domino commiſſa ſunt,ipſo dicente principi Apoſtolorum Petro:Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam,&cę.) quòd quidam æmuli Chriſti,ſacerdotes Dei ad iudices publicos accuſare præſumant, &cæt. Audis quid hic dicat? Eadem certè quæ ille Anacletus, videlicet ab ipſo Domino Apoſtolicæ ſedi atque eidem præſidentibus commiſſas ſummarum cauſarum diſpoſitiones, grauioraque Eccleſiarum omnium negotia. Quemadmodum in ſynagoga veteri præſidentibus loco, quem illic elegerat Dominus, omne ambiguum & difficile iudicium.

Non minorem his fidem facit ille beatiſſimus Sixtus Alexandri ſucceſſor, qui ſub Hadriano principe ſextus à Petro ad totius

C orbis epiſcopos ſcribit in hæc verba: Sixtus vniuerſalis Apoſtolicæ eccleſię epiſcopus,omnibus epiſcopis ſalutem in Domino. Poſt præmiſſa pleraque Apoſtolicorum & eccleſiaſticorum dogmatum: Si quis verò,inquit, veſtrûm pulſatus fuerit aliqua aduerſitate,licenter hanc ſanctam & Apoſtolicam appellet ſedem,& ad eam quaſi ad caput reſugium habeat, ne innocens damnetur, aut eccleſia ſua detrimentum patiatur, &c. Ab hac enim ſancta ſede à ſanctis Apoſtolis tueri, defendi & liberari epiſcopi iuſſi ſunt. Vt ſicut eorum diſpoſitione, ordinante Domino, primitus ſunt conſtituti:ita huius ſanctæ ſedis, cuius diſpoſitioni eorum cauſas & iudicia ſeruauerunt, protectione futuris temporibus ſint ab omnibus perſequutionibus ſemper liberi.Vnde meritò culpantur hi,qui aliter circa fratres egerint, quàm huis ſedis rectoribus placere cognouerint,&cęt. Deinde,tanquam principalem illam in eccleſiaſtica hierarchia autoritatem exercens,eccleſiaſticum quoddam decretum edicit,cuius ipſe tenor illam ipſam autoritatē ſonat.Eſt enim his verbis:Nos igitur tanquam omnium curam gerētes propter huius ſedis apicem de-

Appellatiōes eccleſiaſticarũ cauſarũ ex toto orbe ad ſedem Apoſtolicam.

Epiſcoporum iudicia apoſtolicæ ſedis autoritati reſeruata ab initio.

D cernimus,vt nemo pontificum aliquem ſuis rebus ſpoliatum epiſcopum, aut è ſua ſede expulſum,excommunicare aut iudicare præſumat, &c. Si quis autem aliter præſumpſerit, ſciat cenſuram huius ſedis ſibi non defuturam. Hæc ille Sixtus : qui, vt audis, non vnius Romanæ,ſed vniuerſalis eccleſię,qualem ſe ſcribit,epiſcopum ſe quoque geſsit. In quibus audis ex toto orbe appellationes eorũ,qui à ſuis prouincialibus iudicibus prę grauari ſe putabant, ad huius ſedis autoritatem & iudicium. Audis tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ principem , promulgantem canonem eccleſiaſticum. Audis huius ſedis cenſuram comminantem decreti ſui tranſgreſſoribus.Et hæc atque alia pleraque, quę non minorem præ ſe ferunt autoritatem , ante annos mille quadringentos, à ſanctiſsimis illis pontificibus ſcripta ſunt. A quibus non ſunt abſimilia, quæ in Theleſphori glorioſi martyris, & Igenij pontificum in totum orbem directis decretalibus leguntur epiſtolis. Et nunquid hos omnes(vt Lutherus ille,& qui eiuſdem impietatis ſunt,impudentiſsimè & ſacrilego ore blaſphemant)iſta ſibi tyrānicè vſurpaſſe,&vbi ſe Petri ſucceſſores faciunt,mentitos dicemus ſtudio efferendę Romanę,cui pręfuerũt,eccleſię?Nunquid nō ita potius,vt ſuã ſtationem,in qua cōſtitu

ti

A ti erant à Domino, tuerētur, & eccleſiaſticam hierarchiam diſciplinamq́;, in qua omnis eccleſiæ ſalutem, pacem ac vnitatem conſiſtere certum eſt, conſeruarent: quæ acceperant ab Apoſtolis, eorumq́ue principibus, ea liberè prædicaſſe, cùm id requireret res & negociū?

Nūquid ab aliquibus his reclamatum inuenies, quoties iſta ſua (quam prædicabant) autoritate totius orbis epiſcopos ſibi faciebant obnoxios: & non potiùs omnium confeſsione, totiuſq́ue orbis conſenſu, hanc eorum autoritatem (quod clariùs in progreſſu intelliges) fuiſſe confirmatam & recognitam? Mirū profectò, ſi illos nondum pudeat eccleſiaſticarum rerum ignorantiſsimos, qui ſe in arce omnis ſapientiæ locantes, diuinorum humanorumq́; omnium Ariſtarchos & cenſores faciunt, & nos docēt, ſi velimus credere, huius ſanctæ ſedis autoritatē exortam nuperrimè, & à recenti hominum memoria.

Ex Pij hiſtoria & decreto eadem palam facere.

Sed & Pij eſt notiſsima hiſtoria, quemadmodum in orbem vniuerſum edixerit, de cōſona Paſchalis ſolennitatis obſeruatione, nō quarta decima menſis primi ritu Hebraico (quemadmodum in Aſiaticis & Oriētalibus eccleſijs plurimis eatenus ſecerant, Apoſtolorum quorundam in hoc prætendentes exem- B plū: qui vt in alijs multis, ita & hac in re condeſcenderant à principio fragilitati ſuæ gentis, Iudaicęq; illi obſtinationi) ſed die dominico proximè ſequente illam quartam decimam, vt à beatiſsimo Petro legitimè inſtituta ab initio acceperat & obſeruauerat Romana & totius Occidētis eccleſia. Qua de re decretali directa in orbem vniuerſum epiſtola, affirmans etiam Angelica quadam de hoc ſe admonitum reuelatione, per Hermem quendam virum ſanctum, doctorem fidei & ſcripturarum, ſubiūgit hoc ſuum decretū: Vnde, inquit, & nos Apoſtolica autoritate inſtituimus, omnes ita obſeruare debere, quia & nos ſic obſeruamus, nec debetis à capite quoquo modo diſsidere. Cauete autem diligenter omnes, ne quis vos decipiat per aliquam Aſtrologiam, aut philoſophiam, & inanem fallaciā ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Chriſtum & traditionem rectam. In Chriſto enim habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ſitis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Qui & hanc ſanctam Apoſtolicam ſedem, omniū eccleſiarum caput eſſe præcepit, ipſo dicente principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrā ædificabo eccleſiā meam, &c. Hæc ille Pius.

Decretū Pij quo vniuerſā eccleſiam obligari voluit.

Quanquam autem ipſa hæc conſtituendi præcipiendiq́; in vniuerſam eccleſiam Romani pontificis libertas, quā nunc in Pio, & paulo antè in Sixto audiuiſti, ſatis luculēter demonſtret, non ſolùm quam ipſi ſibi autoritatem præſumpſerint ſuper vniuerſam eccleſiam, ſed etiam totius de hoc eccleſię tacitam confeſsionem & recognitionem. C Vt tamen clariùs intelligatur, quā non negligenter aut contemptim etiam à longiſsimè diſtantibus Aſiæ, Oriētiſq́; eccleſijs exceptum fuerit hoc Pij decretum, quæ vt prædictum eſt, eatenus cōſueuerant quarta decima mēſis primi cum Iudæis paſcha celebrare, dominicę diei nulla ratione habita. Cuius ſuæ obſeruationis, & beatiſsimum Ioannem euangeliſtam, & nonnullos alios ex Apoſtolis prætēdebant autores, quos ſimiliter celebrātes viderēt, in hoc, vt diximus, ſuę gentis fragilitati conſcēndentes ab initio. Quam ob cauſam & Petrus & Iacobus in circunciſorum præſentia inueniuntur legis obſeruaſſe cæremonias, atque adeò Paulus ipſe, alioqui ex profeſſo hoſtis Iudaicæ ſeruitutis, etiā penè ad ſcandalū ſuæ gentis in illo principio: vnde & in illum Hieroſolymis facta eſt totius populi ſeditio, & coniuratio, qui tamen pacificè tulit Iacobum & Petrum, quoties adeſſe contingeret, reliquoſq́; Apoſtolos. *Acto. 21.* Itaq; cùm illę per Aſiam eccleſiæ ab eo quod eatenus obſeruauerant, haud temerè recedendum putarent, præſertim cùm Ioannis euangeliſtæ & aliorum nonnullorū D Apoſtolorum, recens in eo ſequerētur exemplum, nec tamen Romani pontificis capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ, diuerſum ab eo præcipiētis, autoritatem auderent contemnere, Polycarpum B. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, & ab eodē Smyrneum ordinatū epiſcopum, tunc totius Aſiæ honoratiſsimum, Romam deſtinarūt, vt Romano pōtifici de ſe ſatiſfacerent, & ſuę illi obſeruationis per eundem rationem redderent & autores. Quem defuncto ſtatim Pio, ſub Aniceto eius ſucceſſore Romam veniſſe, ſanctus Irenæus eiuſdē Polycarpi auditor, Euſebius Cæſarienſis & diuus Hieronymus teſtes ſunt. Cū quo ſuper hac queſtione ita tranſegit, vt non vnuſquiſque ſuam ſentētiam obſtinata contentione defenderet. Neq; enim Anicetus Polycarpo ſuadere poterat, vt non obſeruaret ea, quę nouerat Ioannem diſcipulum Domini, vel cæteros Apoſtolos cum quibus ſemper fuerat, obſeruaſſe. Neque rurſus Anicetum Polycarpus perſuaſit ea deſerere, quæ ille dicebat maiorum à ſe more ſeruari. Cumq́; hæc inter ſe habuiſſent, tandem communicauerunt ſibi inuicem, ita vt cōcederet Anicetus Polycarpo, etiam ſacerdotali miniſterio, honoris duntaxat contemplatione, perſungi: & ita ab inui-

B. Polycarpi ad Anicetum nōie Aſiaticorum epiſcoporū ob illud Pij decretum legatio.

A cem plena fide, pace integra, & firma charitate diſcedunt, vt omnes eccleſiæ, ſiue quæ ita de Paſcha, ſiue quæ non ita obſeruarent, inter ſe tamen concordiam cuſtodirent. Hæc apud Euſebium ex Irenæi ad Victorem epiſtola. Siquidem non videbatur ſancto ſapientiſſimoq; pontifici eam ob rem, quæ vtcunq; tolerari ad tempus & diſſimulari poterat, nouam tunc excitare tragœdiam, quãdo nec intus, nec foris ſatis tutam pacem habebat eccleſia: & Martionis ac Valẽtini, Mõtani quoque, Cataphrygum & Apellitarum tunc exorientes hæreſes, & quæ in eccleſiam debacchabatur, principũ perſecutio, in qua etiam vterq; ipſorũ, hoc eſt, tam Polycarpus quàm Anicetus aliquãto pòſt glorioſo conſummati ſunt martyrio, maius grauiuſq; negotium exhibebant Chriſti fidelibus.

Lib. 5. hiſtor. eccle. cap. 24

At illis ſopitis rurſus & quieſcentibus, Victor Romanus pontifex & ipſe glorioſus Chriſti martyr prædeceſſoris ſui Pij decretũ renouare ac ſtatuere cupiens, & cõſonam paſchalis obſeruationis vnitatẽ per vniuerſam eccleſiam introducere, quò Aſiaticas illas Orientaleſq; eccleſias, ab antiquo illo ſuo ritu Iudaico abduceret faciliùs, ſacerdotales conuentus per diuerſas prouincias celebrari iuſſit, & ipſe primus Romæ celebrauit vicinorũ epiſcoporum concilium. Per Gallias autem celebrato eadem de re ſacerdotum concilio, Irenæus præſuit Lugdunenſis epiſcopus. Præterea & in Cæſarea Paleſtinæ plures & inſignes concilio interfuerunt eccleſiarum antiſtites, cui Theophilus præſuit, ipſius Cæſareæ epiſcopus. Ad eundẽ modum & in Ponti prouincia conuenerunt epiſcopi ſub Palmea, & in Achaia ſub Bacchylo Corinthiorum epiſcopo. Qui omnes ad mandatum Victoris, in ſuis quique prouincijs conuenientes, prorogatis ad ſe inuicem epiſtolis, conuenerunt in Apoſtolicæ ſedis ſententiam, & eccleſiaſticũ decretum, dudum per Pium promulgatum, ſed remiſſiùs exactum, confirmarunt: definientes ex Apoſtolica & Chriſti inſtitutione, paſcha celebrandum eſſe, nõ ritu veteri cum Iudæis, quarta decima menſis primi, ſed Dominica proxima, quando Chriſtus ſurrexit à mortuis: vt ſemper ab initio fidiſſima Apoſtolicæ traditionis cuſtos, obſeruauerat Romana eccleſia. At cùm ſoli Aſianæ regionis epiſcopi, qui etiam ad Victoris mãdatum ſuper eadem quæſtione congregati fuerãt ſub Polycrate Epheſino epiſcopo, ſuam tuerẽtur obſeruationem antiquã & Iudaicam, nec ab ea (vt quam ex diuina inſtitutione ortum habere credebant) quoquo pacto dimoueri ſe ſinerent, nec induci poſſent, vt ea in re conſentirent reliquæ eccleſiæ: Victor erga eoſdem ſeueriùs diſtrictiuſque agens, nec Polycratis pro eis ſatiſfactionem ſuſcipiẽs (quam ſuæ hiſtoriæ Euſebius inſerit) totius Aſiæ & vicinarum prouinciarum ſibi non obſequentes eccleſias priuat communione eccleſiaſtica. Id quod Irenæo, & alijs pleriſq; nõ probabatur epiſcopis, vt ob rem tantillam, & quæ ferri ad tempus diſſimularique facilè poterat, pacem turbaret eccleſiæ. Qua de re etiam ſcriptis ad illum literis liberiùs cum eo expoſtulant, Pij prædeceſſoris ſui in eadem cauſa plenum prudentiæ prætẽdentes exemplum. Ipſe tamen in ſententia perſtitit, cui & vniuerſa Chriſti obediuit eccleſia, quæ deinceps quartodecumanis (ita vocabantur illi qui Iudaico ritu perſeuerabant celebrare paſcha) non communicauit, ſed habuit vt hæreticos. Ex quibus perdurantes reliquiæ ad tempus vſque Niceni, atque etiam Chalcedonenſis concilij coacti ſunt, in eiſdem, quartodecumanorum, vt vocabant, errorem & hæreſim abiurare: vt in actis eorundem conciliorum legitur. Et hæc ita geſta, euidenter oſtendunt Victoris, Polycratis & Irenæi ea ipſa de re ad ſe ſcriptæ epiſtolæ. Præterea Euſebius Cæſarienſis, Hieronymus & alij teſtimonium perhibent. Socrates quoque Græcus autor in eccleſiaſtica ſua hiſtoria his verbis meminit: Plurimi circa Aſiam antiquitus quartodecimo die paſcha obſeruauère, non reſpicientes ſabbati diẽ, & ita facientes nõ ſegregabantur ab illis qui aliter celebrabant, donec Victor Romanæ eccleſiæ epiſcopus excõmunicationem quartodecumanis miſiſſet in Aſiã. Vides & huius teſtimonio, quòd poſt excõmunicationis ſentẽtiam à Victore prolatam in quartodecumanos ab eorum cõmunione abſtinuerint, qui celebrabant aliter, hoc eſt, catholica & orthodoxa Chriſti eccleſia, quæ vniuerſa præter Aſiaticos illos concordabat in obſeruatione paſchali cum Romana eccleſia.

Victoris iuſſu per diuerſas prouincias celebrata concilia conueniſſe in Apoſtolicæ ſedis ſententiam.

B

C

Socrates.

D

Legitur in Trip. hiſt. li. 9. cap. 38.

Hic vellem ſubſiſterẽt pauliſper & pedem figerent, qui non ita nuper, & à recẽti memoria hominum exortam dicunt Romanæ eccleſiæ autoritatem ſuper alias, & nobiſcum perpenderent, quid ergo cauſæ fuerit, quòd etiam illo ſeculo, hoc eſt, vix CL. annis poſt Chriſtum tãtum ſit auſus ille Victor vſurpare ſibi autoritatis ſuper alios omnes totius orbis epiſcopos, tam fuerit imperioſus ac vehemens etiam in tam longè à ſe diſtãtes vniuerſas Orientis eccleſias, vt eas ab antiquo illo ſuo ritu, non tam ratione, quàm autoritate & imperio, etiã inuitas moliretur abſtrahere. Quid etiam? Si nõ ſunt reueritæ illæ tam longè

Vrgentur hic hoſtes autoritatis Romanæ eccleſiæ, & Rom. pontificum.

A gè ſitę eccleſię, in Victore tanquam ſucceſſore Petri, illam, quę capiti eccleſiaſticę hierarchię competit, principalem eccleſiaſtici regiminis autoritatem, qua poſſet omnes obligare ſuarum pręceptionum vinculis: cur quęſo ceſſerunt tam importunè, tam moleſtè imperanti? Cur non contempſerunt illa fulmina cenſurarum, inaniter, & in non ſubditos (vt hi dicerēt) iuriſdictioni ſuæ diſtricta? Cur ab illorum excommunicatorum communione abſtinuit vniuerſa Chriſti Eccleſia, tametſi nó probauerit excommunicari: vt quod pręcipiti factum conſilio plurimi arguebant epiſcopi? Quòd ſi non fuiſſet hęc Romanorum pontificum, totius orbis conſenſu & confeſſione ſuper vniuerſam eccleſiam autoritas, quid illo ſibi vſupanti tantum imperij & iuriſdictionis in alienos ſeruos, fuiſſet magis ridiculū? quid tā importuna tam impotēti eius arrogātia intolerabilius? Quid illis Aſiaticis, tā lōgè à Roma diſtātibus eccleſijs abiectius, quòd & nuper ex Aſia Romam miſiſſent illū Polycarpum, ob illud Pij (quod audiſti) decretum, & nunc iſtius Victoris cenſuris & excommunicationibus adigi ſe permitterēt hoc deſerere, quod ex Apoſtolorum traditione obſeruauerāt ab initio? Et quid de vniuerſa dices eccleſia, quæ illos ob Victoris

B excommunicationem habuit pro excommunicatis, & deinde in eadem pertinaciùs perſiſtentes pro hæreticis? Quo elogio exornati ſunt & à Niceno, & à Chalcedonenſi concilijs.

Quod ſi inſuper & actorum & ſcriptorum ab eodem Victore, de eccleſiaſticis cauſis & negotijs ad diuerſos per orbē epiſcopos vim & energiam perpendas, clariſsimè intelliges, & quam ille perſonam geſſerit in eccleſia, & quid in eo recognouerit orbis vniuerſus. Scribit ad Theophilum Alexandrinum, & vniuerſam eius eccleſiam in hęc verba:

Victor Romanæ & vniuerſalis eccleſię archiepiſcopus Theophilo epiſcopo & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus. Et poſt præmiſſa pleraq;: Similiter & ea vos iudicare ad Apoſtolicam delatum eſt ſedem, quæ pręter noſtram vobis definire non licet autoritatem. Vnde ſtatutum liquet à tempore Apoſtolorum & deinceps. Placuit, vt accuſatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua cauſa epiſcopis, licenter appellet & adeat apoſtolicæ ſedis pontificem, qui aut per ſe, aut per vicarios ſuos eius retractari negotiū procuret, & dū iterato iudicio pōtifex cauſam illius tractat, nullus alius in eius locū ponatur aut ordinetur epiſcopus. Quoniam, quanquam comprouincialibus epiſcopis, accuſati cauſam pontificis ſcrutari liceat, C non tamen abſolutè definire inconſulto Romano pontifice permiſſum eſt: cùm vni beatiſsimo Petro non ab alio, quàm ab ipſo dictum ſit Domino: Quæcunque alligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quęcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et alibi in inſtitutis legitur apoſtolicis: Si quis putauerit ſe à proprio metropolitano grauari, apud patriarcham aut primatē diœceſios, aut penes vniuerſalis apoſtolicæ eccleſiæ iudicetur ſedem. Quare nihil eſt aliud fratres talis veſtra præſumptio, niſi apoſtolorum ſucceſſorumq́; eorū terminos trāſgredi, eorumq́; decreta violare. Hęc illæ Victor, quem audis non ſolùm Romanæ, ſed & vniuerſalis eccleſię archiepiſcopum. Audis autoritatem & prærogatiuam Romanę eccleſiæ non ſolùm conſtitutam à Chriſto, ſed etiam comprobatam decretis apoſtolicis. Quibus expreſſe conſtitutum eſt, appellationes ex toto orbe terrarum ad eandem referri debere. Maiores cauſas & præcipua quæque eccleſiarum negotia illius terminari iudicio.

Eccleſiaſticū decretū ab ipſis apoſtolorū tēporib. de deferēdis appellationibus ad ſedem apoſtolicam.

Eadem hęc penè ad verbum fidentiſsimè prędicat Sixtus ille ſecundus, glorioſiſsimus Chriſti martyr & pontifex, atque iterum iterumq́; repetit. Primò in epiſtola ad Gratū epiſcopum: deinde epiſtola altera ad epiſcopos per Hiſpaniam: eadem quoque Felix primus ſanctiſsimus pontifex in epiſtola ad Paternum epiſcopum.

Nec his ſunt abſimilia, q̄ ſcribit Marcellus glorioſus martyr & pontifex ad vniuerſos per Antiochiam prouinciam conſtitutos epiſcopos: Rogamus, inquit, vos fratres, vt D non aliud doceatis ac ſentiatis, quàm quod à beato Petro apoſtolo, & reliquis apoſtolis ac patribus accepiſtis. Ab illo enim primùm inſtructi eſtis, ideo nō oportet vos primum derelinquere patrē & alienos ſequi. Ipſe enim eſt caput totius eccleſię, cui Dominus ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, &cæt. Eius enim ſedes primùm apud vos fuit, quæ poſtea iubente Domino Romam tranſlata eſt, cui adminiculante gratia diuina pręſidemus. Nec ab huius diſpoſitione deuiare oportet, ad quam cuncta maiora negotia eccleſiaſtica, diuina diſponēte gratia, iuſſa ſunt referri, vt ab ea canonicè diſponantur, &cę. Ad quam omnes, quaſi ad caput, iuxta apoſtolorum eorumq́; ſucceſſorum ſanctiones, epiſcopi, qui voluerint, aut quibus neceſſe fuerit confugere, eamq́ue appellare debent, &cæ. Quia epiſcoporum iudicia, & ſummarum cauſarum negotia,

Oīa grauiora negotia eccleſiaſtica ab initio relata ad ſedē Petri.

Y 4 cunctaq́;

A cunctaq; dubia Apoſtolicæ ſedis autoritate peragenda ſunt & finiēda. Et omnia prouincialia negocia huius ſanctæ & Apoſtolicę ſedis ſunt retractanda iudicio, ſi huius eccleſię pontifex præceperit. Hęc ille glorioſus Chriſti martyr & pontifex. A quo ſi per omnes, vt ſibi ſucceſſerūt ex ordine ad Syluestrū vſq;, ſub quo Nicenum celebratum eſt cōcilium, percurrere libeat, diligenterq; perpendere, & quibus & qualia ſcripſerint, quid egerint, quo ſe geſſerint pacto, clariſsimè videbis, illos omnes, non vnius Romæ aut Italiæ, ſed totius dominici gregis geſſiſſe epiſcopatum, & illam ſupremam in eccleſiaſtica hierarchia autoritatem, in ipſis recognouiſſe ſemper orbem vniuerſum. Ex quibus, vt adhuc vnum audias Melchiadem, qui Syluestrū proximè præceſsit, ad Marinum, Benedictum, Leontium, & cęteros Hiſpaniarum epiſcopos ſcribit in hæc verba: Epiſcopos nolite iudicare, nolite condemnare abſque huius ſedis autoritate: quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra iudicia, & vos condemnabimini: hoc enim priuilegium huic ſanctę ſedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſeruare, quod illæſum

Eadem à Melchiade.

B manet vſq; ad hodiernū diē, &c. quod beato Petro æternæ vitæ clauigero Dn̄s ſolummodo commiſit, quod prærogatiuum eius iuſtè ſuccreſcat ſedi, futuris hæreditandum tenendumq; temporibus. Quoniam & inter beatos Apoſtolos fuit quędam diſcretio poteſtatis. Et licet cūctorum par eſſet electio, beato tamen Petro conceſſum eſt, vt alijs pręeminere t, eorumq;, quæ ad querelam venirent, cauſas & quæſtiones prudenter diſponeret. Id quod Dei ordinatione taliter conſtitutum credimus, ne omnes poſterorum ſibi cūcta vendicarēt, ſed ſemper maiores cauſę (ſicut ſunt epiſcoporum & potiores curę negotiorum) ad vnam B. principis Apoſtolorum Petri ſedem confluerent, vt inde ſuſcipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque à ſuo diſcreparent capite. Si ergo viderit ſe quiſpiam veſtrûm prægrauari, hanc ſedem appellet, huc recurrat, vt ſemper inſtituta fuit conſuetudo. Hæc ille Melchiades. In quibus audis eadem quæ toties ſuperiùs audiuiſti, nempe quale in beatiſſimo Petro hæc ſedes priuilegium acceperit, vtq; illud ab Apoſtolorum vſque temporibus eatenus illæſum intemeratumq; ſeruatum fuerit.

Ex toto orbe appellationes ad ſedem apoſtolicam.

Et hos omnes ſanctos pōtifices, in quibus plurimi ſunt glorioſi etiā Chriſti martyres, nunquid iſta mentitos dicemus, & præcedentis ab initio temporis inuiolatam conſuetudinem, & Apoſtolicos, quos commemorant, canones, confinxiſſe de ſuo capite, quò ſuam C ſuper alios efferrent potētiam, ſtabilirentq; tyrannidem? & non potiùs, tāquam ſuper eccleſiæ ſpeculam conſtitutos à Domino, Chriſtiani gregis vigilantes egiſſe excubias, eccleſiaſticæq; hierarchiæ vigorem & vnitatem, in quo omnis eccleſię ſalutem conſiſtere certū eſt, vt erat inſtituta ab Apoſtolis & Chriſto, conſeruaſſe diligēter? Qui quòd nō ſua quæſierint, ſed quæ Ieſu Chriſti, proprio ſanguine ſatis, arbitror, conteſtatum reliquerunt. Qui vt quā maximè fingere aliquid aut mentiri voluiſſent, quis quæſo hac in re fictioni, quis locus erat mendacio? Nunquid ignorare potuit orbis vniuerſus, quid aut tunc, aut temporibus ab initio eccleſiæ pręcedētibus, à quo non ita longè diſtabant, toto orbe obſeruatum fuerat? An grauiora illa eccleſiaſticarum rerum negotia, & epiſcoporum iudicia referri conſueuerint ad huius ſedis iudicium? Nunquid adeò tunc fuerūt ignoti Apoſtolorū, quos hi proferebant & inculcabant, canones, quibus ſolis tunc gubernabatur eccleſia, continuò poſt ipſa Apoſtolorum tempora? Vt tamen pro tuo more, ac pro tua illa modeſtia, de his & dicas, & fingas quicquid volueris, inficiari non poteris, eius ſaltem, quod hîc demonſtrandum ſuſcepimus, ſuffi- D cientiſsimum locupletiſſimumq; ipſos perhibere teſtimonium, nēpe facti proprij, quod ſolùm nunc in demonſtrationem venit: vt videlicet tanquam Petri ſucceſſores, pro eccleſiaſticæ hierarchię principibus, omnes ab initio ſe geſſerint Romani pontifices, & illam principalem eccleſiaſtici regiminis autoritatem ſuper eccleſiam vniuerſam, facto exercuerint. Iuré ne an iniuria, in ſuperioribus ſatis demonſtratum arbitror. Certè facti proprij haud ſcio vt alios requiras teſtes magis idoneos. Tametſi illis ipſis, vniuerſi, vt etiam audiuiſti, ſcriptores veritatis perhibeant teſtimonium.

Quæ fuerit in illo flore iuuentutis Chriſtianæ eccleſiæ, eius hierarchiæ facies, quæ in ea Romanorū pontificum autoritas: utq; ne ordinarentur quidem ex toto orbe, niſi horum autoritate confirmati epiſcopi, ex beatiſsimi Leonis epiſtola demonſtrare.

CAP. X.

QVanquam ex his, quæ induximus hactenus, ſatis conſtare crediderim, Romanos pōtifices tanquam ſucceſſores Petri, ſe geſsiſſe ab initio pro eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, & pro talibus fuiſſe recognitos ab vniuerſa Chriſti eccleſia: vt tamen & nos articulatiùs de-

A demonſtremus,& tu clariùs intelligas Chri-
ſtiane lector,quæ fuerit en ſeculo eccleſiaſti
cæ bierarchię facies,qui vigor diſciplinę,quę
pontificię illius dignitatis maieſtas & reue-
rentia,quàm præſens toti orbi,imò quàm in-
tima,etiam longiſsimè diſtantibus eccleſijs,
vnius Rom.pontificis,tanquam in immenſo
aliqno exercitu imperatoris autoritas,adeò
vt abſq; eius ſcitu & imperio nihil ageretur,
quod alicuius momenti eſſet in eccleſiaſticis
toto orbe negotijs,eius verò iuſſa abſque cõ
tradictione ſequerentur omnes. Operępre-
tium mihi videtur,illius ter ſancti Leonis ad
Anaſtaſium Theſſalonicẽ.epiſtolam de At-
tico veteris Epeiri archiepiſcopo adſcribere,
vt quæ & per ſe lectu digniſsima eſt,inſuper
& euidentiſſimè demonſtrat illius tunc verè
florentis Chriſtianæ eccleſiæ faciem: quam
vtinam noſtri ſeculi homines zelarent ac ę-
mulalentur potiùs,quàm eccleſiaſticam(qua
liſcunq; adhuc reſtat) hierarchiam vnà cum
religione molirentur euertere. Hoc tamen,
eo quòd prolixior eſt, eius prælibato argu-
mento.

Conſueuerant ex more antiquo Theſſalo
nicenſes epiſcopi eſſe Romanorum pontifi-
cum per regiones Orietales legati ac vicarij,
quemadmodum pòſt nõnunquam Conſtan-
tinopolitanos, aliquando etiam Alexandri-
B nos epiſcopos fuiſſe demonſtrant Simplicij
ad Acatium Conſtantinopolitanum,& Boni
facij ad Eulalium Alexãdrinum, aliorumq́;
ad alios diuerſę epiſtolę. Idq́; ne aut illis tam
longè diſtantibus à cathedra Petri eccleſijs
eiuſdẽ deeſſet ſeu cura ſeu autoritas: aut illæ
è tam longinquo,ad hanc aſsiduo referre co
actæ eccleſiarum negotia,nimium grauaren-
tur. Quã ob cauſam quanta eſſe ſolebat ſacer
dotum & eccleſiaſticorũ ex toto Oriẽte pro
eccleſiaſticis negotijs cõfluentiũ apud Theſ-
ſalonicam frequentia, canon XX. Sardicenſis
concilij indicat,quo cõſtituitur,ne epiſcopi,
presbyteri,aut clerici illic diutiùs moraren-
tur,quàm eccleſiarum ſuarum,& cauſarũ pro
quibus eò conueniſſent, exigeret neceſsitas,
ne ſine paſtoribus & rectoribus diutiùs re-
manerent plebes & eccleſię. Ita & Anaſtaſius,
beatiſsimi Leonis in illis partibus vicarius,
Atticum veteris Epeiri metropolitanũ anti-
ſtitem,coram ſe perſonaliter euocauerat. Et
cùm per excuſationem infirmitatis,inſtantis
hyemis difficultatisq́; itinerum adeſſe differ
ret,ille ad autoritatis ſuæ & ſedis Apoſtolicę
cõtemptum hoc pertinere exiſtimãs,aut ſuo
ea in re obſecutus affectui,implorata execu-
tione brachij ſecularis,per præfectum Illyri-
ci eum ad ſe venire compulit, aut potiùs per
vim fecit adduci. Qua re per beatũ Leonem
intellecta,tam Atticum,quàm Anaſtaſium cõ
ram ſe euocauit. Nunc audi eiuſdem hac de
re ad ipſum Anaſtaſium epiſtolam.

C Quãta fraternitati tuæ à beatiſsimo Petro
Apoſtolo commiſſa ſunt,& qualia etiam no-
ſtro fauore tibi ſint credita, ſi vera ratione
perſpiceres,& iuſto examine põderares,mul
tum poſſemus de iniunctę tibi ſolicitudinis
deuotione gaudere. Quoniam ſicut præde-
ceſſores mei prædeceſſoribus tuis, ita etiam
ego dilectioni tuæ, priorũ ſecutus exemplũ,
vices mei moderaminis delegaui, vt curam;
quam vniuerſis eccleſijs principaliter ex di-
uina inſtitutione debemus, imitator noſtræ
manſuetudinis adiuuares, & longinquis ab
Apoſtolica ſede prouincijs pręſentiam quo-
dammodo noſtrę viſitationis impenderes.
Quia de continenti opportunoq́ue profectu
promptum tibi eſſet, quid, vel in quibus re-
bus,aut tuo iudicio componeres, vel noſtro
iudicio reſeruares. Nam cùm maiora negotia
& difficiliores cauſarum exitus liberum tibi
eſſet ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſ-
pendere,nec ratio, nec neceſsitas fuit, in id,
quod menſuram tuam excederet, deuiandi.
Abundãt enim apud te monumẽtorum ſcri-
pta noſtrorum,quibus te de omni actionum
temperantia frequẽter inſtruximus, vt com-
D mendatas tibi eccleſias per exhortationẽ cha
ritatis ad ſalubritatem prouocares. Quia etſi
pleraq; exiſtant inter deſides & negligentes
fratres, quę oporteat maiore auſteritate cu-
rari: ſic tamen adhibẽda eſt correctio, vt ſem
per ſit ſalua dilectio. Vnde & beatus Apoſto
lus Paulus ad eccleſiaſticum regimen Timo-
theum imbuens,dicit: Seniorem ne increpa-
ueris,ſed obſecra vt patrẽ,iuuenes vt fratres,
anus vt matres,iuuẽculas vt ſorores in omni
caſtitate. Quę moderatio ſi quibuſcunq; infe
rioribus membris ex Apoſtolica inſtitutio-
ne debetur,quanto magis fratribus & epiſco
pis ſine offenſione reddẽda eſt? vt licet non-
nũquam accidant,quę in ſacerdotalibus ſint
reprehendẽda perſonis, plus tamen erga cor
rigendos agat beneuolentia,quàm ſeueritas,
plus cohortatio,quàm commotio,plus chari
tas,quàm poteſtas. Sed hi, qui quæ ſua ſunt,
quærunt,non quæ Ieſu Chriſti, facilè ab hac
lege diſcedũt,& dum dominari magis, quàm
conſulere ſubditis quærunt, placet honor,
inflat ſuperbia, & quod prouiſum eſt ad con
cordiam,tendit ad noxam. Quod, vt neceſſe
habeamus ita dicere, de non paruo animi do
lore procedit. Meipſum enim quodammo-
do in culpa ſentio, cùm te à traditis tibi re-
gulis vel in modico deuiaſſe cognoſco: qui ſi

Culpã legati in delegãtem quodammodo tendere.

A tuæ æſtimationis parum diligens eras, meæ ſaltem famę parcere debuiſti, ne quæ tuo tantùm facta ſunt animo, noſtro viderentur geſta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas noſtras, omniaq; ad tuos miſſa maiores Apoſtolicæ ſedis prȩſulum ſcripta decurrat, & vel à me, vel à prȩdeceſſoribus meis inueniat ordinatum, quod à te cognoui eſſe prȩſumptũ.

Attici aduerſus Anaſtaſiũ legatũ querela coram ſede Apoſtolica.

Venit nanque ad nos cũ epiſcopis prouinciæ ſuæ frater noſter Atticus veteris Epeiri metropolitanus antiſtes, & de indigniſſima adſtrictione quã pertulit, lachrymabili actione conqueſtus eſt coram aſtantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contra referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monſtrabant. Legebatur quoque in literis tuis, quas ijdem diaconi detulere, quòd frater Atticus Theſſalonicam veniſſet, quodque conſenſum ſuum, etiam ſcripturæ profeſsione ſignaſſet, vt de illo non aliud à nobis intelligi poſſet, quàm proprij arbitrij, & ſpõtaneę deuotionis fuiſſe, quòd venerat, quodq; chartulam de obedientię ſponſione conſcripſerat. In cuius tamen chartulæ mentione ſignum prodebatur iniuriæ. Non enim neceſſariũ fuerat, vt obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo iam voluntarij aduentus probabat officio. Vnde deplorationibus B ſupradictis hæc verba epiſtolæ tuæ teſtimonium prætulere. Et per hoc quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud quod ſilẽtio fuerat adopertum: adhibitam ſcilicet Illyrici præfecturam, & ſublimiſsimam inter mũdanos apices poteſtatem, in exhibitionem inſontis antiſtitis incitatam, vt miſſa executione terribili, quæ omnia ſibi officia publica ad effectũ preceptionis adiungeret, à ſacris eccleſiæ adytis nullo vel falſo inſimulatus crimine extraheretur ſacerdos, cui non ob moleſtiam ęgritudinis inſtantis hyemis darentur induciæ, ſed iter aſperũ & periculis plenum per inuias cautes agere cogeret, &c.

Ex his nota quã fuerit libera Apoſtolicæ ſedis in euocandis coram ſe etiam perſonaliter totius orbis epiſcopis autoritas.

Multum ſtupeo frater chariſsimè, ſed & plurimum doleo, quod in eum, de quo nihil amplius iudicaueras, quàm quod vocatus adeſſe differret, & excuſationẽ infirmitatis obtenderet, tam atrociter, tam vehementer potueris commoueri: præſertim cùm etſi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat, quid ad conſulta tua reſcriberem. Sed, vt video, bene de moribus meis æſtimaſti, & quã ciuilia pro conſeruanda ſacerdotali concordia reſponſurus eſſem, veriſsimè præuidiſti: & ideo motus tuos exequi ſine dilatiõe properaſti, ne cũ moderationis noſtræ aliud diſponentis ſcripta ſuſcepiſſes, faciẽdi id quod factum eſt, licentiam non haberes. An fortè C aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & metropolitanum epiſcopũ noui apud te criminis pondus vrgebat? quod qnidem alienum ab illo, etiam tu, nihil ei obijciendo, confirmas. Sed etiamſi quid intolerãdum geſsiſſet, noſtra erat expectanda cẽſura, vt nihil priùs ipſe decerneres, quàm quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem ſis vocatus ſolicitudinis, nõ plenitudinem poteſtatis. Vnde ſicut multùm nos ea quę à te piè ſunt curata, lætificant: ita nimiùm ea quę perperam ſunt geſta, contriſtant, & neceſſe eſt poſt multarum experimenta cauſarum ſolicitiùs proſpici & diligentiùs præcaueri, quatenus per ſpiritum charitatis & pacis, omnis materia ſcandalorum de eccleſijs Domini, quas tibi commendauimus, auferatur, præeminente quidem in illis prouincijs epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu.

Deinde de commiſſo eidem ſuæ legationis munere illum pleniùs inſtruens, & quas in ſingulis eccleſiaſticis, quę ad apoſtolicę ſedis autoritatem referri oportebat, negotijs ſequi teneretur, regulas ac leges præſcribẽs.

Igitur, inquit, ſecundum ſanctorum patrũ canones ſpiritu Dei conditos & totius mundi reuerentia cõſecratos, metropolitanos ſin- D gularum prouinciarum epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra tuę fraternitatis cura prętenditur, ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præſtitutis, nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.

Quã formam in ordinandis epiſcopis ſuo legato præſcripſerit. Quales ordinandi.

In ciuitatibus, quarum rectores obierint, de ſubſtituendis epiſcopis hæc forma ſeruetur, vt qui ordinandus eſt, etiam ſi bonę vitæ habeat teſtimonium, non laicus ſit, non neophytus, nec ſecundę cõiugis maritus, aut qui vnam quidem habeat vel habuerit, ſed quam ſibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens eſt electio, vt hęc, quæ in alijs eccleſię membris non vocantur in culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cùm extra clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati & procreationi liberorum ſtudere ſit liberum, ad exhibẽdam tamen perfectæ continentię puritatem, nec ſubdiaconibus carnale cõnubium conceditur, vt qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus à capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſeruãdum eſt: ne aut Leuitico miniſterio, aut presbyterali honore, aut epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur,

qui

A qui ſe à voluptate vxoria necdum frænaſſe detegitur?

In electione quæ ponderanda.

Cùm ergo de ſummi ſacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque conſenſus concorditer poſtulauerit, ita vt ſi in aliam fortè perſonam partium ſe vota diuiſerint, metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus & ſtudijs iuuatur & meritis: tantùm vt nullus inuitis & nō petentibus ordinetur, ne ciuitas epiſcopum nō optatū aut contēnat, aut oderit, vt fiat minùs religioſa, quā conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit. De perſona autem conſecrādi epiſcopi, & de cleri plebiſq; conſenſu metropolitanus epiſcopus ad tuam fraternitatē referat, quodq; in prouincia bene placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem ritè celebrādam tua quoq; firmet autoritas, quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu deſit cura paſtorum.

Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius alius fuerit ſurrogandus, prouinciales epiſcopi ad ciuitatem metropolitanā conuenire debebūt, vt omnium clericorum atq; omnium ciuium voluntate diſcuſſa, ex preſbyteris eiuſdem eccleſiæ vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referāt ſacerdotes, impleturi vota poſcētium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoq; placuiſſe cognouerint. Sicut enim

B iuſtas electiooes nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.

Cōcilia epiſcopalia ordinaria bina quotannis per ſingulas prouincias celebrāda.

De concilijs autē epiſcopalibus nō aliud iudicamus, qnàm ſancti patres ſalnbriter ordinarūt, vt ſcilicet bini cōuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quę inter diuerſos eccleſię ordines naſci aſſolent, iudicetur. Et ſi fortè inter ipſos, qui pręſunt, de maioribus, quod abſit, peccatis cauſa naſcatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatē tuā de totius negotij qualitate metropolitanus curabit inſtruere. Et ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur, &c.

In euocandis autem ad te epiſcopis moderatiſsimū te eſſe volumus, ne per maioris diligeotiæ ſpeciem fraternis videaris gloriari iniurijs. Vnde ſi cauſa aliqua maior extiterit, ob quam neceſſarium ſit fratrum aduocare connentum, binos de ſingulis prouincijs epiſcopos, quos metropolitani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire ſufficiat, ita vt in præſtituto tempore, non vltra quindecim dies, quò conueoerint, retardentur. Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumq; credideris, diuerſa eorum fuerit à tua volūtate ſeotentia, ad nos omnia ſub geſtorū teſtificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod deo placeat decernatur. Ad hunc enim finē, omnem affectum noſtrū curamq; dirigimus, vt quod ad vnitatem concordiæ, & quod ad cuſtodiam pertinet diſciplinæ, nulla diſſenſione violetur, nulla deſidia negligatur. C

Salubris exhortatio oēs ordines ſibi conciliant.

Et te igitur frater chariſsime, & eos fratres noſtros, qui de tuis offenduntur exceſsibus, cùm tamen non ſit ſimilis omnium materia querelarū, hortor & moneo, vt quæ piè ſunt ordinata ſalubriterq; diſpoſita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod ſuū eſt, quærat, ſed quod alterius, ſicut Apoſtolus ait: Vnuſquiſq; veſtrū proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem. Neq; enim poterit vnitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis adſtrinxerit: quia ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Hæc connexio totius quidē corporis vnanimitatem requirit, ſed pręcipuè exigit cōcordiam ſacerdotum, quibus cùm dignitas ſit communis, non eſt tamen autoritas æqualis, quoniam & inter beatiſsimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cùm omnium par eſſet electio, vni tamē datum eſt, vt cæteris præemineret: de qua forma epiſcoporū quoq; eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouiocijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſus quidam in vrbibus maioribus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſsideret. Qui ergo quibuſdam ſcit ſe eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat ſibi aliquem eſſe prælatum, ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat: & ſicut nō vult grauis oneris ſarcinam ferre, ita oon audeat alij importabile pondus imponere. Diſcipuli enim ſumus humilis & mitis magiſtri, dicētis: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quod quomodo experiemur, niſi & illud in obſeruantiam veniat, quod idem Dominus ait: Qui maior eſt veſtrûm, erit miniſter veſter: qui autem ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humi-

Corpus eccleſiæ.

D

A humiliat, exaltabitur? Hæc ille verè magnus Leo, anno circiter quadrageſimo ſupra quadringenteſimum, in illo flore iuuẽtutis Chriſtianę eccleſię. Quę nec me piguit aſſcripſiſſe prolixiùs, nec te legiſſe pœnitebit Chriſtiane lector. Quandoquidem vna hac epiſtola planè cõfundimus vniuerſos hos giganteos ſacroſanctæ maieſtatis & eccleſiaſticæ hierarchię impugnatores. qua vt vix aliud grauius: ita nec euidẽtius afferri potuit teſtimonium, ex quo clariùs certiuſq; poſſet intelligi, quæ fuerit eo ſeculo, nec eo ſeculo tantùm, ſed & præcedentibus ipſum temporibus, eccleſiaſticæ hierarchię facies. Sicut enim, inquit, prędeceſſores mei prædeceſſoribus tuis: ita & ego priorum ſecutus exẽplum, tuæ dilectioni vices mei moderaminis delegaui.

Ex prædicta B. Leonis epiſtola ut clariſſimè intelligatur, quæ fuerit facies hierarchiæ eccleſiaſticæ illo ſeculo.

Audiſti autẽ ex eadem, quàm decora, quàm ordinata, quàm decẽter diſpoſita tunc fuerit illa domus eccleſiaſtica ſub cura vnius, veluti patrisfamiliâs, Romani pontificis. Cuius non minùs tunc viguit in vniuerſum orbem autoritas, vnitatem eccleſiaſticam cõtinens, & non ſecùs quàm animus quidam immenſum aliquod corpus ex pluribus maximeq; diſſimilibus membris compoſitũ, ſuſtinens, vegetans & gubernans, q̃ faciat in vna domo vnius patrisfamiliâs. Vtq; per diuerſos officiorũ, dignitatũ, ordinumq; gradus, ad vnam beati Petri ſedem totius eccleſiæ cura tũc ordinatiſſimè commodiſſimeq; confluxerit. Omneſq; etiam longiſſimè poſitæ eccleſiæ, non minùs moderationis eius veluti præſentis ſentirent habenas, non minùs imperia religioſiſſimè promptiſſimeq; exequerentur,
B quàm quę vicinę erant & proximæ. Breuiter, vt ſine eius iuſſu aut permiſſu, nihil quod alicuius momenti eſſet, eccleſiaſticorum negotiorum ageretur in vniuerſa domo eccleſiaſtica, ſed maiores omnes cauſæ ad eius referrentur arbitrium.

Audiuiſti inſuper, quæ eius fuerit libertas in euocãdis coram ſe etiam perſonaliter, ex toto orbe epiſcopis, quàm illorum diſtricta obedientia, quã pręſtò fuerit etiam ſublimiſſima inter mũdanos apices poteſtas, ad executionem mandatorum huius ſedis legati, quę omnia ſibi publica officia ad effectum pręceptionis adiungeret, in exhibitionem inſontis alioqui archiepiſcopi.

Audiuiſti præterea, vt conſueuerint etiam tunc in extremo Oriente metropolitani obedientiam præſtare Roma. pontifici. Vt nulli toto orbe, niſi huius ſedis autoritate, ordinarentur epiſcopi. Siquidem electionũ epiſcopalium ex toto orbe, etiam à longiſſimè diſtantibus eccleſijs, cõfirmationes petebãtur

C à ſede Apoſtolica. Id quod clariſſimè indicãt illa dictę epiſtolę verba: De perſona autẽ conſecrandi epiſcopi, & de cleri plebiſq; conſenſu metropolitanus epiſcopus ad tuã fraternitatem referat, quodq; in prouincia bene placuit, ſcire te faciat: vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet autoritas. & rurſus: Sicut enim iuſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari: ita nihil permittimus te ignorante præſumi.

Itaq; beatus Gregorius de Maximo pręter autoritatem & confirmationem Apoſtolicæ ſedis Salonitanæ eccleſiæ ordinato epiſcopo dubitans, ne fortè id factum fuiſſet iuſſu imperatoris Mauritij, qui & alia pleraq; egit impiè, Conſtantinæ Auguſtę ſcribit in hęc verba: Salonitanę, inquit, ciuitatis epiſcopus me ac reſponſali meo neſciente ordinatus eſt. Et facta eſt res, quę ſub nullis anterioribus principibus euenit. Vides quid ille dicat? nunquã antè factum, vt quiſquam ordinaretur epiſcopus abſq; autoritate ſedis Apoſtolicę.

Diligẽter nota ac pondera hoc dictum Gregorij.

Et hęc eſt illa vnitas epiſcopatus Petri in catholica eccleſia, in qua glorioſus ille Chriſti martyr & pontifex Cyprianus prędicat cõſiſtere vnitatẽ eccleſię. Cuius epiſcopatus à ſingulis pars quędam tenetur in ſolidum. Cæteri enim in partem vocati ſunt ſolicitudinis: vnus Petrus & qui illi ſuccedunt, in plenitudinẽ poteſtatis. A qua plenitudine quiſquis non participat, nihil ſibi epiſcopalis autoritatis poteſt vendicare.

Quæ vnitas epiſcopatus Petri in catholica eccleſia, in qua B. Cyprianus prædicat cõſiſtere vnitatẽ eccleſiæ.

D Et ne quis putet, exegiſſe quidem illa Leonem, quæ audiuimus, ex vniuerſo videlicet orbe epiſcopales electiones referri ad autoritatem ſedis Apoſtolicę, ſed tamen non obtinuiſſe, quę exigebat vniuerſa: is ex ipſa phraſi epiſtolę intelligat nihil illum ea in re exegiſſe noui, ſed quę antiquitus decentiſſimè ordinata, conſtitutaq; fuerant, atq; eatenus inconcuſſe obſeruata, pro conſeruando vigore eccleſiaſticæ diſciplinę. Magis modum imponens ſuo vicario & retrahens, ne abuteretur ſibi commiſſa autoritate, quàm incitans, ac prouocans, ne eandem negligeret. Imò, non ſolùm, quòd ea tunc toto orbe conſuetudo fuerit, petẽdarũ ab Apoſtolica ſede confirmationũ, electionũ epiſcopaliũ: ſed etiã, quòd eaſdem cõfirmare nõ cõſueuerint: pręſertim in ſedibus principalibus declinante iam orbe ad ſchiſmata & hæreſes, poſt ſemel accenſam Arrianam illam facem, priuſquam ſuæ fidei propria manu ſubſcriptas & roboratas miſiſſent literas. Idem Leo & ſcripto & re ipſa atteſtatur in Anatolio, & beato Proterio Alexandrino epiſcopis. Neque enim Anatolium in defuncti beati Flauiani locum ſurrogatum

A gatum epiſcopum cõfirmare conſenſit,quã-uis intercedẽte pro eodem Chriſtianiſsimo imperatore Theodoſio, priuſquam de verbi incarnatione ea ſe credere & tenere profiteretur, quæ tam in ſua ad beatũ Flauianum, q̃ in beati Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis continentur:eamq́ue profeſsionem abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni clero & vniuerſa plebe declararet: nec ſe cõmunicaturum cũ his,qui de verbi incarnatione aliter ſentirẽt, ſub ſuo etiam chirographo profiteretur, vt eiuſdem Leonis ad Theodoſium imperatorẽ clarè teſtatur epiſtola.Pro Proterio quoque, qui in locum Dioſcori,Apoſtolica & Chalcedonẽſis ſynodi autoritate deiecti, ordinatus fuerat Alexãdrinus epiſcopus,Martianus imperator ſuis literis & nũcijs apud eũdem Leonem interceſsit, vt ab ipſo confirmaretur: quod tum facere conſenſit, cùm fidei & confeſsionis eius teſtes,propria ipſius manu ſcriptas,& proprio ad hoc nuncio miſſas accepiſſet literas.Quemadmodum ipſius indicat ad Martianum epiſtola,qua ea de re illi reſpondet in hæc verba:

Leo ad Martianũ de cõfirmatione Proterij Alexandrini epiſcopi

Puritatem fidei Chriſtianæ,qua clementia veſtra præfulget,etiam his literis,quas frater & coepiſcopus meus Neſtorianus detulit, demonſtratis,iuſtiſsimum fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis antiſtiti impendentes fauorem,quo mihi per omnia eſſet acce-

B ptior.Nam cui veſtra pietas teſtimoniũ perhibere dignatur,indubitanter eſſet probãdus, etiamſi taceret.Sed accedit ad gratiam,quòd proprio quoq; ſermone cognoſcitur. & quã ſyncerus ſit catholici dogmatis prædicator, ipſius profeſsione clareſcit,vnde pleniſſimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector.Nam cùm ſe amplecti epiſtolam meam,quam ad beatæ memoriæ Flauianum cõtra Euticeten impium miſi, toto corde profitetur,quid aliud, quàm diſcipulum ſe Apoſtolorum oſtendit?Hęc ille beatiſsimus Leo. Quem audis, vt vno verbo dicat, qualem ſe geſſerit totius eccleſiaſticæ domus & familię patremfamiliàs, qualem illum recognouerit orbis vniuerſus:vt confundatur illorum cæca impudentia,qui non ita nuper, nec longè à noſtra memoria cœpiſſe primatum Romanæ eccleſiæ ſuper alias,affirmare non erubeſcunt. Quorum deinceps adhuc euidentiùs traducetur ignorantia.

Quanti momenti fuerint eo ſeculo confirmationes Apoſtolicæ ſedis in electionibus atq; ordinationibus toto orbe epiſcopalibus.Imò quãta in uniuerſum eiuſdem ſedis autoritas,ex hiſtoria Iulij Romani põtificis & Antiochenæ ſynodi demonſtrare.

CAP. XI.

C SAtis clarè intellexiſti Chriſtiane lector,ex dicta beatiſsimi Leonis ad Anaſtaſium epiſtola,qualis longè ante vndecies centenos annos fuerit in illa primitiua Eccleſia eccleſiaſticæ hierarchiæ facies,qui vigor diſciplinæ, quæ Romanorum põtificum & ſedis Apoſtolicæ autoritas, quæ vniuerſam Chriſti eccleſiam non ſecùs quàm vnam domum aut familiam adminiſtrabat,& continebat in vnitate & officio. Ad quod cùm planè eſſet neceſſarium, vt omnes omnium eccleſiarum præpoſiti ab vno ipſo dependerent, per quos ad vnum totius eccleſię referebantur negotià, quô tota ſibi eſſet cõſentiens & conſona, tota ſentiret moderationem vnius capitis,vnius exequeretur iuſſa & imperia:Ita ex toto orbe referebantur electiones ad confirmationem capitis,Apoſtolicæ,inquam,ſedis præſulis,vt eadem clariſsimè atteſtatur epiſtola.Hoc enim planè requirebat ordo domus eccleſiaſticæ, vt in eadem ſuus diſciplinæ vigor & vnitatis conſeruari poſſet concordia.

D Sed ne quis ad noſtræ,quæ nunc eſt,eccleſiæ faciem reſpiciens, in qua nunc paſſim omnibus ſibi omnia vẽdicãtibus epiſcopis,cõfuſus eſt omnis ordo hierarchiæ eccleſiaſticę,ſolutus vigor,ſublata dignitas, ad hæc impiorum principum irreligioſa tyrãnide commixta ſacra prophanaq́ue omnia, & oppreſſa omnis maieſtas eccleſiaſtica.Ad hanc,inquã, noſtræ eccleſiæ faciem, ne quis fortè reſpiciens ſibi perſuadeat, etiam tunc, non ſecùs quàm nunc confirmationes illas electionum epiſcopalium petitas quidem ab autoritate ſedis Apoſtolicæ,ſed pro ritu quodam ſolenni,& more ægrè extorto,alioqui non magni momenti aut ponderis,vt quę ant nunquam denegari ſolebant quibuſlibet electionibus, aut ſine quibus electi æquè pręeſſent & haberentur pro epiſcopis: euidẽtiſsimis nunc hiſtorijs demõſtrabimus, tales tantiq; momenti eo ſeculo fuiſſe habitas, vt linc illis notorium, & toti orbi conſeſſum fuerit,ordinationes eiuſmodi viribus non ſubſiſtere, nec ſine illis pro epiſcopis habitos ab orthodoxo populo.

Niſi cõfirmatoi autoritate ſedis Apoſtolicæ etiã tãcnõ fuiſſe epitos pro epiſcopis ab orthodoxo populo.

Et in primis id clariſsimè eſt perſpicere ex hiſtoria Iulij Rom.pontificis & Antiochenæ ſynodi.In qua ſub Euſebio illo Nicomedieñ epiſcopo(qui Arrianę illius factionis ſigniſerum ſe prçſtitit)90.ſecum conſentientes cõuenerunt epiſcopi. Qui de multorum per Orientem epiſcoporum per ſuorum complicum ſubordinationem delatis ad ſe criminibus ſynodicè(vt prætendebant) & canonicè cognoſcẽtes,& eoſdem pro ſuis (vt videri volebant)

A lebant) demeritis & enormibus exceſsibus deponentes, in eorundem locum ſuperordinauerant alios in Alexandrina, Conſtantinopolitana, & alijs per Orientem eccleſijs. Qua de re idem Euſebius cum Theogonio, Theodoro, & reliquis ſecum congregatis epiſcopis, ſcribunt ad Iulium, tunc Romanum pontificem, illi ſupplicantes, vt acta à ſe rata habere, & ſynodali à ſe autoritate ordinatos in Alexandrina, Conſtantinopolitana, & alijs pleriſque eccleſijs, in locum damnatorum à ſe pro grauibus quibuſdam (vt prætendebant) criminibus, in epiſcopali honore confirmare dignaretur. Quod nunquid putas ſupplices rogaſſent illi tot epiſcopi, pſertim tales, hoc eſt, qui Chriſti conturbabant & peſſundabāt eccleſiam, & hierarchiam eius omnibus modis confundere moliebātur, qui hæretici imperatoris tumētes viribus, & pręſidio omnes non ſuę factionis epiſcopos grauiſsimè perſequebātur, & velut è ſuperiori loco magnis afficiebant cladibus & iniurijs, qui inſuper & ſynodalem præ ſe ferebant autoritatem: nunquid, inquam, hi à Romano pontifice Iulio, cuius vnius grauis nimiùm ipſis erat autoritas, vt quæ ſola impijs eorum conatibus obſiſtebat, factæ à ſe ordinationis in illis ec-
B cleſijs Orientalibus petiuiſſent confirmationem, niſi totius orbis ad hoc coacti cōſenſu? niſi toti orbi conſeſſum fuiſſet & notorium, abſq; Romani pontificis confirmatione factas illas ordinationes viribus nō ſubſiſtere? niſi abſque ea orthodoxus populus pro ſuis illos non agnouiſſet epiſcopis? Quid hac de re ex medio Oriente, vltra tam vaſta terrarū, mariumq́; ſpatia vni Romano pontifici moleſti fuère, ſi ad eum vnius Romanę (vt ignorantiſsimi illi impudentiſsimè affirmant) cura pertinebat eccleſiæ? ſi quæ gerebantur in Orientalibus illis eccleſijs, ipſius nihilo plus intereràt, quàm Mediolanenſis, Rauennatis, aut alterius cuiuſque epiſcopi? Et quid tandem conſecutum eſt? Renuit confirmare factas ab illis ordinationes Iulius, ſed coram ſe euocauit quorum vtrinque agebatur negotium. Et quum examinatis ſingulorum accuſationibus & defenſionibus, comperiſſet innocentes, in iuſteq; damnatos ab illa Antiochena ſynodo, ſingulis reddidit ſuas eccleſias. Ad cuius vnius iudicium continuò reiectis, quos ſuperordinauerat tot epiſcoporum ſynodus, Alexandrini ſuum receperunt Athanaſium, Conſtantinopolitani Paulum, & cæteræ eccleſiæ ſuos quæque epiſcopos.

Recuſauit Iulius confirmare ordinationes Antiochenæ ſynodi.

Vnius Iulij, nō ſynodi (cui tamen autoritas & fauor imperialis affuit) iudiciū & autoritatē ſequutū orbē uniuerſum.

Et hæc ita geſta annos mille & circiter ducentos continuò poſt celebratum Nicenum conciliū, euidenter cōfirmant, tam præfati
C Iulij, quàm illius Antiocheni concilij, huius tragœdiæ occaſione ſcriptæ ad ſe inuicē epiſtolę. Socrates quoq; & Sozomenus rerū eccleſiaſticarum eius temporis ſcriptores diligentiſsimi, & hi Græci (ne quid in Romanæ eccleſiæ fauorem confinxiſſe eos calumniari poſſis) prędictę hiſtorię luculentiſsimum teſtimonium perhibent.

Scripſit autem ille Iulius primùm ſimpliciter aduerſus eam ſynodum, etiam ante vllam actorum in eadem notitiam, plenam autoritatis epiſtolam, quam ſequenti libro audies opportuniùs, hoc vnum in eis coarguēs, quòd aduerſus autoritatem eccleſiaſticorum canonum, abſq; huius ſedis autoritate tentaſſent celebrare cōcilium, & epiſcoporum ſibi vſurpauerint iudicia: in irritū reuocās, quicquid ſub ſynodi prætextu, aut egiſſent eatenus, aut acturi eſſent in poſterū, etiam huius ſedis cenſuram illis minitans, niſi ab eiuſmodi præſumptione deſiſterent. Cui reſponderunt quidem ſatis arroganter & contumaciter, in primis grauiter expoſtulantes, quòd ipſorum concilia diſſolueret, & damnatos ab eis pro grauibus (vt dicebant) criminibus epiſcopos, inaudita cauſa reſtitueret. Quod ſi facere pergeret, ab eius ſe ſubtracturos obedientia minitabantur. Rogant tamen, æquum potiùs ſe iudicem præbeat: ſe enim ex
D ſuis ad ipſum fratribus mittere, cum omniū à ſe actorū inſtructione pleniſsima, per quos eadem ſuæ ſanctitati innoteſcere curarent. Scripſerunt autem in hęc verba: Domino beatiſsimo & honorabili patri Iulio, Apoſtolicę ſedis venerabili epiſcopo, Euſebius, Theogonius, Theodorus & Berinthus vnà cum reliquis fratribus & coepiſcopis noſtris in Antiochena ſynodo congregatis:

Licet circa omnes Romanam eccleſiam ſciamus eſſe munificam, & Apoſtolicam curam habere, & ſemper matrem exiſtere pietatis, quanquam ab Oriente ad eam prædicatores pietatis aduenſſent: tamen optaremus vos nobiſcum concordare, & quos à communione ſuſpendimus, à vobis quoque eſſe ſuſpenſos, & quos in ordine confirmamus epiſcoporum, à vobis eſſe confirmādos, nec nos ſecundo loco habendos, cùm ex his partibus ad vos vſque dogmatizantes Apoſtoli peruenerint, &cæt. Neque enim crimine carere poteſt, qui alterius excommunicatum abſq; eius licentia, à quo communione priuatus eſt, in communionem ſuſceperit, &cæt. Nec ſolùm in his nobis contumeliam irrogatis, ſed etiam in eo, quòd concilia noſtra diſſoluitis, neq; ea rata finitis eſſe. Sunt nanque

Nota etiam hæreticorum confeſsionem de Ro. eccleſia

à

A à nobis, atque adeò à totius Orientis epiſcopis damnati, Athanaſius Alexandrinus, Paulus Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Aſclepius Gazæ, Lucianusq́; Adriapolites, pro certis criminibus, quibus aduerſarij ſunt apud nos inſcripti, quæ per præſentes huius epiſtolę latores omnia veſtræ innoteſcere nō omittimus ſanctitati. Quibus agnitis, ſi noſtris placitis magis, quàm eorum machinationibus aſſentiri, & ordinatos epiſcopos in damnatorum locum firmare eligitis, pacem vobiſcum & communionem habere volumus. Si verò aliter egeritis, & eis ampliùs, quàm nobis aſſentiri iudicaueritis, contraria celebrabimus, & vobiſcū deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis, veſtriſq; fauere volumus, ſed per nos quicquid meliùs elegerimus, agere conabimur.

Minantur detractionē obedientiæ.

Commemorantes deinde, quā multa & grauia ipſi ab illis paſſi eſſent: Si, inquiunt, his conſentire eligitis, tunc liquet, quòd nos perdere vultis, & non ſicut pater filios fouere. Inſuper congerētes in eos innumera & horrenda crimina, homicidij, ſacrilegij, ſtupri, perfidiæ, proditionis, & quę nō? quorum teſtes citant totius Orientis ſacerdotes, populos, abbates & monachos. Neq; hæc, inquiunt, quæ prędicta ſunt, ſolummodo Athanaſio & ſequacibus eius irrogamus, ſed etiam quòd contra

Paternā autoritate etiā inuiti agnoſcūt in Ro. pōtifice

B regulam egerit, quā nos decreueramus, &cę. Neminem videlicet à pauciore numero reſtitui debere, q̃ depoſitū fuiſſe cōſtaret. Deinde mēdacia adhuc ſuper mendacia impudētiſſimè ingerētes: Hęc, inquiunt, atq; alia innumerabilia ſunt ab eo, ſuiſq́; ſequacibus impudenter perpetrata. Quos excommunicatos communioni (vt audiuimus) contra regulam in contumeliam omnium Oriētalium ſociaſtis. Præfato itaque debitæ ſalutationis officio propter beati Petri honorem impenſo, poſtulamus, vt deinceps hinc venientes veſtras aures non tam facilè admittatis, &cæt.

Petri autoritatē & honorē uel inuiti in Ro. pōtifice ſunt reueriti.

Subſcripſere autem in hunc modum: Orantē pro nobis Apoſtolatum veſtrum Dominus æuo cuſtodiat longiore, amen. Hæc illi ex toto Oriēte tam multi epiſcopi. Imò hęc illud concilium malignantium, qui capto primùm omnium imperatore, & ſubacto ſua perfidia totius imperij viribus toto orbe perſequebantur orthodoxos. Ex quibus tanto efficacius colligitur veritatis teſtimonium, quanto magis conſtat eoſdem ad veritatem euertendam omnibus modis coniuraſſe. Attamen, velint nolint, tam ſua, quàm totius orbis conſcientia, communiq́; omnium populorum conſenſu coacti fatentur, Romanam eccleſiam maternam curam gerere totius ec-

C cleſiæ, Romanos pontifices agnoſcunt vel inuiti, tanquam patres & ſuperiores ſuos: eiſdem obediētiam ſe debere, cum eiſdem congregari ipſos oportere, tametſi hęretico inflati ſpiritu diſceſsionem minitentur, niſi ipſis condeſcendat: & nihilo minùs inter eiuſmodi, hinc minas, inde in diuerſum trahentem, tam ſuam ipſorum conſcientiam, quàm communem totius orbis cōſenſum, acta ſua cum plenaria, vt dicunt, omnium inſtructione referunt ad Apoſtolicæ ſedis iudicium. Et quid tandem factum eſt? Iulius Romanus pontifex iudicis ſuſcepta perſona, & damnatores & damnatos coram ſe adeſſe præcepit, & examinatis vtrinq; accuſationū defenſionumq́; meritis, in hæc verba illis reſcripſit:

Etiā hæreticorū illud cōciliū tandem acta ſua retuliſſe ad apoſtolicæ ſedis iudicium.

Iulius ſanctæ Romanę & Apoſtolicę eccleſiæ epiſcopus, Euſebio, Theogonio, Theodoro, Berintho & cęteris Orientalibus epiſcopis: Decuerat vos aduerſus ſanctam Romanam & Apoſtolicam eccleſiam limatè, & nō ironicę loqui. Quoniam & ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus eam decenter alloquutus, ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non pręualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Habet enim poteſtatem ſingulari priuilegio conceſſam, aperire & claudere ianuā regni cœleſtis, &cę.

D Itaque ſi ei detrahere, quæ Domini ore ſacrata, & deſuper exaltata eſt, non timuiſtis, nec mirum, ſi fratribus irrogare iniuriam minimè ceſſatis, vt iam ſilentio non tegūtur, quæ in veſtro concilio turbulenter, atq; cum tempeſtate decreta ſunt: apparet enim quòd tumultuoſa indiſciplinatione ſit veritas oppreſſa, & cętera. Sed erit opus diuinæ prouidentię quatenus è cōtrario aperta deprehenſa poſſit enarrari, & quicquid illic conuenientes, ſine qualibet gratia, odio aut inimicitiarum cauſa geſſiſtis, funditus repelli. Quapropter cum omni feſtinatione vos omnes ad huius ſanctæ ſedis reuerentiam volui concurrere, quatenus geſtorum apud nos integritatem per vos ipſos poſſetis intelligere. Nam nec dubitare vos credo, Athanaſium ſacræ legis doctorem, non ſolùm à nobis, ſed etiam à Nicena ſynodo veræ fidei cultorem eſſe comprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili ſene, qui Arrij proſtrauerat blaſphemias, poſt quinque menſes Niceni concilij Alexandrinorum eccleſiæ ſuſcepit præſulatum. Aduerſus quem, eiuſq́; ſectatores, multa mendacia contexentes, & nudas calūnias, quaſi veras accuſationes componentes, nobis multorum malorum cauſam & caput eſſe perhibuiſtis, & non ſolùm apud Aegyptum,

A ſed etiam Apud Paleſtinam, Phœnicem, vicinaſque gentes, ſcriptis veſtris illum perturbatorem eſſe ſignificaſtis. Qua de re eccleſiaſticam regulam ſequentes, vos Romæ regulariter ad iudicium die ſtatuta, non ſub anguſto temporis ſpatio, vt excuſatio locum non inueniret, literis & apocryſarijs noſtris euocauimus, illiq́ue vocatione ſuſcepta, ad diem præſtitutum venere. Sed vos, ne veſtris mendacijs caperemini, veſtraq́; calumnia enudaretur, venire diſtuliſtis. Nec his machinationibus ſolummodo contenti eſtis, ſed etiam vidêtes oues paſtoribus deſolatas, lupos pro paſtoribus ſuper eas poſuiſtis. Decuerat ergo vt ad regularem veniretis conuocationẽ, qualiter de his & alijs veſtris præſumptionibus veram redderetis rationem, & cætera. Quur ſynodum ad ſtatum eccleſiarum & fratrum in Antiochiam ſubuertendum, & Niceni magni concilij deſtructionem feciſtis, aut quur nobis incõſultis epiſcopos in eam conuocaſtis, ad quam nec Maximus Hieroſolymitanus venit, nec noſtra interfuit legatio. Canonibus quippe in Nicena ſynodo iubentibus, non debere præter ſententiam Romani pontificis vllo modo concilia celebrari, nec damnari epiſcopos. Aut quur in prædictorum loco fratrum alios adulteros poſuiſtis, antequam penes nos, aut apocryſarios noſtros eorũ cauſa canonicè eſſet examinata,

B finemq́; percepiſſet rectũ. Iſti enim, q ad memoratam regulariter conuenêre vocationẽ, videntes vos ab eadem ſe ſubtrahere, multa aduerſus vos lachrymabilia & doloribus plena referunt, accuſantes vos, & dicentes multa ſe importabilia à vobis eſſe paſſos, & cæt. Super quibus & Aegyptiorum epiſcopi literis nobis, & miſsis proteſtantibus ſuis, falſa eſſe, quę contra Athanaſium, ſuoſque ſectatores machinatur cuncta Arrianorum conſpiratio, &cęt. Vobis itaque venire refugientibus, & ad concilium noſtrum toties conuocatis adeſſe nolentibus: illis autẽ in ſua reclamatione & iuſtaratiõe perſiſtẽtibus, veſtraq́; cognoſcentes crimina & illorũ iuſtam examinantes rationem, omneſq́; illos concordare Niceno concilio comperientes, & noſtris Apoſtolicis iuſsionibus obtemperantes, viſum eſt nobis & vniuerſo concilio, vt nos diuinis præceptis & Apoſtolicis monitis informati (qui pro omnium eccleſiarum ſtatu impigro vigilare debemus affectu) quicquid reprehẽſioni vſquam inuenitur obnoxium, ceteri ſolicitudine ab arrogantię imperitia, aut ã præſumptionis vſurpatione reuocemus. Quare tanquam omnium curã gerentes propter ſedis noſtrę dignitatem, ſuſcepimus eos in communionẽ, ſingulisq́; autoritate huius ſanctæ ſedis cum ſuis rebus proprias reddidimus eccleſias. Quoniam huic ſanctæ ſedi propter prauorum hominum inſidias, ipſo Domino inſtituente, & ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus per ſingula concilia roborantibus, hoc ſemper licuit, licebitq́; Domino auxiliante in perpetuum. Quapropter increpando, vobis ſcribo quia non rectè tractaſtis viros inculparos, & à nobis minimè examinatos, de ſuis eccleſijs communione priuatos pellentes, & eccleſiaſticæ diſciplinæ iniuriam irrogãtes, conſtitutumq́ue Niceni concilij minimè ſeruantes, talia indiſciplinatè agere non formidaſtis: Idcirco quoniam dudum venire vocati renuiſtis, modò ad 15. Calend. Nouembris vos iterum regulariter literis miſsisq́; euocamus, vt coram vobis oſtẽdamus, nos iuſtam in eos protuliſſe ſententiam, & de cętero talia non eſſe paſſuros, &cę. Miror autem vos tam audaces eſſe, & tam impudenter egiſſe, vt terminos & iura beati Petri Apoſtolorum principis inuaderetis. Sui enim iuris erat, vt abſque eis ſanctæ ſedis autoritate nullus deberet, aut concilia celebrare, aut epiſcopos ad ſynodum cõuocare, vel damnare, proprijs ſedibus pellere, aut alios in locum eorum ordinare. Quæ omnia vos temerare non timuiſtis. Quid ergo eſt aliud talis præſumptio, quàm Apoſtolorum, eorumq́; ſucceſſorum decreta tranſgredi? Poſt commemoratos deinceps canones eccleſiaſticos & Niceni cõcilij plurimos, quorum omnium illos trãſgreſſores arguit, in illo ſuo concilio aduerſus fratres & coepiſcopos innoxios:

Ideo, inquit, ſummopere mihi (cui vicẽ Apoſtolorum principis, vniuerſalis eccleſię cura commiſſa eſt) prouidendum eſt auxiliante ipſo ſummo Apoſtolo, ne deinceps talia fiãt. Quoniam ideo ſanctæ huic ſedi præfata priuilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam de congregandis concilijs, & iudicijs ac deſtitutionibus epiſcoporum, quàm & de grauioribus omnibus eccleſiaſticis negotijs, vt ab ea omnes oppreſſi auxiliũ, & iniuſtè dãnati reſtitutionem ſumant, & ne talia ab improbis pręſumantur abſq́; vltione, nec exerceantur abſq́; damnatione. Itaque quoniam non rectè egiſtis, quòd prædictos fratres calumniati eſtis, dicente Domino: Non facies calumniam proximo tuo, &cę. nec rectè egiſtis, quòd nobis inconſultis concilium celebraſtis, eosq́; ad cõcilium vocaſtis, & damnare pręſumpſiſtis, canonibus quippe iubentibus (vt præmiſſum eſt) nihil ex his abſq́; huius ſanctæ ſedis autoritate fieri debere. Neque rectè egiſtis, quod

Citati nomĩ.

Canon Niceni cõcilij: Nõ licere præter ſententiã ro. põtificis celebrari cõcilia, nec damnari epiſcopos.

C

Abſoluit & damnat à cõcilio & ſingulis reſtituit proprias eccleſias, qui in ſpoliati fuerant. Apoſtolicæ ſedis autoritas.

Iura beati Petri.

D

A quòd à nobis ad concilium vocati venire diſtuliſtis, quòd contra eos rationem reddere, vt veſtra erga eos aut probaretur recta ſententia, aut improbaretur iniuſta, nõ veniſtis, nec rationabilem mandaſtis cauſam, vt quid hæc renuiſtis, &c. Manifeſtum eſt vos reos exiſtere & illos innocẽtes manere, & vos rectè excommunicatos, illosq; iuſtè liberatos. Hæc ille Iulius.

In quibus clariſsimè intelligis, non ſolùm confirmationem eius, quam ſuprà memorauimus, hiſtoriæ, ſed & autoritatem, & ſingulare cathedrę Petri priuilegium, non ſolùm verbo adſtruunt, ſed etiam re ipſa & opere euidentiſsimè comprobant: Vni commiſſam curam totius Chriſti familię & domus eccleſiaſticæ, vni omnibus in eadẽ ſua officia præſcribere, ab omnibus eorũ rationes exigere. Epiſcoporum, omniumq; grauiorum eccleſiaſticorum negotiorum iudicia ac determinationem vnius reſeruari definitioni & arbitrio. Sine eius autoritate celebrari nõ licere epiſcopales conuẽtus & concilia, niſi ordinaria. Quæ alioqui conſpirationes magis forẽt quàm concilia, de quibus proximo libro age mus prolixiùs & acccuratiùs.

Iulij pro Athanaſio & reliquis, & cõtra autores illius ſynodalis iudicij uniuerſam eccleſiã ſequutã iudicium.

Nec eſt, quòd fortè exiſtimes, verbotenus hæc geſta à Iulio. Siquidẽ eius iudicium de Athanaſio, cæteriſq; illis, quos aduerſus totius Oriẽtis iudiciũ reſtituit epiſcopis, abſq; vlla hæſitatione aut contradictione amplexa eſt & ſequuta vniuerſa orthodoxa eccleſia, eiſdem receptis in ſedes priſtinas, & eiectis,

B quos Orientales illi in locum eorundem ſuperordinauerant. Illos inſuper autores dicti concilij, & iniuſtæ damnationis fratrum, ab eodem excõmunicatos, vniuerſa Chriſti orthodoxa eccleſia, & tunc, & deinceps pro excommunicatis habuit.

Et quamuis Nicomedienſis ille Euſebius, illius Arrianæ (quæ tunc orbem, & pręcipuè Orientem vniuerſum concutiebat) ſignifer factionis, & caput memorati concilij, quæ de Athanaſio decreuerat Iulius, vt habet ille Socrates, non occurrit agnoſcere, hoc ipſum nõ propterea factum idem affirmat, quaſi autoritatem & iudicium eius adhuc pergeret contemnere: ſed quia cõtinuò poſt celebratum illud concilium, ante finem iudicij Romani pontificis, morte pręuentus fuerat. Itaque & Cõſtãtinopolitani & Alexãdrini, & reliquę per Orientem eccleſiæ, iuxta Iulij ſentẽtiam continuò receperunt ſuos quęq; epiſcopos. Qua de re Socrates ille his verbis perhibet teſtimonium:

Euſebius autem legationem miſit ad Iuliũ Romanæ vrbis epiſcopum, rogans vt contra Athanaſium iudex eſſet. Sed quæ de Anaſtaſio decreuerat Iulius, Euſebius nõ occurrit, vt cognoſceret. Quia dum paucũ tempus vixiſſet poſt concilium, vita priuatus eſt. Quapropter Conſtantinopolitæ Paulum rurſus in eccleſiã introduxerũt, &c. Sed & Vrſatius & Valens hæretici poſtea libellum pœnitentiæ Iulio offerentes & conſentientes ὁμοουσίου verbo, communicare meruerunt. Hactenus Socrates.

C *Hiſ. Tri. li. 4. ca. 12. Hic uide illos ipſos hæreticos uel coactos totius orbis cõſenſu, ſe iudiciaq; ſua ſubmiſiſſe iudicio Rom. pontificis.*

Dãnati autores illegitimæ ſynodi pœnitentiæ libellos offerunt Ro. pontifici.

Sozomenus verò eidem hiſtoriæ his verbis perhibet teſtimoniũ: Igitur Athanaſius, inquit, relinquens Alexandriam, Romã profectus eſt. Contigit autem eodem tempore etiam Paulum Conſtantinopolitanum pontificem illuc vnà concurrere, & Marcellum Ancyræ, Aſclepamq; Gazę, qui dum Arrianis eſſet aduerſus, calumniam paſſus ab his, quaſi ſubuertiſſet altare, damnatus eſt. Pro quo Gazeorum eccleſia Quinciano committitur. Lucianus autẽ Hadrianopolites epiſcopus, ob aliam accuſationem ab eccleſia ſua priuatus, degebat in vrbe Roma. Cognoſcẽs ergo Romanus epiſcopus crimina ſingulorum, & omnes Niceno concilio concordare comperiens, eos in communionem ſuſcepit, tanquã omnium curam gerẽs, propter ſedis propriæ dignitatẽ, ſingulisq; reddidit ſuas eccleſias, & Orientalibus ſcripſit epiſcopis, eos culpãs, quòd non rectè tractaſſent viros inculpabiles, de ſuis eccleſijs eos expellentes, & quòd conſtitutiones Niceni concilij minimè obſeruarent. Quorum paucos ad certam diem ſibimet adeſſe pręcepit, vt coram eis oſtenderet, iuſtum ſe ſuper illis protuliſſe decretum. Et deinceps non ſe paſſurum interminatus eſt, niſi ab huiuſmodi turbis & nouitate ceſſarẽt. Et ille quidẽ hęc ſcripſit. Athanaſius autem & Paulus epiſtolas Iulij Orientalibus epiſcopis miſerunt, & ſinguli eorum ſuas ſedes adepti ſunt. Hæc ille Sozomenus, etiam Græcus autor.

G. xv. Rō. pontifex omnium paſtor & iudex

D

Athanaſius & Paulus ad literas Iulij ſuas receperũt eccleſias.

Hęc ſi legerent ac diligenter perpenderẽt illi, quos non pudet affirmare, nuper & à recenti penè memoria cœpiſſe primatũ Romanæ eccleſiæ ſuper alias, puderet credo illos craſſiſsimę ignorantię & impudẽtiſſimæ imprudẽtię. Nam geſta ſunt hæc ante annos mille ducentos, aut eo circiter. In quibus clariſsimè intellexiſti, magis recognitam fuiſſe eo tempore autoritatem Romanorum pontificum in Alexandria, Cõſtantinopoli, vniuerſa denique toto orbe eccleſia, quàm nunc in vno hoc, qui reſtat, orbis angulo, Germania, Gallia, Hiſpania. Ab eius autoritate depẽdiſſe ſtatum vniuerſæ domus & familiæ eccleſiaſticæ, epiſcoporum vt confirmationes, ita &

Hæc perpendant hoſtes autoritatis ſedis apoſtolicæ

A & depoſitiones & iudicia. Vtq; inferorũ portę, vt impiorum & malignantium concilia, vt totius penè Orientis conſpiratio, aduerſus eius autoritatem præualere non potuerit.

Idem demonſtrare ex Agapeti Romani pontificis, & Anthemij alijſq; certiſsimæ fidei hiſtorijs.

CAP. XII.

TAmetſi vniuerſa illa primitiuæ eccleſiæ hiſtoria perpetuum, cõſtantiſsimumq; teſtimoniũ perhibeat autoritati ſedis Apoſtolicę, & Romanorum pontificum, velut eccleſiaſticę hierarchię præſidũ ſuper vniuerſam eccleſiam: tamen in cõflictibus & cõtrouerſijs eccleſiaſticis ea ſemper magis enituit, quemadmodũ nunc de Iulio intellexiſti & Antiocheno illo concilio. Itaq; etiam Agapeti & Anthemij opportunum videtur hic explicare tragœdiam: ſiquidem & eius exitus euidẽtiſsime demonſtrabit, q̃ eo ſeculo toto orbe Chriſtiano ab vnius Romani pontificis iudicio ſuſpenſus fuerit orthodoxus populus, vtq; illos ſolos etiam in extremo Oriẽte pro epiſcopis recognouerit, quos huius ſedis probauerat & firmauerat autoritas. Cũ Anthemius ille Trapezũtinus antè epiſcopus, fauore Iuſtiniani imperatoris & Theodorę Auguſtę, deſerta antè B eccleſia ſua, contra eccleſiaſticos canones irrepſiſſet in Conſtantinopolitanam eccleſiã, tunc vacantem per mortem beati Epiphanij, eoq; illicito ſuo ambitu, inſuper quoniã cõmunicabat Seuero Antiocheno epiſcopo & Zoaro monacho, Euticianę nuper damnatæ perfidię ſectatoribus, haud leuiter perturbaret ſtatum Orientalis eccleſię, confugerunt totius penè Oriẽtis orthodoxi epiſcopi, preſbyteri & clerici ad caput hierarchię eccleſiaſticę, Agapeto Romano pontifici ſupplices literas dirigẽtes, vt ſui memor officij, illud ſcãdalum tolleret ab eccleſia, & Apoſtolicę ſeueritatis gladiũ diſtringeret in euerſores eccleſiaſticorum canonum, ſcriptas in hæc verba: Domino per omnia ſanctiſsimo & beatiſsimo patri patrũ, archiepiſcopo Romanorum & patriarchæ Agapeto, epiſcopi Orientalis diœceſis, & hi qui ſunt ſub ſanctis locis Chriſti Dei noſtri, necnon ambaſiatores & cęteri clerici in hac regia vrbe congregati.

Epiſcoporum & cleri Oriẽtis literæ ſupplices ad Agapetũ Ro. pontificem cõtra Anthemium, Seuerum & Petrum.

Ex quo Chriſtus Deus noſter, pro debitis beato Petro pręmijs, propter ipſum in omni tempore, cum vera fiducia, ſua inuiſibili virtute diuulgatam confeſsionem ſupra venerabile caput veſtrũ requieſcere fecit, cũ ſedem Apoſtolicam vobis pater beatiſsime commiſit, & firmauit ſuper firmam petram pedes veſtros, & direxit greſſus veſtros, implẽs os noſtrum cantico nouo, hymno Deo noſtro, ſecundum Pſalmodicum eloquium: clarificati à ſpiritali ſplendore veſtro, per quẽ, tãquam lucerna reſplẽdens ſuper candelabro ſancto, caliginem eorum, qui in tenebris ſedent, & cæcos illuminaſti, & oculos mentis eorũ aperuiſti, &cæ. Cumq; nunc ſit tempus acceptabile, clamamus: adiuua nos, &c. & ſtude lõge expellere illum pollutum & abdicatum Seuerum qui anathematibus ſcriptis ab Apoſtolica ſede veſtra, & à tantis pontificibus, & in cœlo ab angelis electis iam cõdemnatus eſt. Qui ſecundum euangelicam & diuinam vocem, cũ iniquo & facinoroſo alio Petro ſuo diſcipulo, appellationem propriam vſq; nũc mentiri non erubuit, &c. tollite à nobis citò malos, offerte conſuetũ ſacrificium hoc Deo & ſaluatori, pro conſeruãda nobis bona defenſione in futuro tremẽdo iudicio, liberate nos ab omni timore & hęretica fluctuatione, eccleſiaſticum ſtatum conſeruate, &c. Iuſtiſsimo imperatori noſtro pias ac iuſtas ſentẽtias contra ipſos priùs ab Apoſtolica ſede veſtra prolatas, rurſus exponendo, & ſtatuendo per illas impia ſcripta igni tradere & habẽtes, in publicum prodere, iuxta imitationem eorũ, qui zelant poſſidere Manichæa & illa impia Neſtorij, & Euticetis inſenſati, & Dioſcori patris & protectoris eorum. Sic enim euacuabitur omnis expectatio his, qui fruſtra ſperant in eos. Rogamus etiam ſanctum & perfectũ finem imponere diuinę veſtrę ſententię contra Anthemiũ, paternis veſtris ſanctionibus contrauenientem, vt omne de medio extinguatur ſcandalum à paruulis in Dominũ credentibus, & optatam vocem audietis ab omnibus nobis. Cuſtodiat Dominus ſedem veſtram tanquam dies ſeculi, qui Petri imitator & ſucceſſor exiſtens, nos à tribulatione ſaluaſtis, atq; eos, qui nos odiunt, confudiſtis.

C

Hæc notẽt ac diligẽter ponderẽt: Quantũ illi totius Oriẽtis epiſcopi contendãt ab vno Ro. pontifice.

D

Hæc illi totius Oriẽtis orthodoxi ſacerdotes & clerici. Quos vides nõ ignorare, cui totius cura ſit commiſſa eccleſiæ, ad cuius autoritatem pertineat, de eadem ſcãdala tollere, efferentes ſe aduerſus ſanctorum canonũ autoritatem, ſua autoritate deijcere, hæreticos exterminare. Qui etiam aduerſus Anthemiũ eidem Agapeto ſpecialẽ miſerunt accuſationis libellum, qui & in acta quintę vniuerſalis ſynodi relatus legitur. In quo ipſum adiurãt, vt ſequens eorum exemplum, qui ante ſe claruerũt in ſede Apoſtolica, faceret & ipſe contra inualeſcentes aduerſus autoritatem ſanctorum canonum, quod beatus Celeſtinus fecit aduerſus Neſtorium, nempe vt illi aſſignaret ac præfigeret tempus, intra quod niſi Apoſtolicæ ſedi ac ſuæ beatitudini libellum

ſanæ

A ſanæ fidei ſuæ porrigeret,& ab hęretico morbo ſe liberaret,cæteraque iuſſa ipſius omnia perageret,definiret ipſum aliennm eſſe ab omni pontificali dignitate & efficacia, & ſortem accepiſſe cum eis, quibus cõmunicabat, hæreticis.

Agapetus ro. pōtifex Seuerū Antiochenū epiſcopum vnà cū Zoaro monacho anathemati ſubiectos abiecit de eccleſia & Anthemiū de Cōſtātinopolitana ſede depoſuit.

Ad quorum ſupplicationes ſanctus pontifex commiſſę ſibi vuiuerſalis eccleſiæ, & ouilis Chriſti curę non defuit, ſed Seuerum illũ Antiochenum epiſcopũ, qui Euticianam hæreſim palam & notoriè aſſerebat vnà cũ Zoaro monacho,anathematis mucrone confoſſos abiecit ab eccleſia.Anthemium autem de Conſtantinopolitana ſede, in quam illicito ambitu aduerſus canones irrepſerat,depoſuit.Inſuper& terminum illi pręfixit purgationis canonicæ,intra quẽ niſi coram ſe comparens,omni ſe expurgaſſet ſuſpicione, qua laborabat,prauitatis hęreticæ,non ſolùm ab omni pontificali dignitate,ſed etiam à Chriſtiano nomine habendus foret aliens, ſortemq́; accepturus cum his, quibus communicauerat,hæreticis.Hæc in hunc modum geſta fuiſſe,libro ſexto huius,ex actis quintę ſyndi clariſsimè intelliges.

Poſt hęc,cùm idem pontifex Conſtantinopolim profectus componendæ pacis gratia inter Theodatum Gothorum regem,& Iuſti-
B nianum Cæſarem,nullo non honoris genere ab eodem exciperetur, impetraſſetque ex ſententia, quæ volebat omnia, viciſſimq́ue inſtaret imperator (qui Anthemio fauebat plurimum, vt quem ad Conſtantinopolitanam ſedem euexerat) & importunis minis, ac penè violentis precibus ſolicitaret & perurgeret ſanctum pontificem, vt illum à ſe damnatum in communionem rurſus reciperet, & in Conſtantinopolitana confirmaret eccleſia,etiam minis interiectis,ni obtemperaret:tandem Agapetus ille vim imperialis ſolicitationis amplius non ferens,& liberiore vtens conſtantia: Ego, inquit,ad Iuſtinianum Chtiſtianiſsimum imperatorem me venire putaui,ſed Diocletianum inuenio. Qua reſponſi libertate, & tanti pontificis autoritate permotus imperator, Anthemium vnà cum ſuis erroribus execratus, & pontificiæ damnationis executor factus, relegauit. In cuius locum venerabilẽ Menam ſanctus pontifex conſecranit epiſcopum,qua de re ad Petrum Hieroſolymitanum epiſcopum, & qui ſecum congregati fuerãt, ſcribit idem in hęc verba:Dilecto fratri Petro Agapetus:

Agapeti ad Petrū Hieroſolymitanum epiſcopū epiſtola teſtis prædictæ hiſtoriæ.

Voluiſſemus quidem fratres dilecti propter coniunctionem noſtræ charitatis, omnes Domini ſacerdotes, inxta aooſtolicam ttaditionem irreprehenſibiles eſſe, & neminem aut per gratiam, aut per metum ab ec- C
cleſiaſticis canonibus declinare. Sed quoniam multa multoties ſubſequũtur,quæ pœnitudinem parere poſſunt, & Dei miſericordia delicta peccatorum vincit,& idcirco differtur pœna, vt reformatio locum inuenire poſsit: monere neceſſariũ iudicauimus præuaricatores, vt præcepta de cætero impræuaricata cuſtodiantur. Oportebat autem & veſtram charitatem,memorem paternarum traditionum, neminem permittere prohibita facere: ſed ſi quis audax appareret, tota virtute reſiſtere. Quum itaque peruenimus ad comitatum ſereniſsimi imperatoris filij noſtri, inuenimus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſedem,cõtra omnem canonum honeſtatem ab Anthemio Trapezandarum epiſcopo inconuenienter vſurpatam. Cuius animam nõ ſolùm ſecũdum iſtam partem, ſed quod maius eſt,in confeſsione verę fidei à perditione reducere deſiderauimus. Sed Euticetis errori inſiſtens,ad viam veritatis redire contempſit.Vnde cùm iſtius in fide pœnitẽtiam iſto modo fruſta expectaremus,neque ſacro,neque catholico nomine dignnm eſſe ſententiauimus,donec omnia à patribus tradita,per quæ veræ religionis fides & diſciplina cuſtoditur,ſecundum congruentem ſatisfactionẽ ſuſceperit,&c.Conſtantinopolitanę verò ſedis iniuriam Apoſtolica autoritate,& adiuto- D
rio pijſsimi imperatoris emendauimus. Admodum qnidem mirati ſumus, quòd iſtud opus apertè contrarium decretis patrum,veſtra fraternitas non ſolùm ad notitiam noſtram adducere neglexit,ſed etiam reprehenſibili conſenſu confirmauit. Sed regratiamur Deo(cuius ſpiritu mala ad melius vt plurimum vertuntur) vt paruæ tranſgreſsiones ad vtilitatem & occaſionem magni fierent gaudij.Hoc autem pro excitanda veſtræ con ſpiritualitatis lętitia ſignifico, quod Menam fratrem & coepiſcopum noſtrum virum multis laudum modis ornatum prędicta Cõſtantinopolitana Eccleſia ſuſcepit epiſcopum, &cęt.Cuius & hoc dignitati accedere credimus,quòd à temporibus beati Petri Apoſtoli,nullum alium vnquam Orientalis eccleſia ſuſcepit epiſcopum manibus noſtræ ſedis ordinatum,&c. Hæc beati Agapeti epiſtola in actis etiam quintæ ſynodi relata legitur. In quibns nunquid non audis eccleſiaſticę hierarchiæ principem & vindicẽ, exactoremq́; eccleſiaſticorum canonum, quiq́; autoritate ſua deiecit omnem altitudinẽ aduerſus eoſdem ſe efferentem?

Sed cùm Theodora Auguſta iamdudum capta artibus & impietate illius damnati an-

A themij, ordinatum in eius locum venerabilem Menã perſequeretur implacabili odio, mortuo Agapeto, quid non egit & ſcriptis & nuncijs apud eius ſucceſſorem Siluerium, vt illo pulſo à Conſtantinopolitana ſede reuocaretur Anthemius? Cui cũ ille reſpondiſſet, nunquam ſe reuocaturum hominem hæreticum, iamdudum condemnatum eius impietatis, accenſa illa furore fœmineo, & agitata illo ſpiritu, qui hæreſes & ſciſmata ſeminat, contra ſanctum põtificem, iuſſit Beliſario, vt ſubordinata quacunque aduerſus illum calumnia, quoquo prętextu, quoquam relegaretur in exilium. Itaq; ſubmiſsis falſis teſtibus, qui dicerent ſibi conſtare, coniuraſſe illum cum Gothis aduerſus imperatorem, illiſque proditurum vrbem, deportatus eſt in Pontianas inſulas: quãuis non dubitaret Beliſarius, nec ignoraret ſubornatam eſſe calumniam. Quæ illi multarum calamitatum, in quę pòſt incidit diuino iudicio, cauſa fuiſſe creditur.

Siluerius deportatus in exilium.

Sed cùm neque ſic voti compos illa fieret, ſanctiſsimo pontifice fortiter ferente exiliũ, eo mortuo modis omnibus ſtudebat, vt in eius locum eligeretur Vigilius, etiam vi apud clerum & P.R. interpoſita, qui ſub Siluerio apocryſarium agens Rom. eccleſię apud Cæſarem Conſtantinopoli promiſerat Auguſtę,

B ſi eius ſtudio & opera deſignaretur ſucceſſor Siluerio, ſe illam voti compotem facturum. Cum hoc iam promoto ad culmen ſedis apoſtolicæ agit, velut ex pacto, vt abiecto Mena, in ſedem Conſtantinopolitanã reſtituat Anthemium. Sed iam factus Rom. põtifex, quãuis malis artibus, tamen illius cathedræ non eſt deſtitutus priuilegio, ſed ſanioris ſentẽtię effectus, reſcripſit Auguſtæ, dolere ſe, ſi quid malè & inſipienter illi addixiſſet. Nunc verò Petri ſucceſſorem, & Chriſti vicarium quamuis indignum agens, committere ſe nõ poſſe, vt hominem hæreticum per ſuos prædeceſſores damnatum reſtituat, ſed malle ſe omnia potiùs perpeti. Qua de cauſa aliquanto pòſt aduncatum ad ſe Conſtantinopolim, & omni honoris genere à Iuſtiniano exceptum (qui illi honoris cauſa cum magno comitatu extra vrbem factus eſt obuiam) cùm rurſus & precibus & minis fatigaret, vt pręſtaret promiſſum, & Anthemium reſtitueret, conſtantiſsimè recuſantem, affectũ antè multis iniurijs, tandem deportari fecit vnà cum clero ſuo, qui Roma ſecum venerat, in Proconiſſum, Gipſumque inſulas, vbi permanſit vſque ad Theodoræ obitum, poſtmodum reſtitutus ad preces Romani cleri & Narſetis. Nec vnquam iniuriarum aut exilij tædio deflecti ſe paſſus eſt ad impia Auguſtæ vota ac deſideria. Vt clariſsimè intelligas, hanc Apoſtolicæ ſedis petram perſtitiſſe ſemper immobilem, ad confirmandos toto orbe Chriſtianos fratres, omnemq; altitudinem ſeſe extollentem aduerſus Deum, aduerſus orthodoxam fidem, aduerſus ſanctorum patrum atq; Apoſtolicos canones deijciendam. C

Inflexibilis iudiciorũ Apoſtolicæ ſedis æquitas.

Sed quò tandem, à quo tantopere efflagitabat illa Auguſta reduci Anthemium? nunquid non Conſtantinopolim? nunquid ab alio quàm à Romano pontifice? Cur quæſo non poterant ipſi ſua illa imperiali poteſtate, in imperialis reſidentiæ vrbem abſque Romani conſenſu põtificis reducere Anthemiũ, & Menam expellere, cui aduerſabantur tantopere, niſi ad vnius autoritatem Ro. pontificis iſta pertinere recognouiſſet orbis vniuerſus? niſi toto orbe orthodoxus populus his in rebus ſuſpẽſus fuiſſet ab vnius Romani pontificis iudicio? Et nunquid aduerſus illius ſedis autoritatem aliquando reductus eſt Anthemius, expulſo Mena, quem in illius locum ordinauerat Roma. põtifex? Nec dum pudebit impudentiſsimos illos dicere, Romanorum pontificum tyrannide non ita nuper natam huius ſedis autoritatem & primatum ſuper alias eccleſias? Quem fuiſſe ab initio, ab ipſo Deo inſtitutum, non hominibus, tantoq; ſemper viguiſſe magis, quanto plus viguit Chriſtiana religio, iam toties, tot hiſtoriarum, tot taliumque ſcriptorum, qui in illa florente adhuc, & verè Chriſtiana floruerũt eccleſia, irrefragabili teſtimonio demonſtrauimus. In qua audiſti & adhuc audies, quoties vnus Rom. pontifex, & quanta cum libertate, in omnium aliarum ſedium principalium antiſtites, Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum, cęteroſq; ſuæ autoritatis poteſtatem exercuit. Vtq; aut pręuaricantes à regula orthodoxæ fidei Romanę eccleſię (in qua intemeratã ſemper permanere eandem, conſeruariq; Apoſtolicam illã traditionem, ſynceram & integram, ſuprà euidens fecimus) aut contra canonum autoritatem ſe efferentes, ſua illa principali autoritate, aut reſipiſcere coegerit, aut deploratos abiecerit è ſedibus illis ſuis, omniq; Chriſtiana eccleſia, in deiectorum locũ ſubſtitutis alijs. Et hæc, non vi vlla, aut tyrannide, ſed verbo ſolo, at tam potenti, tantęque autoritatis, vt prænaluerit aduerſus ſæua violẽtiſsimorum tyrannorum arma, aduerſus ſuperbiſsimorũ ac potentiſsimorum imperatorum imperia, etiam in ipſa imperialis reſidentiæ ſede Conſtantinopoli: breuiter, aduerſus quam inferorum portæ pręualere non potuerunt.

Hæc notent, & diligenter ponderent, ut cõfundantur hoſtes autoritatis ſedis Apoſtolicæ.

D

Efficacia autoritatis Ro. pontificis in Chriſtiana eccleſia.

Dioſcorus Alexandrinus antiſtes, vnà cum

tot

Teſtis Dioſcorus Alexādrinus, & uniuerſa Epheſina ſynodus.

A tot ſecum congregatis epiſcopis in ſecunda illa Epheſina ſynodo teſtes ſunt, quanta aduerſus ipſos, & quàm efficax viguerit vnius Romanæ pontificis beati Leonis autoritas, quæ ſola orthodoxā veritatem aduerſus impium, quamuis generale cōcilium tutata eſt, & impietatis autorē Dioſcorum abiecit non ſolùm à ſede Alexandrina, ſed ab vniuerſa Chriſti eccleſia. Cuius libro proximo magis explicatam audies tragœdiam.

Teſtis quoque Anatholius Conſtantinopolitanus epiſcopus.

Aduerſus Anatholium beati illius Flauiani in Conſtantinopolitana eccleſia ſucceſſorem, cùm non rectè incederet ad veritatem euangelij, idem Leo, quàm libera autoritate vſus fuerit: (Ne, inquit, ad negligentiā rectoris referatē, ſi quiſq; in eccleſia catholica ea ꝑdicare ꝑſumeret, q̄ hęreticorū ſenſibus conuenirent) vt coegerit ad ſuum præſcriptum ordinare Conſtantinopolitanam eccleſiam. Inſuper & pœnitere de illicito ambitu primarus ſuæ ſedis poſt Romanā eccleſiam, quo tentauerat & in aſſenſum inclinauerat Chalcedonenſem ſynodum, ex eiuſdem epiſtolis libro ptoximo clariùs intelliges. Quem etiā, ita eius exigentibus exceſsibus, aliorumq́ue ædificatione & exemplo, à ſua & catholicæ eccleſiæ communione ſeparauit ad tempus, vſque ad ſatisfactionem congruam. Qua intercedente etiam ac ſpōdente pro eodē Martiano imperatore recōciliari obtinuit, ea tamen adiecta lege, vt retractatis ordinationibus, quas de Andrea & Euphrate in ſua eccleſia fecerat, eandem vniuerſam ad præſcriptā ſibi regulā ordinaret. Teſtis eſt epiſtola eius 45. ad prę̄fatum Anatholium.

B

Aduerſum B. Ioannem cognomēto Chryſoſtomum, r. Paulinum & Euagrium, conſpirauit Orientalium epiſcoporum pars maxima, qui in vnum ſynodicè cōuenientes, eoſdem damnationis perculère ſententia, quam tanquam probatam contra autoritatem ſedis Apoſtolicæ, iuſuper & iniquam vnius B. Innocentij retractauit autoritas, & autores iniquæ ſententiæ, eccleſiaſticę cenſuræ excommunicationiq́; ſubiecit. Intet quos Alexander Antiochenus patriarcha, per condignam ſatisfactionem, miſſa ſolēni legatione ex medio Oriente ad Innocentiū reconciliari meruit. Pro Attico autem Conſtātinopolitano, ante dignam ad eiuſdem Innocentij arbitriū ſatisfactionem, à Maximiano Apoſtolicæ ſedis in Oriēte legato fruſtra interceſſum eſt.

De Alexandto autem & Antiochena eccleſia, in hæc verba ſcribit ad Boniſacium preſbyterum: Eccleſia Antiochena, quam priùs quàm ad vrbem perueniret Romam, beatus Apoſtolus Petrus ſua præſentia illuſtrauit, velut germana eccleſię Romanę, diu ſe ab eadem alienam eſſe paſſa non eſt. Nam miſſis legatis ita pacem poſtulauit & meruit, vt Euagrianos ſuis ordinibus ac locis intemerata ordinatione, quam acceperant à memorato, ſuſciperet, & Ioannis ſanctæ memoriæ, vel clericos vel laicos, in vnum colligeret atque congregaret. Permittēs ipſius epiſcopus, frater meus Alexander, vt ſi quis fortè à nobis, vel aliunde poſterioris ordinationis ad eoſdem venerit, ſe ſine cōtrouerſia recepturum, ac nomen epiſcopi memorati, inter quieſcētes epiſcopos recitaturum. Cui re nos noueris tradidiſſe manus, frater chariſsime, & eos in noſtra viſcera recepiſſe. Ne diu mēbra, quę requiſierant ſanitatem, ab vnitate corporis haberentur aliena, &c. C

De Attico autem Conſtātinopolitano idē reſpondet Maximiano, ſe mirari, quòd pro eius communione interceſſerit. Communio enim, inquit, ſuſpenſa reſtituitur demōſtranti cauſas, quibus id acciderat, iam eſſe deterſas, & profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos Atticus, miſsis aliquibus ſuorū vel dicere voluit, vel demōſtrare completū: quemadmodū Antiochenæ eccleſię frater & coepiſcopiſcopus noſtet Alexander, digna legatione proſecutus eſt & probauit, &c. vniuerſa quę apud Antiochiam fieri debuerint, ſuiſſe cōpleta. quorum amplexati pacem, vtiq; fidem fecimus, & magno tramite eandem, quam pręſtolaris, oſtendimus: ſi modò, quæ diſcuſſa ſunt & cōpleta ab alijs, etiam ipſi pro ſuo loco feciſſe, vel compleuiſſe aliquando monſtrauerint, communionemq́;, vt iſti, legatione ſolēniter deſtinata, ſibi rogauerint redhiberi. Expectamus ergo & profeſsionem memorati, de completis omnibus conditionibus, quas diuerſis temporibus ediximus, & petitionem communionis, vt rectè & petenti & probāti ſe eandem mereri, reddamus frater chariſsime, &c. Hęc Innocentius. Qui etiam ad Atticum Beroæ epiſcopū reconciliari petentem, præſcribit conditiones, quibus impletis, recipi in communionem poſsit. D

Vides ignorantiſsime & impudentiſſime, quàm nuper Romana eccleſia abſq; vlla controuerſia primatum obtinuerit ſuper omnes totius orbis eccleſias? Nam hæc ante annos vndecies centenos geſta ſunt.

Ex Acatij Conſtantinopolitani antiſtitis ſub Simplicio Romano pontifice excitata tragœdia idem euidentiſsimè demonſtrare.

CAP. XIII.

Quod

A

Oſtẽditur ipſa rei euidentia, neceſsitas autoritatis & ſingularis prærogatiuæ ſedis apoſtolicæ atq; eius præſidis.

QVod ſuprà ex ipſa primùm ratione ſocietatis eccleſiaſticæ demonſtratum eſt eſſe neceſſariũ, quod confirmatum ex vmbra & figura tabernaculi veteris, quod inſuper diligentiſſimè ordinatum ac inſtitutum demonſtrauimus à Chriſto, videlicet vt ſub vno præſide & monarcha gubernaretur vniuerſa Chriſti eccleſia, in qua tãta illi eſſet autoritas, qua ordines omnes inferiores, eccleſiamq; vniuerſam in vnitate & officio continere, & in finem ſuum dirigere poſſet, ipſa nunc rei euidentia comprobare incepimus. Quo enim pacto inter illos turbines & procellas, ſub quibus omnes aliquando omnium ſedium antiſtites hæretica peruaſit cõtagio, tota penè ab imis vſque fundamentis quaſſata, concuſſaq; ab hæreticis, orthodoxa ſubſiſtere potuiſſet eccleſia, niſi fundata fuiſſet ſuper illam petrã, ſingulari Dei beneficio immobilẽ, quæ terrarum orbe reluctante (vt illius Chryſoſtomi verbis dicam) adamãtis naturam in firmitate ſuperaret? Quæ Apoſtolicæ illius traditionis (quam ſucceſsione tantùm epiſcoporum cõtinua, non autem ſcripto nos accepiſſe ſuprà demonſtratum eſt) peruenire ad nos potuiſſet ſynceritas, alias eccleſias vniuerſas toties occupãtibus hæreticis epiſcopis? Quis ordo,

B quæ facies, quis vigor Eccleſiaſticæ hierarchiç inter illos epiſcoporum toto orbe ſine modo aduerſus ſeſe tumultuantium conflictus? inter illas improborum ambitiones, omnibus ſibi paſsim vẽdicantibus oĩa, niſi vna hæc ſedes Apoſtolica cõſeruata fuiſſet ſingulari illo, quod ſuprà adſtruximus, priuilegio? Cuius, vt ſemper permanſit fides integra ad confirmandos toto orbe Chriſtifideles in fide: ita viguit autoritas ad omnem altitudinẽ ſeſe extollentẽ aduerſus orthodoxam fidẽ, aduerſus Apoſtolicos, eccleſiaſticoſque canones deijciendam. Quæ quàm fuerit vehemẽs & efficax in orbem vniuerſum, nonaginta illi totius penè Orientis epiſcopi, quos aduerſus Athanaſium Alexãdrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, cęteroſque, quos audiſti ſuperiùs, orthodoxos conſpirantes coercuit vnus Iulius. Nec minùs Dioſcorus Alexãdrinus antiſtes, vnà cum tot ſecum congregatis in II. illa Epheſina vniuerſali ſynodo epiſcopis, quos non rectè incedentes ad veritatem euãgelij vnius Leonis compeſcuit autoritas, Anatolius quoq; Conſtantinopolitanus, Anthemius Trapezuntinus Conſtantinopolitanę ſedis vſurpator, Petr⁹ Antiochenus (quos ſedibus ille deturbauit Agapetus) Atticus præterea & Alexander, earũdem ſedium antiſtites, quos humiliauit, & reſipiſcere coegit

E Innocentius, alijque q̃ plurimi, quos pòſt audies, documẽto ſunt, & euidenti teſtimonio.

Simplicij Romani põtificis haud eſt ignota hiſtoria, vt in Timotheum Alexandrinum ſectatorem Dioſcori, qui trucidato per hæreticos B. Proterio, quem in eiuſdem Dioſcori locũ ordinauerat Chalcedoneñ. ſynodus, & cõfirmauerat beatiſsimi Leonis autoritas, Alexãdrinam inuaſerit eccleſiã, & in Petrum eius diaconum, anathematis protulerit ſententiam: Inſtãtibus altero Timotheo, qui ab orthodoxis canonicè electus erat ſucceſſor Proterio, & Acatio Conſtãtinopolitano, cui vices ſuas per Oriẽtem commiſerat. Quibus damnatis, & per Leonem imperatorem Apoſtolicæ ſedis ſentẽtiæ executorem relegatis, cùm pòſt mortuo eodẽ, & Baſiliſco inuadente imperium, per occaſionem turbatæ reipublicę, illi reuerſi ab exilio Alexandrinam rurſus inuaſiſſent eccleſiã, expulſo inde Timotheo orthodoxo & legitimo epiſcopo, haud longè pòſt ſublatus eſt Timotheus ille inuaſor hęreticus, & Petrus eius diaconus & impietatis ſocius inuadit eccleſiam. At Zenone mox recuperante legitimum imperium & ordinata repub. deturbato illo Petro è ſede, q̃ contra ius & fas occupauerat, in eandem reſtitutus eſt Timotheus ille orthodoxus & legitimus epiſcopus. Huic hiſtorię teſtimonium perhibet præfati Acatij Conſtantinopolitani ad Simplicium epiſtola quam ſcribit in hæc verba: D

Leo imperator uelut ſententiæ apoſtolicæ ſedis executor, relegat damnatos.

Solicitudinem omniũ eccleſiarũ circumferentes, nos indeſinenter hortamini, quãuis ſpõte vigilantes & pręcurrẽtes, ſed vos diuino zelo ſolicitos demõſtratis, ſtatum Alexandrinæ eccleſiæ certiùs requirẽtes, vt pro paternis canonibus ſuſcipiatis laborem, pijſſimo ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper eſt approbatum. Sed Chriſtus Deus noſter, qui diligentibus ſe in bonũ cooperatur, noſtris cogitationibus inſidens, & vnam nobis in his mentem, & eãdem gloriam eſſe cognoſcens, omnem victoriam ipſe perfecit, cõſortes nos cum tranquilliſsimo principe faciẽs. Et Timotheum quidem deceſſorem ſpirantem procellas, & eccleſiaſticam tranquillitatem (ſicut apparuit) conturbantem, vitæ ſubtraxit humanę, dicens ei: Tace & obmuteſce. Petrum quoque, qui ab Alexãdria more ſimilis procellæ ſurrexerat, diſſipauit, atque in ęternam fugam ſancto ſpiritu flante conuertit vnum ex his, qui olim damnati fuerant, &c. Qui Petrus, noctis exiſtens filius, & operum diei lucentiũ alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium ſuũ congruas peragendum inueniẽs, media nocte, adhuc iacẽte

cadauere

A cadauere illius, qui paternos canones ſubuerterat, inſepulto, ſubripuit in ſedẽ, & epiſcopalem cathedrã temerarius vaſtator inuaſit vno & ſolo præſente eo, qui conſors illius inſiſtebat inſaniæ, qui nuſquam penitus poſtea comparuit. Timotheus autem, qui Dauidicę mãſuetudinis exemplo ſubditur, & vſq; in finem patiens, poteſtati proprię reſtitutus à Chriſto, propriæ ſedis honore lætatur, &c. Hæc ille Acatius præfatæ hiſtoriæ euidẽs teſtimoniũ perhibens. Quæ etiam magis confirmabitur ex ſequentibus vniuerſis.

Sed cùm idẽ Acatius delegata ſibi in illis regionibus autoritate ſedis Apoſtolicæ aliquanto pòſt abuti inciperet ad ſuã ſtabiliendam tyrãnidem, multorũ magnorumq́; deinceps motuum, perturbationumq́; autor fuit in eccleſia.

Siquidem mortuo deinde illo Timotheo Alexandrino epiſcopo ſucceſſore beati Proterij, cùm orthodoxus populus in eius locũ Ioannem elegiſſet epiſcopum, contrà, quantum potuit, reſtitit Acatius, qui Zenonẽ ſuis artibus iam ſibi deuinxerat, & illum nuper damnatum Apoſtolicæ ſedis autoritate Petrum, iamdudum reuocari curauerat ab exi-
B lio, quem imperiali fauore omnibus modis reducere ſtudebat in Alexandrinam, quã nuper inuaſerat, eccleſiam, credulo nimis imperatori perſuadens, non rectè nuper damnatum à ſede Apoſtolica.

Imperator Zeno confirmationẽ Ioannis electi Alexandrini apud Simpliciũ fruſtra impedire conatus eſt.

Itaque cùm pro confirmatione à ſede Apoſtolica obtinenda mitteret Ioannes electus ab orthodoxo populo, ſuę electionis ſynodicam ad Simplicium, ſimul ſuperuenit Vrbanus Subadiuua, ſacra principis ad Simplicium deſerens, vt ab epiſcopi illius ſe confirmatione ſuſpenderet. Sed quia etiam de reſtituendo Petro in eiſdem literis facta eſt mentio, nihil cunctatus pontifex, canonicam Ioannis epiſcopi electionem ſine mora confirmauit, nec ob imperialẽ gratiam quicquã de ſuo faſtigio deflexit autoritas pontificia. Vnde offenſus quidem eſt imperator, incentore illo Acatio: attamen imperiali illa indignatione nihil obſtante, Ioannes ille electus & confirmatus à ſede Apoſtolica, Alexandrinam obtinuit eccleſiam, & in eadem multis annis prę̨ſedit.

Mortuo deinde Simplicio, Felix ſecundus, eius in Apoſtolica ſede ſucceſſor, etiam in Acatium damnationis protulit ſententiam, quòd damnato illi Apoſtolica autoritate Petro, cuius idem ipſe procurator fuerat, abſq; eiuſdem ſedis communicauerat iudicio.

Sed cùm Zeno imperator apud Felicẽ pro eodem inſtantiſsimè intercederet, fidem ei
C faciens, illum pœnitere, & in eius futurum arbitrio, victus imperatoris precibus, Meſſenum & Vitalem eo tranſmiſit epiſcopos, vt cognita illius congrua ſatisfactione & pœnitentia, eccleſiaſticæ eum communioni reſtituerent, & damnatum olim Petrum prorſus abijcerent & expellerẽt ab eccleſia. Qui profecti, & Heracleã ingreſſi, nihil egêre ex pontificis ſententia: ſed partim adducti metu, partim corrupti muneribus, damnatis excõmunicatiſq́; à ſede Apoſtolica communicarunt. Quapropter etiã aduerſus hos merito indignatus, ipſos quoq; vt pręuaricatores & ſimoniacos de eccleſiaſtico gradu deiecit, & ſuſpẽdit à cõmunione fidelium.

Corrupti legati damnatis cõmunicãt. Damnati etiã legati, ut præuaricatores & ſimoniaci.

Horum ita geſtorum, ſi hiſtorię non ſatis credis, fidem indubiam facit eiuſdem Felicis ad Acatium epiſtola, damnationis eius ſententiam continens, in hæc verba:

Felix epiſcopus ſanctę eccleſię catholicæ vrbis Romæ Acatio.

Multarum tranſgreſsionum reperiris obnoxius, & in venerabilis concilij Niceni contumelia ſępè verſatus alienarum tibi prouinciarũ iura temerariè vendicaſti, hęreticos & peruerſores, & ab hęreticis ordinatos, quos ipſe damnaueras, atque ab Apoſtolica ſede petiſti damnari, nõ modò communioni tuæ recipiendos putaſti, verumetiam alijs eccleſijs (quod nec de catholicis fieri poterat) pręſidere feciſti; atque etiam honoribus, quos non merebantur, auxiſti. Teſtatur hoc Ioan-
D nes, quem à catholicis Apameę non receptũ, pulſumq́; de Antiochia, Tyrijs pręfeciſti: & Humerius, tunc de diaconio eiectus, atque Chriſtiani nominis appellatione priuatus, à te etiam in presbyterij prouectus officium. Et quaſi hæc minora tibi viderentur, in ipſam doctrinæ Apoſtolicæ veritatem auſus tuos, & ſuperbiam tetẽdiſti, vt Petrus (quem damnatũ à ſanctæ memoriæ pdeceſſore meo ipſe retuleras, ſicut teſtantur annexa) beati euangeliſtæ ſedem, te iubente rurſus inuaderet, & fugatis orthodoxis epiſcopis & clericis, ſui procul dubio ſimiles ordinaret, pulſoq́; eo, qui fuerat regulariter cõſtitutus, captiuam teneret eccleſiam. Cuius tibi adeò grata perſona eſt & acceptum miniſterium, vt epiſcopos & clericos plurimos orthodoxos, tunc Conſtantinopolim venientes, detegaris afflixiſſe, & apocryſario eius fauere, atque anathematizãtem eundem Petrum Chalcedonenſis decreta concilij, & violantem ſanctæ memorię Timothei ſepulturam, ſicut ad nos certiores quoque nuncij pertulerunt, per Meſſenum & Vitalem crederes excuſandum: nec eum laudare deſineres, &

mul-

A multis efferre prȩconijs,ita vt damnationem
ipſius quam ante retuleras, veram non fuiſſe
iactares. Tantum autem perſeueras in homi-
nis damnatione peruerſi , vt quondam epiſ-
copos,nūc verò honore & communione pri
uatos:Vitalem atq; Meſſenum , quos ad eius
expulſionē ſpecialiter miſeramus ſublatos,
cuſtodiæ paſſus fueris mancipari,atq; ad pro
ceſsionem, quæ tibi cum hæreticis habeba-
tur exinde productos, ſicut eorum profeſsi-
onibus patefactum eſt , ad hæreticorum tu-
amque communionem (contempta quæ vel
gentium iure ſeruari debet,legatione)pertra
heres.prȩmiſsq́; corrumperes,& in lȩſionem
beati Petri apoſtoli,à cuius ſede profecti fue
rant,nō ſolum inefficaces redire faceres, ſed
etiam impugnatores omnium quæ fuerant
mandata monſtrares.In quorum deceptione
tuam nequitiam prodidiſti.Et libello fratris
& coepiſcopi mei Ioannis(qui te grauiſsimis
obiectionibus impetiuit)apud apoſtolicā ſe-
dē ſecundū canones reſpōdere diffidēs,obie
cta firmaſti.&c.Eos quoque literis tecū com
municare teſtatus , quns conſtat eſſe hæreti-
cos. Quid enim ſunt aliud, qui poſt obitum
ſanctæ memoriæ Timothei ad Alexandrinā
eccleſiam ſub Petro redcūt,niſi quod Petrus
B ab vniuerſà eccleſia, atque à te fuerat iudica
tus? Habe ergo cum his quos libenter ample
cteris portionem, & ſentētia præſenti,quam
per tuæ tibi direximus eccleſiæ defenſorem,
ſacerdotali honore & cōmunione catholica,
necnō etiam à fidelium numero ſegregatus,
ſublatum tibi nomen & munus miniſterij ſa
cerdotalis agnoſce , ſpiritus ſancti iudicio &
Apoſtolica per nos autoritate damnatus,nec
iam anathematis vinculis eruendus.Hæc ille
Felix.

Vis intentata legatis ſedis Apoſtolicæ.

Nota etiā eo ſeculo eccleſiarū principaliū Orientis defenſores defuiſſe morari apud ſedem Apoſtolicam.

Audiuiſti hæc rerum eccleſiaſticarum o-
mnium ignorantiſsime , qui non erubeſcis
dicere,non ita nuper,atq; adeò à recenti ho-
minum memoria,Romanā ſedem ſuper alias
ſe extuliſſe eccleſias,cui repugnet primitiuæ
eccleſiæ exēplum, omniſq́; antiqua hiſtoria?
Iam enim quoties audiſti ritum & formam
eccleſiaſticæ hierarchiæ in illa primitiua ec-
cleſia?Quales hiſtorias?non hercle confictas
à Romanæ curiȩ palponibus, vt tu impuden
tiſsimè loqueris, ſed certiſsimæ fidei , etiam
eorum ipſorū,inter quos,aut à quibus geſtæ
ſunt,comprobatas teſtimonio & epiſtolis.
Neq; ſcriptas nuper , aut noſtro ſeculo,vt de
illis duret memoria hominum , ſed ante mil
le vndecies,duodecies,centenos annos: eui-
dentiſsimè demonſtrantes,liberiorem fuiſſe
eo ſeculo,efficacioremq́; autoritatē Roma-
norum pontificum in totius orbis etiam lon
giſsimè poſitas eccleſias,in ipſas ſedes princi C
pales,Alexandrinam,Antiochenam,& Con-
ſtantinopolitanam,earumq́; antiſtites,quàm
nunc in vnum hūc noſtrȩ Chriſtianitatis an-
gulum,imò quàm in vnam domeſticam Ita-
liam:labeſcente nimirum vnà cum religione
& fide,pontificiæ maieſtatis, eccleſiaſticȩque
diſciplinȩ vigore. Imò labaſcente religione
ob vigorem eccleſiaſticæ hierarchiȩ diſſolu-
tum.Neque enim aliunde hȩreſes & ſchiſma
ta, & quicquid nunc malorum inundaſſe in
eccleſiam videmus,ortum habuerunt,quàm
inde quòd ſacerdoti dei non obtemperatur,
nec vnus ad tempus in eccleſia ſacerdos & iu
dex vice Chriſti cogitatur,cui ſecundum my
ſteria diuina obtēperaret fraternitas vniuer-
ſa,vt beatiſsimi Cypriani veriſsimis verbis
vtar. At vtinam hoc noſtro ſeculo vigeret in
eccleſia Chriſti , eiusq́; hierarchia ritus ille,
exemplumque primitiuæ eccleſiæ, & noſtris
his lucubrationibus locus non fuiſſet. Sed
nunc tanto ſeipſa inferior eſt Romani ponti
ficis dignitas eccleſiaſticaq́; autoritas, quāto
nūc minor eſt & ſeipſa deterior eccleſia. Sed
vt reuertamur vnde ſumus digreſſi , inchoa-
tamq́; proſequamur tragœdiā , cuius exitus
luculentiſsimè demōſtrabit & quanta fuerit
ab initio,& quàm vniuerſæ eccleſiȩ neceſſa- D
ria,huius ſedis autoritas.

Cùm iā ille Acatius à Felice Romano pon
tifice,vnà cum illo Petro Alexādrino parem
in ſe accepiſſet damnationis ſentētiam, pro-
ceſsit illorum pertinax conſpiratio,& peiora
grauioraq́; ſemper moliti, imperatorem etiā
Anaſtaſium,qui ſucceſsit Zenoni ſuis ſibi ar-
tibus deuinxerunt,& in ſuā pertraxêre perfi
diam. Cuius fulti ſubleuatique autoritate &
gratia, coacto aliquot epiſcoporū ſecum cō-
ſentientium concilio, Apoſtolicæ ſedis in ſe
ſententiam retractari procurauerūt. Petrum
autem prædictum,tanquam non rectè pridē
damnatum reſtituendum, reducendumq́; in
Alexandrinā eccleſiā,deturbato inde Ioanne
præfato orthodoxo & legitimo epiſcopo.
Kalendionem etiam Antiochenum epiſco-
pum,quòd Apoſtolicæ ſedis autoritatem ſe-
cutus,eis communicare nolebat, è ſua eiece-
runt eccleſia,ſubſtituto in eius locum altero
quodam Petro hæretico,& alia præterea fla-
gitia & ſacrilegia patrarunt innumera aduer
ſus orthodoxos per vniuerſas Orientis eccle
ſias,omnes illas principales ſedes,Alexandri
nam,Antiochenā,& Conſtantinopolitanam,
ſua peruadentes occupanteſq́; impietate ac
tyrannide.

Aduerſus hns Gelaſius ſanctus & doctiſſi
mus pontifex illius Felicis ſucceſſor conſtan
ter

Gelaſius Ro. pont. Felicis ſucceſſor aduerſus prædictos cōſtanter tuetur autoritatem ſedis apoſtolicæ.

A ter agens, & illos perfidos Apoſtolicæ ſedis autoritate confidentiſsimè perſecutus eſt, & orthodoxorum ſe aſylum & perfugium præbuit, præfatum Ioannem Alexandrinum epiſcopum, & alios pleroſque ab illis diuexatos & ſuis ſpoliatos eccleſijs, benignè liberaliterque excipiens, fouens, ac protegēs, nec minis cedens aut imperatorum aut Græcorum omnium, qui à Romanæ eccleſię ſubtracturos ſe minitabātur obediētia. Et ſunt, qui ſcribant ab eodē excommunicatum etiā imperatorem Anaſtaſiom, quòd impijs illis Apoſtolicęq; ſedis iudicio dānatis cōmunicaret, & fauoré auxiliumq; impēderet. Sed his cōtradicit eiuſdem ipſius Gelaſij ad Fauſtum magiſtrum, apud Conſtantinopolim fungentem legationis officio, epiſtola. Ex qua conſtat, ita quidem delatū tunc fuiſſe imperatori à damnatis alijs, tamen perſonę eius habitam fuiſſe reuerentiam. Attamen ſuo ſe facto damnaturum, ſi damnatis illis cōmunicare pergeret. Scribit autem in hæc verba:

Ego quoqoe, inquit, mente percepi, Græcos in ſua obſtinatione mā ſuros, ne cui velut inſperatum videri poſsit, qnod eſt antè præ-

B cognitum, &cæt. Quid ſibi vult autem quòd dixerit imperator, à nobis ſe io religiōe damnatum? Cùm ſuper hac parte, & prædeceſſor meus, noo ſolùm minimè nomen eius attigerit, ſed inſuper, quando principatum adeptus regiæ poteſtatis exercuit, in eius ſe reſcripſit imperij promotione gaudere, & ego nulla ipſius vnquam ſcripta percipieos, honorificis ooſtris eum literis ſalutare curauerim. Prædeceſſores mei ſacerdotes, qui præuaricatoribus ſe communicaſſe, propria voce confeſſi ſunt, à communiooe eos Apoſtolica ſubmouerunt. Si autem illi placet ſe miſcere damnatis, nobis non poteſt imputari, ſi cum eis velit abſcedere. Imò tanto magis à nobis non poteſt dici damnatus, ſed potiùs ad gratiam ſyncerę communionis admiſſus, &c.

Deiode iniquam refellens Græcorum poſtulationem, qua abſolui ſaltem perebant Acatium in excommunicatione huius ſedis mortuum: Legatur, ioquit, ex quo eſt religio Chriſtiana, vel certè detor exemplum in eccleſia Dei à quibuſlibet pontificibus, aut ab ipſis Apoſtolis, ab ipſo denique ſaluatore, veniam oon ſe corrigentibus fuiſſe conceſſam. Auditum aotem ſub cœlo nec legitur, nec dicitur, quod iſtorum voce depromitur: Date oobis veniam, vt tamen nos in errore duremus. Oſtendant, qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qoa ſcriptura, quoúe documento, ſiue à maioribus noſtris, ſiue ab ipſis Apoſtolis, quos potiores merito fuiſſe non dubium eſt, ſeu ab ipſo domino ſaluatore, qui iudicaturus creditur viuos & mortuos, ſiue

C factum eſſe vnquam, ſeu mādatum vt fieret, oſtenditur. Mortuos ſuſcitaſſe legimus Chriſtum, in errorem mortuos abſoluiſſe non legimus. Et qui hoc certam faciendi ſolus habuit poteſtatem, beato Petro principaliter mandat Apoſtolo: Quæ ligaueris ſuper terram, ligata erunt & in cœlo, & quæ ſolueris ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlo. Soper terram, inquit: nam in hac ligatione defunctum, nunquam dicit abſolui. Qnod ergo nunquam factum eſt, vel cogitatione percipere formidamus, ſcieotes in diuino iudicio non poſſe penitus excuſari. Si autem (quod nunc prætendunt) à Romaoa eccleſia ſe diuiſuri ſunt (quod iamdudum feciſſe monſtrantur) minus miror, ſi ignorantiam ſuam ipſe non perſpicit, qui dicit Acatium ab vno non potuiſſe damnari. Itá ne perſpicit, ſecundum formam Chalcedouenſis ſynodi fuiſſe damnatum Acatium? &cæ, Nobis opponunt canones, dum neſciuot quid loquantur. Contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quòd primæ ſedi ſana rectaque iubenti parere refugiunt. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius eccleſiæ ad huius ſedis examen voluere deſerri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanciuerunt, ac per hoc illam de tota eccleſia iudicare, ipſam verò ad nullius conuenire iudicium: nec de eius iudicio vnquam iudicare præceperunt, ſed ſententiā ab illa conſtitutam non oportere diſſolui, cuius potiùs decreta omnibus ſequēda mandarunt. In hac ipſa cauſa Timotheus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, alter Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, non ſolùm vnus, ſed plures nomen ſacerdotij præferentes, ſola ſedis Apoſtolicæ ſoot autoritate deiecti. Cuius rei teſtis docetur etiam ipſe Acatius, qui præceptionis hoius extitit executor. Qnod vtique ſicut Apoſtolicam ſedem iuxta formam ſynodicam feciſſe manifeſtum eſt: ſic neminem reſultare potuiſſe certiſſimum. Hoc igitur modo recidens in conſortiom damnatorum, damnatus eſt Acatius, qui eorum damnatiooem priuſquam præuaricator exiſteret, fuerat executus. Nobis auſi ſunt facere canonum mentionem, contra qoos ſemper illicitis ambitionibus veniſſe monſtrantur? Qua in ſynodo vel ſecundum cuius ſynodi formam Alexandrinum Ioannem de eccleſia, cui ordinatus fuerat, expulerūt? &c. Qnod ſi dicunr, imperator hoc fecit, quibus canonibus, quibus regulis hoc actū eſt? Cur

Summum in eccleſia tribunal, quod de omnibus iudicans nullius [illegible] Dei iudicio ſubditur.

D

a huic

A huic tam prauo facto conſenſit Acatius? cùm autoritas dicat diuina, non ſolùm qui faciunt praua, reos eſſe, ſed etiã qui cõſentiunt facientibus. Quibus canonibus, quibúſue regulis Kalendion excluſus eſt, vel primi vrbiũ diuerſarum catholici ſacerdotes? Qua traditione maiorum Apoſtolicam ſedem in iudicium vocant? An ſecundæ ſedis antiſtites & tertiæ, cæteriq; bene ſibi conſcij ſacerdotes depelli debuerũt: & q religionis extitit inimicus, depelli nõ debuit? Viderint ergo ſi alios habẽt canones, quibus ineptias ſuas exequãtur: cæterùm iſti qui ſacri, qui eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur, ſolam ſedem Apoſtolicam ad iudiciũ vocari non ſinũt, & Conſtantinopolitanæ eccleſiæ (quæ vtique ſecundum canones inter ſedes nullum nomen accepit) epiſcopus in communionem recidens perfidorum non debuit ſubmoueri? &cęt. Sed religioſi ſcilicet viri, atq; perfecti ſecundum canones conceſſam Apoſtolicæ ſedi poteſtatem conãtur eripere, & ſibimet eam contra canones vſurpare contendunt. O canonum magiſtros atq; cuſtodes &c. Hęc ille Gelaſius. Qui & in epiſtola ad Anaſtaſium imperatorem, iuſtiſsimam oſtendens Apoſtolicæ ſedis in Acatium damnationis ſentẽtiam, & de ſacerdotali pontificiaq; dignitate exordiens, cui debeant etiam ipſi reges & imperatores ſe humiliter ſubmittere.

Sacri canões ſolã ſede apoſtolicã ad iudicium vocari nõ ſinunt.

B

Et ſi, inquit, cunctis generaliter ſacerdotibus, rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit corda ſubmitti: quanto potiùs ſedis illius pręſuli conſenſus eſt adhibendus, quem cunctis ſacerdotibus & diuinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequẽs eccleſiæ generalis iugiter pietas celebrauit? vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet humano conſilio, ſuperelcuare ſe quenquã poſſe illius priuilegio, quem Chriſti vox prætulit vniuerſis. Cuius eccleſia veneranda, ſemper confeſſa eſt & obſeruat deuota primatum. Impeti verò poſſunt humanis præſumptionibus, quæ diuino ſunt iudicio conſtituta. Vinci autem quorumlibet poteſtate non poſſunt, &c. Hæc in epiſtola ad Anaſtaſium.

Impeti poſſe cõſtituta diuino iudicio ſed vinci nõ poſſe

Ad Dardaniæ verò Epiſcopos eadem de cauſa, nempe de iuſta Apoſtolicæ ſedis in Acatium damnationis ſententia, iniuſtoque & irrationabili Orientalium eccleſiarum ſchiſmate ſcribit in hæc verba poſt pręmiſſa nonnulla:

Retulit dilectio veſtra iactare aduerſarios, ideo Acatium non putare iurè damnatum, quòd non ſpeciali ſynodo videatur fuiſſe deiectus, præcipuè pontificem regiæ ciuitatis, &c.

C

Remouens autem hanc illorum cauillationem, multis primùm demonſtrat exemplis, in vnaquaq; hæreſi omnes complices, ſectatores, & cõmunicatores damnatę ſemel prauitatis pari ſorte cẽſeri, & ipſa principali damnationis obſtringi ſententia, eiusq́ue exequendi præcipuam curam pertinere ad autoritatem & officium ſedis Apoſtolicæ. Quæ, inquir, vnamquanque ſynodum ſua autoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit, pro ſuo videlicet principatu, quẽ beatus Petrus Domini voce perceptum tota Chriſti eccleſia conſentiente, & retinuit ſemper, & retinet, &c. Ideo autem iuſtè damnatum Acatium, quòd proprijs literis confeſſus fuerat, ſe Petri illius Alexandrini, quem expetita ſedis Apoſtolicæ autoritate executor ipſe quoque damnauerat, communione permixtum. Damnati ſiquidẽ erroris cõmunicator effectus præſcriptæ etiam damnationis particeps extitit. Quoniam error qui ſemel cum ſuo autore damnatus eſt, in participe quolibet prauæ communionis effectum & execrationem ſui geſtat & pœnam. Quo tenore Timotheus etiã, atq; ipſe Alexãdrinus Petrus, qui ſecundam certè ſedẽ tenuiſſe videbantur nõ repetita ſynodo, ſed autoritate tantũmodo ſedis Apoſtolicę, ipſo quoq; Acatio poſtulante vel exequẽte, probãtur eſſe dãnati, &c.

Vnãquanq; ſynodum confirmari autoritate ſedis apoſtolicæ.

D

Nec planè, inquit, tacemus, quod cuncta per mundum nouit eccleſia, quoniam non quorumlibet ſententia pontificum, ligata à ſede beati Petri ius habeat reſoluẽdi, vtpote quæ de omni eccleſia ius habeat iudicandi, nec de eius licet iudicare iudicio. Siqnidem ad illam de qualibet mũdi parte canones appellare voluerunt. Ab illa autem nemo appellare permiſſus eſt, &cę. Sed nec illa præterimus, quòd Apoſtolica ſedes, ſicut frequenter dictum eſt, more maiorum ſine vlla ſynodo pręcedẽte, ſoluendi quos ſynodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Id quod clariſsimis comprobat euidentiſsimisq́; exemplis.

Ligata à ſede apoſtolica nõ poſſe reſolui ſnẽtia quorumlibet pontificum.

Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium ſynodus Orientalis addixerat, quẽ tamen exceptum ſedes Apoſtolica, quia dãnationi Græcorum non conſenſerat, abſoluit. Nihil minùs ſanctæ memoriæ Ioannem Conſtantinopolitanum ſynodus etiam catholicorum pręſulum damnauerat, quem ſimili modo ſedes Apoſtolica ſola, quia non conſenſit, abſoluit. Itemq́ue ſanctum Flauianum pontificem Græcorum congregatione damnatum, pari tenore ſola apoſtolica ſedes abſoluit, atq; eũ potiùs, qui illius damnationis autor fuerat, Dioſco-

A Dioſcorum ſecundæ ſedis pręſulem ſua autoritate damnauit, & impiam ſynodum non cõſentiendo ſola ſubmouit, ac veritatem tutata, vt Chalcedonenſis ſynodus fieret, ſola decreuit, & hoc nimirum pro ſuo illo principatu, quem beatus Petrus Dñi voce perceptum & tenuit ſemper & tenebit. Sicut ergo ſola ius habuit abſoluẽdi eos, quos ſynodica decreta perculerant: ſic etiã ſine ſynodo in eadẽ cauſa multos etiam metropolitanos damnaſſe cognoſcitur, &c.

Ridiculum verò eſt, quòd prærogatiuam volunt Acatio comparari ex eo, quòd epiſcopus fuerit ciuitatis regiæ. Nunquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non cõſtitit imperator? Nunquid harum vrbium ſacerdotes, vltra mẽſuram ſibi antiquitus deputatam, quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? Certè ſi de dignitate agitur ciuitatum, ſecundæ ſedis, & tertiæ maior eſt dignitas ſacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non ſolùm inter ſedes principales minimè numeratur, ſed nec inter metropolitanorum iura cenſetur. Nam quod dicitis, regię ciuitatis epiſcopum,
B alia eſt poteſtas regni ſecularis, alia eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas prærogatiuam præſentis regni non minuit: ſic imperialis pręſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat, &cæt.

Hęc ſcripſit ille Gelaſius longè ante annos mille, toti orbi rationẽ reddẽs, & iuſtiſsimæ damnationis Acatij complicũmq; eius, & iniuſtiſsimi ſchiſmatis Orientalium ſedium: quæ ſi perpenderis diligenter, ſi rem ipſam de qua, ſi eos ad quos, & aduerſum quos iſta ſcripſerit, ſi ipſam ſcribendi energiam, libertatem, confidẽtiam, non ſolùm certiſsimam fidem facient eius, quam memorauimus, hiſtoriæ, ſed Romanorum pontificum autoritatem, quanta ſuper vniuerſam eccleſiam eo ſeculo fuerit, euidentiſsimè comprobabunt. Nec minus apud te momenti & autoritatis habebunt, quòd ſcripta ſunt à Romano pontifice, cùm re ipſa verbis ſuis fidem faciat, euidentiſsimis exẽplis & hiſtorijs demõſtrans, cunctam hoc per orbem recognouiſſe eccleſiam, ligata à ſede beati Petri, non quorumlibet aliorum põtificum ſententia ſolui. Illam autem ſoluere etiam à quorumlibet epiſcoporum ſynodis ligatos, & ligare malè abſolutos. Ad illam iuſſiſſe canones appellationes totius eccleſię deferri, ab eius verò iudicio nunquam appellari, vt quod eſt ſacroſanctũ & vltimum, firmum ratumque etiam in cœlis. Illam de tota eccleſia iudicare, nullius verò quàm dei ſubiacere iudicio, à quo ſpeciali privilegio ac pręrogatiua conſeruatur, dirigitur & gubernatur, ita vt ab ea quęrentes, ſemper accipiant iudicij veritatem. Quæ vniuerſa, non ſolùm vera (quemadmodum ſuprà à nobis clariſsimè demõſtratum eſt) ſed etiam adeò notoria eo ſeculo fuiſſe cõſtat, vt ad ea comprobãda haud alios teſtes requirat, quã eos ipſos contra quos ſcribit, eorundem conſcientiam, & totius orbis conſenſum confeſſionemque appellans. Quod ipſum etiam clariſsimè comprobabit exitus huius, quã nunc tractamus, tragœdiæ: quem ſi ſpectaueris, videbis vnius Romani pontificis autoritati, victum conſcientia ſua Orientem, atque adeò orbem ceſſiſſe vniuerſum, atq; illi ſua colla ſupplices rurſus ſubdidiſſe, à quo recognouerunt iniquè ſe ſubtraxiſſe. C

Ex his nota quantę fuerit eo ſeculo totius orbis recognitio de autoritate ſedis apoſtolicæ

Proſequutio hiſtor.

Cùm itaq; in demortui illius, quem ſæpe diximus, Acatij locum Ioannes electus eſſet epiſcopus, & fruſtra ſæpe laboraſſet apud ſucceſſores Gelaſij, & nouiſsimè apud Hormiſdam Romanũ pontificem pro cõfirmatione ſua obtinenda, hic & literis, & nũcijs paternè illum admonuit, vt anathematizaret prædeceſſorem ſuum Acatium, vnà cum impijs eius actis & exceſsibus, alioqui illum nec confirmatarum, nec habiturũ inter catholicos aut orthodoxos epiſcopos. Qua in re, aut noluit, aut non eſt auſus parere Ioannes, quandiu viueret impius ille imperator Anaſtaſius, hæretico furore ab hæreticis illis ac ſchiſmaticis D Orientis imbutus epiſcopis. Quem non ita multo pòſt ictum fulmine, manifeſto Dei iudicio pœnas dediſſe publicè creditũ eſt, tum propter hæreticam, qua infectus erat, impietatem, tum vel maximè quoniam legatos miſſos ab Hormiſda pontifice, Enodiũ Ticineñ. epiſcopum, Fortunatum Catineñ. Venantiũ vrbis Romæ presbyterum, & Vitalem diaconum, non ſolùm aduerſus omnem religionem, ſed etiam aduerſus ius gẽtium nefandiſsimè violauerat, & magnis iniurijs contumelijsq; affecerat.

Anaſtaſius fulmine ictus perijt.

At mortuo Anaſtaſio, cùm Iuſtinus fidei orthodoxę Zelator, reipublicę ſuſcepiſſet gubernacula, quò tam impium prædeceſſoris ſui facinus expiaret à republica & imperio, miſſa continuò ad Hormiſdam legatione honorifica, Apoſtolicę ſedis communionem reuerenter humiliterque experijt, & debitam ei detulit reuerentiam & obedientiam. De pace quoq; eccleſiarum, & in primis Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, Ioannisq; eius epiſcopi reconciliatione & confirmatione egit diligentiſsimè.

Ad quem cùm idem pontifex viciſſim miſiſſet

A ſiſſet legatos ſuos Germanum Capuanum epiſcopum, Ioannem & Blandum vrbis Romę presbyteros, Felicem & Dioſcorũ diaconos, præſcripta eius forma, qua Conſtantinopolitanam eccleſiam vnà cum Ioanne, ſi recõciliari mererẽtur, in communionem reciperẽt, & Ioannem in eadẽ eccleſia confirmarent. Eoſdem illos, nullo non adhibito honoris genere & publicę lętitię inſigni, effuſi obuiam honoris gratia, tam illuſtrium virorum, quã monachorũ & populi maxima multitudine (qui omnes diutini ſchiſmatis, quod epiſcoporũ ſuorum culpa excitatum fuerat, pertæſi, magno reconciliationis deſiderio tenebantur) honorificentiſsimè excepit imperator, congratulante clero vniuerſo, vnà cum Ioanne epiſcopo, qui mandata ſedis Apoſtolicæ & legatorum eius omnia, humiliter reuerenterque accepit, & fideliter adimpleuit, profeſsionemq́; fidei catholicæ & orthodoxæ eccleſiæ, etiam propriæ manus ſubſcriptione confeſſus eſt, etiam dicto in ſe anathemate, ſi ab eadem vnquam recederet aut deuiaret in poſterum, ſub qua in gratiã cõmunionemq́; recipi, & in ſede Cõſtantinopolitana cõfirmari meruit. Cuius rei fides ex actis quintę vniuerſalis ſynodi Conſtantinopolitanæ ſecundæ, nec minùs ex Iuſtini imperatoris, necnon Ioannis præfati ad Hormiſdam epiſtolis, huius quoq; epiſtolis diuerſis, vt ad Ioannem epiſcopum Mileuitanũ, ad epiſcopos Hiſpaniæ, B ad Epiphanium, ad epiſcopos Beticę prouinciæ, conſtat clariſsimè.

Cõſtantinopolitani epiſcopi & eccleſiæ recõciliatio.

Scripſit autem Iuſtinus ad Hormiſdam in hæc verba: Sacratiſsimo & beatiſsimo archiepiſcopo almæ vrbis Romæ & patriarchæ, Iuſtinus imperator. Scias nobis pater religioſiſsime, quod diu ſummis ſtudijs quęrebatur pateſactum, etiam antequam aduenirent qui à vobis deſtinati ſunt, quod Ioannes vir beatiſsim. antiſtes nouæ Romæ noſter, vnà cum clero vobis conſentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis diuiſi diſcordijs. Scias libellũ ab eo ſubſcriptum, quẽ offerẽdum iudicaueras ſanctiſsimorum patrum concilio congruentem, quo omnes concurrũt, alacri opera ſuſcipientes vota tã noſtra, quàm Conſtantinopolitanæ ſedis, quos veritatis coruſcus fulgor illuminat. Omnes accelerant libentiſſimè, quos delectat via dilucida, vt ſequantur ſcita patrum ſanctiſsima, leges probatiſsimas, & conſiliis quorundam firmatis qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis, qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, vt vnitatem indiuiduæ trinitatis ipſi quoque in vnitate colant mentium. Negatum eſt inter diuina myſteria memoriam in C poſterum fieri præuaricatoris Acatij, quondam regiæ huius vrbis epiſcopi, necnon & aliorum ſacerdotum, qui vel primi contra ſtatuta venerunt Apoſtolica, vel ſucceſſores erroris facti ſunt, & nulla vſq; ad vltimũ diem ſunt pœnitentia correcti. Et quoniam omnes noſtræ religionis admonẽdi ſunt, vt exemplum ſequantur ciuitatis regiæ, deſtinanda vbique principalia pręcepta ediximus, &c. Oret igitur veſtræ religionis ſanctitas, vt quod peruigili ſtudio pro concordia eccleſiarum catholicæ fidei procuratur, diuini muneris opitulatio, iugi perpetuitate ſeruare annuat. Datum, &c.

Tenor autẽ confeſsionis & libelli, de quo in dictis Iuſtini literis fit mentio, qui fuerit, iamdudum ex eiuſdem Ioanuis ad Hormiſdam epiſtola, quam ſuprà capite quinto inſeruimus, intellexiſti: quem etiam idem Hormiſda epiſtolæ ſuæ ad Hiſpaniarum epiſcopos inſeruit, quibus Conſtantinopolitanę eccleſiæ reconciliationem ſignificat, ſimul & formam præſcribit, ſecundum quam, vt plurimi epiſcoporũ Illyrici, Thracię, Scythię, inſuper & Syrię partium recõciliationis gratiã, Apoſtolicæq́; ſedis communionem impetrauerant, liceret & ipſis eiuſdem ſedis autoritate ad communionem recipere, ſi qui Oriẽtalium à pręfato damnabili ſchiſmate reuertentes eandem ab eis ſupplices peterent. D

Habebat autem illa (vt ſuprà audiſti) profeſsio, eſſe omnibus neceſſarium ad ſalutem, vt regulam rectę fidei cuſtodire, ita à patrum traditione nullatenus deuiare. Agnoſcere præterea infallibilem illam Chriſti ſententiam, qua Simonem Ioannis, Cepham conſtituit, hoc eſt, petram, fundamentumq́; superædificandæ eccleſię, aduerſus quam portę inferi non præualerent, nũquam deficere in eius cathedra & ſucceſſoribus, comprobante hoc rerum euidentia & effectibus. Inuiolabilem ſiquidem fidem catholicam in eadem ſingulari priuilegio ſemper cuſtodiri, & perfectam Chriſtianæ religionis ac fidei integramque ſoliditatem. Proinde vt eandem, veluti ducem & magiſtram orthodoxę fidei omnes ſequi, ita pręceptis decretiſque eius, eidemque præſidentium pontificum, velut eccleſiaſticę domus patrumfamiliâs, omnes qui ad Chriſti ouile & familiam pertinent, obedientiam debere. Cui qui non communicant, non ſubſunt, non vniuntur & cohærent, vt membra capiti & fundamento ædificium, ad catholicam eccleſiam nõ pertinere, ſed ab eius communione ſequeſtrari. Hæc conſona fidei catholicæ eccleſiæ, & ſanctiſsimorum patrũ cõtinebat illa profeſsio, ſub qua Ioannes ille

Ad eccleſiam catholicã non pertinere, q non ſubſunt ac obediũt eius paſtori & præſidi.

epiſcopus

A epiſcopus, vnà cum Conſtantinopolitana ec
cleſia, ſuo capiti reconciliari meruit, & catho
licæ eccleſiæ reincorporari.

Vides itaq; ex his omnibus, vt nunquam
mergatur nauicula illa Petri, quãtumuis agi-
tetur procellis, quantumuis fluctibus obrui
videatur: vt portæ inferorum aduerſus illam
nunquam præualere potuerint: vt ſemper tri
umphet eius iudicium, quantumuis omnes
mundi poteſtates reluctentur, vt ſemper prę
ualeat eius autoritas. Quæ vt verè affirmat il-
le Gelaſius, vnamquanq; ſynodum cõfirmat
& continua moderatione cuſtodit. Quoties
enim eccleſiarum principes conuenerunt in
vnum, aduerſus dominum, aduerſus Chriſtũ
eius, & aduerſus ſanctiſs. conciliorum ortho
doxæ fidei definitionem, autoritatemq; de-
ſtruendam? Aduerſus illud omnium, vt pri-
mum, ita ſacratiſsimum Nicenum, nunquid
primo Tyrium, deinde Antiochenum, po-
ſtremò Ariminenſe celeberrima epiſcoporũ
concilia celebrata noo ſuére? Et hęc vniuerſa
nunquid vnius ſedis Apoſtolicæ non deiecit
autoritas, & Niceni concilij autoritatem aſ-
ſeruit? Et nunc vides aduerſus Chalcedonen
B ſis ſyoodi definitionem vt totus cõſpiraue-
rit Oriens, ſed huius ſedis autoritate, eius
ſteterit autoritas.

Finis memoratæ hiſtoriæ

Sed vt reuertamur ad inchoatam tragœ-
diam, atque ei finem aliquando imponamus:
Cùm pleræq; Orientis eccleſiæ vt auferren-
tur ex dipticijs ſacris ſuorum antiſtitum de-
functorum nomina, quorum venerabantur
memoriam, qui tamen excommunicatorum
Acatij & reliquorum communione neceſsi-
tate quadã polluti fuerãt, nulla ratione addu
ci poſſent, & ob id earundem reconciliatio,
& eccleſiarum impediretur vnitas, religioſiſ-
ſimus imperator eccleſiaſticam vnitatem ze-
lans, miſſis rurſus ad Apoſtolicam ſedem o-
ratoribus ſuis, hanc pro illis veniam depre-
catus eſt, petens remitti ſeueritati aliquid, &
molliùs clementiusq; agi cum illis, ne paruo
diſcrimine imperfecta remanerent pacis de-
ſideria, ſed remiſsis conceſsiſq; exiguis, ma-
iora, grauioraq; corrigerentur. Veniam itaq;

Vide quid petat religioſiſ. imperator à Roma. pont.

nominũ, inquit, poſtulamus, non Acatij, non
vtriuſque Petri, non Dioſcori vel Timothei,
quorum vocabula datæ ad nos S. V. literę cõ
tinebant, ſed quos in alijs celebrauit ciuita-
tibus populorum reuerentia, & hoc exceptis
vrbibus, vbi veſtræ beatitudinis libellus in
plenum admiſſus eſt: niſi hanc quoque partẽ
beneuolentia veſtra ſtatuerit mitiùs corrigẽ
dam, &c. Et hoc quidem non dubitaueris ita
nobis gratioſum futurum, vt pacifico ſtatim
reſponſo lætior mundus reddatur.

Retineat etiam S. V. quod dudum ſcripſi- C
mus, ex Oriẽte ſupplicationes nobis eſſe de-
ſtinatas, volũtatem eorũ & fidei profeſſionẽ
continentes, &c. Hanc itaq; chartulam ſecun
dum noſtra promiſſa, per Ioannem reueren
diſſimum epiſcopũ dirigendam vobis in prę
ſenti merito credidimus, vt à veſtra ſede etiã
tenor eius admiſſus, ad colligẽdas proficiat,
& adunandas vbique venerabiles eccleſias, &
Hieroſolymitanam præcipuè, cui tantum o-
mnes fauorem impendunt, quaſi matri Chri
ſtiani nominis, vt nemo audeat ab ea ſeſe diſ
cernere. Conſenſum itaque proprium tuę S.
epiſtolari quoque pagina conuenit declara-
re, vt cognito atq; patefacto quòd tenor eiuſ
dem chartulæ à vobis quoq; probetur & te-
naciter cuſtodiatur, lætior mundus exiſtat,
&cęt. Hæc ille Iuſtinus religiſs. imperator.

Mittendæ autem illius chartulæ aut libelli
profeſsionis fidei ab vniuerſo clero Antio-
cheno, vtriuſque Syriæ & Hieroſolymitanæ
eccleſiæ, cauſam dedit eiuſdem Hormiſdę ad
Epiphanium Conſtantinopolitanum antiſti
ſtitem, præfati Ioannis ſucceſſorem, verè or-
thodoxum & ſanctum epiſcopum, cui & Apo
ſtolicę ſedis per Oriẽtem vices autoritatem-
que commiſerat, epiſtola. In qua de eorundẽ
& præſertim Hieroſolymorum reconcilia-
tione agens Hoc quoq;, inquit, ęſtimauimus D
ſalutis eorum cauſa competenter addẽdum,
vt ſi communionis Apoſtolicæ ſe dederint
vnitati, profeſsionem ſuam ſcripto indicẽt,
quam legatis noſtris apud Conſtantinopo-
lim poſitis offerant, aut per ſuos ad nos diri-
gant, aut fraternitati veſtræ tradant, eodem
tamen, vt diximus, tenore conſcriptam, quæ
ad nos modis omnibus ſub noſtra ordinati-
one deferatur. De Theſſaloniceñ. quoque
quorũ ad nos legati per clementiſſ. & fideliſ
ſimi principis filij noſtri ordinationem ve-
nerunt, ne quid omiſiſſe credãtur, noſſe vos
volumus ſecundum hoc, quod Domino no-
ſtro Ieſu Chriſto inſpirante placuerit, omnẽ
cauſam noſtra diſpoſitione tractandam, & ſi-
cut oportet impleri ordinandam, &c. Hæc
ille Hormiſda ad Epiphanium.

Concluſio ex prædicta hiſtoria.

Ex his omnibus, quæ ante annos mille &
ſcripta & geſta ſunt, clariſsimè intellige chri
ſtiane lector, non ſolùm quanta fuerit, quàm
à toto orbe recognita, in illa primitiua eccle
ſia, ſed etiam, quàm neceſſaria huius ſedis au
toritas: vtq; ſine ea nihil in eccleſia permãſiſ
ſet ſyncerum, nihil integrum. Per eam verò
eccleſiaſticæ hierarchiæ diſciplinęque vigor,
orthodoxęque fidei integritas ac ſynceritas
ſemper perſtiterint. Quàm rigidè, quàm di-
ſtrictè pro eccleſiaſtica diſciplina & ſynceri

A tate catholicę fidei conſeruâda, exacta eo ſeculo ab Apoſtolica ſede, Apoſtolica illa ſententia: Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionē deuita, adeò, vt quia eiuſmodi aut verbo aut ſcripto communicauerat Acatius Conſtātinopolitanus epiſcopus, apoſtolicę ſedis in ſe damnationem excepit, & excōmunicationis innodatus eſt vinculo. Cui quotquot communicauerunt quaſi per neceſsitatem imperialis etiam autoritatis, tāquam in eandem incidentes ſenteutiam, vides quanto labore, quàm diligenti ſatisfactione vt reconciliari potuerint, impetrare debuerunt. At nunc vbi ille eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor? vbi ea canonū reuerentia, quando diuina, humana, ſacra, prophana, commixta ſunt omnia? vbi nunc illi ſyncere orthodoxi? quis nunc hæreticorum communione ſe pollui exiſtimat? Quis nunc curioſe deuitat Lutheranos, Sacramentarios, Anabaptiſtas, & id genus portenta, ſæuiores vtique & magis noxias peſtes, quàm olim omnes Arrij, Macedonij, Apolliuares, Neſtorij, Dioſcori, Euticetes, atque id genus eiuſmodi? Ab hæretico epiſtolam ſuſcepiſſe, tunc erat communicare hæreſi, & nunc quis hoc vitio ducit? Eraſmus ille Roterodamus, qui ſe inſigniter pium & orthodoxum videri & ab omnibus haberi voluit, adeò non diffitetur ſe ſcripto communicaſſe Luthero, vt in nouiſſima editione epiſtolarum ſuarum, quam fecit anno ab hinc ſexto, epiſtnlam ad ſe Lutheri amantiſsimam, & ſuam illius reſponſiuam, aperta fronte & ingenuè inſeruerit, qua & illum fratrem ſuum appellat in Chriſto chariſſimum, & ſibi gratiſsimam eius teſtatur fuiſſe epiſtolam, probat eius ſtudium, currenti calcar addit, aduerſantes illi, mataologos, furioſos & lymphaticos facit. Optimos autem quoſque de ſcriptis eius optimè ſentire prędicat. Et ad Oecolampadiū, alteram peſtem, ſcribit Lutheri libros amici cuiuſdam ſui opera & ſtudio diligenti in Britannia ſeruatos ab incendio. Has inquam epiſtolas Eraſmum nihil puduit, poſt apertam & omnibus notoriam Apoſtolicæ ſedis in illis damnationis ſententiam, omnium orthodoxorum comprobatam calculis, denuo inter ſuas edere, vt legerentur à præſentibus & poſteris. Aut igitur neceſſe eſt horum ſit nimis impudens impietas, aut illius primitiuæ & verè orthodoxę eccleſię, non ſolùm ſuperuacua, ſed etiam ſtulta fuerit in vitandis hæreticis, irrationabiliſque diſtrictio ac diligentia, & iniuſta in communicantes eiſdem cenſura eccleſiaſtica. Viſa eſt Orientalium pleriſque epiſcopis nimis ſeuera atque adeò iniqua Apoſtolicæ ſedis in Acatium damnationis ſententia. Non quòd hæreticorum communione pollutum vindicare vellent à cenſura eccleſiaſtica, ſed quòd negabāt eum communicaſſe hæreticis, cùm tamen ob eam pręcipuè cauſam damnatus videretur. Qui tametſi Alexandrino Petro ſe communicaſſe ipſe confeſſus fuerat, illum tamen pernegabant hæreticum. A Petri autem Antiocheni communione, quod apertè eſſet Euticianæ hæreſis aſſertor, conſtanter ad mortem vſque ipſum abſtinuiſſe. Quibus reſpondens B. Gelaſius, & damnationis in illum Apoſtolicæ ſedis iuſtiſsimam rationem reddens catholicæ eccleſiæ, in epiſtola ad Dardaniæ epiſcopos, dicit negari non poſſe, quin ſaltem ille Alexandrinus Petrus Antiocheno ſemper communicauerit, ita vt eius ſaltem medio & commerito etiam Acatius hæreticorum communione pollutus fuerit. Docet igitur, inquit, Petrum Alexandrinum ab Antiocheni vnquam communione deſciuiſſe, & nō vſque ad vltimum diem, quo in hac luce verſatus eſt, indiuiduū vtriuſque fuiſſe conſortium. An dicturi eſtis etiam Antiochenum Petrum fuiſſe correctū? Cur iſti ad finem non communicaſſe gloriabatur Acatius? Sed quid profuit, quòd per ſeipſum communicare non voluit, cùm eidē per Alexandrinum Petrum ſine vlla communicabat inuidia? Si tanti erat communicaſſe communicanti ſolùm hæretico vnius Euticianæ hæreſis aſſertori, etiam vt totus concuteretur orbis, ne hoc inultum ferretur in Cōſtantinopolitano epiſcopo, quid erit tam apertè communicaſſe Luthero, non vnius, ſed penè omnium hæreſium ac impietatum velut barathro cuidam ac abyſſo? Quid Oecolampadio, cuius tot recepit, tot etiam reſcripſit eidem amicas literas, etiam poſt notam eius toti orbi execrādam impietatem & blaſphemiam? Si hoc eſt ſyncerè orthodoxum agere, quid ita deſipuerunt illi ſanctiſsimi patres noſtri, vt in eo ſeculo, & in aurea illa ad noſtram collata eccleſia, potiùs cœlum terræ miſcendum crederent, & offendendum imperatorem, & vniuerſum imperium, quàm exceſſum eiuſmodi (qui tamen ad hæc nihil eſt) ferrent inultum in aliorum terrorem & exemplum? Non tamen hæc ſcribo Eraſmi cauſa, cui iam nihil hæc noſtra prodeſſe poterunt, vt qui iamdudum apud iuſtiſsimum & diſtrictum iudicem ſuorum hic commiſſorū rationem reddidit. Non vllo odio, ita mihi opto Chriſtum in ſuo de me iudicio propitium fieri: ſed tua cauſa Chriſtiane lector, ne quis impingat in hoc ſcandalum, quod ſublatum de medio fruſtra cupio, & quia video

Eccleſiaſticæ diſciplinæ & nunc diſſolutus vigor.

Eraſmus Rot. aperte communicans hæreticis damnatis à ſede apoſtolica.

B C D

&

A & clariſsimè intelligo, illum neglectum, atq; adeò contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ (quę ſeruata conſeruabat pacem, vnitatem & concordiam in eccleſiaſtica domo) inuexiſſe eam, quam nunc prò dolor videmus, horrendam rerum omnium cõfuſionem, reduxiſſe ab inferis omnem olim iugulatã extinctamque impietatẽ, nec aliud vllum aduerſus hæc ſupereſſe remedium, quàm vt hierarchiæ eccleſiaſticę ſuus ordo, ſuus vigor, ſua reſtituatur dignitas & maieſtas. Quæ & vnica & efficaciſsima erit horum malorum omnium medela & curatio.

Vt una hæc ſedes toti ſemper orbi orthodoxæ fidei & uindicem ſe exhibuerit & magiſtram, exemplis & certiſsimæ fidei hiſtorijs demonſtrare.

CAP. XIIII.

Satis opinor intellexiſti, & in ſequentibus adhuc clariùs intelliges, non ſolùm, quàm Chriſti eccleſiæ neceſſarium fuerit regi, gubernari, ac in finem ſuum dirigi, cura & autoritate voius eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſidis, qui velut in vna domo paterſamiliàs quidã, ſua ſingulis officia præſcriberet, & à ſingulis eorũdem rationem exigeret: ſed etiam illud
B Petri & cathedrę eius indefectibilis fidei priuilegium ſine quo inter tot hęreticorum machinationes, perſecutiones, tempeſtates, toto aliquando orbe concuſſo & velut à ſuis ſedibus commoto, nulla pax, nulla fidei aut vnitas, aut ſynceritas futura erat in eccleſia. In quibus omnibus vt vna hęc Apoſtolica ſedes vniuerſæ ſemper eccleſiæ orthodoxæ fidei & regulam ſe præſtiterit & vindicem, ſuęque autoritatis gladium in hæreticorum impiorumq; damnationem vi magna diſtrinxerit, partim iam intellexiſti inter illas Orientaliũ epiſcoporum ſeditiones, illos conflictus, in illa aduerſus Nicenam orthodoxamque fidem totius penè Orientis, tam pertinaci coniuratione, & adhuc audies clariùs in progreſſu. Cuius rei vt etiam hic nonnulla tibi exempla ſubijciamus.

Damaſus Sabelliã. Eunomiũ & Macedonium, cũ ſectatoribus anathemati ſubdidit.

Damaſus ille, qua Apoſtolicæ autoritatis vehementia Sabellianos, Eunomianos, Macedonianosq; perſecutus ſit, vtq; illos cum impijs ſuis adinuẽtionibus ſubiecerit perpetui anathematis vinculo, teſtatur eiuſdẽ ad Paulinum Theſſalonicenſem epiſcopũ ſuum & Apoſtolicę ſedis per Orientem vicarium epiſtola, qua illi præcepit vt ſuam in eos cenſuram ac ſententiam publicari curaret per Orientis eccleſias, & inuiolabiliter obſeruari. Cuius autoritatem, & tanquam de nauicula Petri loquentis Chriſti ſententiam, vniuerſa
C Chriſti eccleſia, Gratiano & Theodoſio quinto Conſ. in Conſtantinopolitana prima ſynodo, per omnia ſecuta eſt, & eoſdem illos ab orthodoxa fide & catholica eccleſia alienos pronunciauit.

Idem Apollinarem epiſcopum Laodiceæ de Chriſti humanitate noua dogmata prædicantem, vnà cum Timotheo eius diſcipulo Apoſtolicę ſeueritatis gladio proſtrauit, quẽ ſibi eccleſiæq; Chriſti, quã illi ſua hæreſi inficiebant, ſupplices implorarunt totius Orientis epiſcopi. Id quod eiuſdem ad ipſos ſatis indicat epiſtola, quam Theodoretus ille Cyrenẽſis epiſcopus eccleſiaſticarum rerum ſui temporis ſcriptor diligẽtiſsimus libro quinto hiſtoriæ ſuę inſeruit in hęc verba:

Quòd debitam reuerentiam Apoſtolicæ ſedi veſtra habet charitas, vobis filij chariſsimi præſtatis ipſi plurimum. Etſi enim in ſancta maximè eccleſia vbi ſanctus Apoſtolus ſedens docuit, nobis gubernaculi, aut claui, quem tenendum accepimus, officium incumbat: tamen inferiores nos tanto honore fatemur. Scitote igitur prophanum illum Timotheum diſcipulum Apollinaris hæretici vnà cum impio dogmate iamdudum à nobis exautoratum. Neque nos credere reliquias doctrinæ illius de cætero vſpiam
D valituras eſſe. Sin ille ſerpens antiquus, ſemel atque iterum ictus, ſuo quidem malo reuixerit, qui eiectus ex eccleſia quoſdam infideles lethiferis venenis ſuis ſeducere conari non ceſſat: vos tamen iſtam tanquam peſtilẽtiam refugite, memores fidei Apoſtolicæ illius potiſsimùm, quę in Nicea à patribus ſcripto expoſita eſt: & firmo in gradu fortiter manete, neúe patiamini audiri à laicis aut clericis veſtris poſthac vaniloquia & exoletas quæſtiones, cùm iam ſemel formam protulerimus, vt qui ſe Chriſtianum fateatur ſeruet ea, quę ab apoſtolis ſunt tradita, quum dicat ſanctus Apoſtolus: Si quis vobis annunciauerit aliud quàm accepiſtis, anathema ſit, & cætera. Sed quid rurſus à me queri Timothei exautorationem opus eſt? cùm hic iudicio ſedis Apoſtolicæ præſente & Petro epiſcopo Alexandrinæ vrbis, vnà cum ſuo magiſtro Apollinari exautoratus fuerit, ſubiturus debita in die iudicij tormenta & ſupplicia. Quod ſi aliquos ille leuiores adducit in ſententiam ſuam, retinetq; ſpem quampiam, vera in Chriſtum ſpe vnà cum confeſsione mutata, quicunque certè cum eo repugnare volet eccleſiaſtico canoni, cũ eo quoque interibit. Deus vos incolumes cuſtodiat filij chariſsimi. Hæc ille Damaſus. Ex quibus clariſsimè intelligis ad cuius iudicium & autoritatẽ totus

A eo ſeculo orbis, etiá in Oriente extremo recognouerit pertinere definitioné quæſtionú & ambiguitatú paſſim emergentium circa religionem & fidem, ad qué exautorare munijs & officijs in eccleſiaſtica domo, atq; adeò nomine Chriſtiano vniuerſo, ad cuius fidem velut orthodoxæ fidei regulam reſpexerint orthodoxi omnes. Quod clariùs adhuc adeſt perſpicere ex eo, quod idem ille Theodoretus ſcribit in ipſo libri quinti hiſtoriç ſuç initio. Cum enim impiorum imperatorum nõnullorum & epiſcoporum eiſdem cõſentientium culpa, vniuerſa illa Orientalis eccleſia fœdiſsima omnium ordinum confuſione, aliquandiu perturbata permáſiſſet, & orthodoxis epiſcopis magna parte deturbatis aut relegatis, ab hęreticis paſſim occuparent eccleſię, Gratianus verò orthodoxus & ſapiétiſsimus imperator, mox vt imperio inauguratus fuerat, zelás orthodoxę fidei ſynceritaté per orié tem reſtituere, legé promulgauit, vt quicunque Roma. pontifici Damaſo communione & fide non ſociarentur, tenere non poſſent eccleſias, ſed ab eis expellerent, miſſo ad eius executionem per vniuerſas Orientis eccleſias ex primoribus ſuis ducibus Sapore. Non fuit viſum Chriſtianiſs. & ſapientiſſi. imperatori & zelatori orthodoxæ fidei, de fide ſingulorum diſputatione inquirédum, num eſſet orthodoxa & ſyncera, ſed ſingulorum fi-

B

Fides ſedis apoſtolicæ regula orthodoxæ fidei.

dem ad fidem vnius Damaſi, hoc eſt, Romanæ eccleſiæ, veluti ad lydium quendam lapidem, & certam amuſsim orthodoxę fidei ſimpliciter explorádam putabat, à qua quicquid diſcreparet, certum habebas eſſe erroneum, quicquid eidem quadraret, orthodoxum & catholicum.

Siricius Iouinianũ damnauit et cõplices

Quãta autoritatis vehemẽtia in Iouinianũ & complices virginitatis, abſtinentiæ, & ieiuniorũ impugnatores inſurrexerit Siricius Damaſi illius ſucceſſor, eoſdem vnà cũ execrando ſuo dogmate anathematis proſternés ſententia, à toto orbe excepta, qua decuit reuerentia, indicat Africanorum epiſcoporum, qui in Thelenſi ſynodo cõuenerant, ad eundem epiſtola ſynodalis in hæc verba:

Recognouimus per literas S. T. boni paſtoris excubias, qui diligenter commiſſum tibi gregé ſerues, & pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus quem oues Domini audiãt & ſequãtur: & ideo quia noſti ouiculas Chriſti, lupus facilè deprehendis, & occurris quaſi prouidus paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, ac ferali vlulatu dominicum gregem diſpergant, &c. Et poſt multa ita claudũt epiſtolam: Iouinianum itaque, Auſentium Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Ianuarium & Ingenium, quos ſanctitas tua damnauit, ſcias apud nos quoq; ſecundum tuum iudicium damnatos haberi. C

Quãta fuerit eo ſeculo autoritas epiſtolarũ à Ro. pontificibus directarũ ad diuerſos, teſtantur tot ſanctiſsimi epiſcopi in Africano cõcilio.

Quòd eo ſeculo tanta fuerit, tam veneranda toto orbe Romanorum pontificum autoritas, vt quæ illi pro diuerſis fidei eccleſiaſticisq; negotijs, ſuis epiſtolis (quę decretorum ſemper autoritatem obtinuerunt per vniuerſam Chriſti eccleſiam) ad diuerſos ſcriberét, haud ſecus acciperétur ab omnibus, quàm ſi de nauicula & cathedra Petri ea ipſa dictaſſet Chriſtus, teſtimonio ſunt in Africano concilio aduerſus Pelagianam hęreſim conuenientes tot ſanctiſsimi epiſcopi, qui aduerſus eandem tanquam pręcipuum quoddã argumentum deſumpſerunt ex beati Zozimi tunc viuentis, quamuis in aliam cauſam, ad totius orbis epiſcopos ſcripta epiſtola. In qua hęc eius verba (Nos autem inſtinctu Dei, omnia enim in ſuum autorem referéda ſunt vnde naſcuntur, ad fratrum & coepiſcoporum noſtrorũ conſcientiam omnia retulimus) attentè religioſeq; obſeruarunt, quemadmodum reſtatur eorundé ſynodalis ad eundem Zozimum epiſtola, qua inter cætera ſcribunt in hæc verba:

Illud verò quod in literis quas ad vniuerſas prouincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: (Nos tamen inſtinctu Dei, &c.) ſic accepimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium, humani extollunt arbitrij libertatem, diſtricto gladio veritatis velut curſim tranſiens amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quàm quòd vniuerſa in noſtræ humilitatis conſcientiã retuliſti? & tamé inſtinctu Dei factum eſſe fideliter ſapienterq́ue vidiſti, veraciter fidenterq́ue vt dixiſti. Ideo vtique quia à Domino præpararur voluntas, & vt boni aliquid agant, ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, vt nec noſtrũ deeſſe ſentiamus arbitrium, & bonis quibuſq; volũtatis humanę motibus, magis illius valere nõ dubitemus auxilium. Hæc illi in Thelenſi ſynodo congregati epiſcopi. D

Beatus Celeſtinus in epiſtola ad Venereũ cęterosq́; Galliarum epiſcopos, aduerſus eoſdem illos Pelagianos, gratiæ Dei inimicos, affirmat plurimos tunc fuiſſe toto orbe orthodoxos epiſcopos, anathematizantes quidem Pelagium & Celeſtium, ſecundũ Apoſtolicæ ſedis in eos iudicium: vehementer tamen improbantes eorum ſtudium, qui aduerſus errores eorundem multis voluminibus diſputauerunt, re ipſa ipſa experti id, quod ſuprà adſtruximus, aduerſus hæreticos non inutilem ſolùm, verùm & perniciolam eſſe de ſcri

pturis

A pturis conflictationem. Quin potiùs abſque vlla diſputatione ſimpliciter omnes ſequi oportere, quę ſacratiſsima beati Petri Apoſtolorum principis ſedes cęcna, inimicos gratię Dei ſanciuit, & docuit per ſuorum pręſulum miniſterium. Propter quod & idem Celeſtinus, quæ à ſuis prædeceſſoribus beato Innocentio, Zozimo, & alijs aduerſus eandem hæreſim dicta fuère, digeſsit per capita. D. Auguſtinus epiſtola ad Optatum, quæ eſt 157. Pelagium & Celeſtium affirmat à duobus venerabilibus epiſcopis Apoſtolicæ ſedis, niſi correcti egerint pœnitētiam, toto orbe Chriſtiano damnatos eſſe. Ex quo clarè conſtat ad cuius autoritatem illi pertinere recognouerint, damnare hęreticos in toto orbe Chriſtiano.

Vt dānatus ſuerit à beato Celeſtino Neſtorius.

Neſtorium Conſtantinopolitanum epiſcopū (qui impiè bipartiebat Chriſtum, duas ex eo perſonas faciēs) idem Celeſtinus Apoſtolicæ autoritatis mucronæ confodit. Cui cùm terminum aſsignaſſet (vt habet totius penè Orientis aduerſus Anthemium beato Agapeto porrectus accuſationis libellus) intra quem ſibi ſanæ fidei, qualem exigebat, libellum deberet porrigere, ſeq́ue omni hęreſeos ſuſpicione liberare, & cætera Apoſtolicæ ſe-

B dis iuſſa peragere, præuaricatorem nec mandatis ſuis obſequentem, anathematis maledictioni ſubiectum eiecit è domo eccleſiaſtica, vniuerſaq́; Chriſti eccleſia. Quæ eiuſdem pōtificis autoritate congregata in Epheſina ſynodo, eius tanquam Chriſti ipſius de cathedra Petri loquentis ſententiam reuerendiſsimè excepit, eundem Neſtorium anathematizās cum ſuo impio dogmate. Nō erat (inquit ille Proſper Regineñ. epiſcopus hiſtoriæ eorundem temporum ſcriptor) noua cum iſtis acie dimicandum, nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia ineūda certamina. Tunc iſtorum agmina fracta ſunt, tunc in ſuperbiæ ſocijs & principibus corruerunt, quando beatę memorię Innocentius neſarij dogmatis capita Apoſtolico mucrone percuſsit, quando Pelagium ad proferendum in ſe ſuosq́; ſententiam, Paleſtinorum epiſcoporum ſynodo coarctauit, quando Africanorum conciliorum decretis beatæ memorię Zozimus ſententiæ ſuæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio beati Petri dextras omnium armauit antiſtitum, quando ſanctæ memorię Bonifacius papa, pijſsimorum imperatorum catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratię Dei, non ſolùm Apoſtolicis, verumetiam regijs vtebatur edictis, &cęt. Celeſtinus quoque Celeſtium totius Italiæ finibus extrudi iuſsit, adeò & præde-

Epheſina ſynodus ſequuta autoritatē Celeſtini.

Proſper Regmenſis epiſcopus aduerſus librum Caſſiani, qui protectio Dei inſcribitur.

C ceſſorum ſuorum ſtatuta, & ſynodalia decreta inuiolabiliter obſeruāda cēſebat, vt quod ſemel meruerat abſcindi, non permitteret retractari. Nec verò ſegniori cura ab eodem morbo Britannias liberauit: ſiquidem inimicos quoſdam gratiæ Dei ſolum originis ſuæ occupantes, etiam ab illo ſecreto Oceani excluſit, & ordinato Gothis epiſcopo cùm Romanam inſulem ſtudet facere catholicam, etiam barbaram fecit Chriſtianam. Per hunc virum etiam Orientales eccleſiæ gemina peſte purgatę ſunt, quando beato Cyrillo Alexandrino antiſtiti, glorioſiſsimo fidei deſenſori Apoſtolico auxiliat' eſt gladio. Hæc ille Proſper aduerſus librum Caſſiani, qui protectio Dei inſcribitur.

Autoritas B. Leonis aduerſus Euticetis perfidiam.

Euticetis delirante inſania (vt verbis vtar proſphonetici ſermonis ſextæ vniuerſalis ſynodi ad Conſtantinum imperatorem) ipſiusq́ue ſaluatoris humanitatem penitus abnegante, ſancti illius Leonis tuba, tanquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, Archimandritam beſtiam perterruit, & à monachico grege proiecit, eiusq́; impiā opinionē reprobauit, & euaneſcere fecit concitatam turbam. Cuius autoritatem & ſententiam Martianus imperator, & Anatolius Conſtantinopolitanus antiſtes cum omni Chalcedoneñ. à Chriſto congregata collectione

D amplexi ſunt, atq; manu & lingua conſenſerunt, & conſonam Euticetis & Dioſcori intelligentiam euacuarunt.

Quā autoritate idē exercuerit in Epheſinā 2. & Chalcedoneñ. vniuerſales ſynodos.

Idem Leo, vt tam Epheſinę ſecundę, quàm Chalcedoneñ. ſynodis agendorum omnium normam pręſcripſerit, vtq́; pręuaricantē eius mandata ac ſententiam Epheſinam illam ſua autoritate deiecerit, & Dioſcorum Alexādrinum patriarcham præuaricationis autorem anathematis maledictione proſtrauerit, pòſt prolixiùs audies.

Aduerſus illum Timotheum & Petrum Alexandrinos & Petrum alterum Antiochenum, Acatium quoque Conſtantinopolitanum epiſcopos, ſuprà audiuiſti quę viguerit huius ſedis autoritas, & qua in ipſos vehemētia inſurrexerint Simplicius, Felix & Gelaſi⁹. Petrus ille Antiochenus in triſagio, hoc eſt, cherubico illo hymno (ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis miſerere nobis) quem euidenti miraculo reuelatū in litanijs decātat eccleſia, addiderat poſt Immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis: idq́; ex hęretico impioq́; quem conceperat ſenſu, circa incarnationis verbi myſterium, nunc trinitatem ipſam, nūc diuinitatē, nunc immortalē ſpiritū prodigioſa & impia nimis inconſtantia, dicens aſſumpſiſſe carnem in

ſui

A ſui vnitatem,& pro nobis paſſionis contume
liam & mortem. Cuius equidem hymni quẽ-
admodum in eccleſiaſticis orationibus rece-
ptus ſit,ortumq; habuerit,haud eſt ignota hi
ſtoria. Siquidem ſub beato Proclo Conſtan-
tinopolitano epiſcopo cùm vrbs regia gra-
uiſsimo & terribili concuteretur terręmotu,
& dictus S. epiſcopus, vnà cum populo ſugi-
ens miſerandum ſpectaculum,ſeu potiùs prę
ſens exitium,& collabentium ſuper ſe ædifi
ciorum ruinas,ſeceſſiſſent in agrum & flẽtes
ac litanias decantantes, diuinam implorarẽt
miſericordiam, infans quidam ex illo cœtu,
ſpectãte vniuerſo populo vnà cum epiſcopo,
repente in aëra ſublatus eſt è conſpectu om-
nium,qui iterum demiſſus poſt horam, nun
ciauit quę audierit in ęthere,dicens de cœlo,
quaſi de multitudine pſallentium, huiuſmo
di hymnum intonuiſſe ſuis auribus,ſibique
præceptum,vt epiſcopo nunciaret hęc. Et ſic
(vt eſt in beati Cinciani Accluſianarũ epiſco
pi ad dictũ Petrum cõmonitoria epiſtola)per
tres horas in tribunali ſtans ſecus pedes epi-
ſcopi, hæc enarrauit coram omnibus. Itaque
intelligẽs ſanctus epiſcopus quid ſibi eo pręe-
ceptum eſſet miraculo,atq; in litanijs cheru-
bicum illum imitatus hymnum, vnà cum po
pulo diuinam miſericordiam impetrauit,ſte
titq; ſubitò terręmotus. Huius hiſtoriæ non
B ſolùm dictus Cincianus, ſed etiam Felix Ro
manus pontifex & præterea Acatius Cõſtan
tinopolitanus, Aſclepiades quoque Trallia-
rum,& Iuſtinus Sycellię epiſcopi in literis ſu
is ad eũdem Petrum commonitorijs magno
conſenſu meminẽre.

Itaque cùm dictus Antiochenus epiſcopus
ſua illa,qua infectus erat, impietate hæretica
corrupiſſet hymnum illum cherubicum, ma
gnaq; ea ex re per Orientem ſuſcitaſſet ſcan-
dala,nec prædictorum aliorumq; quàm plu-
rimorum admonitione aut correptione reſi
piſceret, tandem Felix protulit in illum dam
nationis ſententiam, & ab Antiochęna ſede
depoſuit,vt teſtatur hæc eius in eundem da-
mnationis epiſtola: Quoniam,inquit,impor
tabilibus verbis impiè garrulaſti,& non iudi
caſti cedere ſanctis patribus, qui ornarũt ſe-
dem beatæ memorię multum triumphantis
martyris Ignatij, cuius tu indignus exiſtens
neſcio quomodo inſiluiſti inchoare nouita-
tem in catholica eccleſia tuis prophanis& im
pijs dogmatibus,&cæ.& non ſtatuiſti cedere
veritati,& literis noſtris ad te ſcriptis: nunc
incepi ſententiare aduerſus te, imò ille qui
eſt vertex omnium paſtoraliũ ſedium, in ſan
ctis laudibus florens Apoſtolorum princeps
Petrus,cuius tu nomen tenes, non ſententiã

& fidem,&c. Dicemus ergo tibi, quoniam di C
lexiſti iniquitatem magis loqui quàm iuſti-
tiã,dilexiſti ſuper omnia præcipitationis lin
guam doloſam: propter hoc deus deſtruet te
in finem depoſitũ à nobis, nõ ſolùm ab Anti
ochena eccleſia,ſed ab omni honore ſacerdo
tali, & firma ſit hæc tua depoſitio à me & ab *Nota rigorẽ*
his,qui mecum vnà Apoſtolicum thronũ re- *ſententiæ.*
gunt. Percurrens deinde impias eius aſſertio
nes: quis ergo,inquit, non defleret ſic dicen-
tes de intemerato triſagio?&c. Quos & alie-
nos putauimus ab orthodoxa fide, & à catho
lica eccleſia,atq; à communione ducis noſtri
& glorioſi prædeceſſoris Petri,qui claues re-
gni cœlorũ à ſaluatore noſtro recepit. Cuius
qui participes eſſe volunt,ducũtur & doctri-
na ipſius,qui Chriſtum credidit propter nos
crucifixum,&c. Scientes,quia non trinitatem
crucifixam accepcrimus ab Apoſtolis,nõ pa-
trem,nõ ſpiritum ſanctum, niſi in carne filiũ
Dei vnigenitum ſolum. Hæc ille. Vt autẽ cla
riſsimè intelligas,quãti momenti fuerit,quã
reuerenda,quàm metuenda,totiq; orbi ſor-
midabilis Romani põtificis autoritas,etiam
eo ſeculo iam ad ſciſmata ſeditionesq; decli
nante,hoc tecum perpende,quanti illud ſue-
rit,quòd oẽs penè illi Oriẽtis epiſcopi, dictũ
Petrũ ſuis literis admonẽtes reſipiſcere, vnã
Apoſtolicæ ſedis in ipſum cenſurã, dãnatio- D
nemq; minitantur, ni faciat. Ita Iuſtinus Sy- *Iuſtinus Sycelliæ epiſcopus.*
celliæ epiſcopus ad eum ſcribens in epiſtola, *Nota commi*
quæ incipit: Oportet militem armari contra *nationem.*
bellũ. Poſt impugnatas eius prauas, impiaſq;
aſſertiones: Ceſſa igitur,inquit,ab huiuſmo-
di tua impia præcipitatione, non addas ſcan-
dalum ſcandalo, & non ſis cauſa perditio-
nis magis ſimplicium hominum, ne præſi-
dens noſter Felix ſecundum canones ſenten
tiam dicat contra te. Nec tunc iuuabit tibi di
cere: Ego vtiliter hoc appoſui: Crucifixum
in triſagio confiteri, & cætera. Ita quoq; Cin
cianus Accluſianus epiſcopus ad eundẽ: Mul
tiſariam,inquit,multiſque modis chariſsime
à veritate deuiaſti,&cæt. Etenim expoſitio
tua grauem fert contra ſanctos patres & Apo
ſtolos nouitatem catholicæ eccleſiæ,nec ta-
men abieciſti eam,multis epiſcopis præmo-
nentibus te,maximè autẽ ſanctiſsimo archie
piſcopo noſtro Felice.&cę. Poſt varia deinde
inducta contra eũ de ſcripturis teſtimonia,&
hiſtoriam illam,quã ſuprà expoſuimus,beati
Procli Conſtinopolitani epiſcopi, de reuela
tione triſagij,ſeu hymni illius cherubici,vtq;
eundem in litanijs decantante populo ceſſa-
uerit ruina & terræmotus vrbis regiæ: Sic er *Nota & huius*
go, inquit, & tu litanias fac, & pauſabit ira, *commemo-*
quæ contra te proferenda eſt: ſin autem, ve- *tionem.*
niet

A niet ſuper te depoſitio à papa noſtro Felice. Cuſtodiet autem Deus mundum à ſcandalis, & cætera. C

Vides itaque quanti toto orbe etiam extremo Oriente etiam ad ſchiſmata, ſeditioneſq; iam declinante illa Orientali eccleſia, facta ſit vnius Romani pontificis autoritas: vt illi in remotiſsimo Orientis poſiti epiſcopi, illum & recognouerint, & cõfeſsi fuerint ſuum præſidentem, ſuum archiepiſcopum & papam, Petri in eccleſiaſticæ hierarchiæ primatu ſucceſſorem, eius vnius cẽſuram reformidauerint. Nec eſt quod fortè de fide dictarum epiſtolarum poſsis dubitare. Sunt enim relatæ in acta quintę vniuerſalis ſynodi Conſtantinopolitanæ ſecundæ, ſub Vigilio Romano pontifice & Mena Conſtantinopolitano, quem beatus Agapetus (vt ſuperiùs audiſti) in locum à ſede damnati Anthemij ſuis ordinauerat manibus.

Hinc nota quàm orthodoxis venerabilior & hoſtibus orthodoxæ fidei formidabilior fuerit vnius Ro. pont. quàm omnium cõciliorũ autoritas.

Certè quàm toti orbi, orthodoxisque venerabilior omnibus, quàm etiam orthodoxę fidei hoſtibus formidabilior fuerit vnius Romani pontificis, quàm conciliorum omniũ & totius in eis conuenientis eccleſiæ autoritas, in Leontio Antiocheno antiſtite euidenter nobis oſtendit Theodoretus ille Cyrenenſis epiſcopus. Is enim cùm Arrianus eſſet & errorem ſuum celare niteretur, videns diuiſos ſacerdotes & populum, & alios dicentes: gloria patri & filio, alios verò: gloria B patri per filium, & ſpiritui ſancto, ipſe ſub ſilentio dicebat orationem, nec aliud audiebant adſtantes, niſi cùm diceret, in ſecula ſeculorum. Et ſi quidem, inquit ille, hoc non malignè feciſſet, diceretur pro concordia populi hoc ipſum feciſſe. Sed quia, & contra milites veritatis acuebatur, & nõ niſi hæreticos prouehebat, oſtendebat ſe celare peſtem, modò amore populi, modò formidine preſſus imperatoris, qui filium diſsimilem patri prohibuerat dici. Ea ſiquidem tempeſtate Etius magiſter Ennomij, qui Arrij blaſphemiam ſuis impijs opinionibus auxerat, in Diaconatus ordine ab ipſo ſubleuatus miniſtrabat. Sed Flauianus & Diodorus, monaſticam quidem amplectentes vitam, clarè autem pro eccleſiaſticis dogmatibus laborantes, epiſcopi Antiocheni Leontij redarguerunt, quas contra pietatem ſtruebat, inſidias, dicentes: quia elegiſti virum ſtudijs malignis imbutum, qui impietatis cauſa culmen ſuſcepiſſet potentię, atq; ad eccleſię cladem Diaconatus haberet honorem. Minitabantur autẽ illi Romani põtificis & Apoſtolicæ ſedis cenſuram. Se enim adituros Heſperias, Occidentaleſq; partes, atq; ea quæ callide ipſidioſeq;

Hic uide, quàm formidabilis fuerit Antiocheno epiſcopo Ro. pontificis autoritas.

aduerſus veritatem ab eo gerebantur, eidem Apoſtolicæ ſedi detecturos. Hoc metuẽs Leontius ab officio ſuſpendit Etium. Hæc ille Theodoretus. Ex quibus intelligis, quã formidabilis fuerit illi Arriano Leontio, Antiocheno patriarchæ vnius Romani pontificis autoritas, qui tamen nec pili faciebat autoritatẽ Niceni, quod impugnabat, cõcilij, quantum huius ſedis cenſurã metuerit: Quemadmodũ etiam vnius Iulij Romani põtificis autoritati ceſſerunt tot Orientaliũ ſedium eiuſdem factionis epiſcopi, qui in Antiochena ſynodo ſub Euſebio Nicomedienſi congregati fuêre. Apud quos tamen adeò nihil valebat illius ſacroſancti Niceni cõcilij, & tantorum in eo patrum cõuenientium autoritas, vt ad deſtruendum dogma Nicenæ fidei præcipuè conueniſſent.

De Celeſtio conſtat, vt nulla ſynodali autoritate, nullis doctiſsimorum patrum aduerſus eum ſcribentium rationibus, diſputationibusq; ſuperari valuerit: ſed ſola vnius Romani pontificis autoritate, nõ audens (quod de eo Diuus Auguſtinus libro ſecundo aduerſus eũdem & Pelagium teſtatur) beati Innocentij pontificis literis reſiſtere: ſed promittens omnia, quæ ſedes iſta damnaret, ſe etiam damnaturũ. Nam & rationes & ſcripturas eludebat facilè. At huius ſedis autoritatẽ, toto orbe recognitã, nec illudere potuit nec D contemnere. Verũ & hęc in progreſſu adhuc erunt illuſtriora.

Concluſio.

Nunc ſatis mihi videor hactenus demonſtraſſe, nõ ſolùm eccleſiaſticam hierarchiam planè fuiſſe neceſſariam, ſi modò eſſe deberet eccleſia, non ſolùm inſtitutam à Chriſto, & in ea Petrum obtinuiſſe primatum, Romanoſq; pontifices in eodem ſucceſſiſſe Petro: ſed etiam, quod eũdem magna cum libertate exercuerint ab initio ſuper eccleſiam vniuerſam, à cuius autoritate nemo exẽptus eſt, niſi qui ad Chriſti ouile nõ pertinet. Proinde veram, ſanctã, orthodoxamq; nihil dubitamus illius Florentini concilij, quod ſub Eugenio quarto celebratum eſt, definitionem, quę eſt hoc verborum tenore:

Definitio Florentini cõcilij orthodoxa.

Definimus, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum pontificem, ſucceſſorem eſſe B. Petri principis Apoſtolorum, & verum vicarium Ieſu Chriſti, totiusque eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorũ patrem & doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro, paſcendi, regẽdi & gubernandi vniuerſalem eccleſiam à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum & in geſtis œcumenicorum

con-

A conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.

Cui definitioni, tam Græci, quàm Armenij, poſt longam quindecim menſium concertationem, autoritatum, ſcripturarumq́ue pondere, catholicę eccleſię conſenſu, & rei ipſius euidentia cóuicti, reprobato ſchiſmatico errore, in quo eatenus detinebantur, Romanę eccleſiæ ſe iterum humiliter ſubmittẽtes, in hæc verba ſubſcripſerunt:

Nos igitur oratores nomine noſtro, noſtrique reuerendi Patriarchę, & omnium Armeniorum, hoc ſaluberrimum ſynodale decretum, cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemq́; doctrinam in ipſo C deſcriptam, necnon quicquid tenet ſancta ſedes apoſtolica, & Romana eccleſia, cum omni deuotione & obediẽtia acceptamus, ſuſcipimus & amplectimur. Illos quoq; doctores & ſanctos patres, quos eccleſia Romana approbat, reuerenter ſuſcipimus. Quaſcunq; verò perſonas, & quicquid ipſa Romana eccleſia reprobat ac damnat, nos pro reprobatis & damnatis habemus, profitentes tanquã veri obedientiæ filij, nomine quo ſuprà ipſius ſedis Apoſtolicæ ordinationibus & iuſſionibus fideliter obtemperare.

Libri quarti FINIS.

HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE LIBER QVINTVS.

De controuerſiis inter Regnum & Sacerdotium.

Marſilii Patauini de eccleſiaſtica autoritate ſententiam explicare. Cap. I.

B D

SVperioribus libris eccleſiaſticæ hierarchię cauſam ſimpliciter peregimus, nihil immiſcentes cõtrouerſiarum, quę inter ſecularem & eccleſiaſticam autoritatem prophanis quorundam atq; impijs exagitatæ ſunt diſputationibus. Quas cũ diſsimulare diſſuaderent, & tempora & ſuſceptum argumentum ab initio, vnum ex omnibus delegimus Marſilium Patauinum, quo nemo diligentiùs, vehementiùs, aut etiã copioſius cauſam ſecularis poteſtatis aduerſus eccleſiaſticam egiſſe legitur. Quam planè ſubuertere & in nihilum redigere omni ſtudio conatus eſt. Scripſit is ante annos ducentos ad Ludouicum Bauarum, temporibus Ioannis 22. à quo ille excõmunicationis vinculo innodatus fuerat, ex contumace hæreticum facere ſatagens, velut apologiam quãdam aduerſus autoritatem pontificiam, cui defenſoris pacis titulum fecit, cùm eandem (quod pòſt intelliges) omni ſtudio eliminet ab eccleſia. Fuit homo Ariſtotelicus magis, q̃ Chriſtianus, atq; ex illius magis, quàm Chriſti inſtitutis, nouam eccleſiaſticę hierarachię formam conatus effingere: quamuis ſacras literas, & ſanctorum patrum ſentẽtias, ſed ſuo more intellectas, ſine fine & modo cõgerat, veritatiq́; confidentiſsimè objiciat: vbiq; ſeipſum victorem pronuncians, ſed ante victoriam. Tam amarus, tam virulentus in Romanos pontifices, vt merito dubitares, niſi tempora diſiungerẽt, hic ne à Luthero, an Lutherus ab iſto, ſuam didicerit rhetoricam: nam vterque alterum in hac parte conatur vincere. Eius libri ab initio Lutherani tumultus, ab eiſdem alicunde eruti è blattis & tineis (à quibus teri magis conueniebat, quàm manibus Chriſti fidelium) elegãtiſsimis typis excuſi, ſunt æditi in publicum: ne nulla non peſtis nunc reuiuiſceret, aut quid deeſſet perſequutioni eccleſiæ.

Marſilius Patauinus, quo tempore, qua cauſa & qualiter ſcripſerit aduerſus autoritatem eccleſiaſticã.

Aduerſus quem ſi illum liceret ſequi, multo minus nobis ſuiſſet laboris & negotij. Sed quò minus hoc licuerit, primo prolixitas fecit. Nam illius apologia cùm in librum magnum exeat, noſtra hæc antipologia in volumen immenſum exiret neceſſariò, & lectorẽ enecaret prolixitatis tædio: præſertim cùm vniuerſa eius ſentẽtia, atque omnium rationum, quas affert, efficacia, infinito breuiùs, & ſimul multo luculentiùs exprimi potuerit. Deinde, quia nec ab initio ingenuè & ſimpliciter

Cur eius ſcripta nõ licuerit ad uerbum ſubijcere.

A citer proponit id quod conatur demonſtrare,ſed planè diſsimulat, ſenſim ad hoc veniens, & alias quaſdam ſententiolas ſubdole adſtruens ratiúculis quibuſdam dialecticis & Ariſtotelicis. Quæ prima fronte oihil in ſe continere videntur, quod magnopere animaduertendum ſit,quapropter oec lectorem aliò properantem detineot, aut ad ſui diſcuſsionem exactiorem inuitant. At cùm ad cauſam ventum eſt, eiſdem ſententiolis velut ante certo demonſtratis,tanquam primis & indubitatis principijs vtitur.Sic fallit lectorem incautum, fouet impium. Poſtremo quia ſæpè eadem repetit, & nihil minus curat,quàm vt accuratè atque ordine, quod vult, exprimat & proſequatur, ſed vbique falſa atque impia obſcuris inuoluit, adeo vt mihi penè plus laboris & negocij fuerit, ex tanta confuſione & prolixitate, vniuerſam eius ſententiam, & rationum quas adducit pondus & efficaciam, contrahere in luculentum compendium, quàm demonſtrare earundem falſitatem & inefficaciam.

Partitio vniuerſa diſputationis Marſilij. Partitus eſt autem vniuerſam ſuam diſputationem in tres partes,quas dictiones appellat.In prima præambulis illis immoratur ſententiolis(vt ſibi videtur)Ariſtotelicis, interim diſsimulans quorſum eas adſtruat.In ſecunda cauſam ipſam principalem exequi-
B tur.Tertia eſt velut index priorum, colligēs velut illatiue ex ſuperioribus, quadraginta duas ſententias quarum peoè oulla nooeſt impia & hæretica.

Summa ſententiæ, quam ille velut baſim totiꝰ cauſa conſtituit. Breuiter,hæc ſumma eſt eorum, quæ ille conatur adſtruere: Ex lege Chriſti nulli epiſcopo, nec Romano,nec alteri,competere vllam ſuperioritatem, aut iuriſdictionis autoritatem ſtatuendi,præcipiendi,aut quemuis ad quiduis obligandi: non ſolum ſuper laicos,ſed nec ſuper vnum aliquem ex ſacerdotibus aut clericis, nedum ſupremam omnium. Quin potius vltro oblatam ab eo,ad quem hoc pertineret, autoritatem huiuſmodi ne acceptare poſsiot, aut debeant,interdictum eiſdem à Chriſto & apoſtolis.Sed quod ea competat ſolis ſecularibus principibus.Idque ex delegatione aut commiſsione eius, cui præſunt,multitudinis,apud quā ſolam originaliter & cauſatiue(vt verbis eiuſdem loquar) vult eſſe autoritatem eiuſmodi.Neque vllum ſacerdotum aut epiſcoporum,nec Romanum quidem, ſeu io realibus, ſeu in perſonalibus, ab eorum coactiua autoritate exemptum:quin potius omnes ęque ſubiectos vt laicos, ex euangelicis, apoſtolicis & ſanctorum patrum ſententijs euidenter ſe demonſtraſſe prædicat. Sacerdotalem enim autoritatem à Chriſto voam, æqualemque inſtitutam omnibus,velut ad ſacramenta tantum miniſtranda, & doctrinam euangelicam prædicandam Chriſtifidelibus. Diſtinctionem vero & ordinem, quem ounc inter miniſtros eccleſiæ ceroimus,& vnius principatum atq; autoritatem ſuper alios, partim rationabiliter introductum vult ab hominibus,partim etiam fraudulenter vſurpatum: præſertim primatum ſuper alios Romani pontificis. Nec pertinere ad ſacerdotes, epiſcopos, aut Romanum pontificem, ſed ad ſeculares principes, ex autoritate & commiſsione fidelis multitudinis, ordinare atque inſtituere ſacerdotes in prælaturis,dignitatibus & officijs eccleſiaſticis: apud quos æquè deſtituendi pro arbitrio, vt inſtituendi eoſdem, vult eſſe poteſtatem. Breuiter, ſacerdotes & epiſcopos, nudos eſſe ſacrorum miniſtros, ſeculari poteſtati in omnibus æquè ſubiectos vt laicos.

Hæc ſumma eſt ſententiæ,quam velut baſim & ſundamentum totius cauſæ conſtituit. Vnde in diuerſas, grauesq; aduerſus eccleſiam & eccleſiaſticos erumpit querimonias,iouectiuas & blaſphemias, quemadmodum poſt audies.

Eam autem huiuſmodi ferè demonſtra- B tione conatur aſſerere.In primis ponit nulli *Qua demonſtratione ille ſuā ſententiam adſtruat.* conuenire aut competere vllam iuriſdictionis præceptiuam aut coactiuam autoritatem ſuper alios niſi ex commiſsione legiſlatoris diuini aut humani. Legiſlatorem diuinum, *Maior.* Moyſen aut Chriſtum:humanum vero, vniuerſitatem multitudinis, ſuper quam eſſet *Minor.* autoritas eiuſmodi,intelligēs. Sub quo ſubſumit,ſub lege euangelica ex commiſsione legiſlatoris noſtri Chriſti noo competere vlli homioum ſuperioritatem, aut autoritatem præceptiuam & coactiuam ſuper alios, quin potius eandem interdictam à Chriſto ſuis apoſtolis, diſcipulis & eorum ſucceſſoribus.Ex quibus vtique,ſi vera ſiot,nulli nūc vllam ſuper alium competere iuriſdictionis & ſuperioritatis autoritatem, quam ex commiſsione legiſlatoris humani,hoc eſt, ciuilis aut fidelis multitudinis, neceſſario conſequitur. At autoritatem eam, quæ pendet ex commiſsione legiſlatoris humani, aut ciuilis multitudinis,vult eſſe penes ciuiles principes. Quare ſecundum Chriſti & apoſtolorum doctrinam, eiſdem ſubijci, & obedire oportere dicit abſque vlla diſtinctione, æquè ſacerdotes, epiſcopos, pontifices ac laicos.

Vis demonſtrationis maioris, aut primo

A

Vt maiorem probet.

loco aſſumptæ propoſitionis, in hoc conſiſtit, quod aut diuinitus, aut humanitus, neceſſario competat oportet vni hominum ſuper alium ſuperioritas, aut iuriſdictionis autoritas eiuſmodi, cum natiuitatis, quantum ex ſe eſt, conditio, omnes pares, aut æquales faciat. Eam autem diuinitus competere poſſe vni hominum ſuper alium indubitatum eſt, qualem ipſe confitetur competiiſſe Moyſi, Dauidi & alijs, ſuper Iſraeliticum populum. Humanitus vero, eam nulli vult poſſe competere, niſi ex delegatione vniuerſitatis multitudinis ciuilis, apud quam ſolã, in primis contendit eſſe autoritatem ferendi leges obligatorias, deinde committendi alicui autoritatem principandi & imperandi ſuper ſe, & omnes eius reipublicæ aut communitatis partes ordinandi. Primum, videlicet apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe autoritatem ferendi leges humanas obligatorias, conatur probare capite duodecimo dictionis ſuæ primæ his rationibus (quas ideo cogor adſcribere, quoniã ad eaſdem frequenter remittit, tanquam ad euidentes demonſtrationes, cum vix probabilitatem vllam dialecticam habeant.)

B

Rationes quibus probare nititur apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe autoritatem ferendi leges humanas obligatorias.

Prima: Quoniam illius tantummodo eſt legum humanarum lationis autoritas prima ſimpliciter, à quo ſolo optime leges poſſunt prouenire. Hoc autem eſt ciuium vniuerſitas, aut eius pars maior ſeu valentior, quæ totam vniuerſitatem merito repræſentat. Ad vniuerſitatem ergo ciuium, aut eius maiorem partem tantummodo pertinet legis ferendæ autoritas. Primam propoſitionem ſupponit notam ex terminis. Secundam adſtruere conatur quibuſdam ratiunculis mutuatis ab Ariſtotele, ſed male accommodatis ad propoſitum. Eſt enim euidenter falſa, vt poſt demonſtrabimus. Quare necvitandæ prolixitatis cauſa illas libuit adſcribere.

Secunda ratio: Illius tantummodo eſt legis ferendæ autoritas, per quem latæ melius aut ſimpliciter obſeruantur. Hoc autem, inquit, eſt tantummodo ciuium vniuerſitas. Ipſius igitur eſt legis ferendæ autoritas. Primam aut maiorem propoſitionem etiam ſupponit velut notam per ſe. Minorem ſimiliter probare nititur quibuſdam ratiunculis, quas indignum eſt adſcribere. Nam poſt clariſsime videbitur earundem inefficacia.

Tertia: Illud agibile, in cuius debita inſtitutione conſiſtit pars maxima communis ſufficientiæ ciuium in hac vita, & in cuius praua inſtitutione commune detrimentum imminet, per vniuerſitatem tantummodo ciuium debet inſtitui. Hoc autem eſt lex. Ergo ad vniuerſitatem ciuium ſequitur pertinere eius inſtitutionem. Maiorem propoſitionem etiam ſupponit vt notam per ſe, aut eiſdem valde propinquam. Similiter & ſecundæ eſt ſatis notoria veritas. A

Poſtremo, velut prædictarum rationum omnium vim in vnum colligens, ſic tanquam per diuiſionem argumentatur: Aut legis ferendæ autoritas ad vniuerſitatem ciuium pertinet, aut ad vnum ſolum, aut vero ad paucos optimates. Non ad vnicum. Poſſet enim vel ob ignorantiam, vel malitiam, vel ob vtrunque prauas leges ferre, magis ad proprium, quàm ad commune reſpiciens. Ob eandem rationem nec ad pauciores optimates vult pertinere. Reſtat ergo pertinere ad vniuerſitatem ciuium.

Ex eiſdem his rationibus aut prorſus ſimilibus, mutato videlicet termino legis in terminum principantis, XV. capite eiuſdem ſuæ dictionis primæ ſupponit ſatis demonſtratum, apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe autoritatem committendi alicui principatum, aut iuriſdictionis ſuper alios exercendæ autoritatem, item & principem corripiendi & deponendi, ſi ita mereatur.

Secundam vero aut minorem principalis demonſtrationis propoſitionem, qua prędictam illam ſuam ſententiam, velut totius cauſæ fundamentum ac baſim conatur adſtruere, videlicet: Ex Chriſti inſtitutione & autoritate, nulli in eccleſia competere vllam ſuperioritatem, aut iuriſdictionis præceptiuam, coactiuamúe autoritatem. Quin potius eandem ſuo exemplo & doctrina interdixiſſe ſuis apoſtolis & diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus ſacerdotibus & epiſcopis, primo multis ſcripturarum & ſanctorum patrum ſententijs demonſtrare conatur, quarto & quinto ſecundæ dictionis ſuæ capitibus. Deinde & in ſequentibus rationibus & apparentijs plurimis idem ipſum confirmat, velut poſt audies. Hoc vero loco ſubijciemus ex ordine eas rationes, quas ex euãgelicis & apoſtolicis ſcripturis affert præmemoratis capitibus, vt quibus confidit & nititur præcipuè, & ad quas poſtea deficientibus ſibi alijs ſolidis rationibus prouocat perpetuo. B

In primis itaque demonſtrare conatur, Chriſtum non veniſſe in mundum dominari hominibus, nec ipſos iudicare, intelligendo per iudicium, ipſius principantis ſententiam, qui vt eidem obediatur, vim præceptiuam & coactiuã obtinet. Neq; etiam principari temporaliter, ſed magis ſubijci principi-

A cipibus huius ſeculi. Quinimo, quod ſei-
pſum, ſuoſq́ue apoſtolos & diſcipulos, ipſo-
rumq́ue ſucceſſores epiſcopos ac ſacerdo-
tes, eiuſmodi principatu excluſerit, non ſo-
lum ſuo exemplo, ſed etiam conſilio & præ-
cepto, & quòd hoc ipſum comprobauerint
& docuerint apoſtoli.

Ex Chriſti exemplo multiplici.

Quod autem Chriſtus ab officio princi-
patus, ſeu contentioſæ iuriſdictionis, regi-
minis in hoc ſeculo, ſeu coactiui iudicij cu-
iuslibet ſe, ſuoſq́ue diſcipulos excludere vo-
luerit, ex eo vult apparere, quod Chriſtus
coram Pontio Pilato Romani principis in
Iudæa vicario confeſſus eſt regnum ſuum
non eſſe de hoc mundo, hoc eſt, non ſe ve-
niſſe regnare dominio temporali, quomodo
regnant mundi principes. Quia, inquit, ſi
ex hoc mundo eſſet regnum meum, mini-
ſtri vtique mei decertarent, vt non traderer
Iudæis, id quod fieri non vides. De quo eti-
am ſanctorum adducit ſententias. Nam Au-
guſtinus cauſam explicans cur Chriſtus in-
terroganti Pilato, num rex ipſe eſſet Iudæo-
rum, ad hoc non reſponderit continuo, ſed
prius viciſsim interrogarit, à ſemetipſo hoc
diceret, an, inquit, alij tibi hoc dixerunt
de me? deinde vero reſpondenti ad hoc Pi-
B lato: Nunquid ego Iudæus ſum? gens tua
& pontifices tui tradiderunt te mihi, quid
feciſti, ſi regem te non feciſti? tum demum
reſponderit Chriſtus, regnum ſuum non eſ-
ſe de hoc mundo. Quaſi diceret, inquit Au-
guſtinus: Audite & Iudæi & gentes: Non
impedio dominationem veſtram in hoc
mundo, quid vultis amplius? venite creden-
do ad regnum quod non eſt de hoc mun-
do. Quid enim eſt regnum eius, niſi cre-
dentes in eum? Sic & in eundem locum
Chryſoſtomus: Non priuat, inquit, mun-
dum ſua prouidentia & prælatione, ſed o-
ſtendit regnum ſuum non eſſe humanum.
Sic & Theopompum quendam citat dicen-
tem: Ex temetipſo, inquit, hoc dicis, an a-
lij tibi dixerunt de me? Quaſi diceret: Si ex
temetipſo hoc loqueris, pande ſigna rebel-
lionis meæ. At ſi ab alijs percepiſti, inquiſi-
tionem fac ordinariam. Vides, inquit iſte
Marſilius, non dixiſſe Chriſtum, huius cau-
ſæ inquiſitionem ordinariam ad ipſum non
pertinere: quod tamen debuiſſet dicere ſe-
cundum aduerſariorum ſententiam, ſecun-
dum quam illi ſubiectus non erat. Imo, ex
verbis Pilati dicit annotare Auguſtinum,
quòd iure & merito puniendus fuiſſet Chri
ſtus, ſi ſe regem feciſſet. Siquidem à gente &
pontificibus ſuis ſibi traditum dicens in-
terrogat: Quid feciſti? Satis, inquit Augu-
ſtinus, oſtendit illud obiectum pro crimine. A
Quaſi diceret: Si regem te negas, quid ergo
feciſti, vt tradereris mihi? tanquam non eſ-
ſet mirum, ſi puniendus iudici traderetur,
qui ſe regem diceret.

Confirmat hoc ipſum, facto & exemplo C.VI.
Chriſti apud Ioannem: Qui inquit, cum co-
gnouiſſet vt venturi eſſent Iudæi, qui eum ra
perent, & regem facerent, aufugit ſolus in
montem. Quo facto, inquit Chryſoſtomus,
nos erudiuit mundanas dignitates contem-
nere.

Rurſus interpellanti de turba cuidam, vt
fratri ſuo diceret ſecum hæreditatem diui-
dere, reſpondit Chriſtus: O homo, quis
me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper
vos? Quaſi diceret: Non ad hoc veni, aut
miſſus ſum, vt ciuiles lites iudicio dirimam,
quod ad ſeculi principatus pertinet. Bene,
inquit Ambroſius, terrena declinat, qui pro-
pter diuina deſcenderat, nec iudex digna-
tur eſſe litium, & arbiter facultatum, viuo-
rum habens, mortuorumq́; iudicium, arbi-
triumq́; meritorum.

Deinde pergit oſtendere, non ſolum Chri
ſtum ipſum recuſaſſe principatum huius ſe-
culi, & coactiuam ſuper alios iuriſdictionis
autoritatem, & in hoc ſe diſcipulis quoque B
ſuis exhibuiſſe formam & exemplum: ve-
rum etiam docuiſſe tam opere, quam ſer-
mone, vniuerſos æquè ſacerdotes vt laicos,
ſubeſſe debere realiter & perſonaliter coa-
ctiuo iudicio principum ſecularium. Et pri-
mum hoc probat in realibus, quandoqui-
dem interrogantibus Iudæis, num liceret
cenſum dare Cæſari, reſpondit Chriſtus:
Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ
ſunt dei, deo. Vbi Chryſoſtomus: Tu autem
cum audieris, redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſa
ri, illa ſcito eum dicere ſolum, quæ in nullo
pietati præiudicant. Quia ſi aliquod tale ſu-
erit, non adhuc Cæſaris eſt, ſed diaboli tri-
butum. Ex quibus Chryſoſtomi verbis vult
conſtare, in omnibus Cæſari ſubeſſe nos o-
portere, modo pietati non repugnent. Simi-
liter beatus Ambroſius in epiſtola de tra-
dendis baſilicis: Soluimus quæ ſunt Cæſaris,
Cæſari: & quæ ſunt dei deo. Tributum Cæ-
ſaris eſt? non negatur. Idem confirmat ex
eo, quod publicanis, qui vectigalibus & tri-
butis exigendis præerant, iuſſerit Chriſtus
pro ſe & Petro tributum perſolui ab ipſo Pe
tro. Quod ſi putaſſet Chriſtus inconueni-
ens, futuros ſibi ſucceſſores in ſacerdotali
officio tributa ſoluere, ac ipſorum tempora-
lia ſubiecta fore principibus ſeculi, potuiſ-
ſet ipſe hoc malum exemplum in ſeipſo non

 edere,

A edere, vt omnipotens & æterni patris infinita ſapientia. Sed voluit, inquit, hoc nos exemplo docere, ne detrectaret diſcipulus, quod vidiſſet magiſtrum facere. Itaque beatus Ambroſius in memorata epiſtola: Tributum petit imperator? ſcilicet non negatur, agri eccleſiæ ſoluunt tributum. Quod inſuper etiam in perſona ſua Chriſtus ſubfuerit coactiuę poteſtati principum huius ſeculi, quæ, quo ad eam partem, vocatur merũ imperium, ex eo vult conſtare, quod ſe capi permiſerit, & duci ad Pilati prætorium, & per ipſum demum, vt iudicem, iudicari, & condemnari extremo ſupplicio. Quod nequaquam permiſiſſet, ſi inconueniens iudicaſſet ſuos ſacerdotes ſubijci principibus ſeculi & per ipſos iudicari.

Itaque Pilato admiranti, quòd ſibi non reſponderet Chriſtus, vt qui poteſtatem haberet ipſum & crucifigere & dimittere, tandem reſpondit: Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. In quibus verbis notat Chriſtum non negaſſe Pilato poteſtatem ipſum iudicandi, & iudicium in ipſum exequendi, nec dixiſſe, hoc ipſum facere de facto cum iure non poſſet, ſed addidit, hanc poteſtatem ipſum habere deſuper. Diſcamus ergo, inquit Auguſtinus,
B quod dixit, quod & per Apoſtolum docuit: Quia non eſt poteſtas, niſi à Deo. Et D. Bernardus in epiſtola quadam ad archiepiſcopum Senonenſem: Cum, inquit, Romani præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur cœlitus ordinatam. Quod ſi ſupra Chriſtum, quanto magis, inquit, ſuper apoſtolos, eorumque ſucceſſores epiſcopos & presbyteros?

Hoc ipſum confirmat verbo Apoſtoli ad Galatas: At vbi, inquit, venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. Si factus ſub lege, ergo, inquit, & ſub iudice, cuius erat iudicare & præcipere ſecundum legem, qui tamen nõ erat epiſcopus aut ſacerdos.

Ex Chriſti doctrina. Rurſus vult Chriſtum negaſſe ſuis ſuperioritatem aut autoritatem coactiuam, tam ſuper ſe inuicẽ, quàm ſuper alios, vbi contẽdentibus de principatu dixit apoſtolis: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, ſtet ſicut iunior: & qui præceſſor, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos prim⁹ eſſe, erit veſter ſeruus, C ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Nõ igitur, inquit, Chriſtus rex regũ, & dominãs dominantiũ apoſtolis ſuis dedit iuriſdictionis autoritatem coactiuam ſuper ſeculares principes aut quoſuis alios.

Hoc ipſum confirmat B. Bernardi ad Eugenium ſententia: Quod habuit, inquit, Apoſtolus, hoc dedit: ſolicitudinem, vt dixi, ſuper eccleſias, nunquid dominationem? audi ipſum: Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, ne etiam veritate, vox domini eſt in euangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non ſic. Planum eſt, apoſtolis interdici dominatum. Ergo tu vſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum, plane ab vtroque prohiberis, ſi vtrunq; ſimul habere voles, perdes vtrunque. Alioqui non te illorum numero putes exceptum: Ipſi regnauerunt, & nõ per me: principes extiterunt, & non cognoui eos.

Eandem ſententiam confirmat deinceps & verbis & ſententijs apoſtolicis: Nemo, inquit Apoſtolus, militans Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus. Negociorum autem omnium ſeculariſſimum, eſt principatus habẽs coactiuam autoritatem, qua ſecularia negocia, & ciuiles actus ordinat & regulat. Quare maxime fugiendus eſt illi, qui debet deo militare. *Ex doctrina apoſtolica.* D

Idem eiuſdem Apoſtoli verbis confirmare videtur, cum dixit: Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſia, conſtituite ad iudicandum. Contemptibiles vero intelligit iuxta Ambroſij & Auguſtini ſententiam, aliquos ſapientes in ſecularibus videlicet, qui tamen ſunt minoris meriti & gradus in eccleſia: perinde ac ſi dixiſſet, vt vacantes ſibi laici hoc impendant oneris & ſeruitij. Vt, inquit beatus Gregorius, hi terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum, id eſt, actuum ſecularium ſcientiam perceperunt. Qui autem ſpiritualibus donis ditati ſunt, terrenis non debent negocijs implicari, vt dum non coguntur inferiora bona diſpicere, valeant bonis ſuperioribus deſeruire.

Eandem vult eſſe D. Bernardi ad Eugenium ſententiam: Ergo, inquit, in criminibus, non in poſſeſsionibus, eſt poteſtas veſtra. Propter illa ſiquidem, non propter has, accepiſtis claues regni cœlorum, præuaricatores vtique excluſuri, non poſſeſſores: Vt ſciatis, ait, quia filius hominis habet poteſtatem

A tem dimittendi peccata. Quænam tibi ma-
ior videtur,& dignitas & poteſtas,dimitten-
di peccata,an prædia diuidendi?Sed non eſt
comparatio. Habent hæc infima & terrena
iudices ſuos reges & principes terræ. Quid
fines alienos inuaditis?Quid falcem veſtram
mittitis in meſſem alienam? Ex quibus in-
fert iuxta Bernardi ſententiam, epiſcopum
ſibi vſurpantem iuriſdictionem coactiuam
ſuper contentioſis inter homines actibus,a-
lienum officium indebite inuadere.

Præterea ex verbis Apoſtoli ad Romanos
decimotertio clare demonſtratum putat,o-
mnes cuiuſcunque gradus aut ordinis in ec-
cleſia dei ſubiectos eſſe oportere principi-
bus ſecularibus, atque eorum autoritati co-
actiuæ.Sic enim habent verba Apoſtoli: O-
mnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſub-
dita ſit.Non eſt enim poteſtas,niſi à deo:quę
autem ſunt à deo,ordinata ſunt. Itaque qui
reſiſtit poteſtati,dei ordinationi reſiſtit.Qui
autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem ac-
quirunt.Nam principes non ſunt timori bo-
ni operis,ſed mali.Vis autem non timere po
teſtatem? bene fac,& habebis laudem ex il-
la, dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si
autem malum feceris, time, non enim ſine
cauſa gladium portat. Dei enim miniſter
eſt,vindex in iram ei,qui malum agit. Ideo-
B que neceſsitati ſubditi eſtote, non ſolum
propter iram, ſed etiam propter conſcienti-
am:ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri
enim dei ſunt,in hoc ipſum ſeruientes.Red-
dite ergo omnibus debita,cui tributum,tri-
butum:cui vectigal, vectigal: cui timorem,
timorem: cui honorem,honorem.Hæc ver-
ba Apoſtoli (vt quæ multum putat ſuæ in-
tentioni ſeruire, & aduerſari epiſcoporum,
maxime autem Romanorum, autoritati ſu-
pra principes) ille vehementer vrget & pon
derat, adhibitis ſanctorum patrum ſenten-
tijs. Siquidem ex illis certiſsimo & irrefra-
gabiliter demonſtratum putat,omnes homi-
nes cuiuſcúq; tandem ſtatus aut conditionis
exiſtant,tam realiter,quàm perſonaliter ſub-
eſſe debere iuriſdictioni principum ſeculi,
eisq́; obedire in omnibus, quæ non contra-
riantur legi ſalutis æternæ.

Et in primis,quod omnem animam dicit,
omnem hominem intelligit, neminem ex-
cipiendo, nec epiſcopum nec presbyterum.
Magis tamen animæ,quàm hominis nomine
illic exprimere voluiſſe hominem, vt doce-
ret,etiam animo ſubditos illis nos eſſe opor-
tere, & voluntarie præcipientibus obſequi.
Quod ipſum etiam clare explicat dicens, vt
illis ſubdantur,non ſolum propter iram,ſed
etiam propter conſcientiam. Per ſublimio- C.
res autem poteſtates,ſeculares principes tan
tum vult intellexiſſe, quibus coactiua com-
miſſa eſt iuriſdictio, quorum etiam eſt per
armatam potentiam defendere patriam,
quod ſacerdotibus non conuenit, dicente
Ambroſio: Dolere potero, flere potero,ge-
mere potero, aduerſus arma, milites, Go-
thosq́ue,lachrymæ meæ, arma mea ſunt, ta-
lia enim munimenta ſunt ſacerdotis: aliter
nec debeo,nec poſſum reſiſtere. De illis ve-
ro dicit Apoſtolus:Non enim ſine cauſa gla-
dium portat.His ergo, quamuis infidelibus
& diſcolis reſiſtentes,quicunque tandem il-
li fuerint,etiamſi epiſcopi & presbyteri,ſibi,
inquit, damnationem acquirunt. Miniſtri
enim Dei ſunt,non Petri, vt dicit, non Pau-
li,aut noſtri.Petro vero aut Romano ponti-
fici præcipienti ſecundum legem euangeli-
cam,tametſi deberi velit reuerentiam & ob-
edientiam, ad ſuorum tamen præcepto-
rum obſeruationem,neminem vult arctare
poſſe, aut inobedientiam punire vlla pœna,
reali aut perſonali,vt quam illis poteſtatem
interdictam à Chriſto ex prædictis vult eui-
denter conſtare.

Præterea adducit etiam illud Apoſtoli
ad Timotheum: Obſecro igitur, primum
omnium fieri obſecrationes, orationes, po-
ſtulationes pro omnibus hominibus,pro re- D
gibus & omnibus, qui in ſublimitate ſunt,
vt tranquillam & quietam vitam agamus.
Vides, inquit, inter poſitos in ſublimitate
nuſquam connumerari ſacerdotes aut epi-
ſcopos.Sed ideo Apoſtolus orare, inquit Au
guſtinus,pro regibus admonuit,& pro omni-
bus ſublimibus eodem ſpiritu afflatus quo
& Hieremias, qui ſcripſit Iudæis captiuis in
Babylone, vt orarent pro vita regis Nabu-
chodonoſor, filiorumque eius, & pro pace
ciuitatis. Quia in pace illorum, inquit, erit
pax veſtra.Hoc autem figurate ſignificat ec-
cleſiam in omnibus ſanctis eius, qui ſunt ci-
ues cœleſtis Hieruſalem, ſeruituram ſub re-
gibus huius ſeculi.

Rurſus Tito Apoſtolus: Admone illos
ſubditos eſſe principibus & poteſtatibus.
Non dixit,inquit,Apoſtolus: Admone ſecu-
lares tantum.Nec rurſus: Admone ſubditos
eſſe nobis & principibus, ſciens nec ſibi,nec
ſacerdotibus ſubiectionem deberi.

Ita quoque Petrus: Subiecti eſtote omni
humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi,
tanquam pręcellenti,ſiue ducibus,tanquam
ab eo miſsis,ad vindictam malorum,laudem
vero bonorum: quia ſic voluntas Dei eſt.
Cum igitur maleſactores poſsint eſſe & ſa-

A cerdotes, ſequitur etiam illos ſubeſſe vindictæ & punitioni principum.

Exemplo & facto Pauli.

Hoc ipſum præterea etiam Pauli vult confirmari exemplo, qui refugiens iudicium ſacerdotum, Cęſarem appellauit. Ad tribunal, inquit, Cæſaris ſto, vbi me oportet iudicari. Quibus verbis clariſsime confeſſus eſt, inquit, coactiuæ iuriſdictioni Cæſaris ſe fuiſſe ſubiectum.

Ex his ſufficienter demonſtratum putat, vt epiſcopis nullam conuenire lege diuina in hoc ſeculo coactiuam in quemuis poteſtatem, ſed interdictam potius, ita ipſos in hac ſubiectos eſſe principibus ſeculi. Nec vllum epiſcopum, ſeu Romanum, ſeu alium, habere etiam in miniſtros eccleſiæ ſacerdotes aut presbyteros vllam coactiuā iuriſdictionem, niſi eādē per humanum legislatorem conceſſa fuerit. In cuius poteſtate ſemper dicit eſſe eandem ab ipſis reuocare: præſertim ex rationabili cauſa, cuius plenam determinationem ad eundem legiſlatorem, præſertim in communitatibus fidelium pertinere velut eſſe indubitatum & notorium. Quas eius rationes ideo prolixius aliquanto adſcripſimus, tametſi maiore longe, quàm ille & compendio & luculentia, audeo etiam dicere maiori probabilitate & apparentia: ne

B quiſquam hoſtis autoritatis eccleſiaſticæ calumniari poſsit nos diſsimulaſſe aut declinaſſe earum pondus, vim & efficaciam. Quas ſi perſequeremur per ſingula quæque verba, vt ab eodem perſcriptæ ſunt, vnus hic liber in immenſum volumen creſceret, nec inſtituti noſtri ab initio rationem hic retineremus. Nihil tamen dubito etiam illius ſtudioſis in harum rationum explicatione (quas ille alicubi magis innuit, quàm poſsit exprimere) factum pluſquam ſatis.

Aduerſus impietatem prædictam, catholicam veritatem aſſerere, & demonſtrationis principalis, cui nititur, inefficaciam demonſtrare.

CAP. II.

Notāda Gerſonis ſententia de duplici peſte vitanda in hac inquiſitione.

IOannes ille Gerſonus, Pariſienſis Theologus, vir in primis & eruditus & pius: nec tamen pontificiæ autoritati (quod libro ſequenti intelliges) quantum par eſt, tribuens, libro ſeu tractatu de eccleſiaſtica poteſtate, conſideratione XII. duplicem hac in re peſtem deſignat: vtranque magno ſtudio vitandam illi, qui veritatem aſſequi voluerit, alteram appellans detractionem liuidam, alteram adulationem ſubdolam, vtrinq; in extremo conſiſtentes, in quarum medio conſiſtat veritatis ſynceritas. Inuida detractio, inquit, eccleſiaſticam poteſtatem prorſus deprimit, & ſeculari ſubijcit. Adulatio contrà extollit ſine modo & menſura, pene ad ſimilitudinem altiſsimi. Tolle, inquit, tolle temporalitatis ius omne & dominium ab eccleſiaſticis, clamat detractio, quia ſic Chriſtus inſtituit dicens: Niſi quis renunciauerit omnibus, quę poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Neque enim capaces eſſe iuriſdictionis ſecularis. Nemo enim militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus, victu & amictu contentos eſſe oportere, reliquum eſſe pauperum. Ex aduerſo conſurgit adulatio blandiens, & in hunc modum ſuſurrans: O quanta eſt eccleſiaſticæ poteſtatis ſublimitas. Nam ſicut Chriſto collata eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: ita Chriſtum omnem poteſtatem ſuam dediſſe ſucceſſoribus ſuis. Vnde nec Conſtantinum quicquam dediſſe Syluestro, quod ante non eſſet ſuum, ſed reddidiſſe iniuſte detentum. Porro ſicut non eſt poteſtas niſi à Deo: ſic nec aliquam poteſtatem ſeu imperialem ſeu regalem haberi poſſe, niſi à Dei vicario, in cuius fœmore ſcriptum eſt: Rex regum, dominus domi-

D nantium. Ipſum eſſe monarcham ſupremum, nedum in ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus, à quo alij reges & principes ſuam dominationem accipiant, atque eius medio à Deo. Inter has peſtes vtrinque conſtitutas in extremitatibus, media ac regia via incedēs moderatrix diſcretio, ſuum vnicuique tribuit, ſecundum quam, inquit ille, dicimus eccleſiaſticos etiam capaces eſſe & bonorum & honorum temporalium, multa illis ex debito competere, poſſe in diuitijs aliter quàm apoſtolos viuere, atq; etiam temporalium iuriſdictionem, modo eis legitime competat, pro temporis exigentia exercere. Nec minus ex aduerſo ſtultas adulationes & ſalſas inſanias deuitabimus, vt ſuos eccleſiaſticæ poteſtati noſcamus terminos, intra quos ſe noſcat coercere, ſic vt meminerit poteſtatē ſecularem etiam apud infideles ſua iura habere propria, ſuas dignitates & dominia.

Aduerſus prædictam Marſilij ſententiam orthodoxa veritatis aſſertio.

Hæc ille Gerſonus, non indigna, quorum quis in hac cauſa pertractāda perpetuo meminerit, ne hinc in Scyllam, inde in Charybdim impingens, veritatis naufragium faciat. Quæ ideo etiam hic adſcribere placuit, vt intelligeres lector Chriſtiane, peſti ne peſtilentiſsimæ, an vero ſanæ, ſyncerǽq; veritati, dictam Marſilij ſententiam connumerare debeas.

Quod

A Quod vt clarius certiusq́; intelligas, memineris velim eorũ, quę ſuperioribus libris clariſsimè à nobis demonſtrata ſunt. Et in primis, nullam poſſe in vnum multitudinem contineri, niſi colligatur vinculo ordinis ad vnum & per vnum aliquod principans, quod ſuum cuique præſcribat ac moderetur officium, ab vnoquoq; eius poſsit rationem exigere, exceſſus punire, corrigere, & ad æqualitatem ac ſymmetriam quandam reducere. Hæc enim non ſolum Chriſtiana, ſed etiam ethnicorum philoſophorum, atq; adeo Ariſtotelis, quandoquidem cum Ariſtotelico agimus, eſt certiſsima ſententia, & quam is ille ipſe Marſilius XVII. cap. ſuæ dictionis primæ, multis rationibus non male adſtruit. Quam cum veram experiamur, etiam in exigua qualibet multitudine, etiam vnius ciuitatis, vicinię, dom⁹, quid erit in infinita multitudine totius Chriſtianæ eccleſiæ, ex nullis non gentibus, nationibus & populis diffuſis in orbem terrarum vniuerſum, etiam qui alioqui nullo colligantur ciuili vinculo? Quod ſi inſuper conſideraueris, vt plane ſit neceſſarium conſeruari vnitatem illius catholicæ Chriſti eccleſiæ, à ſui initio ad finem vſque ſeculi, tanto maiorem in ea neceſſitatem intelliges diligentiſsime conſtituti
B ordinis, & in ſummam vnitatem reducti, qualem etiam diuinitus in eadem conſtitutum demonſtrauimus. In hac ergo indiuidua vnitate eccleſiaſtici vnius corporis, vt neceſſe eſt membra eius omnia communicare inuicem in his, quæ ad fidem religionemq́ue Chriſti & finem ſalutis æternæ & cœleſtis patriæ aſſequendæ pertinent, quo vniuerſa Chriſtiani hominis opera pertinent: Ita neceſſe eſt omnia moderari vnius velut capitis habenis & imperio, quod ſingula membra in hac communione contineat, ſingulis ſua præſcribat officia, eorundem poſsit rationem exigere, exceſſus corrigere, turbas ſedare, & pacem tranquillitatemq́; conſeruare in domo eccleſiaſtica, vt non ſit, inquit ille, ſchiſma in corpore. Aequè enim, imo multo magis conſtat hoc eſſe neceſſarium ꝓ conſeruanda indiuidua vnitate eccleſiaſtici corporis, quàm ciuilis principatus vnitas ꝓ cõſeruanda vnitate particularis alicuius cõmunitatis, ciuitatis aut regni. Alioqui nulla eſſet membrorum conſpiratio in communem & totius corporis ſalutem, nulla mutuę vtilitatis communicatio, ſed quodq; ſuo ſerretur impetu, tantum in commodum proprium, & impedirent ſe mutuo, vt lata in diuerſa, & frequenter in contraria. Eccleſiaſtici autem corporis membra ſunt, non ſoli epiſcopi, presbyteri, reliquiq́ue ſpecialiter mancipati diuino cultui, ſed etiam reliquus populus, quos laicos dicimus, imperatores, reges, principes, regna, imperia, ciuiles communitates & res publicæ etiam, vt eiuſmodi. Neq; enim ex ſolis presbyteris, monachis & continentibus, conſtitui poterat catholica Chriſti eccleſia, ſed neceſſario requirebat etiam ciuilem multitudinem per ſanctum immaculatumq́; coniugium propagandam, & continuandam ad fines ſeculi, quæ etiam requirebat neceſſario ſuos ciuiles magiſtratus, reges & principes. Quare hi omnes vt pars & membra ſunt Chriſtianæ eccleſiæ, neceſſario etiam ſubſunt eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, qui ſui imperij habenis moderetur eoſdem, in ſuam mutuo, & totius corporis vtilitatem conſpirantes teneat, omnes contineat in officio, præuaricantes corrigat, & ſi ita exigat totius neceſsitas, adminiſtratione quoque & officio amoueat, & in locum eorum conſtituat alios, aut conſtituendos præcipiat per eos, ad quos hoc ipſum de iure aut conſuetudine pertinet. Hæc enim neceſſario ad partem principantem pertinere in vnaqualibet communitate hominum, ſi inter ipſos ſubſiſtere debeat vnitas & communio, euidens demonſtrat ratio, comprobata experimento omnium ab initio ſocietatum ciuilium, atq; etiam is (aduerſus quẽ agimus) Marſilius XV. primæ ſuæ dictionis, philoſophicis rationibus veriſsime comprobat. Id quod libenter ab eodem acceptauimus.

C *Eccleſiaſtici corporis mẽbra eſſe etiã laicos, etiam imperatores reges & principes.*

Eoſdem ergo ſubeſſe imperio eccleſiaſtica hierarchiæ præſidis &c. Officia præſidis aut partis principãtis

D Nihil eſt hic, quo quis ſubterfugiat: Si vt reges, aut imperatores Chriſtiani, & ſuper Chriſtianum populum, ſunt præcipua quædam & inſignia membra Chriſtianæ eccleſiæ, neceſſe eſt, vt tanquam eiuſmodi ſubſint autoritati & iuriſdictioni partis principantis in communitate eccleſiaſtica, vt cum Ariſtotelico loquar Ariſtotelice. Vtq́; hæc poſſit ab illis officiorum ſuorum rationem exigere, & commiſſos in eis exceſſus corrigere, velut hoc ipſum exigit Chriſtiani populi & eccleſiæ vtilitas.

Quod ſi dixeris antiquiorem eſſe ciuilem autoritatem, imperatorum, regũ, & principum, quàm ſit Chriſtianæ eccleſiæ, illam etiam apud ethnicos ſuam dignitatem habere, ſua iura propria: & propterea, vt eiuſmodi, non ſubeſſe illos, nec eorum autoritatem, iuriſdictioni atq; autoritati eius, cui totius eccleſiaſtici corporis commiſſum eſt regimen. Hic tecum non admodum pugnabo. Non enim dicimus, imperatores, reges, principes, ſed nec vnumquemuis è populo ſimpliciter, & vt eiuſmodi, ſubeſſe autorita-

Cauillatio motio.

A ti & iuriſdictioni eccleſiaſticæ: ſed vt Chriſtianos & Chriſtiani populi imperatores, reges aut principes, hoc eſt, vt membra eccleſiaſtici corporis. Quid enim mihi, inquit ille, de his, qui foris ſunt iudicare? Illi enim ſolius Dei in hoc ſunt ſubiecti iudicio. Sed nos, qui Chriſtiani, vtque magiſtratum aliquem gerentes inter Chriſtianos, membra ſumus vnius eccleſiaſtici corporis, eius rectori & capiti, vt eiuſmodi, neceſſario ſubiecti ſumus propter Chriſtum, cui nos in baptiſmo ſubiecimus. Ille poteſt geſtorum à nobis officiorum rationem exigere, poteſt punire exceſſus & delicta in his commiſſa, ſecundum leges euangelicas & eccleſiaſticas.

Per hoc tamen non tollimus, ſed ſtabilimus potius ordinem politicum. Non enim negamus in ſubordinatis ſibi magiſtratibus, inferiorum exceſſus per ſuperiores debere corrigi in his, quæ proprie ad forum & iudicium illorum pertinent, vſque ad primum in eo ordine, hoc eſt, regem in ſuo regno, & imperatorem in imperio. Sed quoniam plures ſunt ciuiles ordines eiuſmodi in vna Chriſti eccleſia, non tamen ſibi ſubordinati mutuo, neceſſe eſt, vt peccata & exceſſus illorum primorum, ſeu in ſe B inuicem, ſeu in ſuos, aut alienos ſubditos, ſi pax & vnitas conſeruari debeat in domo eccleſiaſtica, pertineant ad correctionem ipſius, qui vniuerſæ eccleſiæ præſidet, & cui totius cura & gubernatio commiſſa eſt. Sed hæc in progreſſu illuſtriora erunt vniuerſa

Excutitur Marſilij illa principalis ratio.

Nunc vero vt euidenter diluamus inductas aduerſus præaſſertam veritatem calumnias, quibus præcipuè hunc librum deſtinauimus, illa Marſilij principalis demonſtratio (cui innititur vniuerſa, quam audiſti, non minus paradoxa, quàm impia ſententia, vniuerſam autoritatem eccleſiaſticam in nihilum redigens) excutienda eſt, quantum habeat ponderis aut efficaciæ. Cuius hæc fere ſumma eſt: Nulli hominum conuenire iuriſdictionis coactiuam autoritatem ſuper alios, niſi per legiſlatorem diuinum aut humanum eiuſmodi ſibi demandata fuerit. Humanum legiſlatorem, vt ſuperius indicauimus, vniuerſitatem multitudinis intelligens, ſuper quam eſſet autoritas eiuſmodi. Diuinum vero, Chriſtum aut Moyſen, vt duæ tantum leges latæ ſunt. Nulli autem ſacerdoti aut epiſcopo, vt eiuſmodi, à legiſlatore diuino demandatam autoritatem talem, ſed interdictam potius. Ab humano vero, aut non demandatam, aut ſaltem ad nutum reuocabilem. Ex quibus neceſſario conſequitur ea, quam ipſe adſtruit, ſententia. C

Impugnatio maioris atq; inſtantia.

Sed nihil mirum eſt ex falſis omnibus falſam concluſionem conſequi, falſa enim eſt & maior cui innititur, falſa quoque ſubſumptio, tametſi alterum nobis ſufficiat. Hoc mihi in primis reſpondeat, per quem legiſlatorem Iulio Cæſari competijt principalis hæc & coactiua autoritas in Romanam rempublicam? per quem Octauiano atque eius ſucceſſoribus? nunquid per legiſlatorem diuinum aut humanum, & non potius eam vſurparunt vi, ſcelere, perfidia, parricidio? nunquid non contra ius, fas & leges, armis eadem occupata eſt in inuitos, primum à Iulio, deinde ab Octauiano, interfectis & proſcriptis optimis ciuibus, ſe melioribus, dignioribus imperio? Iam vt mandata illis fuiſſet ab optimatibus & Romanis ciuibus in ipſam Romanam rempublicam, cuius legiſlatoris autoritate in regnum Iudæorum eadem illis competijt? Iure belli dices, opinor. At ego rurſus percontari pergam, quale ius eſt eiuſmodi? Nunquid qui fortior eſt, & armis potentior, poteſt quilibet in imbecilliores dominationem ſibi & principatum vſurpare? Et vbi hic illa demandantis principatum legiſlatoris, hoc eſt, Moyſis, Chriſti, aut vniuerſitatis (vt ille nugatur) multitudinis ſupra quam eſſet principatus eiuſmodi autoritas, cum armis & vi inuitis imperitas? Sed iure gentium, inquis, in eos, quos bello deuicerimus, obtinemus dominationem & imperium. Ergo hoc iam confiteris quod voluimus, videlicet ſecundum ius gentium non dependere principatum ciuilem à legiſlatore humano quem tu intelligis, hoc eſt, ab vniuerſitate multitudinis, quæ per eam gubernatur & in finem ciuilem dirigitur. D

In iure belli.

In imperio Chriſtiano inchoato in Magno Carolo.

Rurſus te interrogo, Carolus ille Magnus à quo legiſlatore humano (tuo more de legiſlatore loquendo) principatum accepit Romani imperij? Neque enim, opinor, à legiſlatore diuino eundem accepiſſe illum dices. Et cum diligenter perquiſieris, non ab vniuerſitate multitudinis, cui principatur imperialis eiuſmodi autoritas, ſed ab vno Rom. pontifice accepiſſe principatum eiuſmodi inuenies, quemadmodum pòſt faciemus euidentius. Quod ſi etiam in moderno Carolo eius nominis V. qui nunc vna cum fratre Ferdinando felicibus auſpicijs habenas moderatur imperij, tuum illud axioma expenderis, etiam in illo ipſo falſitatem

eius

A eius clare conſpicies. Huic competit imperialis autoritas, nunquid ab vniuerſitate multitudinis ſubiectæ imperio, quam tu legislatorem humanum facis? Electus eſt, inquis, autoritate vniuerſitatis. Hoc ipſum eſt, quod nobis demonſtres, cupimus. Electum nouimus, ſed æquè quod ab vniuerſitate multitudinis electus non ſit, nouimus, ſiquidem à VII. tantum regni proceribus electum conſtat. Sed illi, inquis, nomine & commiſſione totius vniuerſitatis eligunt. Quando obſecro, aut vbi vniuerſitas multitudinis ſubiectæ imperio, ſuas vices ea in re mandauit illis VII? Nunquam ſane illud factum inuenies, ſed hoc inuenies, Ottonem III. ex ſucceſsione illius Caroli, cum hæredes maſculos non haberet, inſtitiſſe apud Gregorium V. Romanum pontificem, vt deinceps dignitatem illam perpetuo electiuam faceret, deſignatis ex vniuerſis Germanici regni proceribus, VII. electoribus. Qua de re ille ſanctionem apoſtolicam edidit, ſecundum quã & deinceps imperatores omnes atque etiam hic Carolus accepit imperium. Quod vero vniuerſitatis ea in re conſenſus petitus aut præſtitus fuerit, nunquam inuenies. Sed pòſt huius rei hiſtoriam clarius, certiusq; explicabimus, & irrefragabilibus confirmabimus teſtimonijs.

Electores imperij eligere, non ex delegatione vniuerſitatis multitudinis, ſed ex autoritate atque ordinatione eccleſiaſtica hierarchia preſidis.

B Iterum te interrogo: Num pater in filiosfamilias, dominus in ſeruos, autoritatem ſeu poteſtatem vllam coactiuam habeat? Habere nemo negauit vnquam. Sed cuius legislatoris autoritate vt ſubſiſtat tibi maior illa tua (cuius hic falſitatem coarguimus) propoſitio? Humani ne? Sed toto orbe eſt parentibus & dominis in filiosfamilias & ſeruos hæc autoritas. Delegauerit ergo neceſſe eſt totius orbis multitudo & vniuerſitas hanc autoritatem parentibus & dominis, ita vt ante eam delegationem autoritas eiuſmodi ipſis non competierit, quod nunquam fuiſſe certum eſt. Diuini ergo, ſecundum te, legislatoris autoritate, hæc ipſis neceſſe eſt autoritas competat. A Moyſe igitur aut Chriſto hanc ipſam habeant oportet, ſiquidem ſolos hos, vt ipſe etiam confiteris, duos vſq; nunc legislatores diuinos nouimus. Sed certum eſt ante vtrumq; hanc fuiſſe autoritatem patrum in filiosfamilias, & dominorum in ſeruos. Quare etiam hac parte euidenter conuincitur falſitas primæ aut maioris propoſitionis aſſumptæ.

Sed dicis eius veritatem demonſtratam eiſdem rationibus, aut prorſus ſimilib. quibus XII. capite dictionis tuæ primæ penes ſolam vniuerſitatem multitudinis oſtendiſti C eſſe autoritatem ferendi leges obligatorias, mutato videlicet ſolo legis termino in terminum principantis.

Rationes quidem illas audiſti lector ſuperiori capite, ſed tam ineptas & prorſus nullius ponderis, vt niſi ſæpe, velut ad euidentes demonſtrationes, prouocaret ad eaſdem, non tuliſſet animus adſcribere, nec nunc aliqua reſponſione dignaremur, vt cui cauſæ ab initio ſuſceptæ ſeruire, non traducẽdæ alicuius ignorantiæ inſiſtere, decretum eſt.

Solutio rationum pro demonſtranda maiore adductarum.

Nam vt à prima ordiamur, cum præmittendo, illius tantummodo eſſe ferendarum legum primam autoritatem, à quo ſolo optime leges ferri poſſunt, ſubſumit, à ſola vniuerſitate multitudinis illud poſſe fieri, quis ferat ſtupiditatem hominis? Accipe, vt ſunt, immenſam aliquam communitatem ciuilem, quale eſt Galliarum aut Hiſpaniarum regnum, aut Romanum, quale adhuc eſt imperium, quo pacto vniuerſitas alicuius ex his ciuilis multitudinis, optimis legibus ferendis erit idonea? Nam quomodo in vnum conueniet, vt de lege ferenda in commune deliberet? vt inueniat ac ſtatuat quod optimum? Vt autem poſſet in vnum conuenire, poſſet deliberare & conferre conſilia, quis neſciat confuſiſsimam multitudinem ineptiſsime adhiberi ad con- D ſilia, ad inquiſitionem eius, quod optimum & vtiliſsimum? De qua non minus vere, quam feſtiuiter dixit quidam: Nihil à veritate remotius multitudinis aut vulgi ſententia. Nam quicquid, inquit, laudat vituperio dignum eſt, quicquid cogitat vanum, quicquid loquitur falſum, quicquid improbat bonum, quicquid extollit infame. Et ab iſtiuſmodi belua, imo à ſola huiuſmodi optimæ leges expectandæ ſunt? Quæ vnquam ciuilis communitas, præſertim paulo numeroſior, confuſæ multitudinis conſilio, optimas leges aſſecuta eſt? Certe Romani illi, quamuis vnius tunc vrbis ciues, quamuis alioqui pene in populari dominatione viuentes, cum ab Athenienſibus petitas leges tabularum XII. etiam ad ſuæ reipublicæ vtilitatem accommodari & ferri cuperent, hoc ſane intellexerunt, non eſſe vniuerſitatem multitudinis ei negocio idoneam, quod à paucis quibuſdam prudentibus perageretur felicius, ſed decemuiratum illi magiſtratum creauerunt. Siquidem viri boni, prudentes & docti, qui ſoli vtiliter huic adhibentur negocio, in omni multitudine pauci ſunt reſpectu cæterorum, & vbique verum ſtultorum infinitum

Prima.

Immenſam multitudinẽ non eſſe idoneam ferendis legibus.

eſſe

A eſſe numerum. Quorum in vniuerſitate multitudinis vbi numerantur ſuffragia, quis tandem alicui concilio locus foret? Vides itaq; lector, qualis hæc ſit demonſtratio, quæ magis opoſitum concludit quam propoſitum. Nam ſi ab vlla maiore ita veriſsime ſubſumas. Ab vniuerſitate multitudinis optimas leges ſerri non poſſe, concluditur penes eandem nõ eſſe legum ſerendarum autoritatẽ.

Retortio rationis in oppoſitum.

Eiuſdem efficaciæ eſt ſecunda demonſtratio, quæ ſupponens apud illum eſſe autoritatem legis ferendæ, qui poteſt facere vt eadem obſeruetur, ſubſumit à ſola vniuerſitate multitudinis illud poſſe fieri. At ego contra ſubſumam veriſsime ab vniuerſitate multitudinis nullo modo id poſſe fieri. Et ſic recte concludam oppoſitum, non propoſitum. Certum eſt enim rectoris & principis illud eſſe officium, non confuſæ multitudinis, quæ regi neceſſario indiget illius imperio, cuius autoritate obſeruatio legum exigitur à ſubditis & punitur tranſgreſsio.

Retorſio rationis in oppoſitum.

Quod tertia ratio aſſumit per vniuerſitatem tantum multitudinis fieri aut inſtitui debere, ex quo optime facto pendet totius vtilitas, ſecus autem detrimentum, eſt euidenter falſum. Quandoquidem ab vniuerſitate multitudinis, vt indicauimus, nihil eiuſmodi poteſt optime fieri. Sed recte aſſumpſiſſet ab illo eiuſmodi fieri, curarique oportere, à quo optime poſſunt fieri. At in omni præſertim magna communitate, hæc optime fieri autoritate principis, vna cum delecti ſenatus ex viris prudentibus & bonis conſilio & conſenſu, docet recta ratio comprobata conſenſu atque vſu omnium pene mortalium ab initio. Per quod etiam quartæ eius demonſtrationi ſatisfactum eſt. Vides itaque lector, in quos fumos euanuerit demonſtrationum hic apparatus, quibus ille fidebat tantopere, quibus demonſtratum vult apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe autoritatem ſerendi humanas leges obligatorias, & demandandi alicui autoritatẽ iuriſdictionis ſuper alios.

Tertiæ demõſtrationis inefficacia.

B

Quarta.

Iam vt vera eſſet maior illa aſſumpta propoſitio, ſubſumptionem tamen aut minorem falſam eſſe libro præcedenti irrefragabiliter demonſtratum eſt. Scilicet, non eſt data Petro atque eius ſucceſſoribus eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus ſuper vllum hominem, vlla iuriſdictionis, vlla præcipiendi, ſtatuendi, aut alios ſub vlla pœna, aut huius, aut futuri ſeculi obligandi autoritas. Et tu profer, ſi potes, vel centum hominum ſocietatem, cuius vel minimo tempore ſine huiuſmodi inter ipſos autoritate conſeruata fuerit vnitas, vbi nemo poteſtatem habet componere exortas (vt homines ſumus) inter nos quæſtiones, rixas, diſcordias, nemo alterius ſit iudicio obnoxius? Quod ſi vel centum hominum ſocietatem abſque ſuperiori inter ipſos etiam coactiua tranſgreſsionum autoritate vel ad modicum tempus conſeruari eſt impoſsibile, quo pacto quiſquam ſanæ mentis adducetur, vt credat ſine autoritate eiuſmodi catholicæ Chriſti eccleſiæ ex nullis non gentibus, nationibus, linguis, populis toto orbe infinita multitudine diffuſis vnitatem ab initio ad conſummationem vſque ſeculorum (vt plane eſt neceſſarium) poſſe conſeruari? Quo pacto in re tam neceſſaria CHRISTVM ſuæ defuiſſe eccleſiæ, cuius vmbræ & figuræ veteri eadem in re conſtat tam fuiſſe prouiſum diligenter? Scilicet, ignorauit æterna Dei ſapientia quod nulli conſideranti materiam, ex qua conſtruenda erat eccleſiaſtici huius ædificij immenſitas, non euidenter videtur neceſſarium, inter membra eccleſiaſtici huius corporis, inter paſtores eccleſiarum (vt homines omnes ſumus) quæſtiones nonnunquam oriri, controuerſias & iurgia. Qui ſi nullius in his eſſent iudicio obnoxij, quis diſsidentes in Chriſtianam vnitatem reduceret? Quis componeret exortas queſtiones & controuerſias? Nunquid videres in Sunamite choros caſtrorum? nunquid Hieruſalem ędificatam velut ciuitatem quamlibet nobiliſsimam, cuius ciues in vnum conueniunt? Et quę hic foret pax atque vnitas in domo eccleſiaſtica, & non potius pluſquam Babylonica, tetra horrendaque confuſio? & non tot pene ſchiſmata, tot ſectę quot capita? Et cuius tandem, ſi diuini legislatoris fuit vox illa ad Petrum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit etiam in cœlis? Illi itaque à legislatore diuino data eſt ſuper nos pręcipiendi & nos obligandi autoritas abſq; vlla exceptione, abſq; reſtrictione, nullo habito reſpectu imperatorum, regum, principum, & nobis omnibus impoſita illi obſequendi neceſsitas.

Demonſtratur minoris falſitas.

A

B

Sed non accepit, inquis, ille coactiuam poteſtatem à Chriſto in pręceptionum ſuarum tranſgreſſores. Credo negarent hoc tibi Ananias cum vxore Saphira, qui ob fraudatam exiguam partem precij ſui agri diuenditi, quod ad pedes apoſtolorum depoſuerant, ad incutiendum terrorem cæteris vita mulctati ſunt, & in ſe experti autoritatis Petri coactiuam aut punitiuam efficaciam. Sed eſto, non acceperit is autoritatem morte aut ſupplicio afficiendi ſuarum & Chri-

A Chriſti præceptionum tranſgreſſores, quam nec patres acceperunt in filiosfamilias, nec præceptores in diſcipulos, nec in ſeruos domini: tamen etiam illi habent in filiosfamilias & diſcipulos, virgas, flagella, & alias coactiones conuenientes & licitas: atq; hi in ſeruos, flagra, compedes, carceres. Itaque & Petro & eccleſiæ Chriſtus tribuit, non ſolum autoritatem mandandi & præcipiendi omnibus, qui in eccleſiaſtica domo ſunt, ipſis obediendi neceſsitate impoſita, ſed etiam poteſtatem abſcindendi ſuis mandatis & præceptionibus contumaciter inobedientes à communione corporis eccleſiaſtici. Quæ pœna Chriſtifidelibus merito omni morte terribilior, magiſque formidanda eſt omnibus armis ſecularium principum, omni eorum coactiua potentia (vbi viget Chriſti religio) delinquentes coercet, frenat & cohibet efficacius. Si, inquit ille, eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Et cui tandem vere Chriſtiano poteſt non eſſe quauis morte terribilius, eſſe velut ethnicum, qui non eſt pars Chriſtianæ eccleſiæ, non amplius contineri in illa arca, extra quam nulli ſalus eſt?

Quam horribilis pœna eccleſiaſticarũ cenſurarum.

B Theodoſius ille Chriſtianiſsimus alioqui imperator, tamen pro humanæ fragilitate naturæ, præcipitis & inconſultæ iracundiæ, præſertim ſi quando iuſta aliqua indignatione accenderetur, cùm Theſſalonicæ orta ſeditione, ex ſuis magiſtratibus aliquot à fureti multitudine ſaxis obruti & indigne tractati eſſent, ipſe furorem furori obijciens in promiſcuam multitudinem immiſſo milite magnam ſtragem edidiſſet, & paulo poſt Mediolanum veniens ad templum de more procederet, à beato Ambroſio tunc Mediolanenſi epiſcopo ſibi occurrenti ante veſtibulum, ingredi libera oratione prohibitus, & reprehenſus de admiſſo ſcelere, excommunicationis vinculo ad condignam vſque ſatisfactionem ſubiectus eſt, iuſſusque euerti in palatium & ferre patienter vinculum, quod ipſe omnium dominus deſuper approbaret. Quibus, inquit ille, verbis motus imperator, vt qui in ſacra educatus doctrina ſciret, quæ ſacerdotum, quæque imperatoris eſſent officia, cum gemitu & lachrymis in regiam reuertitur. Longo autem poſt tempore (octo enim menſes abierant) venerat natalitium ſaluatoris noſtri feſtum, at imperator in regia ſedebat lamentans & lachrymarum impendens ſtillicidia. Quo animaduerſo Ruffinus tunc aulæ magiſter, cuique ob familiaritatem liberius cum imperatore loquendi poteſtas eſſet, accedit

Theodoretus eccleſ. hiſt. lib. 5. cap. 18.

Ambroſii libe..as erga Theodoſium.

Nota exẽplũ religioſiſsimi imperatoris Theodoſii.

& requirit tantarum lachrymarum cauſam, tum imperator acerbe eiulans, & largiter lachrymas profundens: Tu quidem Ruffine, inquit, ludis, meorum enim malorum, ſenſu haud tangeris: Ego vero gemo lamentorque in conſideratione calamitatis meæ, quod cum ſeruis & mendicis pateat diuinum templum, illique libere ad deprecandum dominum ſuum ingrediantur, mihi cum illud inacceſſum, tum inſuper & cœlum occluſum ſit. Memoria enim teneo dominicam vocem, quæ manifeſte dicit: Quemcunque ligaueris in terra, is & in cœlo erit ligatus. Tandem cum Ruffini verbis animatus, & in ſpem adductus impetrandæ abſolutionis ab Ambroſio, præmiſſum illum ad exorandum epiſcopum oratorem ipſe ſubſequeretur, nec poſſet à Ruffino flecti Ambroſius, cum perueniſſet, inquit, ad ſepta ſacra, ipſe quidem templum ingredi non præſumpſit, ſed accedens ad pontificem in ędicula ſalutatoria ſedẽtem, prouolutus ad eius genua obſecrat vt ſe vinculis abſoluat. At Ambroſio tyrãnicum dicente aduentum eius, vt qui vim videretur inferre diuinis legibus, & abſolutionem ab anathemate, ſine legitima ſatisfactione, imperiali quodammodo faſtu extorquere: Ego, inquit, contra legum ſanctiones minime me effero, neq; contẽdo inique ſacra intrare veſtibula: ſed te oro, vt vinculis me exoluas, vtq; tibi in mentem veniat communis domini clementia, neu ianuam mihi occludas, quam omnibus qui pœnitudine ducerentur, ipſe dominus aperuit. Contra vero percontante pontifice, quam condignam pœnitentiam oſtendiſſet poſt tantum admiſſum ſcelus, qua medicina curaſſet grauiſsima illa vulnera, reſpondenteque imperatore ipſius eſſe medicinam temperare, qua vulnera illa ſua poſſent curari, ſuum vero eadẽ vti: tandem exegit Ambroſius, vt legem de dilatione vindictæ ſcriberet, qua iracundiæ ſuffragia irrita redderentur. Et ita demum ab excommunicatione ſolutus & templum ingreſſus, nec ſtans, nec genibus flexis ſupplicabat domino: ſed pronus humi proſtratus, Dauidicã vocem emittebat: Adglutinata eſt pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum domine, manibus capillum vellens, & frontem percutiens, ac guttis fidelium lachrymarum pauimentum irrigans, dari ſibi veniã petebat. Audis impie, audis hoſtis autoritatis eccleſiaſticæ, eiuſdem vim coactiuam ſuper reges & principes quæ nullo negocio, ſine vllo tumultu, abſq; ſeditione, bello aut concuſsione reip. ſibi

Humilitas & pœnitentia Theodoſii

B

Hinc perpende autoritatis eccleſiaſtica coa-

A illatam replicantes: Hæc, inquiunt, dum ſola vitæ temporalis detrimenta, dum ſolam famæ & exiſtimationis labem minitarentur, tametſi viris ſerenda non eſſent, tulimus tamẽ, ne contra iuſiurandum, quo tenebamur, præcipitanter impudenterque venire videremur, & dum gloriç conſulere conaremur, animarum noſtrarum naufragium pateremur. Nunc vero cum ab eccleſiæ corpore propter flagitia ſua apoſtolici anathematis mucrone præciſus ſit, cum ei communicare ſine communionis eccleſiaſticæ damno & fidei iactura non poſsimus, cum fidem noſtram multis apud eum ſacramentis implicitam Romanus pontifex apoſtolica autoritate explicuerit, extremæ profecto demen tiæ foret diuinitus oblatam ſalutis occaſionem, non obuijs (vt dici ſolet) manibus excipere. Breuiter reſpondent immobiliter ſe fixum animo tenere, vt abſque vlla dilatione virum ſibi prouiderent, qui præcedat, inquiunt, nos & prælietur bellum domini ad expugnandam & deſtruendam omnem cuiuſcunque hominis altitudinem, eleuantem & extollentem ſe aduerſus iuſtitiam & veritatem dei, & ſanctæ Rom. eccleſiæ autoritatem. Hæc tum erat procerum & electorum imperij ad oratores regis reſponſio, quam tamen maturiori deinceps conſilio temperantes & ſane perpendentes alterius electioni nondum eſſe locum, donec ille legitimo iudicio non eſſet priuatus imperio, die inſequenti ſuos ad regem deſtinarunt, qui ei dicerent, tametſi nec in pace, nec in bello vlla iuſtitiæ aut legum ipſi cura ſuiſſet, ſe tamen legibus cum eo velle agere. Et quamuis crimina, quæ illi obijcerentur, omnibus conſtarent luce clariora, ſe tamen rem integram Rom. pontificis cognitioni reſeruare. Acturos ſe cum eo, vt in die purificationis S. Mariæ Auguſtam occurrat, ibique celeberrimo totius regni principum conuentu habito, diſcuſsis vtrinque partium allegationibus ipſe ſuo iudicio, vel addicat, vel abſoluat accuſatum. Quod ſi ante diem anniuerſarium excommunicationis ſuæ, ſuo præſertim vitio non abſoluatur, abſque retractatione in perpetuũ cauſa ceciderit. Nec legibus deinceps regnũ repetere poſsit, quod legibus vltra adminiſtrare annuam paſſus excommunicationem non poſsit. Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Rom. pontifici per omnia ſubditum ſe dicto obtemperantem fore polliceatur, hinc ſe experimentum capturos, ſi omnes, quos ille excommunicauit, extemplo à conuictu & contubernio ſuo amoueat. Ipſe in vrbem

Hinc nota quale ex cõfeſsione imperij ſit noſtrorum imperatorum officium.

B

Annuam excommunicationem paſſus ipſo facto priuatus regno & imperio.

Spiren. dimiſſo exercitu ſecedat, ibiq́; ſolo C Verdunenſi epiſcopo, paucíſque miniſtris, quos tamen ſententia principum ab hac excommunicatione integros incorruptóſque probauerit, contentus priuatam interim vitam agat, eccleſiam non ingrediens, nihil circa publica negocia ſuo iure diſponens, nullam regij apparatus pompam, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi iuxta ſolitum adhibẽs, vſque ad ſynodicam ſuæ cauſæ examinationem. Preterea ciuitatem Vuormatien. quam expulſo epiſcopo, diſsipato cœleſtis militiæ ſanctuario, arcem belli, ſpeluncamq́; latronũ fecerat, abducto præſidio epiſcopo Vuormatienſi reſtituat, datis inſuper ſacramentis & obſidibus, ne quid deinceps rebellionis aut inſidiarum à ciuibus timere debeat. Porro ſi quid horum præuaricaretur, tum ſe omni culpa, omni iuriſiurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato vlterius Rom. pontificis iudicio, quid reipublicæ expediat communi conſilio viſuros. Qua neceſsitate coactus rex, qui ſuas omnes ſpes, omnesq́; copias in arctum coactas videbat, gratulatus ſibi, quod aliqua quantumuis fœda conditione vrgentem ad præſens calamitatem declinaſſet, promptiſsime per omnia obedientiam pollicetur, ſtatimq́; epiſcopos & principes aliquot excommunicatos, quorum ante hac opera conſilijsq́; gra D tiſsime vtebatur, omnes caſtris egredi iubet. Vuormatiam abducto illinc militari præſidio epiſcopo reſtituit. Ipſe dimiſſo exercitu iuxta conditũ cum paucis Spiram contendit, ibiq́ue intra terminos & leges, quas preſcripſerant principes, aliquanto tem pore vitam moreſq́; mediocriter cohibebat. Principes vero confeſtim legatos Romam deſtinarunt, qui papam omnem rei geſtæ ordinem edocerent, enixeq́; flagitarent, vt ſedandis per Germaniam tantis bellorum ciuilium tempeſtatibus, ipſe ſtatuta die ſuam non dedignaretur præſtare præſentiam. Rex etiam certo ſciens omnem in eo ſuam verti ſalutem, ſi ante anniuerſarium diem excommunicatione abſolueretur, nec ſatis tutum ſuis rationibus exiſtimans, vt expectato intra Germanias Romani pontificis aduentu ſic infenſo iudici, ſic obſtinatis accuſatoribus, ſuam cauſam ventilandam addiceret, optimum ſibi factu indicauit, vt in Germanias proficiſcenti pontifici intra Italiam occurreret, & anathematis abſolutionem quoquo poſſet modo impetrare conaretur. Hac impetrata, cæteram rebus difficultatem facilè adimendam, cum colloqui principibus, & conferre conſilia, fidemq́ue amicorum in

Pontifex à principibus accerſitur in Germaniam arbiter & iudex ſedandis regni tumultibus.

A aduerſis implorare nulla deinceps vetaret religio. Igitur media hyeme paucis ante natalem domini diebus Spira diſcedens, cum vxore & paruulo filio iter aggreſſus eſt. Similiter quoque & cæteri excommunicati obtinendæ citius abſolutionis ſtudio ardentiſsimè iter accelerabant in Italiam, nec tamē in ſocietatem itineris regem admittere, Romani pontificis metu abſterriti patiebantur. Superatis à rege cæteris itineris difficultatibus hyeme aſperrima, montes per quos tranſitus erat in immenſum porrecti, & mole niuium, glacialique frigore obrigentes, per lubricum præcipitemque deſcenſum, nec equitis nec peditis greſſum ſine periculo admittebant, & è diuerſo vrgebat anniuerſarius excommunicationis dies è vicino imminens, nec vllas accelerandi itineris moras patiebatur. Itaque omni conatu, arte, ingenio, opera quoque & manibus conductorum ad hoc indigenarum viribus euincêtes pericula, vix tandem cum graui ſalutis ſuæ periculo, ad campeſtria Italiæ peruenerunt. Pontifex interea rogatus à Germaniæ principibus, vt in purificatione S. Mariæ ad diſcutiendam cauſam regis Auguſtæ occurreret, Roma egreſſus & quantum poterat profectionem accelerans, vt ſtatuto die præſto

Rex media atque aſperrima hyeme contendit in Italiam obtinendæ abſolutionis gratia.

B eſſet, ex inſperato audiens regem iam eſſe intra Italiam, Canuſium diuertit, illic ſubſiſtens donec conſilium aduentus eius certius exploraret, vtrum ſcilicet veniam commiſſorum poſtularet, an vero excommunicationis velut iniuriā militari manu perſequi veniret. Quo regem præuenerunt cæteri excommunicati epiſcopi & ſeculares principes, quos rex extrema neceſsitate compulſus à latere ſuo amouerat, & veniam præſumptæ rebellionis, atque vt excommunicatione ſoluerentur, nudis pedibus, laneiſque ad carnem induti ſupplices poſtulabant. Pontifex his qui veraciter peccatum ſuum agnoſcerent & deflerent, non eſſe aiebat miſericordiam denegandam: ſed longam inobedientiam & diu incretam peccati rubiginem diuturnioris pœnitentiæ igne exuri & excoqui oportere. Quapropter ſi eos reuera facti pœniteret, æquo animo paterentur quodcunque ſanandis vulneribus eorum adhiberet eccleſiaſticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ, culpa quæ aduerſus ſedem apoſtolicam, & diſciplinam eccleſiaſticam atrox & vehemens præſumpta fuiſſet, vel parua, vel nulla videretur. Illis paratos ſe profitentibus ad omnia quæ impoſuiſſet ſufferenda, epiſcopos omnes à ſe inuicem ſeparatos præcepit ſingulis cellis ſolitarios includi, nec vllum cum aliquo habere colloquium: ad veſperam autem cibi & potus mediocri menſura refici. Laicis quoq; pro ætatis & virium conſideratione ſingulis congruentem pœnitentiam indixit. Ita per aliquot dies examinatos tandem ad ſe vocauit, & leniter pro admiſsis obiurgatos, & ne quid ſimile deinceps admitterent commonitos à vinculo excommunicationis abſoluit. Interea & rex per Mechtildem Comitiſs. aditum tentabat ad pontificis gratiam, cū qua ex primis Italiæ principibus, quorum autoritatem magni apud eum momenti eſſe non ambigebat, obſecratum miſit, vt excommunicationis vinculo abſolueretur, nec principibus Theutonicis, qui ad accuſandum eum ſtimulo inuidię magis quàm zelo iuſtitiæ exarſiſſent, temere fides haberetur. Quibus auditis cum papa cauſam hanc vniuerſam reijceret in diem ſtatutum Auguſtæ & ſuaderet, vt illic vna cūm regni principibus fiducialiter occurreret, ſi ſuæ cōfideret innocētię: ſe enim illic diſcuſſis vtrarunq; partiū allegationibus, nec odio nec gratia deuoluendūad iniuriā, ſed iuxta eccleſiaſticas leges quàm rectiſsimā poſsit de ſingulis ſententiam laturum eſſe. Et illi contra inſtarent, regem illius iudicium nuſquam terrarum ſubterfugere, vt quem ſciat æqui-

C

Rex quibus interceſſoribus tentabat aditum ad pontificis gratiam.

D tatis & innocentiæ incorruptiſsimum vindicem: ſed è vicino iam vrgere diem anniuerſarium quo excommunicatus fuiſſet, & principes regni hac occaſione ſuſpenſos, attentoſque anxiè rei euentum præſtolari, vt ſi ante hūc diem excommunicatione non abſoluatur, deinceps iuxta palatinas leges indignus regio honore habeatur, nec vltra pro aſſerenda innocentia ſua audientiam mereatur: proinde obnoxius ſupplicare, & hoc omni quo papa iubeat ſatisfactionis genere paratum emereri, vt ſolo interim anathemate abſoluatur, & eccleſiaſticæ communionis gratiā recipiat, reſponſurus ex integro quacunque die, quocunq; loco papa præcipiat (tanquam nihil hac conuentione actum ſit) omnibus quæ accuſatores eius obieciſſent criminibus, & iuxta ſententiam eius, vel retenturus regnum ſi obiecta purgaſſet, vel æquo animo, ſi cauſa cecidiſſet, amiſſurus. Pōtifex id quod poſt accidit veritus, tamen ſuperatus importunitate perurgentium, vix tādem exoratus annuit, vt veniret cominus, & ſi veram pro admiſsis pœnitētiam gereret, culpam, quam apoſtolicæ ſedi contumeliam irrogando contraxerat, ſedis apoſtolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit itaq; vt iuſſum fuerat, & cum caſtellum il

Quantum in ... excommunicationis.

Nota regnum tenentem.

lud

A *Pœnitentia regis.* Ind triplici muro ſeptum eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtentās pompaticum, nudis pedibus, ieiunus à mane ad veſperam perſtabat Romani pontificis ſententiam præſtolando: hoc ſecundo, hoc tertio die ſecit, quarto demum die in conſpectum eius admiſſus, his tandem conditionibus excommunicatione abſolutus eſt, vt loco & tempore quæcunq; papa deſignaſſet, euocatis ad generale concilium Theutonicis principibus præſto eſſet, & accuſationib. quæ intenderentur, reſponderet, ipſo papa, ſi ita videretur, cognitore cauſarum aſsidéte, & ad eius ſententiam, vel retineret regnum, ſi obiecta purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus, regio deinceps honore indignus iuxta eccleſiaſticas leges decerneretur, nullam ſiue retento, ſiue amiſſo regno, huius iniuriæ vindictam à quoquam hominum in perpetuum exacturus. Vſq; ad eum autem diem, quo cauſa eius legitime diſcuſſa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi adhiberet, nihil circa rerumpublicarum adminiſtrationem, iuxta conſuetudinem ſuo iure ageret, nihil quod ratum ſore oporteat
B decerneret: poſtremo præter regalium ſeruitiorum exactionem, quibus ipſe & ſui neceſſario ſuſtentandi forent, nihil regium, nihil publicum vſurparet. Omnes etiam, qui ei ſub iureiurando fidem dixiſſent, ab huius ſacramenti vinculo & conſeruandæ erga eum fidei debito, apud Deum & homines interim liberi, expeditique manerent. Rutbertum Bambergen. epiſcopum, & Vldaricum de Cosheim, & cæteros quorum conſilijs ſe rempublicamque perdidiſſet, à ſua in perpetuum familiaritate amoueret. Quod ſi purgatis quæ obijcerentur potens, confortatuſque in regno perſtitiſſet, ſubditus Romano pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret, & ad corrigenda quæcunque in regno eius contra eccleſiaſticas leges praua conſuetudine inoleuiſſent, conſentiens ei & pro virili portione cooperator exiſteret. Ad vltimum ſi quid horum præuaricaretur, irritam fore hanc (quæ nunc tantopere expetita ſit) anathematis abſolutionem: quin imo iam pro conuicto confeſſoque habendum eſſe, nec vltra pro aſſerenda innocentia ſua audientiam impetraturum, principeſque regni omni deinceps quæſtione, cuncta iuriſiurandi religione liberatos, regem alium in quem communis conſenſiſſet electio, creaturos eſſe. Rex gratanter accepit conditiones, & ſer-

C uaturum ſe omnia, quàm ſanctiſsimis poterat aſſertionibus, promittebat, atq; etiam ſeptima manu adhibitis ſanctorum reliquijs iurabat, atq; hoc pacto ab excommunicatione abſolui meruit.

Hæc ex iuratiſsimis illorum temporũ ſcriptoribus, tam Germanis, quàm Italis aliquanto recollecta diligentius & coacta in compẽdium hic libuit adſcribere, tametſi pro re & argumento aliquanto fortè prolixius, tamen ex quibus eſt euidenter cernere Chriſtum non deſtituiſſe Petrum & ſucceſſores eius eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides, autoritate iuriſdictionis etiam coactiua in vniuerſam familiam eccleſiaſticam, etiam in principes, reges, imperatores, & quotquot demum membra ſunt eccleſiaſtici corporis. Vtque vniuerſa ciuilis quæ inter nos eſt autoritas, ſubiecta & ſit & fuerit autoritati & iudicio eccleſiaſticæ hierarchiæ principis. Quam longe efficaciorem & formidabiliorem (conſtante videlicet inter nos religione Chriſtiana) inſe experiebantur omni gladio ancipiti, omni armata potentia, & nulla alioqui vi, nullis armis expugnabiles tyrannos & principes, ſubijcientem ſibi, & ad terram vſque humiliantem. Cuius quod
D nunc languidiòr vis ſentitur & parum efficax, alia nulla cauſa eſt, quàm ſublatæ & extinctæ inter nos Chriſtianæ religionis & fidei, quæ quantum vbicunque viget, tantundem viget eccleſiaſtici gladij autoritas. *Quæ cauſa, cur nunc languidior ſit autoritas eccleſiaſtica.* Tanto ille terrori cuique eſt, quantum credit Chriſto, qui contumaciter inobedientes eccleſiæ aut eius præſidi, illo præcidi affirmat ab vnitate eccleſiaſtici corporis, extra quam nulli ſalus, ſed omnibus cœlum clauſum eſt. Sed quid tibi ex enarrata iam Henrici videtur tragœdia? Nunquid non vides intellexiſſe imperium, cui delinquentem grauiter & enormiter ſuum principem denunciare oporteret? cuius ſubeſſe iudicio & imperio? cuius autoritate & ſententia accuſatus aut retinere, aut amittere deberet imperium? *Perpende recognitionem imperij.* Tametſi (inquiunt) obiecta illa crimina luce ſint clariora, ſe tamen legibus cum eo velle agere, & rem integram Romani pontificis cognitioni reſeruare, vt totius regni celeberrimo conuentu ipſe cognitor cauſæ ſedeat, ipſe ſuo iudicio vel abſoluat, vel addicat accuſatum. Vides quo pacto à ſubditis cum ſuo principe agendum ſit legibus. Vides iudicem principum, regum & imperatorum, vides ad quem pertineat eos abſoluere aut addicere. Cuius autoritate amittere aut retinere regna & imperia, idque conſona confeſſione & vnanimi ſententia omnium im-

A perij optimatum & procerum, atque adeo ipſius etiam imperatoris & principis. Audis inſuper leges palatinas, ſecundum quas annuam excommunicationē paſſus vltra adminiſtrare non poſsit regnum aut imperium. Vides denique vim coactiuam autoritatis & gladij eccleſiaſtici, vt nulla vi, nullo negocio, nullo tumultu, principalem illam autoritatem in ordinem redegerit? quantum ſe demittere ac humiliare coegerit? vt depoſito omni cultu regio, nec in conſpectum admiſſus pontificis, quatriduo nudis pedibus, & ieiunijs à mane ad veſperam humiliter expectare eius ſententiam? quas illi impoſitas conditiones gratanter acceptare? Et adhuc negas Romano pontifici in vllum hominem competere ſuperiorem iuriſdictionis autoritatem, quæ aliquam coactionem habeat?

Cauillo impiorum remota.

Sed illi, inquis, ſimplices & ſtolidi, nec ſuam autoritatem ſatis intelligentes, nimium ſubmittendo ſe ſacerdotibus regnum perdiderunt & imperium. Ego vero nihil minus apud illos fuiſſe dignitatis, autoritatis & ſapientiæ, quam apud hos noſtros inuenio. Imo tanto hæc omnia apud illos potiora, quanto potior apud eoſdem vigebat Chriſtiana religio: quam à ceruicibus excutere volentes noſtri, & eccleſiæ Chriſti detrectan-
B tes obedientiam debitam, ſimul omnem etiam in ſuos autoritatem, & illorum mutuam obedientiam amiſerunt. Cuius recuperandæ haud alia certior via eſt, quam reſtituta in ſuum locum & vigorem religione, quæ omnibus armis efficacius homines liberos continet in officio, eccleſiæ atque eius capiti debitum honorem, reuerentiam & obedientiam diligenter & ſollicite deferamus. Ita & nobis à ſubditis iuſta dei ordinatione ac prouidentia deferetur viciſsim debita obedientia & reuerentia. Et in eccleſiaſtica domo omnibus ſibi ſubordinatis atque in eundem finem feliciter tendentibus officijs & magiſtratibus, vere conſeruabitur vnitas, pax & concordia.

Vera via reſtituendæ & conſeruandæ pacis & vnitatis in domo eccleſiaſtica.

Clarius oſtenditur, ad quē pertineat correctio delinquentiū principum in eccleſia.

Sed libet hic iterum percontari hominem quid velit, vt illi ſit liberum pro arbitrio fingere. An nullam eſſe autoritatem in eccleſia, quæ enormiter peccantes reges, imperatores, principes & tyrannice opprimentes ſuos ſubditos, poſsit corrigere & punire coactiua quadam potentia? Sed nolle illum hoc XVIII. primæ ſuæ dictionis conteſtatus eſt, præſertim ſi peccent enormiter, ne ſi omnia ipſis impune liceant, vertantur in tyrannidem, atque adeo beluinam quandam truculentiam. Hoc itaque quando inter nos conuenit, illud conueniat neceſſe eſt: pro-
C uideri oportere, vt correctio eiuſmodi fiat ſine grauiori nocumento communitatis aut reipublicæ, cui præſident, corrigendæ. Iam cogitet quilibet à quo aut velit reges, imperatores & principes, qui nullum ſupra ſe recognoſcunt magiſtratum eiuſdem, enormiter delinquētes corrigi. Certe à ſubiecta multitudine & ſubditis vtiliter hoc ipſum fieri non poſſe, non ſolum euidens ratio, ſed etiam omnium ab initio regnorum & monarchiarum hiſtoria comprobat, & ſemper ceſsiſſe infeliciſsime, quoties eiuſmodi aliquid à multitudine præſumptum aut tentatum eſt. Habet enim princeps ſibi obæratam & obſequentem in quiduis manum militarem, quam facillime immitteret in multitudinis vt ipſe diceret ſeditioſæ & rebellis excidium. Deinde coerctionem ſeu correctionem eiuſmodi principis neceſſe eſt ordinem iudiciarium præcedere, vt ante accuſetur & conuincatur de crimine, deinde condemnetur legitime. Multa enim ſuperiorum facta aliter æſtimantur à ſubditis, quam ad rectam rationem diſcuſſa æſtimari oportet. Sed vniuerſitas multitudinis eiuſmodi actibus iudicialibus aduerſus ſuum principē neutiquam eſt idonea. Quo enim modo inuito principe ad eiuſmodi conuenire poterit? Quomodo eiuſmodi actus iudiciales & coactiuos ſuper ipſum exercere? D

Subiectam multitudinē non eſſe idoneam corrigendis delinquentibus ſuis principibus.

Ita equidem eſt, ſine principe aliquo proſſus non poſſe communitatem aut rempublicam ſubſiſtere: eiuſq; felicitatem ex bonitate principis maxima parte pendere ad commune bonum intendentis præcipuè. Attamen quia homines ſunt etiam principes, etiam in malum procliui vt cæteri, & licentia, atq; aliquando quodam etiam rerum ita ipſos trahentium ac tranſuerſum rapientium impetu, ſæpenumero deteriores cæteris, & legitimam dominationem haud raro conuertentes in tyrannidem, nec principatum ꝓpterea abolere oportet, nec ſubijcere ſubiectæ multitudini, quod omnem vigorem ſolueret reipublicæ, ſed omnes vni ſupremę in eccleſia autoritati, quæ ſola legitimam in omnes iuriſdictionem exercens, nullius alterius quàm vnius Dei ſit ſubiecta iudicio. Qua in re nobis quam ethnicis longè felicius prouiſum eſt à Chriſto, cum principes omnes noſtri, quatenus membra ſunt & pars Chriſtianæ eccleſiæ, ſubſint etiam eccleſiaſticæ hierarchiæ principi, cui denunciari facilè poterunt, qui etiam (vt lege diuina ſunt) facilè cogit ſuo eſſe iudicio obnoxios & obedientes, ſi modo nos Chriſtiani ſimus. At ethnicis nullum ferè aliud patet remedium ad-

Omnes in eccleſia principes vni ſupremæ autoritati ſubiecti.

A aduerſus truculentam tyrannidem ſuorum principum, quàm ſi ab vno aut altero aliquo generoſo ſpiritu, quemcunque fortè commouerit indignitas & iniuria ſeu priuata ſeu publica, manu in libertatem reſpublica vendicata fuerit: vt penè factum videmus in tyrannicidijs, cum ſuperiori nulli autoritati ſubijciantur, quæ legitimam in illos exercere poſſit autoritatem iudiciariam. Certè in Lateranenſi vniuerſali concilio ſanè celeberrimo, quod ſub Innocentio tertio celebratum eſt, cuique interfuere Hieroſolymitanus & Conſtantinopolitanus patriarchæ, Metropolitani LXX. epiſcopi CCCCXII. inferioris ordinis prælati eccleſiaſtici DCCC. regum vero Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieruſalem & Cypri oratores. In hoc, inquam, concilio ex omnium patrum, atque adeo totius concilij ſententia decretum eſt, aut potius ex forma hierarchiæ Chriſtianæ eccleſiæ ita fieri oportere ab omnibus recognitum, vt quoties Chriſtiani orbis principes, qui nullum alium ſupra ſe ſuperiorem recognoſcerent, delinquerent alter in alterum, aut in ſuos ſubditos, correctionem eorum ad Romanum pertinere pontificem. Et hactenus quidem falſitatem opinionis prædictæ, & demonſtrationis, B qua eadem adſtruere nititur, inefficaciam ſatis ſuperq; demonſtrauimus.

An Chriſtus negando regnum ſuum eſſe de hoc mundo, quin & illud vltro oblatum fugiendo recuſandoque, cum ad hoc interpellaretur, iudicium exercere ſuper diſſidentes fratres, quin potius ſeipſum ſubmittendo iudicio præſidis, interdixerit ſuis huius mundi magiſtratus gerere, iudiciariam autoritatem ſuper alios exercere, ſubiecerit que ſacerdotium principibus ſeculi.

CAP. III.

Scripturas facile applicari impiæ cuiuis ſententiæ.

SVpra indicauimus ſcripturas facilè trahi quocunque, & velut plumbeam quandam regulam haud difficulter applicari impiæ cuiuis ſententiæ, contra germanam ſuam ſententiam: niſi quis ipſis inflexibilem illam ſuam rectæ earundem intelligentiæ amuſsim) quam libro primo demonſtrauimus (adhibeat. Hinc natas tot hæreſes, tot opinionum portenta ex ſcripturis, ſed ſuo, non eccleſiæ catholicæ ſenſu intellectis ab hæreticis.

Itaque cum ille hoſtis Chriſti eccleſiæ eius autoritatem oppugnet ex ſcripturis euangelicis & apoſtolicis, earundem primum C ex illis ipſis, deinde ex adhibita eiſdem ſua illa amuſsi verus germanuſque ſenſus explicandus eſt, & detrahenda ouina vellera lupinæ feritati quę ſub eis latitat, prodendumque lethale venenum quod propinatur incautis ſub aromate eloquiorum cœleſtium. Ita enim lethalibus illis ſuis armis exarmata impietas, ſimplicibus obeſſe non poterit.

Conatur ille, vt audiſti, demonſtrare Chriſtum non veniſſe in mundum dominari hominibus, nec ipſos iudicare coactiuo illo iudicio, neque etiam principari temporaliter, ſed magis ſubijci principibus ſeculi. In primis ex eo hoc comprobans, quod coram Pontio Pilato Romani principis per Iudæam vicario, ſuum regnum negauerit eſſe de hoc mundo, hoc eſt, non veniſſe regnare temporali dominio, & quomodo regnant mundi principes. Illud ipſum multis prolixe confirmans ſanctorum autoritatibus & ſententijs, quaſi hoc quiſquam negauerit. Qua equidem in re mirari ſatis non poſſumus huius hominis obcæcatæ mentis odio in eccleſiam, impietatem, atque impiam cæcitatem, qua furioſorum more, quicquid inciderit, ſine delectu arripit, vertit in tela, & cōijcit in eos, quos inſequitur. Quid enim obſecro aduerſus nos atque ea quæ adſtruximus facit, quod Chriſtus non venerit regnare temporali dominio? Quis vnquam hoc Chriſtianus affirmauit, quod nemo ignorat & verbo & opere negaſſe Chriſtum? Neque enim venit, vt eſſet præſes prouinciæ, proconſul, prætor, rex, imperator, aut vt eiuſmodi aliquem magiſtratum inter homines gereret. Indignum enim hoc Dei filio, vt ob eiuſmodi è ſinu patris deſcendens humanam naturam aſſumeret, & in mundum veniret, quis negat? venit enim vt peccatores ſaluos faceret, vt vniuerſum humanum genus à ſeruitute myſtici illius Pharaonis, è faucibus diaboli, à morte æterna, cui erat obnoxium, liberaret ac redimeret, & regni cœleſtis, vnde protoplaſti præuaricatione excideramus, filios, cohæredes, & ciues efficeret, & regnum quoddam aliud hic cōſtitueret in terris (hoc eſt, catholicam ſuam eccleſiam) in quo ſibi ſeruientes, perduceremur ad illud cœleſte. Et hoc ipſum, vt profundiſsima ſui humiliatione, vt fame, ſiti, laboribus, vt acerbiſsima & ignominioſiſsima eius morte fieret ab æterno diſpoſuit æterna Dei ſapientia. Ita nobis conteſtatum faciens, quantum illud qualeque eſſet, propter quod incom-

Ad quod Chriſtus in mundum venerit.

Modus aduentus redemptionis noſtræ myſterio continens.

D

A

benſibilis illa maieſtas, ad tam humilia ſe demitteret, propter quod vix patienda cuiquam ſuſtineret, noſque excitaret à ſomno, atque adeo lethargo quo tenebamur oppreſsi, ad hoc ipſum, vt ad rem maximi momenti, attentos, diligentes, ſollicitoſque redderet, nec illius reſpectu quæcunque huius mundi aut proſpera aut aduerſa, vel tantilli facere doceret. Quid deinde? Non venit Chriſtus vt hic inter nos huius ſeculi more eſſet prętor, conſul, rex, imperator, ergo diſcipulis ſuis omnibus interdixit eiuſmodi magiſtratuum officia? Non venit hic temporaliter regnare aut imperare, nec impedire, aut ſibi vendicare huius mundi dominationem, vt Auguſtinus & catholica fides palam confitetur, non priuare mundum ſua illa prouidentia & prælatione, vt Chryſoſtomus, ſed nouum & ſpiritale ſibi regnum conquirere, ſpiritale, inquam, propter bonum videlicet & ſalutem ſpiritus, vt regna mundi ſunt propter bona externa & corporis. Cuius voce hoc dictum eſt apud Ioannem: Dignus es domine accipere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es & redemiſti nos deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus, ſuper terram. Hoc ipſum tamen ſuum regnum, etiam diligentiſsime cõſtituto ordine, ſub vno eius rectore ac paſtore Petro, atque eius ſucceſſoribus (vt ſupra clariſsime demonſtrauimus) diſpoſuit. In hoc ipſum etiam huius mundi principatus & magiſtratus introducit voluit, & ad regni illius ſui bonum, vtilitatem, finem, omnia eorum officia ordinari ac dirigi, omnes ſubeſſe eiuſdem à ſe conſtituto paſtori ac præſidi, cui autoritatem dedit omnium, qui ad hoc ſuum regnum pertinent, obligatoriam: atque eidem omnes ſine exceptione, magiſtratus, reges & imperatores obedire præcepit, eos tamen qui ſui illius regni vellent eſſe participes, atq; eidem vltro ſe ſubieciſſent. Vltroneos enim & ſpontaneos tantum ſeruos admittit Chriſtus. Qui enim extra hoc Chriſti regnum permanent, vt non obligantur legibus eiuſdem, & autoritate illa principali, qua gubernatur & in finem ſuum dirigitur, ita nec ipſum eius finem poſſunt aſſequi, hoc eſt, ipſum regnum cœleſte. Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi (vt huic Chriſti regno, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ ſub nomine Hieruſalem propheta loquitur) peribit. Non interdixit ſuis huius mundi magiſtratibus, principatibus, imperijs, ſed voluit vt ſeruirent, vt ſubeſſent, non dominarentur ſuæ eccleſiæ, cuius vt pars ſunt & membra quædam præcipua: ita neceſſe eſt, vt eccleſiaſticis legibus pareant, vt ſubſint & obediant capiti hierarchiæ eccleſiaſticæ, cui mandata eſt totius cura & gubernatio, poſtquam illud Apocalypſis impletum eſt, quod ſeptimus angelus tuba cecinit: Factum eſt, inquit, regnum huius mundi domini & Chriſti eius.

Regnũ Chriſti catholica eccleſia.

Apocal 5.

B

Omnes principatus & magiſtrat⁹, qui in regno Chriſti ſunt, ſubeſſe eiuſdem paſtori ac præſidi.

C

Quod vero dicit ille etiam ipſum Chriſtum non facto ſolum, ſed iure ſubſuiſſe iuriſdictioni Pilati, vicarij Cæſaris, quodque iuſtam ille habuiſſet condemnationis eius cauſam, ſi ſe regem confeſſus fuiſſet Iudæorum more huius ſeculi, multa hic falſa congerit, quæ tamen ſi darentur, nihil aduerſum nos facerent.

Inprimis hoc mihi reſpondeat quiſquam, qua autoritate Pilato competijt, non ſolum in Chriſtum, ſed in vnumquemlibet alium è plebe Iudæorum Hieroſolymæ, ordinaria illa & legitima iuriſdictionis autoritas. Dices, ex commiſsione Cæſaris Romani imperatoris. Cæſari vero vnde aut qua autoritate, ſeu in Romanam rempublicam, ſeu in Iudæos competijt eiuſmodi iuriſdictionis autoritas? nunquid ex commiſsione legiſlatoris diuini aut humani (vt tu loqueris) hoc eſt, vniuerſitatis eorum quibus ſuperintendebat eiuſmodi autoritas? Sed iure belli inquies. Ad hoc enim neceſſe eſt vt confugias, cum certum ſit ipſos vi & armis, cum nihil ad ipſos pertineret, antea proſcriptis & interfectis optimatibus ciuium, id ſibi vſurpaſſe in inuitos. Nihil ne igitur intereſt, iuſtone, an iniuſto bello quis quem deuicerit, vt in legitimam ſeruitutem redigat? Si nihil, ergo vniuerſum hoc ius armis eſt, in vi, vſurpatione & potentia. Si iuſto tantum bello deuicti ſubijciuntur victoribus, quis hic iudex iuſti & iniuſti erit? Et quæ tandem Cęſari in Romanam rempublicam, cui erat ſubditus, iuſta belli cauſa eſſe potuit? quæ in conciues, viros optimos & ſe meliores? quæ vt in rempublicam conuerteret, ſibi tanquam ciui credita arma reipublicæ? vt conciues ſuos interimeret, proſcriberet, & ſui ſeruituti ſubijceret? Vt tamẽ hic quiſquam fingat Cæſaribus quacunque ratione legitimam autoritatem competijſſe in Romanam rempublicam, certum tamen eſt, nec illis, nec Romanæ reipublicæ legitimam vllam autoritatem competijſſe in regnum Iudęorum, in quod diſsidentibus inter ſe Ariſtobulo & Hircano Alexandri pontificis & legitimi Iudæorum regis filijs, de principatu & imperio contra ius, fas & publicam

D

A cam fidem Pompeius Romani populi nomine, per eam occaſionem ſe perfide ingeſsit, Iudæamq́; cum exercitu ingreſſus Hieroſolymam cepit, templum domini prophanauit, & ad ſancta ſanctorum, quo non niſi ſummis ſacerdotibus ſemel in anno ſecundum legē patebat aditus, temerarius prophanator acceſsit, confirmatoq́; Hircani pontificatu regnum ſibi, hoc eſt, Romano populo vſurpauit, & in poteſtatē eorum redegit, fecitq́; tributarium, quod ad illos Alexandri filios legitimo iure ex ſucceſsione ſpectaſſe, docet ſacra Machabæorum hiſtoria. Ipſis ſiquidem Machabæis & eorum ſucceſſoribus in Simone lege perpetua, ex communi tam ſacerdotum, quàm vniuerſi populi Iudæorum conſenſu & decreto delatū fuiſſe vna cum ſummo ſacerdotio, etiam regni ipſius Iudaici ſceptra & gubernacula, donec, inquit, ſurgat propheta fidelis, & vt ſit ſuper eos dux, & vt cura eſſet illi pro ſanctis, & vt conſtitueret præpoſitos ſuper opera eorū, & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia, vtq́; illi obediatur ab omnibus & ſcribantur in nomine eius omnes conſcriptiones in regione, & vt operiatur purpura & auro. Et ne liceat vlli ex populo aut ex ſacerdotibus irritum ſacere aliquod horum, & contradicere his quę

Regnum Iudæorum legitimo iure per tinuiſſe ad Machabæi filios.

Macha. 14.

B ab eo dicuntur, aut conuocare conuentum in regione ſine ipſo, & veſtiri purpura, & vti fibula aurea. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquod horum, reus erit. Et cōplacuit omni populo ſtatuere Simonē & facere ſecundū verba iſta. Et ſuſcepit Simō & placuit ei, vt ſummo ſacerdotio fūgeretur, & eſſet dux & princeps gētis Iudæorum & ſacerdotum, & præeſſet omnibus. Et ſcripturam iſtam duxerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo ſanctorum, in loco celebri, exemplum autem eorum ponere in ærario, vt haberet Simon & filij eius. Hactenus ſacra Machabæorum hiſtoria. Vides itaque vt legitimo iure (ſi quod vnquam regnum cuiquam) pertinuerit regnum illud Iudæorum ad Machabæi filios, Simonem & eius ſucceſſores. Quod cum non ſolum nihil ad ſe pertinens, non ſolum nulla ab eodem laceſſiti iniuria, ſed etiam contra fidem publicam, & amicitiæ ac ſocietatis fœdera quæ cum eodem Simone, & ante cum Ionatha & Iuda eius fratribus, tabulis æreis perſcripta & miſſa Hieroſolymam, in loco celebri conſtituenda, & in publicæ fidei teſtimonium in perpetuum conſeruanda ſanctè percuſſerant, ſibi vi & armis vſurpauerunt, quale ius belli hic quiſquam poteſt fingere, in euidentiſsima iniuria & perfidia?

C Sed vt daremus Pilato legitimo iure tunc competijſſe per Iudæam aut in Hieruſalem ordinariam iuriſdictionis illam, quam ſibi vſurpabat, autoritatem ex commiſsione Cæſaris, quod Chriſtus illi de iure fuiſſet ſubditus, nequaquam verum eſt. Quum enim Chriſtum audis, Deum audis & hominem, in cuius veſtimento & fœmore ſcriptum eſt: Rex regum, dominus dominantium. Et quod veſtimentum eius, quàm humanitas, ſub qua tegebatur diuinitas? quæ & ipſa fœmoris eius nomine ſignificatur, vt aſſumpta & nata ex vtero virginis, & veluti inferior quædam indigniorque pars Chriſti. Ex quo clarè conſtat, Chriſtum etiam vt hominem, vere fuiſſe regem regum & dominum dominantium, ſeu principem (vt idem etiam Ioannes dicit) regum terræ. Quo igitur iure hic Pilati autoritati & iuriſdictioni ſubiectus eſſe potuit? Subiectus quidem illi fuit, ſed quia voluit, non quia debuit. Quanquam quod negamus de Chriſto, nequaquam diffiteremur de apoſtolis eius, eorumq́ue ſucceſſoribus epiſcopis cæteriſque ſacerdotibus, atque adeo de capite aut præſide eccleſiaſticæ hierarchiæ Petro. Hos enim tibi facilè concederemus iure ſubiectos fuiſſe legitimæ autoritati ciuili in his, in quibus

Chriſtum etiā vt hominem fuiſſe regem regum & dominum dominantium nec vllius iuriſdictioni ſubfuiſſe legitime.

Apoc. 19.

D degebant, ciuitatibus, regnis aut ciuilibus communitatibus, quandiu eiuſmodi communitates, reſpublicæ, regna, imperia, cum vniuerſa ſua ciuili autoritate huic Chriſti regno ſeſe nondum ſubiecerant. Quemadmodum etiam modo Chriſtianus, ſeu presbyter, ſeu epiſcopus, inter ethnicos viuens, nullo iure à ciuili iure & ſeculari cui illi ſubiacerent autoritate & iuriſdictione exemptus foret, quin potius ſubeſſe illi & obedire teneretur, quando poſſet ſine pietatis præiudicio quemadmodum cæteri. At quæ regna & imperia iam Chriſti regno ſeruiunt, illorum reges & imperatores ipſius Chriſti vicario eiuſdem regni rectori & præſidi, obedientiam & ſubiectionem debent, non vice verſa, illius iudicio ſubijci, non illum iudicare ſecundum leges Chriſti & eccleſiæ ſua exercere officia, non vero eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi leges præſcribere. Quod vero dicit Pilatum iuſtam habiturum fuiſſe cauſam animaduertēdi in Chriſtum, ſi Iudæorum regem ſe confeſſus fuiſſet, patet ex prædictis eſſe falſiſsimum, cum nec Pilato, nec Cæſari vllum legitimum ius in regnum Iudæorum competierit, ſed ſi cuiquam, maximè competijt Chriſto, qui erat finis & ſacerdotij illius veteris & legis &

 regni

A regni vniuerſi, quem ſemper expectauerant ſibi regem fore in lege promiſſum. Quare, vt ſupra audiuiſti, Simonem illum Machabæum & eius filios, ſacerdotes vna cum optimatibus & populo, communi decreto, lege perpetua ſibi cóſtituerunt principes: donec, inquiunt, ſurgat propheta fidelis. Vides omnium Iudæorum votis & expectatione ſemper expectatum Chriſtum & Meſsiam in lege promiſſum, regé ſibi fore. Nam ad eius vſq; aduentum Simoni atque eius poſteritati regnum ſtabilierunt, quod illi aduentanti legitimo iure deberi ſignificauerunt, velut expreſſe proteſtãtes in eius præiudicium & iniuriam nihil ſe velle facere. Quanquã ille terrenum hoc vnius Iudææ regnum contempſerit, ſed aliud regnum ſuſcitare venerit, cui ſeruire deberent huius mundi regna vniuerſa, ſi modo ab æterna internitione ſaluari cuperent.

Cur Chriſtus aufugerit cognoſcẽs venturos Iudæos, vt ſe vel inuitum ſibi regem conſtituerent.

Itaque quod adducitur ex Ioanne, Chriſtum aufugiſſe cú cognoſceret venturos Iudæos, qui ſe vel inuitum ſibi regem conſtituerent, nihil ſanè mirandum eſt, cum peragendo, ad quod vnum venerat, humanæ redemptionis myſterio id non congrueret. Quandoquidem in ſanguine illius agni immaculati illud perficiendum teſtabantur &

B ab initio ante legem & in lege inſtituta ſacrificia & prophetarum oracula.

Quod vero ex Chryſoſtomi ſententia vult, illic Chriſtum facto ſuo nos docuiſſe mundanas dignitates contemnere, mihi non diſplicet. Nihil enim Chriſtiano magnifaciendum eſt, niſi quod Chriſto regi ſuo ipſum conciliat, niſi quod animæ noſtræ æternam operatur ſalutem, quod ad regnum illud cœleſte nos perducit. Et reuera vbi ad rectæ rationis trutinam expenditur infelix iſta principum huius mundi felicitas, nihil in eorum ſtatu vel ethnicus homo inueniet, quod magnopere ambiendum & expetendum ſit. Id quod re ipſa coacti ſemper confeſsi ſunt omnes, quibus aliquid ſanæ mentis fuit ſub ipſo onere ac pondere adeptorum iam, quos ante mirabantur & maximopere ambierant, eiuſmodi magiſtratuum. Tamen ſi quis principatum deſideret ad Chriſtum atque eius gloriam reſpiciens, vt eius, non ſuum regnum dilatet & ampliet, vt publicam & ſubditorum tantum, non ſuam vtilitatem quærat in regno & imperio, qui, inquam, eiuſmodi intentione epiſcopatum deſiderat aut imperium (vt dicam cum Apoſtolo) bonum opus deſiderat, nec male facit: ſi tamen ante expenderit, num tanto oneri ſufficiat, ſi talis ſit qui digne imperare

C poſsit aut præeſſe. Oportet enim epiſcopum, inquit ille, irreprehenſibilem eſſe, & quæ ſequuntur reliqua. Sed hæc nihil aduerſum nos faciunt. Non tollunt autoritatem ſacroſancti magiſtratus, quem Chriſtus in hoc ſuo regno in Petro inſtituit, nec dant eccleſiæ filijs, illi rebellandi aut inobediendi licentiam, cui tantum ſubiecti non ſunt qui ad eccleſiam non pertinent, ſed ſimul nec finem aſſequuntur ſocietatis eccleſiaſticæ, animarum videlicet ſuarum ſalutem, vt nulli optanda ſit eiuſmodi libertas. Nec debet, qui ſacroſanctum illum magiſtratum gerit in eccleſia, ſuam autoritatem negligere, ſed in aliorum exemplum vindicare contumacem omnem inobedientiam, eccleſiaſtici huius corporis membra vniuerſa diligenter in officio continere, & quæ iam vergunt in euidentem totius pernitiem, ab eodem reſcindere.

Cur Chriſtus recuſarit eſſe iudex inter fratres ſuper partienda hæreditate.

Aequè nihil nobis aduerſatur, quod interpellanti de turba cuidam, vt fratri ſuo diceret ſecum hæreditatem diuidere, reſpondit Chriſtus: O homo, quis me conſtituit iudicem & diuiſorem ſuper vos? Nam & ipſe Marſilius, quamuis præter ſuam intentionem, rectam eius intelligentiam continuo ſubiunxit. Quaſi, inquit, diceret:

D Non ad hoc veni, non ad hoc miſſus ſum, vt ciuiles lites iudicio dirimam, ſed vt humanum genus mea obedientia, humilitate, paſsionis ignominia, & morte turpiſsima redimam: vt omnium dolores in me perferam, pro omnibus iniquitatibus vnus ego ſatiſfaciam. Deinde, quo pacto ſibi vſurpaſſet Chriſtus illam præcipiendi autoritatem ſuper eos, qui ad ſuum regnum nondum pertinebant, qui ſibi nondum erant ſubiecti & ſubditi? Per hoc tamen conſtituto iam ſuo regno noluit his in eo vicarijs, eccleſiaſticæ hierarchiæ præfectis interdictam autoritatem præcipiendi eccleſiæ filijs, ſi qui ob diuidendam aut hæreditatem, aut quancunque rem aliam inter ſe diſsiderent & turbarent pacem eccleſiaſticam, vt ſuo iudicio ad rationem iuſtitiæ controuerſiam inter ſe componerent, præſertim quando nullam ſupra ſe poteſtatem ciuilem recognoſcerent.

Sed nihil ans præiudicare autoritati eccleſiaſticæ.

Epilogus.

Atque hactenus quidem, quod Chriſtus regnum ſuum non eſſe huius mundi affirmando, ipſumque vltro oblatum fugiendo, recuſandoque iudicium exercere ſuper diſsidentes fratres, ſed ſeipſum ſubmittendo iudicio præſidis, nec diſcipulis ſuis huius mũdi regnis aut magiſtratibus interdixerit, nec iudiciariam ſuper alios autoritatem exercere, nec ſacerdotes

ſuos

A ſuos ſubiecerit principibus ſecularibus qui in eccleſia ſunt, quin contra potius illos omnes ſubiecerit ſummo ſacerdoti eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, ſatis à nobis explicatum eſt.

Rationibus reſpondere, quibus nititur demonſtrare, Chriſtum tam opere quàm ſermone docuiſſe vniuerſos, æquè ſacerdotes ac laicos, realiter & perſonaliter ſubijci debere coactiuo iudicio principum ſecularium.

CAP. IIII.

HIC rurſus te oro Chriſtiane lector, vt videas quam nihil videat impietas. Quandoquidem Chriſti ſacerdotes vniuerſumque eccleſiaſticæ hierarchiæ ordinem, atque adeo totius eccleſiæ rectorem & principem, ſubiectos ſecularibus principibus, qui in eccleſia ſunt, hoc eſt, paſtorem ouibus & caput membris aduerſus omnem rerum ordinem & naturam clariſsime demonſtratum vult ex reſponſione Chriſti ad Iudæorum interrogationem, num cenſum liceret dare Cæſari dicentis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris,
B Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Cum ego contra his verbis nihil oneris, nihil tributi pendendum Cæſari ſuis fidelibus, ſeu laicis, ſeu diuino ſpecialiter mancipatis cultui impoſuiſſe Chriſtum, nihil agnouiſſe autoritatis Cæſari in quenquam, ex ipſis Chriſti verbis, contextuque euangelicæ hiſtoriæ dicam eſſe clariſsimum. Quod vt intelligas primum hoc volo tecum perpendas, ſubdole Chriſtum interrogatum à Iudæis, non quidem an tenerentur, ſed an liceret cenſum dare Cæſari. Aliud nanque eſt obligari ad dandum, aliud licite dare, aliud præterea licite accipere. At illi interrogabant, non an obligarentur ad dandum, non an ille etiam vltro datum licite acciperet, ſed an ipſis dare liceret. Struebant autem illi in interrogatione inſidias, adhibitis vna ſecum militibus præſidis, vt quicquid reſpondiſſet, haberent vnde conflarent calumniam. Si annuiſſet licere, hoc ipſo derogaſſet famæ ſuæ apud populum, qui inuitus & vi coactus ſeruiebat Romanis: quaſi ipſe in hoc adularetur vſurpato in eos contra ius, fas & leges, Romanorum principatui, nec propter eius metum auderet libere veritatem docere: ſin negaſſet, hoc manu vindicaſſent milites, & comprehenſum tradidiſſent præſidi, tanquã contradicentem poteſtati Cæſaris. Quare & cum tali ipſum præfatione adoriebantur: Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, nõ enim reſpicis perſonam hominum, dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet cẽſum dare Cæſari, an non? Quorum dolos & inſidias intelligens Chriſtus, & cauta reſpõſione eludens, nec affirmauit licere vt darent tributũ Cæſari, nec negauit, ſed quæſita illis reſpondendi anſa ab oſtenſo ſibi denario habente imaginem & inſcriptionem Cæſaris: Reddite ergo, inquit, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo. Non dixit, vt dare deberent tributum Cæſari, neque vt dare liceret. Sed reddite, inquit, illi quod ſuum eſt. Quaſi diceret: Si quid ab illo accipitis, æquum eſt, vt quid eidem vicißim reddatis. Sed ex hoc minime infertur, ſacerdotes omnes & epiſcopos, in realibus (vt ille loquitur) eſſe ſubiectos autoritati Cæſaris, hoc eſt, ex bonis ſuis illi obligari ad perſoluendum tributum. Nõ enim loquitur fidelibus ſuis, & regni ſui ciuibus, ſed prophanis illis, ac inſidiatoribus Iudæis. Nec tamen illos ipſos ad tributum Cæſari perſoluendũ dixit teneri, imo nec quod licite illi tributa perſoluerent, quod ipſum nec voluit negare aperte, ſed ita reſpondit, perinde ac ſi diceret: Si quid accipitis à Cæſare, reddite illi vicißim quod ſuum eſt. D
Quod ſi non ſolum illos Iudæos, ſed etiam ſuos omnes, tam ſacerdotes quam laicos voluiſſet eſſe obligatos ad perſoluenda tributa Cæſari, nunquid dubitaſſet ſimpliciter affirmare, non ſolum licere ipſis (de quo tantum interrogabant) perſoluere tributum Cæſari, imo ad hoc ipſum illos obligari, nec illos tantum, ſed & cæteros vniuerſos. Et quæ ſalus erit Italis, Gallis, Hiſpanis, Britannis, qui tot annorum cẽturijs nullum tributum perſoluerunt Cæſari, ſi Chriſtus omnes ſuos illis verbis obligatos voluit tributum dare Cæſari? Sed per Cæſarem, inquis, omnem legitimam huius ſeculi ciuilẽ poteſtatẽ Chriſtus intelligit. Imo non ſic intellexiſſe, clariſſime indicat præcedens, cui reſpondet, interrogatio, quæ non de qualibet ſuperiori legitima poteſtate interrogat. Ita enim non fuiſſet dubia quæſtio. Neq; enim hoc interrogabant, an patres eorum legitimis ſuis regibus licite tributa perſoluerint, ſed an ipſis liceret tributum dare Cæſari, principi extero, & qui contra ius, fas & leges, vi & armis, ſibi ſuper illos vendicaſſet dominium.

Quod vero ille colligit ex verbis Chryſoſtomi omnes teneri in omnib. ſubeſſe Cæſari, modo pietati non repugnent. Primum, vt ita ſenſiſſet Chryſoſtomus, nullũ faceret nobis

A nobis contra ſentientibus præiudicium, cum vnius Chryſoſtomi ſententia non ſit certum & infallibile indubiæ veritatis demonſtrandæ principium. Quandiu enim vnumquemlibet hominem audio ei, quæ mihi videtur, veritati contradicere, fidenter illi oppono vocem propheticam: Omnis homo mendax. At cum canonicam ſcripturam, aut communem eccleſiæ ſententiam, non ita. Nam & columnam, & robur firmamentumque veritatis, illam prædicat Apoſtolus.

Chryſoſtomi verba quomodo ſane intelligenda ſint.

Deinde etiam ab ipſius Chryſoſtomi ſententia longiſsime abeſt quod ille ex verbis eius colligit. Tu autem, inquit ille, cum audieris: Redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: illa ſcito eum dicere ſolum, quæ in nullo pietati præiudicant. Quia ſi aliquid tale fuerit, non adhuc Cæſaris eſt, ſed diaboli tributum. Primum his tantum illum loqui indubitatum eſt, qui Cæſari legitimo iure ſubiacent. Conſtat autem, & illo tempore fuiſſe, & nunc eſſe plurimos, qui Cæſari nullo iure ſubiacent. Deinde hoc tantum dicit, Cæſari præcipienti aliquid pietati præiudicans, à ſuis ſubditis in hoc obedientiam non deberi. Cum enim audis: Redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: hoc ſcito, inquit, dicere eum ſolum, quæ in nullo pietati præiu- B dicant. Non tamen per hoc affirmat in omnibus illi obedientiam deberi ab omnibus, quæ pietati non præiudicant, ſed quæ præcipit ſibi ſubditis: deinde, quæ ſecundum limites autoritatis ſuæ præcipit, quos ſi quando tranſgrederetur, obedire illi non tenerentur nec ſubditi, etiam ſi poſſent ſine pietatis præiudicio. Nunc vero ita res habet, vt eccleſiaſticæ hierarchiæ præſules, non ſubſint, ſed præſint Chriſtianis omnibus, principibus, regibus & imperatoribus, nec illi his, ſed hi illis obedientiam debeant.

Qui & in quibus obedientiam debeant Cæſari.

Ad obiectionem ex verbis Ambroſij.

Nec rurſus nobis aduerſatur diui Ambroſij inducta per illum ſententia dicentis: Soluimus quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Tributū Cæſaris eſt? petit imperator tributum? ſcilicet non negatur, agri eccleſiæ ſoluunt tributum. Hoc enim in verbis Ambroſij inductis diligenter obſeruandum eſt, quod non enunciatiue, ſed interrogatiue loquatur. Tributum Cæſaris eſt? Imperator tributum petit? Memor enim erat vir ſanctiſsimus hac in re, atque in eo eccleſiæ ſtatu, exempli Chriſti, qui quamuis nihil deberet Cæſari, tamen ne ſcandalum concitaret, iuſsit Petro pro ſe & ipſo exactoribus tributi ſtaterem perſoluere. Nondum tunc fidei iugo & eccleſiæ prorſus colla ſubmiſerant reges mundi & principes, C nondum ſeruierunt regno Chriſti. Quin potius omnibus imperij viribus illud ipſum frequenter perſequuti ſunt. Impijſsimus ille Valens imperator, eo tempore, toto orbe orthodoxos grauiſsime inſectatus eſt. Iuſtina Auguſta Arriana impietate infecta, vrgebat illum ipſum beatiſsimum Ambroſium, vt aliquot hæreticis baſilicas traderet. Tunc itaque merito dixit ſanctus epiſcopus: Si imperator tributum petat, accipiat etiam ab agris eccleſiæ, non negamus ſoluere. Quandoquidem id poſſumus ſine pietatis præiudicio. Nec tributum ſolum petenti, ſe minime negaturum reſpōdit, imo inquit, ſi vult me rapere ad mortem, occurram.

At eccleſias & baſilicas tradere non putauit ſe poſſe ſine pietatis præiudicio. Itaque vbi iam imperatores & reges, eccleſiæ vltro ſeruiunt, vltro volenteſque ſe ſubmiſerunt, alia ratio, alia conditio eſt. Nec iam debent ipſi agris eccleſiæ tributum imperare, ſed eorundem potius libertatem tueri, præſertim cum hoc ita exigere omnem rationem, æquitatem & iuſtitiam intelligentes religioſi & ſapientiſsimi principes, etiam publicis legibus ſancierūt libertatem atque immunitatem bonis ac prædijs eorum, qui diuino cultui ſpecialiter mancipati ſunt. In hoc itaque eccleſiæ ſtatu, maluerunt ſan- D ctiſsimi pontifices etiam vitam Chriſto impendere, quàm eccleſiaſticam hanc libertatem impiorum regum ſeruituti rurſus ſubijcere. Quorum exemplum S. Thomas Cantuarienſis epiſcopus & martyr ſeipſum exhibuit.

Non infirmari, ſed confirmari potius libertat. eccleſiaſticā ex Chriſti verbis & exemplo, quibus præcepit Petro pro ſe & ipſo tributum ſoluere.

Quod vero ad eandem impietatem confirmandam adducit exemplum Chriſti, qui publicanis tributorum exactoribus non negauit ſoluere, ſed iuſsit Petro, vt etiam pro ſe atque ipſo quantum exigebant, perſolueret: addens, potuiſſe (ſi putaſſet inconueniens ſuos in regno ſuo vicarios ſacerdotes & epiſcopos, huius ſeculi principibus tributa perſoluere) malum hoc exemplum in ſeipſo non edere, vt omnipotens æterni patris infinita ſapientia. Quin potius voluiſſe contrarium ſuo nos exemplo docere, ne ſibi indignum putaret diſcipulus, quod vidiſſet magiſtrum facere. Dicimus non infirmari, ſed confirmari, dicto Chriſti exemplo & verbis noſtram ſententiam. Nam prius, quam committeret Petro, vt pro ſe & ipſo exactum tributum ſolueret, ipſum docuit & inſtruxit quod iure ad eius ſolutionem non tenerentur, dicens: Quid tibi videtur Simon, reges terræ à quibus accipiunt tribu-

A tributum vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? Illi vero reſpondenti, ab alienis, dixit Ieſus: Ergo liberi ſunt filij, vt autem non ſcãdalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me & te. Quæ Chriſti verba plena alioqui & fœcunda myſterijs, quod ad rem præſentem attinet, clariſsime indicant, & Chriſtum & Petrum à tributo præſtando ipſo iure fuiſſe liberos, tamen exactum pro tempore ſoluendum ad vitanda ſcandala. Ne, inquit, ſcandalizemus eos, ſignificans, alioqui non ſe ſoluturum ceſſante ſcandalo. Quod ſane intelligens Origenes: Conſequens autem eſt, inquit, intelligere ex verbis Chriſti, quod quoties exurgunt quidam, qui per iniuſtitiam tollunt noſtra terrena, tranſmiſsi à regibus terræ, vt exigant à nobis velut quæ ipſorum ſunt, ſuo quidem exẽplo prohibet dominus aliquod ſcandalum fieri, etiam eiuſmodi hominibus, ſiue ne amplius peccent, ſiue vt ſaluentur, filius enim Dei, qui nullum opus fecit ſeruile, quaſi habens formam ſerui, quam propter hominem ſuſcepit, tributum & cenſum dedit. Vides vnum hoc ſuo exemplo nos docuiſſe Chriſtum, vt iniuſte auferentibus noſtra

Origenes.

B (quod à regibus huius ſeculi dicit fieri, cum à nobis quaſi ſuum tributum exigunt) non reſiſtamus ad cauendum grauius ſcandalum, etiam in illis, quamuis iniquis & iniuſtis, vt noſtra humilitate & patientia prouocati, conuertantur ad Chriſtum & ſaluentur: aut ſaltem, ne noſtra denegatione irritati, grauius peccent. Qualiter & illa eius præcepta intelligenda ſunt, de non reſiſtendo malo, & de relinquendo & pallio ei, qui aufert tunicam, & de præbenda & altera maxilla ei, qui alteri infligit alapam.

Quod inſuper ex eo demonſtraſſe exiſtimat, omnes Chriſti diſcipulos, ſeu laicos, ſeu ſacerdotes & epiſcopos, ſubeſſe etiam in perſonis ſuis mero imperio ſecularium principum, quod Chriſtus eidem ſubiectus fuerit, hoc ipſum cõprobans, quia ſe capi permiſerit, duci ad Pilati prætoriũ, & per ipſum demum iudicari, & condemnari crucis ſupplicio: quod, inquit, nequaquam permiſiſſet, ſi ſacerdotes ſuos ſubijci principibus huius ſeculi & iudicari per ipſos, inconueniens putaſſet. Mirari hic cogor argumentationum, & collectionum iſtiuſmodi vim & efficaciã, dignam Hercle tanto, quem ſe facit & vbiq; præfert, dialectico.

Quod enim non ſolum Chriſtus autoritati & iuriſdictioni Pilati iure ſubiectus non fuerit, imo quod nec in vnumquemlibet ex infima plebe Iudæorum legitimam vllam autoritatem habuerit, ſed mera vi, mera iniuria, & iniuſtiſsime vſurpatam & tyrannicam, ſatis ſuperque à nobis demonſtratum exiſtimo. At hoc myſterio noſtræ redemptionis congruere viſum eſt æternæ Dei ſapientiæ, vt agnus immaculatus & innocens, ab omnibus affectus iniurijs, ſaturatus opprobrijs & contumelijs, iniuſtiſsimã mortem, ab iniuſtis & peccatoribus iniuſtiſsime ſibi illatam, patienter & libenter ferendo, pro omnium noſtrum, quibus diuinam quotidie maieſtatem irritamus, offenſis ſatisfaceret. Nec tamen quia ſe paſſus eſt iniuſte capi, affligi, condemnari, & crucifigi ab iniuſtis & impijs, ideo probauit illos iure hoc feciſſe & legitime, nec exemplum reliquit principibus ſeculi, vt in ſeruos ſuos & ſacerdotes hoc ipſum illis liceret. Quin potius illa ferendo, & ſibi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, meruit, & eccleſiæ ſuæ, vt eidem ſeruirent deinceps reges & principes, quemadmodum iam ſeruijſſe mille atque eo amplius annos conſpicimus, vtque filij eorum, qui ipſam humiliarunt ab initio, nunc curui veniant adorare veſtigia pedum eccleſiaſticæ hierarchię præſidum.

C

D Nec quicquam nobis aduerſatur, quod Pilato iactanti ſuam in Chriſtum poteſtatem ipſe reſponderit nullam illum in ſe poteſtatem habiturum fuiſſe, niſi ipſi datum eſſet deſuper. Siquidem illis verbis hoc ipſum ſignificare volebat Pilato, quod etiam dixerat ſe comprehendentibus: Quaſi ad latronem, inquit, exiſtis cum gladijs & fuſtibus: Cum quotidie vobiſcum fuerim docens in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Quaſi diceret: Ante poteſtatem non habuiſtis, quamuis velletis, quamuis cuperetis; ſed permiſſum vobis non fuit à me & patre. Nũc vobis, veſtroq; arbitrio derelicti eſtis, nunc eſt hora veſtra & poteſtas, ſed mala, diabolica & tenebrarum: qua tamen vti non poſſetis, niſi vellem, niſi vobis permiſſum eſſet deſuper. Nam Pilato nullam diuinitus datã legitimam iuriſdictionis autoritatem, non ſolum ſuper Chriſtum, ſed nec ſuper infimũ ex plebe Iudæorum, ſupra clariſsimum fecimus.

Quomodo intelligenda illa Christi verba ad Pilatũ: Non haberes in me potestatem, &c.

Sed non negauit, inquit, Chriſtus Pilato poteſtatem ipſum iudicãdi, nec dixit ipſum de facto, cum de iure non haberet, eam ſibi vſurpaſſe: ſed confeſſus eandem ipſi datam cœlitus. Siquidem & Auguſtinus: Diſcamus ergo, inquit, quod dixit, quod &

Cauilli remotio.

per

A per Apoſtolum docuit, quia non eſt poteſtas niſi à Deo. Et diuus Bernardus in epiſtola quadam ad Senonenſem archiepiſcopum: Cum, inquit, Romani præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur cœlitus ordinatam, &c. Certe vt multa replicaret Chriſtus aduerſus Pilati autoritatem, non conueniebat modo peragendi noſtræ damnationis myſterij, qui ab æterno præordinatus, longe quoque ante prophetarum expreſſus & prædictus erat oraculis. Tãquam ouis, inquit ille, ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit. Cum iniuſtiſsime tractatus eſſet Chriſtus à Pilato, iuſſu eius crudeliſsime flagellatus, ſpinis coronatus, ludibrio habitus, & cum purpura & arundine deſpectim productus in conſpectum populi, vt eius in ipſum furori & crudelitati ſatisfaceret vel ad ſatietatem: nec tamen nullius facinoris reum, nullius malicõuictum, auderet ad petitionem eorum adiudicare mortis ſupplicio, Romanis legibus prohibentibus: nec minus illi clamare perſiſterent, vt adiudicaretur morti, dicentes legem ſe habere, ſecundum quam reus eſſet mortis, eo qđ Dei ſe feciſſet filium: Audiẽs Pilatus, inquit euangeliſta, hos ſermones magis timuit. Iam ſibi dictabat ratio, & ſua ipſi-

B us conſcientia, quàm indigne tractaſſet innocentem; etiam ipſius teſtimonio, ad libidinem & appetitum furentis populi. Vt autem audiuit de Dei filio, magis timuit, ſecũ reputans, & mira, quæ de illo ſubinde audierat, & ſtupendam eius ac pluſquam humanã ad illatas ſibi iniurias patientiam. Reductum itaq; in prætorium, interrogat vnde eſſet, ſcire deſiderans, humanam ne an diuinam haberet originem. At nihil illi reſpondente ad hæc CHRISTO, velut cum faſtu replicans: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Hic pius dominus reſpondit, quod toties ante conteſtatus fuerat, ſe pati quia voluit, non quia ille huiuſmodi in ſe poteſtatem haberet. Non haberes, inquit, Pilate quam iactas in me poteſtatem, niſi vellem, niſi à me & patre ea ipſa tibi permitteretur, niſi deſuper concederetur vt poſſes vti poteſtate tua, ſed diabolica & tenebrarum, niſi tibi datum eſſet deſuper. Deinde velut oblique reſpondens ad id, quod illius cruciabat animum, & quæ illi fuit cauſa interrogandi vnde eſſet, ne forte tantum criminis & crudelitatis commiſiſſet, non ſolum in innocentem, ſed etiam in Dei filium.

Propterea, inquit, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet, perinde ac ſi diceret: C Tu quidem recte tibi conſcius es grauiſsimi in me perpetrati ſceleris: tamen quia non odio, ſed timore, hinc tumultuantis & furentis populi, inde vero Cæſaris hæc in me com miſiſti, minus peccaſti, quàm qui me tibi tradidit populus, qui ex odio & malignitate, nõ timore peccauit. Hæc eſt germana & natiua dictorum CHRISTI verborum planaq; intelligentia, nihil habens contortum aut diſſonum.

Ad obiectionẽ ex Auguſtino & Bernardo.

Quod vero Auguſtinus & Bernardus illa ipſa verba Chriſti ſuæ alicubi intentioni accommodant ac ſeruire faciunt, nihil nobis & natiuæ eorum ſententiæ præiudicat. Hoc enim conſtat, Auguſtino frequens, Bernardo vero familiare & pene quotidianum eſſe, abuti verbis ſcripturarum: tamen ad piam aliquam ſuam intentionem confirmandam. Qua in re hic mirus & ſtupendus eſt artifex, tam miro enim artificio ſcripturas con nectit, & quo vult, aptiſsime tamen ducit, vt ſub manu eius velut naſci videantur, nulla quidem pietatis iactura, imo magno profectu. Aliud tamen eſt ex natiua germanaque ſcripturarum intelligentia aliquid efficaciter comprobare: aliud iam ſatis comprobatum quibuſdam velut alluſionibus confirmare ac commendare lectori. In quo Bernardus omnes facile & longiſsimo interuallo ſuperat. D

Non cõſequi: Chriſtus factus eſt ſub lege, ergo ſub iudice.

Aequè nihil illius intentioni ſeruiunt aut nobis aduerſantur, illa verba Apoſtoli ad Galatas: At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ſub lege. Ex quibus ille more ſuo ſic ratiocinatur: Si factus ſub lege, ergo & ſub iudice, cuius erat iudicare & præcipere ſecundum legem: qui tamen non erat, inquit, epiſcopus aut ſacerdos.

Quàm ridicule Marſilius ex ſcripturis verba colligat.

Sed oro te lector, vt etiam hic conſideres acumen & ingenium hominis & in tractandis ſcripturis diligentiam. Paulus in epiſtola ad Galatas Moſaicæ legis ſeruitutem, & quã Iudæi quamuis conuerſi ad Chriſtum, de eadem opinionem habebant, altius receptam in animis eorum, quàm vt facile reuelli poſſet, omni vi admota funditus extirpare cupiens, ex operibus legis, nec ſub ipſa lege iuſtificatos fuiſſe aliquos, ſed ex ſola fide in Chriſtum, demonſtrare conatus eſt. Siquidem Abrahæ ſalutis omnium gentium in ſemine ſuo, hoc eſt, Chriſto Ieſu, repromiſsio ante legem facta eſt. Quam nihil immutauit quadringentis & triginta annis ſubſecuta lex, ſed confirmauit potius. Non quidem aliunde iuſtificationem aut ſalutem ſperare docens,

A cens, quàm illa facta Abrahæ repromiſsio,
ex ipſis videlicet operibus legis, ſacrificijs &
hoſtijs, ſed magis per legales illas hoſtias, illa
ſacrificia, illas cæremonias, fidem illorum in
CHRISTVM erudiens, vſque dum fides
clara eluceſceret ſub luce euangelica. Itaq;,
inquit, lex pædagogus noſter fuit in CHRI-
STO IESV, vt ex fide in illum iuſtifice-
mur. At vbi venit fides, clara videlicet & ex-
plicita, iam non ſumus ſub pædagogo, ſub
quo eramus ſeruientes, quamdiu eſſemus
paruuli, vſque ad præfinitum tempus à patre.
Quo adueniente & vbi, inquit, venit illa ple-
nitudo temporis, miſit Deus filium ſuum,
factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos,
qui ſub lege erant, redimeret, à legis videli-
cet ſeruitute, & Dei filios ac regni hæredes
faceret. Hæc Apoſtolus conatus euacuare
ſeruitutem legis Moſaicæ. Ex his ille nuga-
tur in hunc modum: Si ſub lege factus eſt
Dei filius, ergo & ſub iudice, cuius erat iudi-
care & præcipere ſecundum legem: qui ta-
men non erat ſacerdos aut pontifex. O
Theologum. Cuius erat obſecro iudicare &
præcipere ſecundum legem, ſi non ſacerdo-
tum & pontificis? De quibus apud Ezechie-
lem dicit dominus: Populum meum doce-
bunt, quid ſit inter ſanctum & pollutū, inter
B mundum & immundū oſtendent eis, & cum
fuerit controuerſia ſtabunt in iudicijs meis
& iudicabunt. Nunquid nõ apertiſsime & di
ſtrictiſsime præceptū fuerat in lege omnib.
inter ſe quæſtiones difficiles & controuer-
ſias habentibus, quæ per ſubalternos & infe-
riores iudices in ſingulis vrbibus rite expe-
diri non poterant, vt aſcenderent ad locum,
quem elegiſſet dominus, & ad ſacerdotes Le
uitas, & pręſidem cathedræ pro tempore ſeu
iudicem? qui, inquit, annunciabunt tibi iu-
dicij veritatem. Et facies iuxta verbum,
quod annunciabunt tibi de loco, quem ele-
gerit dominus. Qui ſuperbierit, nolens obe-
dire ſacerdotis imperio, qui eo tempore mi-
niſtrat domino Deo tuo, morietur vir ille, &
auferes malum de Iſrael. Vides cuius erat iu-
dicare & præcipere ſecundum legem, nem-
pe ſacerdotis præſidis cathedræ, aduerſus
quem omnis contumax inobedientia ſecun-
dum legem morte expianda fuerat. Sed pu-
to credidiſſe illum, non de Moſaica, ſed de
Romanis legibus loquutum Apoſtolum, ſe-
cundum quas vt iudicaret, non ſacerdos aut
pontifex, ſed Pilatus illic conſtitutus fuerat.
Ignoſces mihi lector, ſi in traducenda huius
hominis ſtupiditate præter neceſsitatem ti-
bi videor prolixior. Hoc enim vt facerem,
coegerunt quidam, quibus hic rerum ſum-
ma committitur, eodem, quo iſte, zelo & a- C
more affecti ad dignitatem eccleſiæ, qui hu-
ius hominis doctrinam & eruditionem ſine
modo & ſine efferentes, efficaciſsimis de-
monſtrationibus omnem ab eccleſiaſticis v-
ſurpatam, vt dicunt, autoritatem funditus
euertiſſe iactitant: vt intelligant, quantum
momenti deprauatus affectus habeat ad ſub-
uertendum, excæcandumque rectæ rationis
iudicium.

Non interdixiſſe Chriſtum ſuis primatum aut principatum ſuper alios gerere, ſed rectam eius gerendi formam & rationem præſcripſiſſe, dicendo apud euangeliſtas: Principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.

CAP. V.

Poſtulat ordo, vt conſequenti lo-
co expendamus, ſi quid nobis,
aut his, quæ ſuperius demonſtra-
uimus, aduerſentur, quæ conten-
dentibus inter ſe de primatu apoſtolis locu-
tus eſt Chriſtus. Ex quibus ille demonſtra-
tum exiſtimat, ſuis interdixiſſe omnem ſupe
rioritatem, & iuriſdictionis coactiuam auto-
ritatem, etiam in ſe inuicem, & non ſolum in
alios. Sunt autem in hæc verba: Reges gen- D
tium dominantur eorum, & qui maio-
res ſunt, poteſtatem exercent in eos: vos
autem non ſic, ſed quicunque voluerit
fieri maior, erit veſter miniſter: & quicun-
que voluerit in vobis primus eſſe, erit om-
nium ſeruus. Nam & filius hominis non
venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret,
& daret animam ſuam redemptionem pro
multis. Quibus verbis, quod ille vult Chri-
ſtum interdixiſſe ſuis ſuperioritatem om-
nem, aut iuriſdictionis autoritatem ſupra ſe
inuicem, aut alios exercere, tota abeſt dia-
metro. Quin potius, vt eſſet aliquis inter il-
los maior & primus, illis ipſis verbis clariſsi-
me innuit: ſed ſimul non eſſe illis ambien-
dum primatum eiuſmodi ſignificauit. Non
enim dixit: Nemo inter vos ſit altero ma-
ior, princeps, rex aut primus: ſed principatus
vt à Chriſtiano, atque inter Chriſtianos ge-
ri debet, onus & officium deſcribit. Non e-
nim debet is, qui præeſt, ſiue ciuiliter & po-
litice, ſiue in hierarchia eccleſiaſtica, præeſ-
ſe ſibi, ſed ſolis ſubditis, non ad ſuum com-
modum, ſuam gloriam, libidinem, oſtenta-
tionem, hoc enim eſſet tyrannidem non le-
gitimam poteſtatem exercere, ſed ad ſolam
vtilitatem eorum, quibus præeſt, ad ſolius

A Dei & Chriſti gloriam & honorem. Debet meminiſſe,quod diuus Ambroſius Theodoſium imperatorem admonuit,ſubditos ſe habere coniunctos ſibi,non ſolum genere, ſed & communi ſeruitio vnius Dei. Vnum enim eſſe dominum & imperatorem,huius vniuerſitatis fabricatorem, proinde ita ſibi commiſſum principatum ac magiſtratum gerere oportere,tanquam in oculis cuncta cernentis domini,& qui paulo poſt diſtrictiſsimam ab ipſo rationem ſibi commiſſorum omniũ ſit exacturus.

Hæc vna & ſola ratio eſt inculpate & digne gerendi inter Chriſtianos principatus aut magiſtratus cuiuſque. Quam quis nõ intelligit nihil eſſe,niſi meram,grauemque ſeruitutem & ſarcinam? Quis ſecundum hanc principantes, eſſe aliud, quàm meros ſeruos ſeruorum Dei? Et hæc ſi perpenderet, nunquid principatum aut primatum, ſeu eccleſiaſticum ſeu ciuilem, quiſquam ambiendum duceret? Tamen vt geratur ab aliquo, vt hanc nobis mutuo ſeruitutem impendamus,ille dominus omnium vult & præcipit.

B Itaque non eſt, quod quiſquam hæc dicta à Chriſto pertinere ad ſolos, quos nunc dicimus eccleſiaſticos, exiſtimet. Suis omnibus loquitur: Scitis,inquit, quia principes gentium dominãtur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Hoc eſt, inquit Origines, non ſunt contenti regere tantum ſubditos,ad vnam videlicet ipſorum vtilitatem, ſed violenter eis dominari nituntur. Aut, vt Chryſoſtomus, principes mundi ita gerunt principatum, vt dominentur minoribus, & eos ſeruituti ſubijciant. Vt expolient,& ad mortem vſque eis vtantur ad ſuam vtilitatem & gloriam. Sed hæc principes gentium,qui ignorant Deum, qui non cogitant ſe communi domino ſeruire,atque illi diſtrictam omnium rationem reddere debere. Vos autem non ſic. Vos,inquit, qui mei eſtis, non ſic,non inſtar illorum, qui Deum ignorant, ſed velut in oculis communis domini, ſuper conſeruos & confratres veſtros, non ad veſtram (quæ tyrannis eſſet) ſed ad eorũ tantum vtilitatem & communis domini gloriam,principatum ac primatum exercebitis. Hæc ſibi dicta nouerint æquè omnes qui Chriſti ſubeſſe volũt magiſterio,qui ſe Chriſti haberi volunt diſcipulos. Non ſibi perſuadeant,reges,imperatores aut ciuiles principes, ad eccleſiaſticas, quas nunc dicimus, prælaturas, eccleſiaſticumque primatum ea tantum pertinere. Ad omnes pertinent, qui Chriſti ſunt. Vos,inquit, mei ſcilicet, quos tantum diſtinguit à gentibus ignorantibus

Ad omnes pertinere dicta verba Chriſti,æquè ſeculares, vt eccleſiaſticos.

C Deum. Quid igitur? Nunquid his verbis prohibuit inter nos Chriſtus eſſe reges, imperatores,principes? Nunquid vllam ſuper alios habere præcipiendi atque obligandi autoritatem? Quæ à Deo ſunt, inquit ille, ordinata ſunt. Noluit ſuum regnum CHRISTVS eſſe Babylonicum, ſed quo omnia ordinate agerentur à nobis, vni ſuper omnes autoritatem præcipiendi & mandandi commiſit. Vni dixit vt regeret vniuerſum ouile ſuum: vt quemcunque obligaret in vniuerſo orbe terrarum, modo intra domum eccleſiaſticam, is ille ad hoc obligaretur coram Deo. Voluit,vt ille ſuperintenderet vniuerſis mẽbris eccleſiæ, vniuerſis magiſtratibus & officijs ſacris & prophanis.

Nec quicquam his aduerſatur diui Bernardi, quam ille contra nos citat, ſententia ex libro ſecundo de conſideratione ad Eugenium: quin potius tam euidenter noſtram confirmat ſententiam, & illius contrariam impietatem euei tit, vt libeat eandem hic paulo adſcribere prolixius. Ex eo enim clariſsime patebit, illum hoc perpetuo facere, quod hæreticorum eſt proprium, ex truncis videlicet verbis ſanctorum patrum conari imponere ſimplicibus, & ita vt ipſi volunt ſenſiſſe illos, perſuadere contra certiſsimam eorundem ſententiam.

Marſilij infidelitas in citãdis ſanctorum ſententijs.

D Itaque ille vir plenus Dei ſpiritu Eugenio ſuo iam pontifici maximo: Subit, inquit, animum dictare aliquid, quod te papa beatiſsime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel conſoletur. Sed neſcio quomodo vult, & non vult exire læta quidem, ſed lenta oratio, dũ certatim illi contraria imperare contendũt, maieſtas & amor. Nempe vrget ille, inhibet illa. Sed interuenit tua dignatio, qua hoc ipſum, non præcipis, ſed petis, cum præcipere magis te deceat. Maieſtate igitur tam dignãter cedente, quid ni cedat pudor?

D. Bernar. ad Eugen.

Ab hoc ille exordio, libro ſecundo deinceps illum inſtruens, in quatuor docet conſiderationem ſuam partiri debere. In ſeipſum, in ea quæ ſub ipſo, in ea quæ circa ipſum, in ea quæ ſupra ipſum. A te vero, inquit, tua conſideratio inchoet, ne te neglecto, fruſtra extendaris in alia, &c. Tui autem hæc conſideratio in tria quædam diuiditur, ſi conſideres, quid, quis & qualis ſis: quid in natura, quis in perſona, qualis in moribus. Quid? verbi gratia, homo: quis? Papa vel ſummus pontifex: qualis? benignus, manſuetus, vel quicquid tale. Quanquam autem primum illud philoſophicum ſit magis, quàm apoſtolicum veſtigare: attamen eſt in definitione hominis, quem dicunt animal rationale mortale,

Pontificis Ro. præcepta.

A tale, quod diligentius intueri ſi libet, nec profeſsioni tuæ, nec dignitati obuiet, ſed ſaluti conferat. Nam conſideranti duo hæc ſimul, rationale & mortale, is tibi exinde occurrit fructus, vt & mortale, quod in te eſt, rationale humiliet, & rurſus rationale mortale confortet.

Nunc qui ſis, & de quo ſis factus, aduertendum. Quanquam, quod dixi, de quo, id mihi prætereundum putem, & tuæ potius relinquendum agnitioni. Illud dico indignum tibi citra perſectum agere, de tanta aſſumpto perfectione. Quid ni erubeſcis minimus inueniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis extitiſſe? Non es oblitus prioris profeſsionis, non excidit menti, quæ ſubducta eſt manui. Ipſam ad ſingula tua imperia, iudicia, inſtituta habere præ oculis, nõ erit inutile: hæc enim conſideratio facit bonorum contemptorem, etiam in honore ipſo. Loquere ergo tibi: Abiectus eram in domo Dei mei, quale eſt hoc, de paupere & abiecto leuari ſuper gentes & regna? Quis ego, aut quæ domus patris mei, vt ſedeam excelſis ſublimior? Sane qui dixit mihi, amice, aſcende ſuperius, amicum fore confidit. Si minus inueniar, non expedit quidem. Qui eleuauit, & deijcere poteſt. Sera querela,

B quoniam eleuans alliſiſti me. Non eſt quod blandiatur celſitudo, ſollicitudo maior. Illa diſcrimen intendit, hæc amicum probat, huic accingamur, ſi nolumus tandem nouiſſimum cum rubore locum tenere: factum ſuperiorem diſsimulare nequimus: ſed enim ad quid omnibus attendendum. Non ad dominandum, opinor. Nam & propheta cum ſimiliter eleuaretur, audiuit: vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. Quid horum faſtum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritalis expreſſus eſt, &c. Diſce ergo exemplo prophetico præſidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum, quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, vt opus facias prophetæ, &c. Anteceſſores tui apoſtoli audierunt, quia meſsis quidem multa, operarij vero pauci. Paternam tibi vendicato hæreditatem. Nam ſi filius, & hæres, vt probes hæredem, euigila ad curam, & non ocio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic ſtas tota die ocioſus? Multo minus inueniri oportet, aut delicijs reſolutum, ac reſupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ teſtatoris aſsignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus ſis, curam potius hæreditabis & operam, quàm gloriam & diuitias. Blanditur cathedra? Spe-

C cula eſt, inde denique ſuperintendis, ſonans tibi epiſcopi nomine non dominium, ſed officium. Quid ni loceris in eminenti, vnde proſpectes omnia, qui ſpeculator ſuper omnia conſtitueris? Enimuero proſpectus iſte procinctum parit, non ocium. Quando libet gloriari, vbi ociari non licet? Nec eſt locus ocio, vbi ſedula vrget ſollicitudo omnium eccleſiarũ. Nam quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? Quid habeo, inquit, hoc tibi do. Quid iſtud? Vnũ ſcio, non eſt aurum neque argentum, quum ipſe dicat: Argentum & aurum non eſt mihi. Si habere contingat, vtere, nõ pro libitu, ſed pro tempore. Sic eris vtẽs illis, quaſi non vtens. Ipſa quidem quod ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt, nec mala. Vſus tamen horum bonus, abuſio mala: ſollicitudo peior, quæſtus turpior. Eſto, vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices, ſed non apoſtolico iure. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit: ſollicitudinem, vt dixi, ſuper eccleſias. Nunquid dominationem? Audis ipſum: Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox domini in euangelio eſt: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Et inſert: Vos autem non

D ſic. Planum eſt, apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Plane ab vtroque prohiberis, ſi vtrũque habere voles, & perdes vtrunque. Alioqui non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic: Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui eos. Forma apoſtolica hæc eſt: Dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio: quæ & cõmendatur ipſius exẽplo legiſlatoris, qui conſequenter adiungit: Ego aũt in medio veſtrum ſum, tanquam qui miniſtrat. Quis iam ſe titulo hoc putet ingloriũ, quo ſe prior domin⁹ glorię pręſignituit? Merito Paulus gloriatur in eo dicens: Miniſtri CHRISTI ſunt? & ego, &c. Exi ergo in agrum domini tui, & conſidera diligenter, quantis hodie quoque de veteri maledicto ſylueſcat ſpinis ac tribulis. Exi, inquam, in mundum, quia ager mundus eſt, isq; tibi creditus. Exi in illum, non tanquam dominus, ſed tanquã villicus, videre & prouocare, vnde exigẽdus es rationem.

Leua oculos & vide regiones, ſi non ſunt magis ſiccæ ad ignem, quàm albæ ad meſſem: & inuenies vepribus quàm frugibus magis occupatas: imo annoſis & veternoſis ar-

Imperia, iudicia, inſtituta.

Vere opus præſidis ac principis.

Diuitiæ nec bonæ nec malæ, ſed earum vſus bonus, abuſio mala.

A

boribus, quæ quouſque terram occupant? Nónne ſi exis & cernis iſta, pudebit ocioſam iacere ſecurim? pudebit ſine cauſa falcem apoſtolicam accepiſſe? In hunc quondam agrum Iſaac patriarcha exierat, quum primo Rebecca occurrit ei, & vt ſcriptura habet, exierat ad meditandum. Ille quidem ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris, neceſſe eſt, &c. Age ergo puta tempus putationis adeſſe, accingere gladio tuo, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, glorifica manum & brachium dextrum in faciẽdo vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Si hæc facis, honorificas miniſterium tuum, & miniſterium te. Non mediocris eſt iſte principatus. Domabis lupos, ſed ouibus non dominaberis, paſcendos vtique, non premendos ſuſcepiſti.

Securis Apoſtolica.

Eius eſſe, facere vindictã in nationibus, increpationes in populis. Vides vt non vrget principatum ſed dominatum.

Deinde humilitatis virtutem commendans in ſummo magiſtratu, vtque ſemper ad ea, quæ ſibi deſunt, reſpiciens, ſeſe vrgeat ad profectum: Quid, inquit, ſi ſummus pontifex ſis, nunquid ideo ſummus? Infimum noris, ſi ſummum putas. Non de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi ante experta virtus, quàm dignitas fuit. Auguſtis relinquito illam ſententiam, alijſque qui diuinis coli honoribus non timuerunt, Nabuchodonoſor, Alexandro, Antiocho, Herodi. Tu vero conſidera, non conſummatione ſummum te dici, ſed comparatione: non meritorum, ſed miniſteriorum. Sic te exiſtimet homo, vt miniſtrum Chriſti, & quod abſq; præiudicio ſanctitatis cuiuſpiam dixerim, ſummum plane inter miniſtros, &c.

B

Sed iam nunc, inquit, repetendæ ſunt reliquiæ loci illius, à quo paulo ante diuertimus. Age indagemus adhuc paulo diligentius, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus pontifex, tu princeps epiſcoporum, tu hæres apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, autoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto differentius vtrunque præ cæteris nomẽ hæreditaſti. Habẽt illi ſibi aſsignatos greges ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec ouium modo, ſed & paſtorũ tu vnus omnium paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo domini: Cui enim, non dico epiſcoporum, ſed etiam apoſtolorum ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oues? ſi me amas Petre, paſce oues meas. Quas? Illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certe regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes cæteri condiſcipuli erant, cũ cõmittens vni omnes, vnitatẽ omnibus cõmendaret, in vno grege & vno paſtore, ſecundũ illud: Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, recedentes ab vnitate. Inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes ſacramentum, denique Iacobus, qui videbatur columna eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchre vero ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater domini. Porrò cedente domini fratre, quis alter ſe ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos, alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem vocatus es poteſtatis. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nónne ſi cauſa extiterit, tu epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilo minus prærogatiuam confirmat tibi. Diſcipuli nauigabant, & dominus apparebat in littore, quodque iucundius, in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, alijs nauigio peruenientibus. Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam, ſed ſeculum ipſum ſuſcepit gubernandum. Mare enim ſeculum eſt: naues, eccleſiæ. Inde eſt, quod altera vice inſtar domini gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quiſque cæterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſsima nauis facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis eccleſia toto orbe diffuſa. Hæc ille Bernardus vir, vt ſæpe diximus, plenus apoſtolico ſpiritu, cuius diuina virtus ſuo illo tempore, varijs ſignis & prodigijs per manus eius editis, euidens dignata eſt perhibere teſtimoniũ. Quæ aliquanto prolixius, nec me piguit ſcribere, nec te lector pigebit legere. Digna enim ſunt quæ le-

Nota hæc epitheta.

C

D

Vnicus Chriſti vicarius, non vni populo, ſed cunctis præſidẽs.

gantur,

A gantur,& huius,aduerſus quem agimus, viri impietatem euidẽter coarguunt, & noſtram, imo orthodoxam catholicæ eccleſiæ ſententiam euidenter adſtruunt.

Audis enim hunc ita intellexiſſe Chriſti verba inducta per aduerſarium, non vt principatum, præſidentiam aut primatum, ſed vt dominationem ſuis interdiceret, vt rectam gerendi principatus formam & rationem ſuis præſcriberet. Quæ communis quidem eſt, & ciuili, & eccleſiaſtico, tanto tamen ad hunc magis pertinet, quanto hic illo eſt dignior & perfectior, quanto denique magis decet eccleſiaſticos, quàm ſeculares principes, ad regulam & rationem diuinæ legis ſuum principatum exigere diſtrictius. Audis vt Romanum pontificem confiteatur eleuatum ſuper gentes & regna, vtque ſedeat excelſis ſublimior, non ſine autoritate vehementi, & ſuper ipſos coactiua, ſed vt euellas, inquit, & deſtruas, diſperdas & diſsipes, ædifices, & plantes. Accepiſſe apoſtolicam ſecurim, quam ocioſam iacere non debeat ſinere, ſed ea vindictam facere in nationibus, increpationes in populis, alligando reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Domare lupos, oues regere.

B Audiſti quam illum perſonam gerere in eccleſia dei doceat: Eſſe ſiquidem ſacerdotem magnum, pontificem ſummum, principem epiſcoporum, hęredem apoſtolorum, primatu Abelem, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedec, dignitate Aaronem, autoritate Moyſen, iudicatu Samuelem, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum, atque vnum omnium paſtorem, & qui ſuper ipſos etiam paſtores poteſtatem acceperit, quibus poſsit, & cœlum claudere, & paſtorali officio interdicere, atque etiam amouere. Quid tibi videtur? Nunquid hæc ſunt intelligentis à Chriſto interdictum ſuis, ne quis cui præſideat? ne quis in alium ſuperiorem iuriſdictionis autoritatem etiam coactiuam obtineat? Nunquid non audis principatum ſuper gentes & regna, ſuper reges & principes? Nunquid exarmatum, nudum, & inualidum, & non potius armatum falce apoſtolica, qua poſsit euellere & diſsipare, vindictam quoque facere in nationibus, alligare reges in compedibus, & nobiles in manicis ferreis, qua lupos domare, & oues regere? Nunquid paſtori æque baculo ac pera opus non eſt? Sed Chriſtianum nihilo minus principatum diſcreuit à dominatione ac tyrannide gentilium principum. Principem, inquit, conſtituerunt te, ſed ſibi, non tibi. Quod ſi aliter principatum exerceas, tyrannus es, non C princeps legitimus. Curam ergo & ſollicitudinem nouerit princeps Chriſtianus ſibi demandatam in confratres, ſibi villicationem commiſſam in conſeruos, à communi omnium domino indictam miniſtrationem, inter dictam autem dominationem, qua ſeruis noſtris ad propriam præcipue, non illorum vtilitatem vtimur. Proinde quod ille dicit, apoſtolis interdictum dominatum eiuſmodi, æque verum eſt de Chriſtianis omnibus cuiuſcunque tandem ſtatus, gradus aut ordinis fuerint. Aeque dices Chriſtiano cuilibet, quod ille dixit eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, videlicet vtrunque perditurum, qui in ſibi ſubditos, ſuæque curæ commiſſos conſeruos, dominationem vna cum Chriſtianiſmo ſibi vſurpare voluerit, aut Chriſtianiſmum cum dominatione eiuſmodi. Sed nunc, pro dolor & cæcitas, perſuadent ſibi Chriſtiani principes verba illa Chriſti ad ſe nihil pertinere, ſed tantum ad prȩlatos quos dicimus eccleſiaſticos: perinde ac ipſis liceret tyrannice dominari ſubditis, hoc eſt, ad ſuam, non illorum tantum vtilitatẽ. Id quod ipſa recta ratio, etiam præter euangelium, euidenter coarguit.

Rationibus quibuſdam reſpondere, quibus demonſtratum volunt, nec principatum ciuilem, nec vllam coactiuæ iuriſdictionis autoritatem, eccleſiaſticis poſſe competere. D

CAP. VI.

QVod in ſuperioribus perpetuo inueniſti lector, impietati nõ deeſſe ſcripturarum teſtimonia, ſed torta deprauata, & ſuo, non eccleſiæ catholicæ ſenſu perperam intellecta, id etiam clariſsime intelliges in ſequentibus omnibus. Itaque ex verbis Apoſtoli in epiſtola ad Timotheum hoc modo argumentatur: Nemo, inquit ille, militans deo implicat ſe negocijs ſecularibus. Sed omnium negociorum ſeculariſsimum eſt principatus habens coactiuam autoritatem, qua ſecularia negocia & ciuiles actus ordinat & regulat. Quare fugiendus illi, qui deo debet militare. In qua quidem collectione, ſi diligenter expenderis, plura pene errata quàm verba inuenies. Hoc enim ante omnia certum eſt, apoſtolicam illam inductam ſententiam omnes omnino Chriſtianos comprehendere, qui omnes Chriſto nomen dederunt in baptiſmo, omnes Chriſti militiæ adſcripti

A ſunt. Nemo itaq; deo militans, nemo Chriſtianus ſecularibus ſe implicare debet negocijs. Non tamen Chriſtiano interdicitur pro neceſsitate rerum incurrentium ſecularia tractare aut gerere negocia, quod etiā quibuſdam incumbit ex officio: ſed non debet ſe illis implicare, hoc eſt, toto animo ſe illis addicere, ita vt ſpiritualium nullam curam gerat, vt dei & ſalutis animæ ſuæ obliuiſcatur. Vtrunque enim, implicare, importat, nempe, voluntatem vltro ſe immergentis ſecularibus negocijs, atque ita ſe immergentis vt ab illis veluti obruatur, & implicitus captiuusque detineatur, vt ſe explicare non poſsit pro arbitrio, nec ſpiritualium curam agere, quorum debet omni Chriſtiano eſſe cura præcipua. Quare toties væ æterni interitus ijs comminatur ſcriptura, qui habitant in terra, qui neglecto ſpiritualium rerum ſtudio, neglecta cura ſalutis animæ ſuæ immorantur terrenis, de his perpetuo & cogitant & loquuntur. Deinde, quod ſubſumit omnium negociorum ſecularißimum eſſe principatum habētem coactiuæ iuriſdictionis autoritatem, quæ ſecularia negocia & ciuiles actus ordinat, & proinde maximè fugiendum illi qui deo militare voluerit, cogot

Quā ineptè Marſilius dicat principatū eſſe omnium negociorū ſecularißimum.

B ego communem ſenſum deſiderare in homine. Primo, quod principatum negocium facit: deinde, quod maximè fugiendum illi velit, qui nomen dedit Chriſto, atq; eius militiæ adſcriptus eſt.

Eſt enim negocium actus humanus aliquis, per quem fit, ne ſit quis in ocio. At principatus magiſtratus eſt, & veluti habitus quidam, qui etiam in ocioſo iam principe, & nihil actu operante permanet. Cui annexum quidem eſt neceſſario negocium, quod non ſinit perpetuo hic vacare & deliciari in ſponſi amplexibus, non ſinit vnius ſui curam agere, ſed cogit laborare, cogit ſudare, cogit prouidere confratribus, omnium curam gerere, omnium onera vna ferre, vna ſubleuare, omnibus imminens periculum perſpicere, atque ab omnium ceruicibus depellere. Laborioſa quidem hæc, difficultatis plena, atque ardua omnia, at tanto deo gratiora, tanto magis meritoria. Itaque principatus nullo modo fugiendus eſt addicto Chriſti militiæ, niſi tantum imbecilli & ſuæ infirmitatis conſcio. Nihil enim per ſe fugiendum eſt Chriſti militi, niſi quod contra imperatoris ſui charitatem facit & proximi. At rectè principantis opera, ſunt perfectißimæ charitatis, & dei & proximi: qua re minime fugiendus forti Chriſti militi, viro bono & virtuoſo. Nam adeo ad profectum & virtutis conſum-

Principatum haud fugiendū Chriſtiano, niſi tantū imbecilli & ſuæ infirmitatis conſcio.

Rectè principantis opera eſſe charitatis perfectißima.

C mationem nullo impedimento eſt, vt vberrimam etiam meritorum materiam ſuggerat. Nunquid enim Moyſi, ille principatus populi, nunquid Ioſue, nunquid Dauidi atque alijs ſine numero, perfectioni & conſummatæ virtuti impedimento extitit, & non potius præclara explicandæ virtutis materia? Fateor eſſe difficile in tanto actu rerum, tanta mole vndique ingruentium & premētium curarum, tanta etiam licentia qua neminem quàm vnum deum quis ſupra ſe reformidat, ſibi nunquam excidere, ſibi ſemper conſtare. At quanto difficilius, quanto publica ſalus ex principis virtute, & rectè ab eo miniſtrato principatu maximè dependet, quanto deniq; locus ille magis lubricus eſt: tanto magis illis, qui in Chriſti militia plus profecerunt, qui vni illi, non ſibi viuunt, vnum ſemper præ oculis habent, committendus eſt. Qui etſi metu periculi refugiant, ſi humilitatis ſenſu tanto oneri ſe clament impares, ſi ab illa contemplationis dulcedine, ad actuoſam hanc vitam ægrè ſe abſtrahi patiantur, vincat tamen charitas dei & proximorum, neceſſe eſt. Quos non minus ſuſcepto magiſtratu in coertione atque ſupplicio ſceleratorum, in defenſione ſubditorum, etiam armata & militari manu à vi iniuſta & inuaſione hoſtium, deo placere certum eſt, D quàm antè in illo, dulciori quidem, ſed paucioribus vtili contemplationis ocio placuerunt: quin potius, tanto magis, quāto horum ſe latius diffundit vtilitas, quanto laborioſius ad plures ſe extendit actuoſa hæc principantis charitas. Quod clariſsimè ipſe ſignificauit Chriſtus, cūm principatum, gubernationem & paſtoralem curam totius eccleſiæ ſuæ committeret Petro, cum trina interrogatione, num ipſum cæteris plus diligeret. Quo nihil aliud voluit ſignificare, quàm opus ſibi commiſsi principatus eccleſiæ, & paſtoralis curæ & regiminis, non eſſe vulgaris, ſed excellentis cuiuſdam charitatis dei & proximi. Quod quis non intelligit, qui rectè gerendi principatus ex Chriſti verbis à nobis ſupra expoſitam rationem diligenter cōſiderat? Nam reuera nihil aliud eſt princeps, qui ad regulā rectæ rationis, & luminis Chriſtianæ fidei principatū ſuum exercet, quàm miniſter ſeruorum dei. Quam regulam ſi tranſgrediatur, non iam princeps, ſed tyrannus dici meretur, vt quotieſcunque à domini ſui gloria, & ſubditorum vtilitate ad propriam deflectit ſuæ intentionis oculum. Ita enim ſe totum tyrannidis tenebris inuoluit.

Princeps miniſter ſeruorum dei.

Iam & ex his, quæ alio loco dicit Apoſto-

lus,

A lus, eandem impietatem confirmari exiſtimans, eandem quoque ſuam vbique ignorantiam prodit. Secularia igitur, inquit ille, iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Per contemptibiles, vt ipſe vult, intelligens laicos ſecularium negociorum peritos, vt hi (inquit Gregorius) terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum ſapientiam perceperunt. Qui autem ſpiritualibus donis ditati ſunt, terrenis non debent negocijs implicari, vt dum non coguntur inferiora bona diſpicere, valeant bonis ſuperioribus deſeruire. Et hactenus quidem ab illo non diſcordamus admodum. Sed quod ex iſto conſequi exiſtimat, nulli ſacerdotum in eccleſia ſuper vnumquemuis alium vllam coactiuæ iuriſdictionis autoritatem competere, toto aberrat cœlo. Eſto, non debeat ſummus & ſacroſanctus in eccleſia magiſtratus onerari, implicarique, & velut diſtrahi his minutis ac vilibus, cui incumbit ſollicitudo totius eccleſiæ, ſed ad illa dijudicanda inferioris gradus & meriti, in ſuis quoſque ciuitatibus & locis iudices conſtitui oporteat: nunquid propterea illi ipſi non ſuberũt ſuperioribus? non poterunt eorum errata corrigi? non

Quàm rudicule colligat ex illis verbis Apoſtoli: Secularia igitur iudicia ſi habueritis &c.

B retractari iudicia? non puniri præuaricationes? Quanquam enim propter exonerationẽ principis, in plurimos neceſſario partienda erat infinitæ multitudinis gubernatio, æque tamen neceſſario omnibus ſuperintendere debet principis ipſius autoritas, errantes & præuaricantes corrigere & punire, atque omnes in officio continere. Moyſes ille, cum ſolus obiret populi illius gubernandi onera, ſolus ſederet iudex diſceptationibus & controuerſijs omnium, non immerito à ſocero ſuo Ietro reprehenſus eſt, quod ſtulto labore fruſtra fatigaret ſe & populum, dicens tantæ multitudinis negocia vnius vires excedere. Sed, inquit, audi verba mea atque conſilia, & erit dominus tecum. Eſto tu populo in his quæ ad deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, oſtendasque populo cæremonias & ritum colendi, & viam per quam ingredi, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantum iudicent, leuiuſque ſit tibi partito in multos onere. Cuius ſapienti atque adeo neceſſario conſilio obſequutus Moyſes e-

Exemplum Moyſis.

C lectis ex vniuerſo Iſrael viris ſtrenuis, conſtituit eos principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicarent plebem domini omni tempore, ſubordinatos ſibi, ita vt à Decanis ad Quinquagenarios, ab his ad Centuriones, ab illis vero ad Tribunos ordinate recurſus haberetur: tamen de facilioribus, hoc eſt, ciuilibus tantummodo actibus & negocijs iudicantes. A quibus nihilominus ſi cauſa ipſa expediri non poterat, vltimate referebatur ad Moyſen, cuius etiam cognitioni ſi quid erat grauius & magni alicuius momenti, reſeruabatur. Et hæc in illa ſynagoga veteri, cuius ſtatum vniuerſum vmbram quandam & figuram fuiſſe noſtræ eccleſiæ ſupra toties indicauimus ex Apoſtolo. In qua quis correſpondentem illam Moyſis autoritatem obtineat, prioribus duobus libris demonſtrauimus, atque etiam ex D. Bernardi paulo ante inductis verbis intellexiſti. Qui inueſtigans quam pro tempore perſonam in eccleſia gereret Romanus pontifex, dicit eundem eſſe autoritate Moyſen, & iudicatu Samuelem. Itaque etiam in domo ampliſſima Chriſtianæ eccleſiæ (cuius limites termini orbis terrarum ſunt, & ſummus pontifex velut quidam paterfamilias) in plurimos diſpartienda erit neceſſario eius gubernatio.

Cathedra Moyſi ſpecialiter referuatæ omnes maiores cauſæ. Collatio vmbræ & figuræ ad noſtram eccleſiam.

D Et vt ſacerdotibus ſpiritualium negociorũ emergentium per ſingulas ciuitates, diœceſes, prouincias: ita & laicis quibuſdam committenda ciuilium rerum, vt minoris momenti, iudicatura & cognitio, tamen ſubordinatis ſibi eorum magiſtratibus, vſque ad illos, quos nobis in illo veteris populi ſtatu Tribuni referebant, qui nullos iam ſuperiores ciuiles magiſtratus habebant, ſed vnius Moyſis iudicio ſuberant: quales inter nos ſunt principes, reges, imperatores, videlicet ſibi non ſubalterni, ſed quiſque primus in ſuo ordine aut ſibi commiſſa ciuili gubernatione populi. Attamen etiam omnes hi, vt præcipua quædam membra eccleſiæ, quo eiuſdem conſeruetur vnitas, ſubſunt neceſſario capiti hierarchiæ eccleſiaſticæ, qui apud nos autoritate Moyſes eſt, aut etiam illo ſuperior. Ad quem etſi propriè ſpectent illa, quæ ad deum ſunt, vt in his præſit omnibus, nihilo tamen minus pertinet vniuerſæ, quanta eſt, eccleſiæ ſuperintendere, omnia eius membra in officio continere, rationem geſtorum officiorum exigere: breuiter curam paſtoralem ſuper omnes gerere, quæ non minus baculo, quàm pera inſtructa ſit oportet, hoc eſt, iuriſdictionis coactiuæ autoritate.

Supremos in eccleſia ciuiles magiſtratus ſubijcit iudicio eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis.

A

Varij modi autoritatis coactiuæ.

Sed varij coactionum modi ſunt, aut coactiuæ autoritatis, quæ omnibus quidem quibus aliorum commiſſa eſt gubernatio, in ſibi ſubiectos competit: non tamen eadem omnibus conuenit, ſed cuique ſua, patribus in filiosfamilias, dominis in ſeruos, pædagogis aut magiſtris in diſcipulos, abbatibus in ſuos monachos, ciuilibus magiſtratibus in ſibi ſubiectos, eccleſiaſticis (quos nunc dicimus) in ſuæ quoque commiſſos curæ & regimini: in omnes vero & ſuper omnes qui ad Chriſti familiam pertinent, diſpenſatori & velut patriſamilias totius domus eccleſiaſticæ, atque hierarchiæ eius præſidi. Omnibus, inquam, his in ſibi ſuæque gubernationi commiſſos & ſubditos competit etiam coactiua quædam autoritas, qua poſſint delinquentes punire, & errata eorundem corrigere: ſed non eadem, quando nec vnus coercendi modus conueniret omnibus. Alius enim patri in filium, alius domino in ſeruum, magiſtro in diſcipulum, abbati in ſuos monachos, ſecularibus principibus & poteſtatibus in ſibi ſubditos, alius denique totius eccleſiæ rectori in omnes, in reges, principes, regna, imperia. Vni enim virgæ conueniunt, alteri ferulæ, alteri flagra, compedes, carceres, alteri etiam gladius. At quæ hæc omnia

B

Qualis autoritas coactiua conueniebat eccleſiaſtica hierarchiæ præſidi. Spiritalis gladius quàm terribilis ac metuendus.

continere debet in officio, potentior & terribilior ſit omnibus oportet, quæ armatos & gladium portantes principes ſibi ſubijcere, ſine tamen cæde poſſit & ſanguine, ſine orbis tumultu & incendio. Hic eſt ſpiritualis ille gladius, quo poteſt eccleſiaſticæ domus paterfamilias, contumaciter ſibi inobedientes reſecare à corpore eccleſiæ, atque ita illis cœlum claudere, ad quod nulli niſi de eccleſia patet aditus. Cuius mucro quod nunc hebeſcit, quod noſtris principibus nũc minus ſit, quã olim ſolet eſſe formidabilis, non eſt quod hi plus illis ſapiunt, ſed quod magis deſipiunt, quod fidei, religioniq́ue Chriſtianæ minor apud hos locus eſt. Theodoſius ille verè Chriſtianus & ſapientiſſimus imperator, vim illius in ſe expertus, in puluere ſedens & cilicio, atque ex intimis præcordijs ſingultus trahens & ſuſpiria, Ruffino ſe conſolari volenti: Meorum, inquit, ſenſu malorum haud tangeris. Ego vero gemo, lamentorq́ue in conſideratione calamitatis meæ, quod cum ſeruis & mendicis pateat diuinum templum, illiq́ue libere ad deprecandum dominum ſuum ingrediantur, mihi tum illud inacceſſum, tum inſuper & cœlum occluſum eſt. Memoria enim teneo dominicam vocem, quæ manifeſtè dicit: Quemcunque alligaueritis in terra, is & in cœlo erit ligatus. Hic illi & illo tempore de gladio ſpiritali ſenſus erat, qui datus eſt eccleſiæ principibus, ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Sed iſti ſcilicet illo ſapientiores ſunt, & magis religioſe Chriſtiani, qui non ſunt contenti ſibi inacceſſa eſſe diuina templa, ſed ne quibus pateant, ea funditus magno ſtudio euerterũt. Claudi ſibi cœlum, vt ille, ſacerdotali autoritate non credunt. Verba Chriſti non, vt ille, intelligunt. At qui rectius, hi an ille, vel cæco arbitror eſſe perſpicuum. C

Noſtrorum principũ cũ Theodoſio collatio.

Perfidia Marſily notãdus S. patrũ ſententijs rurſus coarguitur.

Quod vero ex quibuſdam truncate citatis diui Bernardi verbis perſuadere conatur eam fuiſſe illius ſententiam, vt epiſcopus ſibi vendicans coactiuam iuriſdictionem ſuper contentioſis inter homines actibus, alienum ſibi officium vſurpet & inuadat indebite: cogor iterum demirari diabolicam in homine perfrictæ frontis impudentiã. Quid enim diuus Bernardus de autoritate Romani pontificis vt eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis ſentiat, ex his quæ ante induximus libri eius ſecundi de conſideratione ad Eugenium, cuique adeſt perſpicere. Quod ſi nec hic truncaſſet verba, ſed addidiſſet & præcedentia & ſubſequentia, adempta ſibi fuiſſet imponendi lectori occaſio, cui clarè D conſtitiſſet etiam ex his ipſis verbis Bernardi ſibi perpetuo conſtans & conſona ſententia. Quam vt intelligas, ille libro primo de conſideratione ad Eugenium, velut eius miſertus, quod è dulci illo contemplationis ocio ac latebra protractus eſſet in publicum ad piſtrinum, ac infinitam velut molem negociorum totius eccleſiæ, eundem inſtruit, quo pacto in illis ipſis negocijs, ſibi tamen aliquid poſſit facere contemplatiui ocij, diui Gregorij ſibi proponens exemplum, qui inter maxima negocia, ocia ſibi ſalutaria nouerat inuenire: Obſidio, inquit, vrbi, & barbaricus enſis ciuium ceruicibus imminebat, nunquid tamen iſtud terruit beatum Papam Gregorium, quo minus ſapientiam ſcriberet in ocio? Eo nempe temporis, quod ex eius præfatione liquet, obſcuriſſimam & extremam partem Ezechielis tam diligẽter, quàm eleganter expoſuit. Proinde, inquit, memento & tu, non dico ſemper, non dico ſæpè, ſed vel interdum reddere teipſum tibi. Vtere tu quoque te intet multos, aut certè poſt multos. Quid indulgentius? Hoc enim dico, ſecundum indulgentiam, non ſecundũ iudicium, puto & ipſo Apoſtolo me indulgentio-

A gentiorem in hac parte. Subiungens deinde
quid fortè ab illo exacturus eſſet Apoſtolus,
nempe vt vel in totum reiectis his minutis
& vilibus, quibus nunc præſes eccleſiæ fre-
quenter occupari cogitur, hoc eſt, iudicijs
inter homines litigantes pro terrena hære-
ditate atque eiuſmodi, vt ſibi indignis, totū
ſe reſeruaret potioribus, adducta ad id apo-
ſtolica paulo ante inducta ſententia, de con-
temptibilioribus in eccleſia conſtituendis
ad iudicia eiuſmodi. Quid ni, inquiens, con-
temnant iudicare de terrenis poſſeſsiuncu-
lis hominum, qui in cœleſtibus & angelos iu
dicabunt? Subdit deinde verba, quæ ille
trunca induxit: Ergo in criminibus, non in
poſſeſsionibus eſt poteſtas veſtra. Quoniam
propter illa, non propter has accepiſtis cla-
ues regni cœlorum, præuaricatores vtique
excluſuri, non poſſeſſores: vt ſciatis quia fi-
lius hominis habet poteſtatem dimittendi
peccata. Quænam tibi maior videtur digni-
tas dimittendi peccata, an prædia diuiden-
di? Sed non eſt comparatio. Habent hæc infi-
ma & terrena iudices ſuos, reges & principes
terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid fal
cem veſtram in alienam meſſem extenditis?
Quibus verbis nihil aliud vult vir ſanctiſsi-
mus, quàm quod Apoſtolus fortaſsis à ſum-
B mo pontifice exigeret (quod ipſe obſtante
nunc malitia temporum non audebat exige-
re) vt planè reiectis his minutis & vilibus
tanquam ſuæ occupationi & cognitioni pror
ſus indignis, ad inferiores ad ea ipſa proprie
deputatos iudices, ipſe potioribus ac grauio
ribus intenderet, hoc eſt, corrigendis crimi-
nibus. Non quia ſua ad ea ſe non extendit au
toritas, ſed quia indignum eſt vt illis occupe
tur, quæ præſtari poſſunt ab inferioribus. Ita
& in hæc verba ſubdit, quæ ille ſtudio trun-
cauit: Non, inquit, quia indigni vos, ſed quia
indignum vobis, talibus inſiſtere, quippe po
tioribus occupatis. Sed vbi fortè neceſsitas
exigit, videlicet etiam ad eiuſmodi demitte-
re ſe autoritatem veſtram, audi quid ſentiat,
non ego, ſed Apoſtolus: Si enim in vobis iu-
dicabitur hic mundus, indigni eſtis qui de
minimis iudicetis? Sed aliud eſt incidenter
excurrere in iſta, cauſa vrgēti: aliud vltro in-
cumbere iſtis, tanquam magnis dignisque
tali & talium intentione rebus. Hæc, inquit,
dicerem, & innumera talia dicerem, ſi fortia
dicerem, ſi recta, ſi ſyncera, videlicet qualia
fortaſsis exigeret Apoſtolus. Nunc autem
quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim ad-
monitum eſſe, non totum te, nec ſemper da-
re actioni, ſed conſiderationi aliquid tui &
cordis & temporis ſequeſtrare. Audis itaque

Hinc intellige clariſſimā Bernardi ſententiam.

lector viri ſanctiſsimi & verè orthodoxi ſen C
tentiam, qua non negat epiſcopis autorita-
tem coactiuæ iuriſdictionis ſuper alios, ſed
optaret eam in his minutis & vilibus non oc
cupari, ſed expeditam vacari vni correptio-
ni criminum, ſuper quæ etiam grauiori &
vehementiori coactiua poteſtate opus eſt.
Non tamen negat minuta illa ſubeſſe autori-
tati eccleſiaſtici hierarchiæ præſidis, imo ex
apoſtoli ſententia illa ſubeſſe docet, & rectè
ac pro debito illum facere, ſi exigente ne-
ceſsitate, etiam ad illa ſe demittat, modo
non incumbat vltro tanquam magnis, & ſe
ſuaque occupatione dignis. Quod ipſum
clarius adhuc explicat in ſequentibus, vbi
velut ſecūdum malitiam horum temporum
ſibi obijciens ex perſona pontificis: Sed e-
ſto, inquit, alius nunc mos inoleuit, alij dies
ſunt, alij hominum mores, & tempora peri-
culoſa non inſtant iam, ſed extant: fraus &
circumuentio, & violentia inualuere ſuper
terram: calumniatores multi, defenſor ra-
rus, vbique potentiores pauperiores oppri-
munt. Non poſſumus deeſſe oppreſsis, non
negare iniuriam patientibus iudicium. Niſi
agitentur cauſæ, audiantur partes, inter
partes iudicare quis poteſt? Reſpondet: Agi-
tentur cauſæ, ſed ſicut oportet, &c. Nihil ita
abſque labore manifeſtam facit veritatem, D
vt breuis & pura narratio. Ergo illas quas ad
te neceſſe eſt intrare cauſas (neque enim o-
mnes neceſſe erit) diligenter velim, ſed
breuiter decidere aſſueſcas, fruſtratoriasque
& venatorias decidere dilationes. Cauſa vi-
duæ intret ad te, cauſa pauperis, & eius qui
non habet quod det. Alijs alias multas pote-
ris committere terminandas, quàm plures,
nec dignas audientia iudicare. Quid enim
neceſſe eſt audire illos quorum peccata ma-
nifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium? Plena
eſt ambitioſis eccleſia, non eſt iam quod ex-
horreat in ſtudijs & molitionibus ambitio-
nis, non plus quàm ſpelūca latronum in ſpo-
lijs viatorum. Si Chriſti diſcipulus es, igne-
ſcat zelus tuꝰ, exurgat autoritas aduerſus im-
pudentiam hanc & generalem peſtem. Intue-
re magiſtrum ſic facientem, & audi dicentē:
Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Non parat
aures vt audiat, ſed flagellum quo feriat, ver-
ba nec facit, nec recipit. Nec enim ſedet iu-
dicans, ſed inſequitur puniens. Cauſam ta-
men non tacet, quod videlicet domum o-
rationis, domum negociationis feciſſent.
Ergo & tu fac ſimiliter. Erubeſcant vultum
tuum iſtiuſmodi negociatores, ſi fieri po-
teſt: ſi non poteſt, timeant. Nam & tu flagel-
lum tenes. In ſumma, inquit, hoc pacto ti-
bi pa-

A bi parabis quas ſuadeo ferias, ad vacandum conſiderationi, quædam negocia nec audiendo, quædam alijs committendo, & quæ tua digna putaueris audientia, fideli quodam & accommodo ipſi cauſæ compendio terminando. Hactenus ille. Et tu vis ex diui Bernardi ſententia epiſcopum aliena ſibi vſurpare, ſi coactiuæ iuriſdictionis autoritatem exercere tentauerit ſuper contentioſis actibus hominum: O impudentiam ſingularem & ſubdolam.

Obiectioni reſpondere ex verbis Apoſtoli ad Romanos XIII. Ex quibus omnes æquè eccleſiaſticos vt laicos, ſubiectos videri volunt coactiuæ poteſtati principum huius ſeculi.

CAP. VII.

QVàm non ſit difficile impietati accommodare diuinarum ſcripturarum eloquia, quando ſua illis non adhibetur amuſsis, teſtantur tot portenta peſtilentiſsimarum hæreſium, & libro primo copioſius demonſtrauimus. At cum diligenter & fideliter ad illam ſuam exiguntur regulam, iam tum apparet
B & planum fit, quænam ſit earum germana ſententia, vt vbique ſubſcribens catholicæ per orbem fidei, ita omni prophanæ nouitati, nouitiæque impietati aduerſaria. Quod vt in ſuperiorib. perpetuo intellexiſti, ita & hic efficiam vt clariſsime intelligas.

Impotenter ille aduerſum nos iactat verba Apoſtoli, quibus omnem animam docet poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe oportere, Deiq; ordinationi reſiſtere, & ſibi damnationem acquirere, qui reſiſtunt magiſtratibus. Proinde neceſsitati parere iubet, non tantum propter iram principum, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim, inquit, & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Ex quibus equidem verbis, verboſiſsimè atque ineptiſsimè tractatis ac trutinatis, multis etiam inconcinnè adhibitis ſanctorum ſententijs infert, neceſſario tenendum illi, qui nomen & doctrinam domini blaſphemare noluerit, omnes homines cuiuſcunq; ſtatus aut conditionis exiſtát, tam realiter, quàm perſonaliter ſubeſſe debere iuriſdictioni principum ſeculi, atque eiſdem obedire in omnibus, quæ non contradicunt legi æternæ ſalutis: quandoquidem de ſecularibus poteſtatibus conſtat locutum apoſtolum, quibus commiſſus eſt vſus gladij. Omnem autem animam dixit, neminem exipiens, nec presbyterum, nec epiſcopum: quos reſiſtentes poteſtatibus etiam infidelibus, damnationem æternam ſibi vult acquirere: quanto ergo magis, inquit, indignationem omnipotentis dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli acquirunt Rom. Pontifices, qui hac Dei & apoſtolorum doctrina contempta iamdudum turbarunt ac turbant fideles reges & principes, atque eorum autoritatem ſuæ autoritati ſubijciunt, quum contra his illos potius ſubiectos eſſe oporteat? Hoc ipſum confirmans Auguſtini ſententia: Ideo, inquit ille, & Apoſtolus eccleſiam orare pro regibus admonuit, & omnibus ſublimibus, eodem ſpiritu afflatus quo & Hieremias, qui miſit epiſtolam Iudæis, qui erant in Babylone, vt orarent pro vita regis Nabuchodonoſor, filiorumq; eius, & pro pace ciuitatis: quia, inquit, in pace eorum erit pax veſtra. Hoc autem figuratè ſignificaſſe eccleſiam in ſanctis eius (qui ſunt ciues cœleſtis Hieruſalem) ſeruituram ſub regibus huius ſeculi.

Sed oro te lector, vt ſis memor eorum, quæ ſuperius demonſtrata non ſemel inculcauimus. Ita enim clariſsime intelliges, nobis pulchre conuenire cum Apoſtolo. Neque enim dicimus Chriſti religionem quemquam priuare ſuo iure, non abſoluere filios à patria poteſtate, ſeruos à ſubiectione & ſeruitute quam debent dominis, ſubditos à ſuperiorum ſuorum & ciuilium magiſtratuum obedientia debita, etiam ſi ſacerdotes, etiam ſi epiſcopos: proinde & apoſtolos eorumque ſucceſſores epiſcopos & presbyteros, iure merito ſubfuiſſe à principio legitimæ autoritati ciuili, quæ præerat in quibus morabantur ciuitatibus & comitatibus. Venit tamen Chriſtus, etiam ſibi regnum quoddam in quo ſuper nos regnaret, conſtituere, hoc eſt, catholicam ſuam eccleſiam: ſed tantum ex dedititijs & voluntarijs, quiq; vltro ſe eius ſeruituti ſubijcerent. Quod equidem vt futurum ampliſsimum & comprehenſurum infinitam multitudinem hominum, etiam diligentiſsimo ordine diſpoſuit, atque eius vnitati, vno illi conſtituto capite aut rectore, ad quem totius cura pertineret & gubernatio præcipua, diligentiſsime ſimul & ſapientiſsime prouidit. Non eſt itaque, quod ſuam ſibi quiſquam queratur ademptam autoritatem per regnũ Chriſti, cui nemo ſeruit inuitus. Tamen quiſquis

C

D

Chriſti religionem nemi nem priuare iure ſuo.

Regnũ Chriſti ex dedititijs tantum & voluntarijs.

vltro

A vltro ſe illi ſubiecerit, etiam obedientiam debeat ſacroſanctis ab eodem conſtitutis magiſtratibus, & præcipue totius eccleſiæ paſtori, rectori & principi, neceſſe eſt. Qui quamdiu quidem viuebat ſub principibus & magiſtratibus, qui ſe nondum Chriſti iugo ſponte ſubdiderant, etiam illis ſuberat, & ſubeſſe tenebatur ciuiliter. At poſtquam diuina ordinatione impleta iam cernimus illa prophetarum oracula, quibus fore prædixerunt, vt gentes & regna, reges & principes ſeruirent Chriſti regno & eccleſiæ, poſtquam vltro facti ſunt eccleſiæ filij, atque eius quędam membra præcipua, vt quorum eſt magni momenti & neceſſarium officium ad ſalutem totius corporis, rerum natura non patitur, vt illis caput, princeps aut rector ſubijciatur eccleſiæ, & non potius membra capiti, atque illi officiorum ac magiſtratuum ſuorum exacti rationem reddere teneantur. Illius ſubſint iudicio, præſertim qui nullus ſuperiores ciuiles magiſtratus recognoſcunt. Itaque iam ante annos mille videmus Chriſtianos principes, reges, imperatores, ſe & ſua ſceptra ſubmiſiſſe, atque adeo tradidiſſe Chriſti eccleſiæ, atque ab ea veluti accepta recognoſcere, eius iudicio regnare reges & imperatores, & amoueri regno & imperio, quemadmodum ſupra in Henrici IIII. tragœdia ex recognitione libera totius regni & imperij intellexiſti, & poſt copioſius demonſtrabimus. Nec dubitabis diuinæ diſpenſationis ac prouidentiæ, non humanæ præſumptionis aut vſurpationis hæc eſſe opera, ſi ad Eſaiæ & Danielis reſpexeris vaticinia, quibus hæc, tanto ante quam fierent, fore prædicta ſunt, ſi præterea ad Gamalielis illam regulam eadem exegeris: Quoniam ſi ex hominibus eſt, inquit, conſilium hoc aut opus, diſſoluetur. Siquidem annis plus mille hoc ipſum duraſſe videmus.

Omnia membra eccleſiæ in ſuo quoq; officio ſubeſſe eius paſtori, rectori & capiti.

B

Itaque quod dicit Apoſtolus, omnem animam ſublimioribus poteſtatibus ſubditam eſſe debere, & debitam eiſdem præſtare obedientiam, libenter amplectimur. Sed hoc te admonitum volumus lector, non de ciuilibus tantum magiſtratibus & poteſtatibus illum loqui, ſed in vniuerſum de omnibus, ita vt iuxta illam Apoſtoli ſententiam, ſerui dominis, famuli & ancillæ patrifamilias, vxor marito, monachus ſuo abbati, omnes denique, qui vel ſua voluntate, vel ex ſtatu & conditione reipublicæ, cuius pars ſunt, vel ex ſuæ natiuitatis ſorte alteri ſubiecti ſunt, illi obedientiam debeant. Itaq; quoniam non idem in omni ordine ſuperioritatis & ſubiectionis debetur ſuperioribus poteſtatibus à ſubditis, ideo concludens generalem illam ſententiam, dicit: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Quin & ipſa ratio Apoſtoli, qua perſuadet omnes omnibus ſuperioribus poteſtatibus obedientiam debere, conuincit illum ita vniuerſaliter (vt diximus) loqui, & non tantum de poteſtatibus ſecularibus aut magiſtratibus ciuilibus. Quoniam, inquit, à Deo hæc ita ordinata ſunt, cuius ordinationi qui reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem acquirent, aut iudicium, vt legit Chryſoſtomus. A Deo ſiquidem ordinatum eſt, vt ſit ordo inter homines, vt hic præſit & cæteris imperet, ille ſubſit & obſequatur alterius imperio, ne cuncta temere ferantur, & quemadmodũ vndæ (vt eiuſdem Chryſoſtomi verbis dicam) ita & populi huc atque illuc circumagerentur. Quoniam enim honoris & conditionis æqualitas pugnas & diſſidia plerunque inducit, multos fecit principatus, multaſque ſubiectiones, vtpote viri & vxoris ſuæ, filij & patris, ſenis & adoleſcentis, ſerui & domini, principis & ſubditi, præceptoriſque ac diſcipuli. Et quid, inquit, miraris quod in hominibus iſtud fecit, quando idem & in corpore noſtro fecerit? Neque hic paris honoris omnia fecit, ſed hoc equidem minus, illud vero potius, & hæc quidem reliquis membris imperantia, illa vero ſeruientia. Idem & in beſtijs videri eſt, vt in apibus, in gruibus, in gregibus ouium agreſtium. Quin & mare ab iſta diſciplina deſtitutum non eſt, ſed illic quoque multa piſcium genera ſub vno reguntur ac militant, longaſque velut peregrinationes ſuas exequuntur. Hactenus fere Chryſoſtomus. In hunc modum vnuſquilibet homo quicunque tandem is fuerit, ſeu apoſtolus, ſeu propheta, ſeu epiſcopus, ſeu ſacerdos, ſeu monachus, ſeu prætor, ſeu conſul, ſeu rex aut imperator, ſibi ſupereminenti poteſtati obedientiam dependat oportet, ſi quæ modo illi poteſtas ſuperemineat. Ea enim reſtrictione opus eſſe, res ipſa cogit intelligere. Nam ſuprema in terris, & nulli alteri, ſubordinata autoritas, nulli etiam alteri niſi Deo ſubiectionem debet & obedientiam. Quod vero generalem illam ſuam, atque adeo diuinam ſententiam, in ciuilibus & huius ſeculi poteſtatibus velut in exẽplo diligentius executus ſit, hoc fecit, vt obſtrueret ora quorũdam loquentiũ iniqua, & per quos apud gẽtes blaſphemabatur nomẽ domini & Chriſtiana religio, quaſi doceret ſub-

Intellectus verborum Apoſtoli ad Rom 13. Omnis anima, &c.

C

Chryſoſt. in epiſtola ad Roman.

D

Cur generalem illam ſententiam in huius ſeculi poteſtatib. veluti exemplo diligentius ſit executus B. Apoſtolus.

A ſubditos rebellare magiſtratibus, ſeruos dominis. Ita enim plerique ſenticbant de doctrina apoſtolorum, quod omnes, velut propoſito pileo, euocarent in libertatem. Infamabanturque veluti ſeditioſi, rerumq; nouatores, & qui omnia ad euertendum leges cómunes & facerét & dicerét. Qua vt ſe & religioné Chriſti purgaret infamia, illam quam præmiſit generalem ſententiam, & veluti animi quandam communem conceptionem, in publicis poteſtatibus & magiſtratibus diligentius exequitur Apoſtolus, tandem, reuerſus ad communem & generalem, dicit: Reddite ergo omnibus debita. Idem quoque & eodem conſilio fecit Petrus dicens: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, hoc eſt, quiſque ſuo ſuperiori, aut illi cui eſt ſubditus ſecundum ipſam humanarum ſocietatum legem atq; ordinem, hoc ipſum deinceps ſpeciatim exemplificãs, ſiue regi, inquit, tanquam præcellenti: ſiue ducibus tanquam ab eo miſsis, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, ſimiliter & de ſeruis erga dominos, de filijs erga parentes, de vxoribus erga ſuos maritos ſubijciens. Omni ergo humanæ creaturæ nobis præpoſitæ, hoc eſt, vt loquitur Paulus, omni ſublimiori aut ſuperiori poteſtati, quiſque ſecundum Dei ordinationem & voluntatem debet obedientiã. Quam adeo non tollit lex Chriſti & euangelica, vt magis confirmet etiam.

B

Sed ex hac apoſtolica, atque adeo Chriſti ſententia minime ſequitur, caput hierarchię eccleſiaſticæ ſubijci regibus, imperatoribus & principibus, qui ſunt membra eccleſiæ: ſed contra potius, ex ipſa lege euangelica, neceſſe eſt vt membra obediant capiti, quia membra ſunt communis corporis, & quia ſeſe illi vltro ſubiecerunt, neceſſe eſt, vt caput in reliqua membra vniuerſa imperium habeat. Siquidem & Dei ordinationi, atque ipſi adeo rerum naturæ repugnat, vt contra membra imperitent capiti. Illi dedit Chriſtus autoritatem obligandi omnes, qui in eccleſiaſtica domo ſunt, dicens etiam in cœlis illos ipſos obligatos haberi. Illi commiſit claues regni cœlorum, quibus membris eccleſiæ ſibi inobedientibus & rebellibus poteſt etiam cœlum claudere, poteſt extra arcam illam myſticam, & domum eccleſiæ eijcere & velut ethnicos facere. Itaque ſecundum apoſtolicam & Chriſti iam inductam ſententiam, omnes magiſtratus, qui ſunt mẽbra Chriſtianæ eccleſiæ, etiam capiti eccleſiaſticæ hierarchiæ, vt ſuperiori ſuper ipſos autoritati, atque adeo ſuo capiti debent obedientiam. Qui extra ſunt, & necdum Chriſti regno ſeruiunt, non debent, imo contra, vbi illud ipſum caput eccleſię, in ciuitatibus aut communitatibus ageret, quibus illi legitime præfecti ſunt, ſecundum eandem apoſtolorum & Dei ſententiam, ipſis obedientiam deberet, vt ſubditi cæteri, deberet & tributa, & vectigalia reliquorum inſtar dependere. Acquè tamen verum eſt, quod nullum ſuo iure priuat Chriſtiana religio. Sed qui ſe illi adſtringunt vltro, ſeque Chriſti regno ſubijciunt, neceſſe ẽſt vt illius quoque leges ſeruent, illius ſacroſanctis magiſtratib. dependant obedientiam, vt membra ſe permittant imperio capitis. Quod ſane ita decere, ita omnem rationem & honeſtatem exigere, rectè intelligentes ſapientiſsimi & religioſi principes, non ſolum ſacroſanctis (quibus neceſſariam obedientiam debebant) magiſtratibus, ſed etiam omnibus ſacrorum miniſtris, omnibus denique, qui ſe Chriſti ſeruitio ſpecialius addixerunt ac deuouerunt, publicis legibus exemptionem ab autoritate, immunitatem ab oneribus ciuilibus conſtituerunt. Nihil tamen in hoc nouum facientes, nec prorſus aliud, quàm quod honoré, quam ante falſæ religioni indebite detulerat decepta antiquitas, ipſi verę debitum impenderunt.

C

D

Etiam apud gentiles receptum fuiſſe, vt ſacerdotibus ſuis ſingularem deferrent honorem, immunitatem & vacationem à ciuilibus oneribus atq; annonam ex publico.

Hoc ſanè conſtat, apud omnes etiam gentiles, quibus tamen vlla religionis, vlla numinis cura extitit, quamuis ad veri cognitioné non peruenerint, velut naturali ratione magiſtra receptum fuiſſe, vt ſacerdotibus ſuis ſpecialiter deputatis ſacrorum & numinis (qualiacunque ipſi credebant) miniſterio ſingularem deferrent honorem & reuerentiam, ciuilium onerum vacationem ac immunitatem, & præterea annonam ex publico. Teſtatur hoc ſacra Geneſeos de Aegyptijs ſacerdotibus hiſtoria, qui in illa ſeptennij fame ſubleuata Ioſephi prouidentia, non ſunt coacti, inſtar reliquorum Aegyptiorum, vendere ſuas terras & poſſeſsiones in ſeruitutem regiam, vt quibus ex publicis horreis ſtatuta præbebantur cibaria. Idem de vniuerſis nationibus comprobant omnium gentium hiſtoriæ. De Romanis vero, quamdiu ſeruierunt idololatriæ, illa Symmachi viri conſularis & vrbis præfecti, ad Valentinianũ, Theodoſium & Archadium Auguſtos, pro veteri deorum cultu reducendo, aduerſus Chriſtianos oratio. In qua inter cętera grauiſsimè queritur, Veſtalibus ſacerdotibus ſua ab initio illis conceſſa detrahi immunitatis priuilegia atque annonam, quam ſolebant accipere ex publico. Quanto, inquit, commodo ſacri

Symmachi viri conſularis ad Auguſtos oratio.

A ſacri ærarij veſtri Veſtalium virginum prærogatiua detracta eſt? Sub largiſsimis imperatoribus denegatur, quod parciſsimi præſtiterunt? Et rurſus: Abſint ab ærarij veſtri puritate iſta compendia, fiſcus bonorũ principum, non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpolijs augeatur. Deinde hoc vehementer improbans, quod à religioſiſsimis principibus ſtudio abolendæ falſæ illius religionis & impiæ, ſapienti conſilio excogitatum fuerat, ne poſſent illæ ſacerdotes prophanæ, legata aut hæreditates accipere: Oro vos, inquit ille, iuſtitiæ ſacerdotes, vt vrbis veſtræ ſacris reddatur vel priuata ſucceſsio. Dictẽt teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non auaris ſtabile eſſe quod ſcripſerunt. Delectet vos iſta felicitas generis humani, cœpit cauſæ huius exemplum ſollicitare morientes. Ergo Romanæ religiones ſub Romano iure non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? Capiunt legata liberti, ſeruis teſtamentorum iuſta commoda non negantur: tantum nobiles virgines & ſacrorum fatalium miniſtræ excluduntur prædijs hæreditate quæſitis. Quid iuuat ſaluti publicæ caſtum corpus dicare, & imperij æterni-
B tatem cœleſtibus ſulcire præſidijs, armis veſtris, aquilis veſtris, amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota ſuſcipere, & ius cum omnibus non habere? Itaque melior eſt ſeruitus, quæ hominibus, quàm quæ dijs immortalibus, impenditur? Rempublicam lædimus, cui nunquam expedit vt ingrata ſit. Nemo me putet ſolam cauſam religionum tueri. Ex huiuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex parentum noſtrorum Veſtales virgines, & miniſtros deorum, victu modico, iuſtiſque priuilegijs, & vſque ad nos ſtetit muneris huius integritas. Nunc ad degeneres trapezitas, atque ad mercedem vilium baiulorum ſacrę caſtitatis alimenta vertuntur. Sequuta eſt hoc factum fames publica, & ſpem prouinciarum omnium meſsis ægra decepit. Non ſunt hæc vicia terrarum, nihil imputamus aſtris, nec rubigo ſegetibus obfuit, nec auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit. Neceſſe enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Cum contra fœcunditatis & omnium rerum vbertatis cauſam dicat, ſacerdotibus ſuum impendiſſe honorem. Quid enim, inquit, tale pertulerunt prouinciæ, cum religionum miniſtros honor publicus paſceret? Quando in vſum hominum concuſſa quercus? Quando nullæ ſunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deſeruit fœcunditas mutua, cum populo & virginibus ſacris communis eſſet annona? Commendabat enim terrarum prouentus victus antiſtitum, & remedium magis quàm largitas erat. An dubium eſt ſemper pro copia omnium datũ, quod nunc omnium inopia vendicauit? Hęc atque eiuſmodi ille Symmachus, falſa quidẽ atque impia, vt dicta pro tuenda falſa impiaque religione, & ſacerdotum eius priuilegijs: ſed veriſsima, ſi dicantur à Chriſtiano pro veræ religionis miniſtris, ſacerdotibus, atq; alijs diuino ſpecialiter mancipatis ſeruitio. Quibus omnes toto orbe terrarum gentes & nationes, velut communi quadam conceptione animi, intellexerunt quidem honorem ſingularem deberi: tametſi vt in veri numinis veræque religionis, ita in miniſtrorum eius, cognitione aberrauerint. C

Certe quid noſtris ſacerdotibus à Chriſti fidelibus in ipſa debeatur Chriſti eccleſia, non minus in eiuſdem figura, in ſynagoga illa & tabernaculo veteri, quàm propheticis oraculis expreſſum eſt. Sibi ſiquidẽ decimas omnium in ſignum vniuerſalis dominij ſpecialiter reſeruans dominus, ſacerdotum ſuorum & altaris miniſtris deputauit vſibus & miniſterio. Omnes, inquit ille Moyſes, decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, domini ſunt, & illi ſanctificantur. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæcunque ſub paſtoris virga tranſeunt, quicquid decimum venerit, ſanctificatum eſt domino. Has, inquam, ex vniuerſis, quæ nobis ſua benignitate largiſsimè confert, in ſignum, memoriam, recognitionemque, quod ab ipſo velut omnium domino vniuerſa acceperimus, ſibi ſpecialiter reſeruatas ſibique ſanctificatas (adeo vt eaſdẽ ſine ſacrilegij crimine, noſtris prophaniſque vſibus applicare non poſsimus) ſacrorum ſuorum miniſtris tradidit. Quas quàm indigne ferat auare aut infideliter illis perſolui, qua fraudantes perſequatur vltione & vindicta, idem per Malachiam teſtatus eſt: Reuertimini, inquit, ad me, & ego reuertar ad vos, dicit dominus exercituum. Et dixiſtis, in quo reuertemur? Si affligit homo deum, quia vos configitis me. Et dixiſtis, in quo configimus te? In decimis & primitijs, & ideo in penuria maledicti eſtis. Quia, inquit Hieronymus, mihi non reddidiſtis decimas & primitias, quia vos me ſupplantaſtis & defraudaſtis: iccirco in penuria & fame maledicti eſtis, & pro decimis & primitijs, quæ parua erant vt à vobis darentur, vbertatem poſſeſſionum veſtrarum, & omnem frugum abundantiam D

Sacerdotibus quid debeatur in Chriſtiana eccleſia.

Malach. 3.

Hic vide, in quo ſupplantari ſe deus à nobis ac fraudari, nobiſcũ expoſtulet.

A dantiam perdidiſtis. Et addit dominus per prophetam: Inferte omnem decimam in horreum meum, & probate me ſuper hoc ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit dominus exercituum. Perinde ac ſi diceret, exponente Hieronymo, vt ſciatis me iraſcente vos laborare penuria, fame & inopia, quia videlicet fraudaſtis me parte mea, inferte omnem decimam fideliter in horreum meum, hoc eſt, in theſauros templi, vt habeant ſacerdotes & Leuitæ, qui mihi miniſtrant, cibos: & probate me ſuper hoc, ſi non effundam vobis benedictionem & abundantiam. Vides hic, quod ille Symmachus dixit non verè ſed impiè, pro impia religione atque eius ſacerdotibus, pro noſtris veriſsime dici à Chriſtiano. Vides quàm indignè ferat dominus illis detrahi, quod ſibi reſeruatum inſignum recognitionemque vniuerſalis dominij, ipſis cōtulit. Qua fraudantes vindicta ac vltione perſequatur.

B *Decimas diuini iuris eſſe etiam in lege euangelica.*

Nec eſt quod hic quiſquam ſibi blandiatur, veteris hæc eſſe & abolitæ legis Moſaicæ, quæ iam amplius nos non obligent ſub lege euangelica. Nam eadem opera dices non obligari nos etiam præceptis decalogi, quia veteris legis ſunt. Quod ſi confitearis etiam apud nos illorum adhuc vim, efficaciam & obligationem ſubſiſtere, quia nec figuram gerebant futuri, nec pertinebant ad ſtatus ciuilis illius veteris populi (qui iamdudum diſſolutus eſt) gubernationem, ſed inſtruebant homines rectè ſe gerere ad deum & proximum: æque confitearis neceſſe eſt, apud nos locum habere obligationem illam de perſoluendis decimis. Aeque enim nos ac illi deum recognoſcamus oportet autorem & largitorem bonorum omnium, æque vniuerſalem dominum. In cuius iugem memoriam & recognitionem decimas ſibi reſeruauit omnium, quas ſuis ſacerdotibus & altaris miniſtris perſoluendas attribuit. Aeque itaque, vt tunc, ita & nunc verum eſt, decimas omnium, ſeu terræ naſcentium, ſeu pecorum, armentorum, & quæcunque ſub virga paſtoris tranſeunt, domini eſſe, atque eidem ſanctificata, quum nuſquam nobis magis, quàm illis, eaſdem remiſiſſe legatur. Aeque ad nos pertinet, ſi eaſdem fraudemus, nec fideliter perſoluimus, illud quod induximus Malachiæ prophetæ. Ita ſanè hoc intellexerunt orthodoxi patres noſtri, ita ab initio catholica Chriſti eccleſia, columna &

Catholicæ eccleſiæ de hoc ſententia oſtenditur.

firmamentum veritatis, & rectæ ſcripturarū C intelligentiæ inflexibilis & certiſsima amuſſis & regula. Itaque diui Hieronymi in expoſitione Malachiæ iam audiſti ſententiā, quam & in epiſtola ad Damaſum clariſsimè explicat, à quo conſultus, num ſacerdotibus & Leuitis, quibus decimæ diuinitus aſsignatæ ſunt, liceret de iure ſuo in vſum monachorū & religioſarum perſonarum transferre, reſpōdit eiſdem liberum eſſe, monachis & ſpiritualibus viris deum colentibus & timentibus, decimas & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de iure ſuo in illorum dominium transferre, modo in illis pauperibus non tam paupertatem, quàm religionem attenderent. Quod autem, inquit, beatitudo tua quæſiuit, vtrum decimarum & oblationum ius ſecularibus poſsit prouenire, nouit veſtra ſanctitas omnino non licere, proteſtātibus hoc diuinis autoritatibus paternorum c nonum. Quamobrem ſi aliquando ab his male detenta, quæ diuini iuris eſſe noſcūtur, in vſum tranſierunt monachorum & ſeruorum dei: epiſcopo tamen loci illius præbente aſſenſum, conſtabunt illis omnia, perpetua D ſtabilitate ſubnixa. Hactenus ille. Vides quo pacto diuinum illud ius intelligat orthodoxus ille doctiſsimusque Hieronymus, non quidem vt abolitum, ſed vt Chriſtifideles adhuc efficaciter obligans. Sic & diuus Ambroſius ſermone quodam quadrageſimali docuit ſuum populum: Quicunque recognouerit in ſe, quod fideliter non dederit decimas ſuas, modo emendet quod minus fecit. Quid eſt fideliter dare, niſi vt nec peius, nec minus aliquando offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negocio, aut de ipſa venatione ſua? &c. Nam qui deo non vult reddere decimas, quas retinuit, & homini nō ſtudet reddere, quod iniuſte abſtulit, non timet adhuc deum, & ignorat quæ ſit vera pœnitentia veraque confeſsio, nec veram aut deo acceptam eleemoſynā talis poteſt facere. Idem & ſibi commiſſo fideli populo inculcauit magis, & ad memoriam reuocauit diuus ille Auguſtinus catholicæ per orbem eccleſiæ ſententiam, quàm docuit. Quod ſi, inquit, decimas fideliter dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis & animæ conſequeris. Non igitur dominus deus præmium poſtulat, ſed honorem. Deus enim noſter, qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatus eſt recipere, non ſibi, ſed nobis profuturam. Quam ſi tardius dare peccatum eſt, dicente eodem: Decimas tuas

Hieronymus

Ambroſius.

Auguſtinus.

A & primitias non tardabis offerre: quanto peius peccatum eſt, non dediſſe? De militia igitur, de negocio, & de artificio redde decimas. Quum enim decimas dando & terrena & cœleſtia poſsis præmia promereri, quare pro auaritia, duplici benedictione fraudaris? Hæc enim eſt dei iuſtiſsima conſuetudo, vt ſi illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare ſacerdoti. Benefacere deus ſemper paratus eſt, ſed hominum malitia prohibetur. Decimæ enim ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.

Et rurſus: Maiores noſtri ideo copijs omnibus abundabant, quia decimas deo dabāt, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem quia deceſsit deuotio fidei, acceſsit indictio fiſci. Nolumus partiri cum deo decimas, modo autē tollitur totū. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus. Hæc ille Auguſtinus.

Sanctorũ patrum conſenſum in re dubia obſeruandum à nobis velut conſenſum catholicæ eccleſiæ.

Vides quo pacto ſancti hi patres noſtri ius decimarum, æque apud nos, vt apud illos veteres ſubſiſtere & valere intellexerint & docuerint fidelē populū. Quos nihil aliud docuiſſe certum eſt, quàm quod & ipſi didicerant in catholica Chriſti eccleſia. Quorum conſenſum in re dubia obſeruare nos Chriſtus docuit, vt certæ & indubiæ veritatis argumentum.

B Vbicunque enim congregantur aquilæ, ibi corpus eſt, ibi CHRISTVS & veritas, idem ſenſus & conſenſus catholicæ eccleſiæ. Cuius ſententia, quoniam in concilijs orthodoxorum præſulum ex diuerſis locis orbis in vnum conuenientium euidentius

Decretum Rothom. concilij.

perſpicitur, audi decretum Rothomagenſis concilij, quod in hæc verba legitur: Omnes decimæ terrę ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, domini ſunt, & illi ſanctificantur, &c. Sed quia modo multi inueniuntur decimas dare nolentes, ſtatuimus, vt ſecundum domini præceptum admoneantur, ſemel, ſecundo & tertio: & ſi nō emendauerint, anathematis vinculo feriantur vſque ad ſatisfactionem & emendationem congruam.

Decretum Moguntini concilij.

Rurſus Moguntini concilij hoc legitur decretum: Decimas Deo & ſacerdotibus Dei dandas Abraham factis & Iacob promiſsis inſinuat, & omnes ſancti doctores cōmemorant. Hactenus verba decreti: Quæ num tibi videtur explicare communem catholicæ eccleſiæ de iure decimarum ſententiam? Rurſus definiuit & affirmat vniuerſale, idque ce-

Definitio Lateran. concilij vniuerſalis & celeberrimi ſub Innocentio.

leberrimum pluſquam mille patrum ex toto orbe ſub Innocentio tertio conuenientium Lateranenſe concilium, decimas neceſſario perſoluendas à Chriſtifidelibus, vt quæ debentur ex lege diuina, & à domino in ſignum & recognitionem vniuerſalis domi- C nij, quaſi quodam titulo ſpeciali ſibi ſunt reſeruatę, vt eſt videre in c. In aliquibus, & cum non ſit, de deci. prim. & obla.

Quare & præfatus Innocentius à Vercellenſi conſultus epiſcopo quid ſibi agendum foret & cum his qui in decimarum ſolutione dicebant detrahendam impenſam agriculturæ & ſeminum, & qui vitam clericorum velut abominabilem calumniātes, eiſdem ſubtractas decimas in alios vſus (vt prætendebant) pios conuertebant pro ſuo arbitrio, vtrorum ſententiam rectè impietatis conuincit & redarguit. Illorum quidem, quòd deus omnium dominus, ſub hoc veluti canone nobis vniuerſa conceſſerit: & propterea deterioris conditionis eſſe non debeat temporali aliquo domino, cui ſuus canon integre & abſque vlla deductione à colono perſoluitur. Iſtorum vero, quòd non licet cuiquam quæ ſua ſunt auferre atque alteri dare contra voluntatem domini, eo prætextu, quia malus & peccator eſt, & mandat vtroſque ad integram, tam perſonalium quàm prædialiū decimarum, vt ſacerdotibus & clericis diuino iure debitarum ſolutionem eccleſiaſtica diſtrictione compelli, vt hæc eſt legere in c. Tua nos, de deci. prim. & obla.

D Atque hactenus quidem illis rationibus ſatis ſuperque reſponſum eſt, quibus ex diuinarum ſcripturarum eloquijs, & ſanctorum patrum teſtimonijs ille demonſtrare conatus eſt, ex lege diuina & euangelica nulli ſacerdoti aut epiſcopo, vllam coactiuæ iuriſdictionis autoritatem ſuper vnumquemlibet Chriſtianum competere: quin potius, quo minus etiam vltro delatam eiuſmodi ab vniuerſitate multitudinis (ad quam ſolam eandem proprie pertinere contendit) acceptare poſſent ſacerdotes & epiſcopi, eiſdem interdictum à Chriſto & apoſtolis. Nulla eoſdem exemptione gaudere debere à coactiua iurisdictione ſecularium principum, quinpotius eidem tam realiter, quàm perſonaliter ſubiectos eſſe oportere, ſecundum doctrinam Chriſti & apoſtolicam.

Succenturiatis quibuſdam rationibus, quibus prædictam adhuc ſententiam confirmare nititur, reſpondere.

CAP. VIII.

A Vltis fucis, multis impoſturis, opus habet, quo perſuadeatur falſitas: cum contra nuda veritas ſui ipſius efficaciſsimus aſſertor ſit. Quare & hic omnia corradit & cõgerit, quæ quocunque modo ad ſuam impietatem colorandam conſtabiliendamq́ue poteſt contorquere & flectere. Itaq; poſt rationes præmiſſas (quibus reſpondimus hactenus) velut primæ iuſtæq́ue aciei, & in quibus fidit præcipue, alias nihilominus quaſdam, velut in ſuccenturijs collocatas ſubiungit. Quas præterire viſum non eſt, ne forte quis male veritati amicus, ſtudio nos declinaſſe earum vim & ſubterfugiſſe calumnietur.

Explicantur rationes quædam Marſilij, quib. ſacerdotum poteſtati ſeculari ſubijcit.

Prima ex legum diuinarum & humanarum differentia.

Itaque VIII. capite ſuæ dictionis ſecundæ hanc inſuper ſubiungit ratiocinationem. In primis ſupponit actus humanos voluntarios regulari duplicibus legibus, diuinis videlicet & humanis, propoſita earundem tranſgreſſoribus pœna. Diuinarum tamẽ legum tranſgreſſoribus, vt dirigentium in finem futuri ſeculi, nullam in hac vita vult eſſe pœnã propoſitam, ſed humanarum tantum. Illarũ finẽ eſſe ſupernaturalem felicitatem: harum pacificum, tranquillum & ſufficientem inter ſe conuictum hominum. Leges autem, vt inanimas & carentes principio iudicatiuo & motiuo, B indiguiſſe animato aliquo, quod ſecundũ ipſas præcipiat, iudicet, iudicata exequatur, & tranſgreſſores puniat, hoc eſt, iudice, quem iuſtum animatum vocat Ariſtoteles, cuius coertioni & punitioni ſubiectos vult omnes legum tranſgreſſores. Omnes ergo humanarum legum tranſgreſſores, quicunque tandẽ ij fuerint, ſeu monachi, ſeu clerici, ſacerdotes aut epiſcopi, ſubiacere vult punitioni iudicis humani, hoc eſt, ciuilis.

Ad quod hanc ſubiungit rationem. Quia eadem materia propria debet eiuſdem agentis actionẽ ſuſcipere, quod natum eſt, & ordinatum in illam agere propter finem ad quẽ apta eſt. At legis tranſgreſſor eſt materia aut ſubiectum, in quod natus eſt & ordinatus agere iudex & principans, puniendo & iuſtificando, aut ad ſymmetriam reducendo. Ergo vbicunq; talem materiam inuenerit, debet talem in eo actionem facere. Cui accidit, eſſe ſacerdotẽ aut laicum: aut potius ſunt circũſtantiæ, tranſgreſsionem aggrauantes aut extenuantes: vt monachus, ſacerdos, epiſcopus, fur, homicida, adulter, aut aliarum legum trãſgreſſor peccat grauius, quàm laicus. Subeſt ergo, inquit, & ſubeſſe debet, ſeu ſacerdos, ſeu epiſcopus in eiuſmodi, iuriſdictioni ſecularium principium, & eorum coactiuo iudicio, vt qui legum exactores ſunt, & iuſti ciuilis cuſtodes. Nec ipſe ſummus pontifex C exemptus eſt ab illorum coactiuo iudicio, & multo minus poteſt alios ſuos ſacerdotes & clericos eximere. Alioqui dicit conſequi inconueniens multo grauiſsimum: Vt ſi coniugatis (quod poſſet) ſacerdotium permitteret, euacuaretur prorſus iuriſdictio ſeculariũ principantium. Ad quod vitandum fateri, inquit, oportet ſecundum veritatem, iuriſdictionem in epiſcopos, presbyteros & clericos omnes, legislatoris autoritate principãtem habere, ne principatuũ etiam pluralitate inordinata, politiam ſolui contingat. Numerũ quoque certum adſcribendorum clero, aut ſacerdotio in ſubiecta ſibi prouincia principantem determinare debere, ſicut & aliorum omnium publicorum munerum, officiorum, magiſtratuum, & partium reipublicæ. Hæc atque eiuſmodi dicto capite ille pergit connectere.

Secunda ex fine autoritatis eccleſiaſticæ, hoc eſt ſalute animarum noſtrarũ, ad quam valere non poßit coactio.

Ad hæc capite nono eiuſdem ſuæ dictionis multis verborũ ambagibus nititur oſtendere ſacris in eccleſia magiſtratibus coactiuæ iuriſdictionis autoritatem non competere, quod ea fruſtra foret, quum ad ſalutem (quo illi magiſtratus pertinent) nemo cogi poſsit inuitus.

Tertia ex pugnãtia officiorum ſacerdotum & principum.

Poſtremo, capite vndecimo eiuſdem demonſtrare conatur ſeparaſſe Chriſtum officia ſacerdotum, & principum, hoc eſt, eorum, qui coactiuæ iuriſdictionis autoritatem ſuper alios obtinent. Nam quoniam, inquit, venerat ipſe docere humilitatem & huius D ſeculi contemptum, velut viam meriti ſalutis æternæ, quo ſua opera eſſent doctrinæ conſona, ipſe omnium dominus in ſumma paupertate hunc mũdum ingreſſus, hanc etiam vitam ita exegit, vt de ſe diceret: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Et hunc velut ſtatum perfectionis docuit ſequi eos, qui ſpecialius vellẽt ſui eſſe diſcipuli, & quos ſuæ legis præcones & doctores erat relicturus. Quod euidenter oſtendit, cum interroganti ſe cuidam quid facere oporteret, vt vitam poſſideret æternam, reſpõdiſſet, vt mandata obſeruaret. Illeq́; percontari pergeret, num quid aliud ſibi deeſſet, ſiquidem mandata ſe obſeruaſſe ab adoleſcentia. Adhuc, inquit, vnum tibi deeſt. Vade, quæcunq; habes vẽde, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Et rurſus diſcipulis: Sic, inquit, omnis ex vobis qui nõ renunciat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Itaque cum huius ſuæ doctrinæ ac philoſophiæ doctores relinqueret ſuos apoſtolos & diſcipulos, eorumq́ue ſucceſ-

A ſucceſſores ſacerdotes & epiſcopos, ne nullam fidem eſſet habiturus ſermo diſcordans ab opere, etiam illis interdixit ne aurum poſsiderent aut argentum, ſed ſimplici tantum victu & amictu contentos, cum pera & baculo miſit in orbem vniuerſum prædicare euangelium omni creaturæ. At contra principibus & iudicibus huius ſeculi indecoram dicit eſſe paupertatem & abiectionem, vt quæ autoritatis contemptum faceret, & poteſtatem adimeret legum tranſgreſſores coercendi, & commiſſa vlciſcendi ſcelera & flagitia. Proinde nec his conuenienter committi officium docendi legem euangelicam, nec doctoribus eiuſmodi principatum aut coactiuæ iuriſdictionis autoritatem. Et hanc dicit eſſe ſententiam diui Bernardi ad Eugenium, qui docet in vnum conuenire non poſſe dominationem & apoſtolatum: cuius verba ſuperius prolixe adſcripta ſunt.

Reſponſio ad primam. His vt reſpondeamus ex ordine: In prima illa ſua ratiocinatione, quam capite octauo dict. ſecundæ confuſiſsime ſimul & verboſiſsime explicat, adeo vt vix intelligas quid tandem illa verborum inuolucra parturiant, imaginatur (vt etiam perpetuo) politicas inter nos communitates, regna, imperia, velut inter prophanos ethnicos: nec in-B telligere poteſt, Chriſtianam eccleſiam eſſe illud regnum CHRISTI, cui & vniuerſæ gentes & regna, reges & imperatores ſeruiant, & ſua ſceptra ſubmittant, ſi futuri etiam illius regni Chriſti participes eſſe voluerint (vt iam annis plus mille ducentis ſeruijſſe plurimos, ſi non omnes, videmus) neceſſe eſt. Regni quoque huius Chriſti, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ, ſuum ordinem, ſuos magiſtratus ſibi decentiſsime ſubordinatos, non tantum ſacros, ſed etiam laicos. Quandoquidem & his opus habet immenſa illa omnis generis multitudo hominum. At laicos etiam ſacris ſubijci, & præcipue ſummo eccleſiæ antiſtiti, eiuſdem regni rationem exigere, & Chriſtum ordinaſſe, clariſsime à nobis ſuperius demonſtratum eſt. Cui nec deeſt in omnes ſua quædam coactiuæ iuriſdictionis autoritas, qua omnes continere poſsit in officio, atque eos, qui ordinem, quietem, pacemque illius ſibi commiſsi regni, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ conturbant, punire: ſed ſuæ autoritati ſacroſanctæ conuenienti gladio, hoc eſt, anathematis, interdicti diuinorum officiorum, ingreſſus eccleſiæ, & eiuſmodi quibus ſine vi & armis, inter colligatos ſacramento fidei & Chriſtianæ religionis vinculo, omnibus armis, omni potentia efficacius potentiſsimos etiam prin-C cipes, reges & imperatores ſibi ſubijcit, continet in officio, atq; etiam cogit in ordinem. Itaque vt in illo CHRISTI regno, laicis magiſtratibus viciſsim in illos ſacros, & præcipue ſuper ipſum eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, membris videlicet in ſuum caput, & in paſtorem ouibus, competeret præcipiendi, ſtatuendi, atque etiam puniendi autoritas, rerum natura non patitur. Quis (inquit ille beatiſsimus Gregorius) dubitet ſacerdotes Chriſti, regum & principum, omniumque fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum, ſibi ſubiugare conetur, & iniquis obligationibus illum ſuę poteſtati ſubijcere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe & ſolui?

Itaque quod aſſumit actus humanos voluntarios regulari duplicibus legibus, diuinis & humanis, propoſita pœna ſuis tranſgreſſoribus, libenter admittimus. Quod inſuper addit: Diuinas leges regulare tantum humanos actus ad finem ſupernaturalem, & futuri ſeculi felicitatem, & propterea in hac vita non exigere pœnas à tranſgreſſoribus, haud ſane verum eſt. Dirigit quidem & re-D gulat humanos actus lex diuina ad finem illum ſupernaturalem aſſequendum, tanquam ad finem vltimum: tamen immediate & proxime (præcipue autem per leges, quas cordibus noſtris inſcripſit, quas & naturales dicimus) vt decenter, & ad ſeipſum, & ad proximum, & ad deum homo ſe habeat. Quarum vim & obligationem intellexerunt etiam, quibus ſupernaturalis finis hominis nulla prorſus fuit cognitio. De quibus apoſtolus: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.

Deinde quod dicit leges diuinas non exigere à ſui tranſgreſſoribus pœnas in hac vita, æque falſum eſſe demonſtrat lex vetus Moſaica. Quod ſi illam abrogatam voluerit per legem euangelicam, de qua forte vult ſuam propoſitionem intelligi: hoc intelligat oportet, non tam abrogatam, quàm impletam & conſummatam, qua parte erat figuratiua atque vmbra futuri, atque ea parte pro vmbris & figuris ſolidam ipſam ſucceſſiſſe veritatem. Qua vero parte tranſgreſsionum punitiua erat, non tantum pœnam exigebat vt regulatiua humanorum actuum ad proxi- *Falſum eſſe, diuinas leges non exigere pœnā in hac vita à ſuis tranſgreſſoribus.*

 mum,

A mum,ad finem ciuilem aſſequendum, pacificamque tantæ multitudinis ſocietatem & communicationem conſeruandã, ſed etiam vt humanos actus ordinat ad deum. Itaque & peccato blaſphemiæ in deum, idololatriæ quoque & quæcunque cum eodem commu nicabant, vt diuinationum, augurij,& ſimilium, item & violationis ſabbati, irrogabat lex mortis ſupplicium. Quãquam etiam hac parte iam nos non obliget lex illa vetus, quia Moſaica,tamen qualibus & nos legibus pro conſeruanda tam immenſæ ac pene infinitæ multitudinis ſocietate & communicatione, catholicæ videlicet eccleſiæ opus habeamus, clariſſime expreſsit, & fidelibus principibus, qui Chriſto iam & eius regno ſeruiunt,formam exemplumque præbuit, etiam zelandi honorem domini ſui & mortis ſupplicio perſequendi blaſphemos, idololatras,ſortilegos,hæreticos etiam & ſchiſmaticos, per quos communicatio,ſocietas atq; vnitas catholicæ eccleſiæ directe ſoluitur. Cum zelum eiuſmodi etiam in eo, cui non erat commiſſus ſpecialiter gladius,hoc eſt,in Phinees,filio Eleazari filij Aaron, ſacerdote comprobauit diuina autoritas: quem arrepto pugione in lupanar ingreſſum, & virum Iſraelitem fornicantem vna cum Madianite B confodientem, auertiſſe per hoc iram ſuam à filijs Iſrael teſtificatus eſt dominus,& pacto ſacerdotij ſibi & ſemini eius in ſempiternum remunerauit.Ita enim habet ſcriptura:Dixit itaque dominus ad Moyſen: Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis, auertit iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactũ ſacerdotij ſempiternum,quia zelatus eſt pro deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. Quin & ipſe deus tranſgreſſoribus legum ſuarum, quando nec à ſeipſis, nec ab his,quibus illud commiſſum eſt,digne puniuntur,etiam in hac vita multas pœnas infligit. Teſtis eſt non ſolũ vniuerſa illa veteris populi (qui noſtram eccleſiam delineabat & exprimebat) hiſtoria: ſed etiam de indigne ſumentibus corpus Chriſti & ſanguinem in ſacramento euchariſtiæ dicit Apoſtolus: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod ſi nos ipſos iudicaremus, non vtique dijudicaremur à domino.

Quē zelum habere debeant Christiani principes pro Christi nominis gloria.

Exemplum in Phinees

Preterea quod ille adiungit conſequenter (velut linum lino connectens) de legibus humanis actus humanos regulantibus,quod altius non reſpiciant, quàm ad ſolum finem politicum,hoc eſt,ſufficientem & pacificum C conuictum inter ſe hominum. Quodq; illæ ſolæ pœnam conſtituant in hac vita inferendam ſuis tranſgreſſoribus,exigendam per ciuilem principem earundem cuſtodem & exactorem,tam multa errata inuoluit,vt nimis longum foret perſequi per ſingula.

In primis imaginatur,nullas poſſe eſſe humanas leges aliquid ſtatuentes ſub pœna, quàm ciuiles & politicas, quarum exactores & cuſtodes ſint publici magiſtratus, & ſeculares principes. Quod quàm falſum ſit, vel cæco poteſt eſſe euidens. Quis enim neſciat in magna aliqua domo patremfamilias poſſe leges condere, quibus ſingulis familiæ ſuæ partibus ſua præſcribat officia,etiam ſub pœna conuenienti, quam tranſgreſſoribus irroget, hoc eſt, filijsfamilias, ancillis, ſeruis. Quod etiam in quolibet voluntario cõuentu hominum poteſt ille, cui reliquorum cõmiſſum eſt regimen. Sed inquis: Non poteſt in tranſgreſſores legum ſuarum animaduertere mortis ſupplicio,quod ſolum poteſt magiſtratus ciuilis,aut princeps ſecundum leges ciuiles. Quid deniq;?Nunquid alia nulla pœna eſt humanarum legum tranſgreſſoribus, quàm ſolum mortis ſupplicium? nunquid non ſunt etiam carceres,compedes,virgæ,ferulæ?nunquid non pœna infamiæ?mulcta pecuniaria? Alij ſocietatum variarum rectores, D vt ſuos in officio contineant, pœna tam graui opus non habent,habent tamen opus omnes, quibus aliorum gubernatio & regimen commiſſum eſt, vt ordinem & quietem ſuæ ſocietatis interturbãtes, & quę ad finẽ ipſius aſſequendum neceſſaria ſunt, pro ſuo quiſq; officio negligentius curantes, afficere poſſint pœna aliqua illi ſocietati & fini, qui per eam affectatur,cõuenienti. Deinde ita etiam de humanis legibus loquitur,quaſi nullæ eſſent leges eccleſiaſticæ, attamen humanæ. Eccleſiaſticas dico, quas neceſſe eſt à patrefamilias eccleſiaſticæ domus ferri pro conſeruando decenti ordine in familia eccleſiaſtica in vniuerſum orbem diffuſa, pro indiuidua eius vnitate,& communione in his quæ neceſſario,quatenus Chriſtiani ſumus,habemus communia,vt cultus dei rite & decẽtius peragatur, vt ſacramenta magis reuerenter adminiſtrentur à ſacrotũ miniſtris,& à Chriſtifidelibus dignius recipiantur, vtque vniuerſa hæc ſocietas commodius & efficacius dirigatur in finem ſuum proprium, hoc eſt, vt per fidem & Chriſtianæ legis obſeruationem, ſupernam cœleſtis Chriſti illius regni felicitatem aſſequatur. Huiuſmodi leges eccleſiaſticas fuiſſe ab initio ab ipſis Apoſto-

Falſum eſſe, nullas humanas leges aliquid poſſe ſtatuere ſub pœna, quam ciuiles & politicas.

A loꝛum temporibus, quæ nihilo minus & pœnas tranſgreſſoribus ſtatuant, ſed conuenientes formæ ſocietatis eccleſiaſticæ, hoc eſt, priuationis aut ſuſpenſionis ab officio, ſi quod tranſgreſſor eiuſmodi forte obtineret hierarchia eccleſiaſtica, item interdicti ingreſſus eccleſiæ, priuationis eccleſiaſticæ communionis, atque eiuſmodi, vniuerſi ab initio teſtantur ſcriptores eccleſiaſtici, & ex his, quæ duobus ſuperioribus libris induximus, quæque libro proximo dicturi ſumus, nulli non poteſt eſſe clariſsimum. Quæ ſane vt neceſſario fuerint, quiſquis dubitare poterit, communis ſenſus ſe expertem prorſus teſtabitur. Quis enim non intelligit, quanta vniuerſæ eccleſiæ toto orbe diffuſæ neceſſaria fuerit multitudo eorum, qui ſacra miniſtrarent fideli populo? Quis etiam in tanta multitudine, quo euitaretur confuſio, tolleretur ſchiſmatum, turbationum, rixarum & ſcandalorum fœcundum & inexhauſtum ſeminarium, non intelligit neceſſarium quoque fuiſſe ordinem, per quem colligerentur in vnitatem, & connecterentur totius eccleſiæ vni rectori & capiti, vnde totius vnitatem dependere ſupra euidentiſsime demonſtrauimus? Quis non eidem ſic ordinatæ, ſic in vnitatem
B ſub vnius præſidis gubernationem reductæ, tam immenſæ multitudini, etiam aliquibus legibus ad finem eccleſiaſticæ ſocietatis dirigentibus, & membris quibuſlibet ſua officia præſcribentibus, opus eſſe, & ſemper fuiſſe non videat? & tamen vniuerſa hæc, ille odio execrabili in Chriſtianam eccleſiam, atque eius ſacerdotium cæcus ignorauit, aut ignoraſſe, quo incauto & ſimplici lectori imponeret, ſe ſimulauit: ſed ita de humanis legibus loquitur, quaſi præter ciuiles, nullæ aut ſint, aut eſſe poſsint aliæ. Poſtremo & de illis ipſis, præſertim vt Chriſtianorum ſunt, ciuiliumque ſocietatum, quæ iam regno Chriſti ſeruiunt, & pars ſunt, ac membra Chriſtianæ eccleſiæ (de quibus ſolis eſſet ad propoſitum) quam loquatur & ſentiat indigne, ex hoc facile intelliges, ſi conſideres quæ ſit Chriſtianorum & ethnicorum differentia. Hi enim velut ignorantes deum, & nihil niſi quod præ oculis eſt proſpicientes, incommoda vitæ præſentis tantum ſua opera dirigunt. At Chriſtianus vniuerſum corpus operum ſuorum, illo ſuæ intentionis clarificato lumine fidei oculo in deum dirigit, quo quicquid non pertinet aut non dirigitur, peruerſum, aut vt minimum ocioſum eſt, de quo iuxta veritatis teſtimonium nobis reddenda ſit ratio in

Quàm indigne ſentiat Marſilius de ciuilibus Chriſtianorum legibus.

C die iudicij. At vir iſte bonus etiam Chriſtianos magiſtratus non vult altius reſpicere, quam ad ſola vitæ præſentis commoda, perinde ac ſi eſſent ethnici, ac ſi Chriſto atque eius regno non ſeruirent, ac ſi intentionis ſuæ oculum, non ſolum in magiſtratuum ſuorum actibus (qui tamen præcipui momenti ſunt) ſed etiam in omnibus, ad deum reſpicere non tenerentur, ſed morari poſſent in terra, in his tenebris. Atque in hunc modum, ſine fine & modo falſa falſis, atque impia connectens impijs, iactat euidentiſsimas (ſi deo placet) demonſtrationes ſe ſcribere, quibus perinde ac ſi plane viciſſet, nobis impotenter inſultat.

Itaque cum ſit certiſsimum Chriſtianos magiſtratus, tametſi ciuiles, moderationem cui præſunt debere ciuilem dirigere ad gloriam regni (cui ſeruiunt) Chriſti: ad honorem dei, & ſuam ſibi commiſſorum illam Chriſtianam felicitatem, nihil dubium eſt eoſdem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi cęteriſque eius ſacris magiſtratibus, qui immediate ad illum ordinati ſunt, ſubeſſe & non præeſſe debere: obſequi, non imperare.

Cõcluditur ciuiles Chriſtianorum magiſtratus neceſſario ſubeſſe eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi.

D Quod ſi qui etiam eorum, qui ſacros illos magiſtratus gerunt, ſacerdotum videlicet & epiſcoporum, poſsint eſſe, & ſint interdum ſcelerati, legum tranſgreſſores, habent illi ea in re ſuos iudices, qui tales impunitos non ferent, habentes carceres ad pœnam & pœnitentiam, aquam tribulationis & panem anguſtiæ. Quę ſi delicto & exemplo putauerint non ſufficere, exautoratos tradere poſſunt poteſtatibus ſecularibus puniendos ſecundum leges ſeculi. Quæ alioqui vt in nõ ſubiectos ſuis legibus & iudicijs, non poſſunt animaduertere in eoſdem, aut vllam iuriſdictionem exercere.

Quod vero ille veretur, ne ſacerdotum nimia multiplicatione euacuari poſſet ſecularium principum iuriſdictio, inani cura conſumitur. Nam ſui regni Chriſtus curam non negligit. Neque enim dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Tametſi propter peccata populi ſui regnare aliquando faciat principes hypocritas, & ſuos ſanctos contaminet. Atq; vtinam fieri poſſet, ita inter nos vigeret Chriſti fides & religio, vt ſolo paſtorali baculo contineri omnes poſſent in officio, vtq; gladium portantibus inter nos magiſtratibus opus non haberemus, & longe eſſet felicius hoc Chriſti regnum & eccleſiæ.

Cauillatio.

Ad alteram rationẽ, qua dicit eccleſiaſticam coactiuæ iuriſdictionis autoritatem, ſi qua eſſet, fruſtra fore, quũ ad ſalutem (quo ſolum ea ſpectat) nemo cogi poſsit inuitus.

Reſponſio ad rationem ſecundam.

A dei & proximi. Illi cœleſtes ſpiritus in ſtatu ſummæ perfectionis degunt ſine paupertate, ſed cum perfecta etiam omniũ abundantia. Ita quoq; & nos, ſi in ſtatu innocẽtię perſtitiſſent parentes noſtri, ageremus in ſtatu longe maioris perfectionis, in omnium tamen rerum ſufficientia, quàm nunc agimus. Ita & ſanctiſsimorum patriarcharum & regum in maxima opulentia & gloria perfectionem, quamuis in ſordibus egeſtatis & mendicitatis, non aſſequimur. Nihil ad ſtatus perfectionem per ſe eiuſmodi paupertas facit, imo in eam, vt & in cætera incommoda omnia, ex peccato noſtrorũ parentum incidimus. Sunt tamen hæc cum incidunt, materia exercendæ virtutis, vt ſeu egeſtatem, ſeu morbum, ſeu cruciatum corporis, ſeu mortem denique violenter illatam feramus fortiter & patienter, nec propter illa declinemus ad peccatum aliquod, vt plus apud nos amor dei & æternæ ſalutis, quam hæc in contrarium pendeant. Nemo tamen virtuoſus quantumuis perfectus, hæc propter ſe debet appetere, ſed fugere potius. Propter ſe dico. Nemo enim ſanæ mentis optare debet, mori violenta morte, cruciatus corporis ſuſtinere, morbis decumbere, perſequutionibus affligi, cum & ipſe Chriſtus ab his abhorruerit: Pa-

B ter, inquit, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Vides nihil in his per ſe expetendum, ſed fugienda potius, niſi ob vtilitatem aliquam quæ inde expectatur. Si fieri poteſt, inquit, cum ęqua vtilitate humani generis, innuens per ſe nõ expetenda, quin fugienda potius, ſed ob vtilitatem inde forte conſequentem toleranda. Sic & ſuos docuit perſecutionem fugere, non appetere. Si, inquit, vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Ita quoque & de eiuſmodi paupertate dicendum eſt. Hæc enim vniuerſa vnius generis ſunt. Incidentia tamen debet fortiter ferre Chriſti diſcipulus, nec propter ea deuiare à recto. Poteſt etiam nonnunquam perfecta virtus appetere, ad bonum aliquod reſpiciens, quod hæc per accidens conſecuturum præuidit. Quo modo plurimi glorioſiſsimi Chriſti martyres exarſiſſe leguntur ad martyrium, vt ſuo exemplo pietatem commendarent cæteris, nec ob mortem violenter illatam, cuiquam eam violandam, ſuo exemplo docerent. Cum hæc mala corporis momentanea & nullius momenti eſſe teſtarentur, ad æternæ gloriæ pondus, quod eorum tolerantia ob pietatis cuſtodiam, & dei gloriam operatur in nobis. Poſſunt hæc, & ab imperfectis nonnunquam aſſumi & expoſiti, velut amara quædam pharmaca aduerſus

C ſuam imperfectionem cuius ſibi ſunt cõſcij, vt ſi qui diuitijs vti neſciant, ſed ſibi eas impedimento ad ſalutem aut perfectionem ſentiant, eas abdicare in totum, & voluntariam paupertatem aſſumere. Si qui per ſanitatem corpus fortius rebellare ſpiritui ſentiant, ieiunijs & alijs voluntarijs afflictionibus ipſum macerare, & in ſeruitutem redigere ſpiritus. Qua ratione etiam morbus corporis multis profuit. Sed hæc illis accidunt, nec per ſe conueniunt. Quare nec vt huiuſmodi, aut propter ſeipſa, quiſquam ea ſapiens vnquam expetijt.

Quid nos Chriſtus docuerit, egeſtatem, omnia huius vitæ incõmoda ignominioſam denique mortem perferens.

Chriſti vero philoſophia & doctrina in hoc eſt, vt à rerum viſibilium amore abductos homines, adduceret ad amorem cœleſtium & æternæ ſalutis noſtræ, cuius ipſe reparator & autor aduenerat, cuius etiam perficiendæ myſterio modus ille, quo pauper venit & humilis, omnia nobiſcum huius vitæ incommoda, mortem denique amariſsimam & contumelioſiſsimam ab iniuſtis & ingratiſsimis illatam perferens, magis congruere viſus eſt æternæ dei ſapientiæ. Cuius in omnibus explicare conſiliorum rationem vt eſt hominibus impoſsibile, ita hoc voluit eſſe in promptu, nec difficile intellectu,

D ideo magis ſic venire voluiſſe, quam in potentia & gloria, vt hoc ipſo nobis conteſtatum faceret, quanti merito illud apud nos eſſe deberet momenti, quod vt aſſequeremur, tanti conſtitiſſe videremus dei filio, vtique ad hoc ipſum omni affectu, omnibus viribus contenderemus. Ea vero, quæ eatenus ſola fere bona videbantur hominibus, ſciremus vera bona non eſſe, vt quibus filius Dei caruit, nec vere mala quæ ille ſuſtinuit, proinde nec illorum amore, nec horum terrore, à veris illis, quæ docebat, bonis ad vere mala deflecteremus.

Chriſti illã doctrinã communẽ Chriſtianis omnibus.

Chriſti doctrina, imo & ſumma in eadem perfectioni nihil repugnare diuitias.

Hæc Chriſti philoſophia, vt omnibus Chriſtianis communis eſt, ita maxime ad eos pertinet, qui ſublimiorem inter alios gradum ſortiti ſunt in eccleſia, hoc eſt, principes, reges, imperatores, ſacerdotes, epiſcopos. Cui nihil repugnant diuitiæ, quæ etiam conſtitutis in magiſtratibus ſunt neceſſariæ. Sed diuitias magniſacere, & vt præcipua quædam bona amare, quas contemptim ſolum habere oportet, & ob neceſsitatem rerum ingruentium, & incumbentium onerum. Nec debet docere euangelicus doctor, non habendas Chriſtiano pecunias aut diuitias, hoc enim falſum eſt, & doctrinæ Chriſti ac apoſtolorũ, quã videre eſt ab initio in conſenſu catholicę eccleſiæ, plane contrarium,

ſed

A ſed contemnendas. Quod vero adoleſcenti illi percontanti de via aſſequendæ ſalutis reſpondit Chriſtus, vt ſeruaret mandata, dicenti inſuper ea ſe ſeruaſſe ab adoleſcentia, & iterum interroganti, num quid ſibi deeſſet, rurſus vnum ſibi adhuc affirmauit deeſſe, nempe vt iret, & venderet quæcunque haberet & daret pauperibus, & ſe ſequeretur. Dicimus: In regno patris noſtri multas eſſe mãſiones. Viam quidem neceſſariam eius aſſequendi eſſe obſeruationem mandatorũ dei, ſed præter illa, etiam perfectiora quædam docuiſſe Chriſtum, quæ à nemine tamẽ ſimpliciter exigit, ſed cuiuſque permittit arbitrio, vberiorem haud dubie retributionem aſſequuturis eadem ſequentibus. Nec obligatus eſt ſacerdos aut præco euangelicus ad obſeruanda cõſilia euangelica, quæ iam pręcepta eſſent, non conſilia. Nec docens, non vero ſequens conſilia eiuſmodi, ſi tanquam conſilia doceat, vita & moribus doctrinę ſuę contrarius eſt, quin potius conſonat. Docet enim conſilia eſſe, non præcepta, & cuiuſque relicta arbitrio, nulli ſub obligatione poſita. Quod ipſum, ſiue vita ſua ſectetur, ſiue non ſectetur, eadem moribus comprobat. Sectando equidem eadem ipſa velut perfectiora comprobans. Non ſectando, veluti conſilia,
B & in cuiuſque libertate poſita demonſtrans, & tamen doctrinæ præconio vt perfectiora efferens.

Verba illa Chriſti, qui nõ renunciat omnibus, etc. nõ põt meus eſſe diſcipulus. ad omnẽ Chriſtianũ pertinere.

Quod vero apud Lucam dicit dominus: Sic omnis ex vobis, qui non renũciat omnibus quę poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, ad ſtatum, quem illi imaginantur, perfectionis nihil pertinet, ſed eſt commune præceptum omnibus, qui Chriſti voluerint eſſe diſcipuli. Itaq; non ad apoſtolos, ſed ad turbas ſe ſequentes conuerſus dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Explicans deinde duabus parabolis cur hæc ad illos diceret, videlicet: De ædificare volente, qui opus habet ſupputare impenſas neceſſarias priuſquam incipiat, ne forte inchoatum conſummare non potens ædificiũ, fiat ludibrio omnibus. Et de rege bellaturo aduerſus alium, quem neceſſe eſt, niſi ſe plane velit perdere, prius inire rationem ſuarũ virium, & expendere num par hoſti eſſe poſſit. Sic ergo, inquit, omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Perinde ac ſi diceret: Ideo vobis me ſequentibus prædico quid à meis diſcipulis exigam, vt prius apud vos expendatis ſi ea poſsitis perficere, quæ equidem difficilia ſunt, vt videntur: ne forte inconſulte & temere tantã rem aggredientes, reſiliatis poſtea, & velut canes reuertamini ad vomitum. Itaque hæc ab omnibus diſcipulis ſuis vt neceſſaria Chriſtus exigit, non vt perfectiora conſulit. Quæ tamen, quo pacto ſane, recteq; intelligenda ſint, Matthæus clarius ſignificat, ita aiens dixiſſe Chriſtum: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus, qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Vides itaque quid his præcipiat Chriſtus, nempe nullam creaturam ſupra ipſum amare, ſed cum hoc exigit amor dei, honor Chriſti, pietas & religio, dicere patri, matri & omnibus, quibus carnali aut naturali amore deuincimur, non noui vos, quin & omnia aduerſa, cruciatus, tormenta, ſupplicium denique propter illum patienter ferre. C

Non magis ſacerdotes ſuos, quam reges aut principes paupertatis iugo onerauiſſe Chriſtum.

Itaque vt reuertamur ad id vnde ſumus digreſsi, non magis ſacerdotes ſuos, quàm reges aut principes paupertatis iugo onerauit Chriſtus. Ita tamen diſpenſationis myſterio conueniebat magis humilem, pauperemque veniſſe legiſlatorem noſtrum, primoſque illos ſuæ legis præcones, quàm in maieſtate, in gloria & potentia, non ſolum, quo nos veram illam, quam ſupra explicauimus, Chriſtianamque philoſophiam vita ſua & exemplo docerent, ſed etiam ne vi ac tyrannide quiſquam calumniari poſſet obtinuiſſe legem eius in orbem vniuerſum. Sed propagato iam in orbem euangelio, conſtitutaque eccleſia, contineri in vnum, gubernarique eam hierarchia illa, quam ſupra explicauimus, erat plane neceſſarium. Nec minus in rectoribus eius, eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, etiam externarum rerum quendam adeſſe ſplendorem, ſi modo & veneranda & metuenda eſſe debuit eorum autoritas, qua totius eccleſiæ vnitatem, ſalutemque contineri ſupra demonſtrauimus. Quod ſi virtute, doctrina, moribus, ſingularisque vitæ exemplo autoritatem ſuam eos tueri volueris, memineris neceſſe eſt, homines nos eſſe omnes, tam ſubditos, quam præpoſitos, ex hominibus fragilibus & peccatoribus conſtitutam hanc noſtram eccleſiam. Rarum quenque inter nos eſſe, ne dicam, vt quiſquam ſit, vix fieri poſſe, etiam ſi diui Petri ſanctimoniam haberet, qui ſola vitæ integritate, deploratiſsimo hoc ſeculo autoritatem illam tantam, quantam eſſe conuenit, imo quantam eſſe neceſſe D

Etiam externarũ rerum ſplendorem neceſſario requiri in eccleſiaſtica hierarchiæ principibus.

A

neceſſe eſt, tueri poſſet, quando eouſque creuit improborum audacia & impietas, religionis & eccleſiaſticæ autoritatis contẽptus. Non ignorauit hoc futurum Chriſtus, quod nemo noſtrum non intelligit neceſſarium, qui modo materiã ipſam æſtimat, ex qua conſtituta eſt hęc noſtra eccleſia, vt mali permixtim cum bonis præficerentur eccleſiæ. Attamen, etiam ſi mali præſint, neceſſe eſt ob totius eccleſiæ ſalutem in eius præſide conſeruari, agnoſci ab omnibus, reuereri ac adorari ſupereminentem illam autoritatem eccleſiaſtici regiminis. Quare nec ſine ſpeciali diuinæ prouidentiæ diſpoſitione factum ſupra demonſtrauimus: primum vt omnis ciuilis inter nos autoritas, omnes magiſtratus, reges, principes, ſuos faſces, ſua ſceptra eccleſiaſticæ autoritati ſubmiſerint, deinde vt cedente eius præſidi imperatore Conſtantino vrbe Roma, ſede & capite Romani imperij, atque alijs alia vltro dedentibus, ſacerdotalis dignitas etiam principali aut regali dignitate honorata fuerit, quemadmodum & in illa veteri ſynagoga figura noſtræ eccleſiæ in Machabæis factum videmus, vt etiam hac ipſa parte concordet figura & veritas. Adeo vt à mille circiter annis, etiam in externarum rerũ ſplendore, magnificentia, & opibus

B

Romani pontifices eccleſiaſticæ hierarchiæ prẹſides, ſummis quibuſque principibus, regibus & imperatoribus non admodũ cederent. Quibus & ſancti pontifices ſanctiſsimè vſi ſunt in vtilitatẽ, augmẽtũ & honorẽ Chriſtianæ eccleſiæ, mali vero illam ſaltem toti Chriſtianæ eccleſiæ adeo neceſſariam vnius præſidis in principalem autoritatem conſeruarunt ac tutati ſunt. Sed de hoc poſt rurſus incidet locus commodior & opportunior.

In vnum conuenire non poſſe dominationem & apoſtolatum.

Dominationẽ interdici omnibus Chriſti diſcipulis, nõ principatum.

Quod vero Diui Bernardi ſententia confirmat in vnum conuenire non poſſe dominationem & apoſtolatum, libens admitto. Sed aliud eſt dominatio, qua reges gentium ſuis dominantur (de qua ſola ille loquitur, quemadmodum ſuperius clarius indicatum eſt) aliud vero principatus legitimus. Illa omnibus CHRISTI diſcipulis, quamuis regibus, & imperatoribus interdicta eſt, non ſolis ſacerdotibus aut epiſcopis. At principatus legitimus quanuis ſecularibus nemini interdicitur, nec ſacerdotibus, tametſi ipſis, non quatenus ſacerdotes ſunt, ſed aliunde conueniat. Quod idem ille Bernardus eodem libro confitetur, dicens Romanum pontificem in regalibus, quibus vtitur, inſignijs, vt ornatus gemmis & ſericis tectis auro, vectus equo albo, ſtipatus milite, circunſtrepentibus ſeptus miniſtris incedat, Conſtantino ſucceſsiſſe, non Petro. Sed de his poſt erit locus dicendi opportunior.

C

Epilogus.

Stat ergo inuicta & inconcuſſa veritas, nec quicquam ab vniuerſis impietatis aduerſus eam adhibitis machinis labefactari potuit. Stat Petro & ſucceſſoribus eius eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus ſuper vniuerſam familiam eccleſiaſticã, ſuper omnes, qui Chriſtiano cenſeri ſe volũt nomine, ſeu principes, ſeu reges, ſeu imperatores ſua autoritas omnes obligandi, omnibus præcipiendi, ab omnibus officiorum ſuorũ rationẽ exigendi, non quidem elanguida, & quam liceat impune contemnere, ſed armata ſecuri & falce apoſtolica, omnibus armis, omnibus gladijs magis formidabili. Demonſtrata præterea impudens falſitas aſſertionis contrariæ, aut potius inſomnij, merum enim videtur planeq́ue ridiculum inſomnium, quod ille adfert. Nulli videlicet inter nos competere iuriſdictionem coactiuam ſuper alios niſi ex delegatione legiſlatoris humani, hoc eſt, vt ipſe dicit, vniuerſitatis multitudinis. Quam vt interdictam Chriſti præcepto falſiſsime intelligit ſacerdotibus, epiſcopis atque ipſi etiam ſummo pontifici, ita hos contra rerum naturam & ordinem ſecularibus poteſtatibus impie ſubijcit, & extremæ paupertatis ignominia condemnat, & quantum in ipſo eſt, prophanæ plebis facit contemptum & ludibrium.

Marſilij Patauini ſententiam, qua iam Lutheranorum eſt omnium de autoritate, quam videmus, eccleſiaſtica, eius ortu & origine explicare.

CAP. IX.

EVerſo iam fundamento aſſertionis impiæ Marſilij & diſcipulorum eius, hoſtium Chriſtianæ eccleſiæ, de autoritate eccleſiaſtica, tametſi per ſe corruant, quæcunque ex illo velut principio inferũt, nihilo minus diligenter eorundem eſt explicanda ſententia, quo euidentius in omnibus conuincatur eius falſitas. Itaque cum negare nemo poſsit, Romanos pontifices multis annorum centenarijs obtinuiſſe autoritatem vehementem ſuper vniuerſam CHRISTI eccleſiam, quo eam de facto vſurpatam, aut humana ordinatione tantum, aut conſenſu introductam perſuadeat, altius orditur inueſtigare de eius ortu & origine, quod fere agit à capite XV. vſque ad XXII. ſuę dictionis ſecundę. Cuius ſententiam vt contrahamus in luculen-

A

De ortu aut progreſſu autoritatis Ro. pont. aut eccleſiaſtica.

luculentum compendium (nam verboſiſsime admodum & confuſiſsime hæc exequitur) hinc ſumit exordium: Biphariam videlicet poſſe conſiderari ſacerdotium, vel ſecundum ſuam rationem eſſentialem & intrinſecam, vel ſecundum ea, quæ eidem extrinſecus accidunt & ſunt velut aduentitia. Primo modo dicit ſacerdotium nihil eſſe, quàm characterem quendam, & habitum animi, impreſſum immediate à ſolo deo: quamuis nō ſine præuio humano miniſterio, ſecundum quem poſsit omnia perficere, quæ ſunt ſacerdotalis officij. Præter quæ etiam alia quædā ex humana electione, ordinatione, & determinatione illi cōuenire vult, vt quod vnus præſit alteri, quantum ad ea quæ ad diuinū cultum pertinent. Item vt in certo loco & populo tantum exerceat, quæ ſunt ſacerdotalis officij, vt temporalium bonorum, quæ eccleſię & ſacrorum miniſtris cōtulit deuotio Chriſti fidelium, præ alijs adminiſtrationem, diſpenſationemque habeat. Secundum primam rationem, nullam vult eſſe in ſacerdotio differentiam, nihil habere amplius epiſcopum præ presbytero, nihil Petrum præ reliquis apoſtolis, quātum ad ipſam Chriſti inſtitutionem attinet. Proinde mirari ſe dicit, cur quidam Roma. pontificem ampliorem reliquis ſacerdotibus cōtendant habere poteſtatem clauium, cum id ex ſcriptura cōuinci nequeat: ſed potius contrarium. At quæ ad ſecundum genus pertinent, ex Chriſti inſtitutione aut ordinatione nemini cōuenire vult: quin potius, quem nunc inter ſacerdotes ordinē cernimus, humana ordinatione conſtitutum aſſerit, vt inter multos vnus, ad quem potior totius eccleſiæ cura referretur, præemineret alijs, ne vnoquoque ad ſe rapiēte eccleſiam, & ſine modo & ordine vendicante omnia eccleſiaſtica officia & miniſteria, ſequerentur ſcandala, confuſiones, turbę, rixę, ſchiſmata. Quemadmodum ſi exercitus imperatorem deligat. Qui equidem electus, communiter nomē retinuit epiſcopi, velut ſuperintendēs cæteris: Sed electio eiuſmodi nihil illi amplioris meriti eſſentialis, ſeu ſacerdotalis autoritatis attribuit, ſed ſolū ordinationis velut œconomicæ in domo dei ſeu templo, poteſtatem quandam ordinandi & regulādi ſacerdotes, diacones, & officiales reliquos: qualis nunc datur abbati in ſuos monachos, non tamen coactiua cuiuſquam: niſi forte quanta eidem per legiſlatorem humanum conceſſa foret.

Vult oēs ſacerdotes æqualis autoritatis.

B

Ordinem hierarchiæ eccleſiaſticæ vult introductum ab hominib.

Petro nullā autoritatem vult cōpetiiſſe ſuper alios.

Nullam ergo poteſtatem, eoq; minus coactiuæ iuriſdictionis autoritatem, vult Petrum immediatè à deo habuiſſe ſuper reliquos apoſtolos aut Chriſti diſcipulos, nec inſtituendi eoſdem in ſacerdotali officio, nec ſegregandi ſeu mittendi ad ſuū quenq; exercendum officium, aut limites ſeu diœceſes præſcribendi, intra quos illud ipſum exercere debeant. Quanquam forte cōcedi poſſe dicit, fuiſſe priorem alijs ætate, vel fortaſsis officio ſecundum tempus, aut etiam reliquorum apoſtolorum electione: tametſi electionem eiuſmodi ex ſcriptura nemo poſſit conuincere. Quę multis quidem ille rationibus conatur perſuadere, & probabilia facere, quia tamen eas omnes libro tertio prolixe & longe, quàm ille, probabilius explicauimus atque etiam diſſoluimus, non erat hic repetere operæprecium.

C

Cur ergo, inquit, & vnde aſſumunt adulatores quidam ſacrilegi dicere, quenquam epiſcopum habere à Chriſto plenitudinē poteſtatis, nedum in clericos, ſed etiam in laicos, qualem nec Petrus, nec quiſquam apoſtolorum ſibi vſurpaſſe legitur? vt quem Chriſtus illis apertiſsime interdixit, cū dominari illos in ſe inuicem prohibuit, inſtar regum & principum gentium. Cuius præceptum irritū fieri dicit per pontificias decretales, velut traditiones hominum, quæ Romanis pontificibus poteſtatem attribuunt & dominium, non ſolum eccleſiaſticorum, ſed etiam temporalium, regalium & imperialiū. Nam etiam vt Petrus quacunque ratione ſibi vendicare potuiſſet maiorem quandam autoritatem ſuper cęteros apoſtolos & Chriſti diſcipulos, quo, inquit ille, iure eam ſibi vendicaret Romanus pontifex ſuper cæteros epiſcopos? Si vt ſucceſſor Petri, cur non idem, & longè meliori ratione, Antiochenus, quem certo conſtat ſucceſsiſſe Petro? Cur Romanus, quum non conſtet ipſum vnquam fuiſſe Romæ? Quin Pauli ea ratione, non Petri ſucceſſorem dicendum. Qanquam quod ad ſucceſsionē attinet, vel ęque vnumquemlibet epiſcopum ſucceſſorem eſſe cuiuslibet apoſtoli: vel illum primi & perfectioris, quiſquis moribus talem & operibus magis imitatus fuerit.

D

Ro. pōtifices nullo iure vult ſuccedere in ius Petri.

Quare, vt capite decimoſeptimo dictæ ſuæ dictionis ſubiungit, quum ex Chriſti inſtitutione atq; ordinatione, nullus omnino ſacerdotum certo ſit deputatus loco aut populo, nemo prælatus alteri, nulli præ alio cōmiſſa cura diſpenſandorum temporalium eccleſiæ, quæ eccleſiaſtica nunc beneficia dicimus, nulla vlli in quenquam coactiua iuriſdictio, nulli vni præ alio data à Chriſto incidentium dubiorum, quæſtionum & controuerſiarum determinandi autoritas, autoritatem

tem

A tem ſingula hæc modo conuenienti ordinandi, affirmat primo fuiſſe penes apoſtolos omnes in commune, quamdiu erant vna, aut etiam penes ſingulos, quum iam eſſent diuiſi à ſe inuicem, quos ea in re nihil dubitat directos fuiſſe reuelatione Chriſti: deinde penes ſucceſſores illorum primos, ante conuerſionem populi, idque ex autoritate & delegatione apoſtolica. Demum vero, poſt mortem apoſtolorum, aut etiam in eorundem abſentia epiſcoporum & aliorum eccleſiæ miniſtrorum ſpiritualium inſtitutionẽ omnium, conuenientiſsimè & decentiſsimè factam dicit per vniuerſitatem fidelium, in loco ſeu prouincia, cui ſuperintendere habent miniſtri eiuſmodi. Non vero per ſingularem perſonam aliquam, hoc eſt, Romanum pontificem, aut etiam aliquod ſacerdotum collegium.

Et ne hæc velut legiſlator quidam ſua velut autoritate ſtatuere nobis videatur, alioqui incredibilia & cõtra receptã ante annos plus mille totius eccleſiæ formã, ordinẽ, inſtitutionẽ: primũ probat autoritatẽ conſtituendi & deputãdi miniſtros eccleſiæ fuiſſe in commune penes apoſtolos, & non penes vnum Petrum velut cæterorum caput & principem, ex illa primorum diaconorum
B inſtitutiõe, quos electos à fideli plebe, ſtatuerunt ante conſpectum apoſtolorũ, qui orantes impoſuerunt eis manus, communiter videlicet, & non vnus Petrus. Non tamen negat vnumquemlibet hoc potuiſſe in aliorum abſentia, quemadmodum Paulus Timotheum & Titum epiſcopos inſtituit, & cuilibet eorum commiſit hoc ipſum facere per loca opportuna. Deinde, quod poſt apoſtolorum & priorum patrum illis in officio proximè ſuccedentium tempora, & præcipuè in communitatibus fidelium iam perfectis, inſtituere ſeu determinare ſacrorum præſidem ſeu ſuperiorem, quem epiſcopum vocant, minores etiam, quos curatos ſacerdotes appellant, ſimul & reliquos ſacrorum & rerum eccleſiaſticarum miniſtros omnes, ſpectet ad vniuerſitatem multitudinis fidelium loci aut prouinciæ, cui deputandi ſunt. Idque vel per ſuam voluntatem & electionem expreſſam, vel illius, aut illorum, cui, aut quibus, multitudo eiuſmodi ſuam ea in re autoritatem cõmiſerit. Quodque eiuſdem autoritatis ſit vnumquemque iam dictorum ſuo priuare officio, aut etiam ad illius debitum exercitium compellere. Præterea, quod ad eandem etiam autoritatem pertineat, eligere, determinare ac præſentare perſonas promouendas ad ſacros

ordines, & quod nulli omnino epiſcopo liceat ordinare aliquem ſine eius licentia, hoc eſt, multitudinis, aut eius voluntate principantis. C

Hæc, inquam, vniuerſa ſatis demonſtrata vult eiſdem illis rationibus, quibus ante demonſtraſſe ſe iactat & legis ferendæ autoritatem, & conſtituendi principis qui ſuper alios coactinæ iuriſdictionis poteſtatem obtineat, eſſe penes vniuerſitatem multitudinis, quæ ſecundum leges eiuſmodi gubernari debet à principe. Deinde, confirmat eadem ex forma illa inſtitutionis ſeptem illorum diaconorum, quorum electio etiam ab apoſtolis commiſſa fuit multitudini. Quanto magis, inquit, ſacerdotum & epiſcoporum, à quibus longè plus pendet ſalus populi, in abſentia apoſtolorum, multitudini & vniuerſitati permittenda electio eſt? Attamen velut occurrens obiectioni, vbi legiſlator, aut eius autoritate principans, infideles eſſent (quemadmodum ferè accidit in primitiua illa eccleſia) confitetur promouendarum perſonarum ad eccleſiaſticos ordines, approbationem vel reprobationem, inſtitutionemque ad iam dicta officia & miniſteria eccleſiaſtica pertinere ad ſacerdotem vel epiſcopum cum ſaniori parte fidelis populi exiſtentis ibidem: aut etiam D ſine eadem, & abſque principantis cõnſenſu aut ſcientia.

Quomodo prædicta demonſtret.

De temporalium vero eccleſiæ, quæ beneficia eccleſiaſtica dicimus, diſtribuendorum autoritate, velut legem ſanciens, ita ſtatuit, vt ſi ordinata ſint per vniuerſitatem multitudinis, aut (vt ipſe loquitur) legiſlatorem ad ſuſtentandos miniſtros euangelicos, quod ipſorum diſtribuendorum autoritatem, cui vult, & quando vult, licitè poteſt committere ſecundum legem euangelicam, poteſt & quando vult reuocare, poteſt quoque eadem repetere, & ſibi rurſus vendicare, vendere aut aliter alienare, niſi forte, inquit, rem eiuſmodi in alterius, ſeu collegij, ſeu perſonæ tranſtuliſſet poteſtatem. Si vero non ab vniuerſitate, ſed ex dono aut legato ſingularis alicuius perſonę, in vſum eiuſmodi donata aut legata fuerint, dicit ea conſeruari, diſtribuique debere ſecundum donantis intentionem. In quo ſi quis error accidat, illum vult ſubiacere correctioni principantis ciuiliter. Et nihilo minus vniuerſa illa, quantumuis dicata diuino cultui, ſemper ſubiecta vult remanere oneribus publicis, tributis, tallijs, collectis, æque ac alia bona laica.

Diſtribuere tẽporalia eccleſiæ cuius eſſe velit.

Sed cũ vniuerſa hæc redarguantur multo-

A rum retro ſeculorum conſenſu atque vſu contrario, per quem prædictorum omnium plenam autoritatem fuiſſe conſtat penes eccleſiaſticos & ſacerdotes, præcipuè autem penes Romanum pontificem, bona vero eorundem, & quorumcunque ſpecialiter adſcriptorum diuino miniſterio, libera & exempta ab oneribus publicis: velut indicaturus, vt in hæc paulatim irrepſerint, ſibique eadem vſurpauerint, capite decimooctauo ſuæ dictionis ſecundæ, dicit ante Conſtantini tempora neminem Romanorum pontificum vllam ſibi ſuperioritatis aut iuriſdictionis autoritatem vſurpaſſe ſuper alios. Tametſi forte dicat inueniri aliarum prouinciarum epiſcopos incidentes quæſtiones & dubia, quæ aut fidem aut ritum concernerent eccleſiaſticum, retuliſſe ad Romanum pontificem, & ſecum Romæ agentem fidelium eccleſiam: vt quam ob ſcientiarum omnium, quæ tunc in vrbe orbis domina florebant, ſtudia, etiam in his, quæ fidei & religionis ſunt exiſtimarent peritiorem. Qua cauſa etiam aliarum prouinciarum eccleſijs id exigentibus & petentibus à Romano pontifice, nonnunquam prouiſum vult fuiſſe de idoneis paſtoribus & rectoribus. Atque ita conſuetudinariam

B quandam ſuperioritatem ſuper alias eccleſias, earundem ſpontaneo quodam conſenſu tandem obtinuiſſe vult Romanam eccleſiam, eccleſiaſticos ritus, ſacerdotum, miniſtrorumque eccleſiæ officia, ſuis decretis, ordinationibusque toto orbe ordinandi, regulandique autoritatem, atque eorundem obſeruationē præcipiendi alijs. At Conſtantini decreto, vt ſacerdotium in vniuerſum à coactiua principum ſecularium iuriſdictione exemptum, ita Romanæ eccleſiæ atque eius pontifici ſuper alias omnes eccleſias & epiſcopos datam iuriſdictionis autoritatem affirmat. Sic enim in eodem inter cætera legitur: Decernendo ſancimus, vt principatum teneat, Romana eccleſia videlicet, tam ſuper quatuor præcipuas ſedes, Alexandrinam, Antiochenam, Conſtantinopolitanam & Hieroſolymitanam, quàm etiam ſuper omnes in vniuerſo orbe terrarum dei eccleſias, & pontifex, qui pro tempore ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ extiterit, celſior & princeps cunctis ſacerdotibus exiſtat atque eius iudicio, quæcunque ad Dei cultum & fidei ſtabilitatem procurandam pertinent, diſponantur. Hactenus ex Conſtantini decreto. Ex quo apparet, imperiali ſanctione primatum, qualemcunque prætendere poſſit, Romanæ eccleſiæ cōpetere. Deinde vero, cũ primatus iſte per ſubſequentes imperatores fortaſsis reuocatus eſſet, reſtitutum vult Bonifacio per Phocam imperatorē. Quod apparet ex Martini cuiuſdam chronica, qui de Bonifacio loquens: Hic (inquit) obtinuit à Phoca imperatore, vt eccleſia beati Petri caput eſſet eccleſiarum omnium, quia Conſtantinopolitana iam primam omnium ſe ſcribebat. C

Illam, cũ forte amiſiſſet, reſtitutã & confirmatam vult à Phoca.

Ad quem vero aut quos diuinæ legis autoritate prædicta pertineant rediens, cum (inquit) conſeruandæ in catholica eccleſia vnitatis fidei ſit vel præcipua neceſsitas, & quotidiè (vt homines ſumus) ex ſcripturis pro ſuo à quoque captu intellectis, de fide, religione, eccleſiaſticis ritibus, & his, quæ diuinum cultum, fidelium pacem & vnitatem concernunt, oriri contingit quæſtiones, & quorundam pugnantes ſententias, quas alicuius aut aliquorum neceſſe eſt terminari iudicio, ad ſolum generale concilium fidelium omnium, vel eorum, qui autoritatem omnium habuerint, affirmat pertinere definitionem & iudicium eiuſmodi. Dicit præterea ſecundum eandem legem diuinam & rationem rectam, conuocationem generalis concilij, etiam ſi expediat per coactiuam potentiam ad ſolius legiſlatoris humani fidelis ſuperiore carentis autoritatem pertinere. Non autem ad ſingularem perſonam aliquam, aut quorumcunque collegium, cuiuſcunque dignitatis aut conditionis exiſtant, niſi eidem, vel eiſdem, per ſupradictum legiſlatorem conceſſa eiuſmodi foret autoritas. Inſuper dicit, nihil poſſe ſtatui, aut circa ritum eccleſiaſticum, aut circa actus humanos, quod omnes homines ad ſui obſeruationem ſub quacunque pœna ſeu pro ſtatu præſentis ſeculi, ſeu futuri obliget, niſi ſolum per generale concilium, ſeu ſupremum legiſlatorem fidelem, aut inde ſumpta autoritate eiuſmodi. Ex quo vult conſequi, nullum principem, nullam prouinciam, aut communitatem excommunicari aut interdici debere aut poſſe per quemcunque ſacerdotem, etiam Romanum pontificem, niſi ſecundum formam & modum ordinatum per generale concilium. Denique non pertinere ad epiſcopos aut ſacerdotale collegium, inſtitutionem perſonarum in officijs eccleſiaſticis, non conferre aut diſtribuere pro eiſdem vocata beneficia eccleſiaſtica: ſed vel ad fundatores & patronos, vel ad legiſlatorem vniuerſalem fidelem, aut eum, ſeu eos, cui, aut quibus ille hanc poteſtatem cōmiſerit. Poſtremo, decreta & ſtatuta generalis cōcilij, ſolius etiã generalis cōcilij, D

Definitionẽ quæſtionũ fidei ad vniuerſale concilium ſolũ pertinere contendit.

Conuocatio cōcilij ad quẽ pertineat.

Inſtitutionẽ perſonarũ in eccleſiaſticis officijs ad quẽ aut quos velit pertinere.

non

A non autem alterius cuiuſuis ſeu ſingularis perſonæ, ſeu collegij autoritate immutari poſſe, augeri, minui, ſuſpendi aut reuocari. Proinde Romanum Pontificem ſibi indebitè & contra diuinarum ſcripturarum & humanarum demonſtrationum ſententiam adſcribere plenitudinem poteſtatis ſuper principes, communitates, aut etiam quamcunq; perſonam ſingularem. Quam eius temeritatem & vſurpationem manu cohibēdam ſuadet principibus ſecularibus.

In ſtatuta vniuerſalis concilij non vult diſpenſare poſſe à Roman. pontifice.

Et hæc quidem proponit valde confidenter, & demonſtraturum ſe clariſsimè, tam diuinis & irrefragabilibus ſcripturis, quàm humanis, philoſophicisq́ue pollicetur demōſtrationibus. At quādo ad demonſtrandum ventum eſt, mirum quàm frigent omnia, quàm nulla vſquam diligenter perquirenti, & vniuerſa conferenti, occurrit demonſtrationis facies, quàm nihil inuenias, niſi meraciſsimas nugas, & quod dici ſolet, fabulas in ſabulis. Nam ſolum remittit ad ea, quæ iam audiſti ſuperius.

Vt dicta demonſtret.

Itaque capite vigeſimo dictionis ſecundæ demonſtraturus primū eorum, quæ propoſuit, videlicet: Ad ſolius vniuerſalis concilij autoritatem pertinere, ſua definitione determinare incidentes inter Chriſtifideles, ſcripturarū variè intellectarum occaſione circa fidem, religionem, diuinum cultum, eccleſiaſticos ritus, atque eiuſmodi quæſtiones, pugnas & controuerſias. Et eodem prorſus modo demonſtrat cætera quoque omnia. Conſimilibus (inquit) demonſtrationibus & ſcripturæ ſacræ autoritatibus conuinci hoc poteſt, quibus legiſlationem duodecimo primæ, & officiorum eccleſiaſticorum inſtitutionem decimoſeptimo ſecundę dictionis ſuæ ad legislatorem humanum pertinere demonſtrauit, ſola demonſtrationum minori extremitate mutata, vt videlicet, circa legem diuinam determinanda, ſeu definienda dubia, cum reliquis circa ritum eccleſiaſticum, ſeu diuinum cultum ac fidelium pacem & vnitatem ordinandis, aſſumantur pro termino legis.

B

At capite vigeſimoprimo eiuſdem dictionis, velut diligentius approbaturus omnem coactiuæ iuriſdictionis autoritatem, ſuper vniuerſos æque ſacerdotes ac laicos, perſonarum eccleſiaſticarum determinationem & approbationem, officiorum quoque inſtitutiones omnium, ad ſolius humani legislatoris fidelis: non autem ad Romani pontificis aut ſacerdotalis alicuius collegij autoritatem pertinerę: adducit verba quædam ex præfatione Niceni concilij, quæ apud Iſidorum legitur. Ibique Arrium CCCXVIII. reſidentibus epiſcopis adeſſe iubet, Conſtantinus videlicet, ac de eius quæſtionibus & propoſitionibus iudicare epiſcopos. Hactenus Iſidorus. Vides (inquit) quod iuſſu legislatoris cōgregati fuerint epiſcopi & ſacerdotes in prædicto concilio. Idem quoque vult conſtare ex edictis & legibus Chriſtianiſsimorum principum, quas pleraſque citat aduerſus hæreticos, quibus non à Romanis pontificibus, ſed à principibus pœna ſtatuta eſt. Et hactenus dicti Patauini ſententiam de ortu & progreſſu vſurpatæ (vt ipſi videtur) autoritatis Romani pontificis & eccleſiaſticæ, & cui aut quibus eorum omnium iure diuino vult autoritatem competere, quanta potuimus probabilitate, luculentia, & compendio explicauimus. C

Dictæ ſententiæ impietatem falſitatemq́ue conuincere, & eccleſiaſticam aduerſus eandem autoritatem aſſerere.

CAP. X.

VT perpetuo ſit hic ſui ſimilis, nec minus impudenter, quàm impotenter ſuum virus in ſacerdotalem & eccleſiaſticam dignitatem per illum effundat liuida detractio, nemini fore dubium confido, qui memoria retinet, quæ à nobis ſuperius demonſtrata ſunt. In primis, quod confitetur ſacerdotalem autoritatem ſecundum ſuam rationem eſſentialem & intrinſecam, vt ipſe loquitur, à ſolo deo conferri, quamuis intercedente ſacerdotum aut epiſcoporum miniſterio, eamq́ue nō poſſe auferri ab homine, vt verum ab impio & veritatis aduerſario libenter acceptauimus. D

Sacerdotalē autoritatem diuinitus conferri.

Quod autem ſimplicem vult eſſe autoritatem ſacerdotij, neque ex Chriſti ordinatione vllum in ea diſcrimen eſſe presbyteri (vt nunc loquimur) & epiſcopi, libri ſecundi capite nono ſatis ſuperque confutauimus.

Ex Chriſti ordinatione bipartitum ſacerdotium

Quob inſuper non humana, ſed ipſius Chriſti ordinatione conſtitutus ſit ordo & hierarchia eccleſiæ ſub vno paſtore & capite, cui totius ouilis ſui ab eodem cura, gubernatioq́ue commiſſa eſt, cum vehementi quadam ſuper omnes iuriſdictionis, etiam coactiuæ autoritate, qua ſingulis in eccleſiaſtica domo ſua præſcribere officia, & eorū à ſingulis rationē exigere, punire exceſſus, exortas in eccleſiaſtica domo quæſtiones & cō-

Chriſti ordinatione conſtitutam hierarchiam eccleſiæ ſub vno paſtore & capite.

A troverſias ſua definitione componere poſſit & debeat, duobus præcedentibus libris à nobis irrefragabiliter demonſtratum eſt. Qua in re miror illum & cęteros, qui eodem morbo laborant liuoris in eccleſiam, non intelligere, æternam dei non ignoraſſe ſapientiam, ita fuiſſe neceſſarium, vt inter ſingularum eccleſiarum præſules, eſſet ordo quidam reductus ad vnum caput & principem, ſicut fatētur, neceſsitate coactos à principio eccleſiæ proceres, neceſſario conſtituiſſe, vt inter particularis vnius eccleſiæ ſacerdotes & miniſtros vnus ſuperemineret cæteris, ad quem illius eccleſiæ cura pertineret præcipua. Si hoc in vna aliqua ciuitate neceſſaria ratione coacti ab initio conſtituerunt homines: in vniuerſa toto orbe diffuſa eccleſia, hoc Chriſtus ignorauit neceſſarium? Scilicet, non contingit æque inter ſe diſsidere eccleſiarum paſtores & præſules, ſicut vnius eccleſiæ miniſtros & presbyteros? Et quis tandem hos inter ſe diſsidentes componeret, ſi nemo ſit illis ſuperior, ſi nullius alterius iudicio eſſent obnoxij? Legiſ-
B latorem dicis, aut eius autoritate principantem, ſed hæc legislatoris inſtar, velut legem ſanciens. Quid ergo, vbi in nullo communicant legiſlatores aut principantes, quorum in ditionibus ſunt eiuſmodi aduerſum ſeſe tumultuantes eccleſiarum præſules, vt ſi Galliarum epiſcopis ſit controuerſia cum vicinis Germaniæ epiſcopis, quis hos, vt tu nugaris legislator, aut quis eius autoritate principans, reducet ad Chriſtianam vnitatem & concordiam? Cuius communis iudicis erunt iudicio obnoxij? Nunquid imperatoris? Certe negabunt hoc Galli. Nunquid Galliarum regis? hoc Germani nunquam conceſſerint. Sed faceſſant nugæ eiuſmodi & Ariſtotelica ſomnia in hierarchia Chriſtianæ eccleſiæ, quæ ad Ariſtotelis normam & leges exigenda non eſt, ſed potius, quo pacto, autore Chriſto, & doctore ſpiritu ſancto, ab initio cōſtitutam & ordinatam videmus ab apoſtolis, à nobis quoq; religioſe, ſanctéque conſeruanda eſt. Nec, vt ille dicit, adulatores ſumus ſacrilegij, qui Petri ſucceſſorumque eius, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidum, ſacroſanctam autoritatem in vniuerſum ouile Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui ad illud pertinent, ſibi contributam à Chriſto veneramur & aſſerimus. Quin ipſe potius impius detractor eſt, qui eandem in totius eccleſiæ confuſionem, eidem ſacrilege detrahit, & ſuo illi legiſlatori humano, vt ſecum ineptiam, hoc eſt, inſulſæ & confuſæ multitudini attribuit.

Sed iterum cogor mirari mecum in tanto philoſopho, cui Ariſtotelis aliqua ſententia eſt velut primum & certum principium, vt nec ſecum conſtet, nec cum ſuo Ariſtotele, ſed ſui ſubinde obliuiſcatur principij. Libet enim cum philoſopho philoſophari paulîſper, vt ſuę illum philoſophiæ pudeat. Hoc enim ante omnia certum eſt, vnam eſſe catholicam eccleſiam, & velut vnum corpus quoddam. Cuius membra ſunt Chriſtiani ſinguli, tamen ſecundum diuerſa officia, vt eſt clara apoſtoli ſententia. In vno autem corpore, membrorum omnium neceſſario magna quædam eſt communio, ſed ſubordinata, & ſibi mutuo ad totius vtilitatem ſubſeruiens & conſentiens. Nam ea vna & ſola, multorum vnitatis eſt ratio. Eiuſmodi autem multorum communionem, velut in vnitatem vnius corporis (vt veriſsimè ſentit Ariſtoteles) nec ſubſiſtere, imo nec imaginari eſt poſsibile, niſi regantur & velut colligentur vnius principantis imperio. Nam ſi vnius multitudinis, quatenus vna, membra ſingula conſpirantia & conſentientia ſint oportet, in quo vno conſiſtit multitudinis vnitas, neceſſe eſt, vt regulentur vniuerſa ab vno ἡγεμονικῷ, vt ipſe loquitur, aut principante: ſine quo nemo diu, aut conſtanter faciet, quod eſt ſui officij, ſed quiſque pro ſuo arbitrio & libidine vſurpabit officium alterius, atq; ita neceſſaria diſſoluetur ſocietatis vnitas. Quare vnitatem τοῦ ἡγεμονικοῦ & principantis in omni vnita & conſociata multitudine plane fatetur neceſſariam.

C
Vt Marſilius, nec ſecum, nec Ariſtoteli ſuo conſentiat.

Ex Ariſtotelicis principijs oſtenditur vnitas partis principantis in catholica eccleſia.
D

Quam etiam demonſtrari à natura in animantis corpore, cui conformiter ad rationem habere ſe debet omne corpus vnitæ & conſociatæ multitudinis. Niſi enim in vno corpore vnum eſſet motiuum principium membrorum omnium, nunquam conſpirarent omnia in vnum ad totius vtilitatem, imo vno hac, altero mouente in contrarium, foret ſchiſma in corpore, & membra ſeſe impedirent mutuo, nec vllum aſſequeretur quod vellet, proprium. Qua etiam ratione, in vniuerſo concludit neceſsitatem vnius principantis principij. Hæc ſi memoria retineat noſter hic Ariſtotelicus, & hactenus veriſsima, æque in catholica eccleſia, vt in vnaqualibet alia ſocietate aut multitudine, nobiſcum etiam ſecundum Ariſtotelicam ſententiam confiteatur neceſſe eſt, vnum neceſſariū τὸ ἡγεμονικὸν & principans, ſi vna eſſe ac permanere debeat. Principans autem illud, cuius autoritate principetur, conſequenter interrogandū eſt. Certè non humani, vt ille vocat, legiſlatoris,

hoc

A hoc eſt, vniuerſitatis multitudinis. Primum, quoniam non eſt hæc humana voluntate ad quietam, commodam, & ſufficientem vitam contracta ſocietas: ſed diuinæ prorſus inſtitutionis, diuinis ſacramentis in vnum conciliata & colligata multitudo. Quare & principans in eadem vt diuina, non humana autoritate eidem principetur neceſſe eſt. Atque ita, nec rex, nec imperator, nec quiſquam ſecularium principum, aut eſt, aut fuit vnquam principans in catholica Chriſti eccleſia. Quandoquidem illorum nemo vt eiuſmodi, diuinitus eam accepit autoritatem ſuper catholicam eccleſiam. Deinde, quoniam nunquam fuit vnus ciuilis princeps in catholica eccleſia: ſed ſemper multi, quorum vnus non fuit ſubordinatus alteri. Quemadmodum & nunc eſſe teſtantur tot inter nos reges, Franciæ, Hiſpaniarum, Angliæ, Portugalliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueuiæ, Hungariæ, Poloniæ. Attamen in vna catholica eccleſia vnum ſit τὸ ἡγεμονικὸν, vnum principans iuxta certam & veriſsimam Ariſtotelis ſententiam, neceſſe eſt. Et quale tandem hoc erit, ſi non Petrus atque eius ſucceſſores Roman. pontifices, quemadmodum à nobis ſuperius demonſtratum eſt? Nullius hic ſubterſugio illi locus eſt, vni ſocie-
B tati vnũ inueniat τὸ ἡγεμονικὸν & principans, ſecundum Ariſtotelis ſententiam, atque adeo certiſsimam veritatem, neceſſe eſt. Vna æque ſit oportet catholicæ eccleſiæ ſocietas, cui quantopere ſit vnitas neceſſaria, ſupra clariſsimè demonſtrauimus. Vnum ergo illi, in quantum eiuſmodi, inueniat ἡγεμονικὸν & principans, prorſus eſt neceſſarium. Quod quum inuenerit, confiteatur quoque oportet, ſecundum eandem Ariſtotelicam, eamque veriſsimam, & quam non ſemel adſtruit & inculcat ſententiam, ad illud ipſum pertinere membra omnia ſocietatis catholicæ eccleſiæ, quatenus eiuſmodi, ordinare, regulare, ſua eis officia præſcribere, & in officio continere. Age igitur, fingat quiſquam vel pro arbitrio aliud ἡγεμονικὸν, aliamue partem principantem in catholica eccleſia præter eam, quam ſupra demonſtrauimus. Nunquid Romanorum imperatorem? Reclamat enim Gallia, Hiſpania, Britannia, Italiæ pars multo maxima. Breuiter, quicquid penè extra vnam Germaniam & Longobardiam, toto orbe terrarum vſquam eſt Chriſtiani nominis. Hoc certo ſcio, quum orbem vniuerſum circumieris, aliud non inuenturum, quàm Petrum & ſucceſſores eius, quos ſupra demonſtrauimus, inſtitutos à Chriſto eccleſiaſticæ hierarchiæ rectores & principes.

Officia principantis.

C Quare, velis nolis, ad eos quoque pertinere vt fateamur oportet, quæ ille eiſdem impie detracta conatur attribuere inſulſæ & confuſæ multitudini, aut ſecularibus principibus. Vides itaque lector Chriſtiane, quàm omne verum omni vero conſonet: ſeipſam autem euertat falſitas & impietas. Vides vt huic nec ſecum, nec cum ſuo conueniat Ariſtotele, nec proprijs conſtare poſsit principijs.

Iam & illud, quali ratione, quàm acutè & philoſophicè dictũ eſt, vt ab initio autoritas hæc ordinandi eccleſiam, vniuerſaque eius membra, & ſuum cuique præſcribendi officium, fuerit penes apoſtolos eorumque ſucceſſores, ac deinde ab eis deuoluta ſit ad vniuerſitatem multitudinis fidelium? Quo enim iure? Diuino? Nullum certè protuliſti. Humano? At fieri non poteſt. Nam quod ad illos pertinuit, iure diuino pertinuit oportet, quod humanum ius, nec auferre potuit, nec deuoluere. Et quæ tandem hæc lex vel præſumpta à quo lata legiſlatore? quando promulgata? vbi ſcripta? Pudet me ſtupiditatis & impudentiæ iſtius hominis. Sed putauit fortè ſimiliter, ac ipſe erat, affectis tantum ſcribere. Apud quos equi-
D dem quantum hæc valuerunt, quantumuis ſtulta, impia, ſacrilega, nec vlla ratione cohærentia, in plerisque non parui nominis, & maioris apud ſe opinionis expertus ſum, qui ſub hoc velut Achille quodam impotenter inſultant autoritati eccleſiaſticæ, quam vniuerſam, vt hic vult, iniuſtè vſurpatam certo ſibi perſuadentes, detrahere nobis omnibus viribus moliuntur, vt rerum habenæ eiſdem à ſui ſimilibus commiſſæ ſunt, deo ſacrificium in hoc præſtare ſe exiſtimantes.

Sed dicis, apoſtoli electionem diaconorum illorum ſeptem permiſerunt multitudini, quanto magis ſacerdotum & epiſcoporum electio, vnde longè plus pendet ſalus populi, in apoſtolorum abſentia vniuerſitati multitudinis committenda eſt? O argumentationem fortem & dialecticam, dignam tanto philoſopho, & quæ vna totius ab initio eccleſiæ formam ſufficiat euertere. Sed vide num te pudeat tantum temporis & laboris fruſtra perdidiſſe in tuo Ariſtotele. Nunquid ille à minori ſic doceat argumentari: Si quod minoris momenti eſt, ob cauſam ſedandæ ſeditionis, ob quam aliquando permittuntur etiam iniqua alioqui, hoc eſt, eligere diaconos, permiſſum eſt multitudini. Ergo quod maioris & grauioris momenti, hoc eſt, eligere presbyteros & epiſcopos, eidem ſine cauſa permitten-

Solutio rationis ex electione primorũ VII. diaconorum.

A mittendum eſt? Nunquid commiſſa fuit multitudini Apoſtoli Matthiæ in locum proditoris Iudę electio? nunquid & Timothei & Titi epiſcoporum electio à plebe facta legitur? Nunquid plebi permittere epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum ordinationem eoſdem Paulus docuit, & non potius, vt ipſi ordinarent & conſtituerent epiſcopos, presbyteros, diacones per loca? Cauſam vero, cur primorum illorum diaconorum electionem permiſerit multitudini, ne quiſquam inde formam in futurum præſcriptam prætenderet, etiam Lucas diligenter expreſſit. In diebus, inquit, illis creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Gręcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum dei & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij VII. plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus, nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Quæ & VII. electos ſtatuerunt ante conſpectum apoſtolorum, qui orantes impoſuerunt eis manus. Vides itaque, ex qua
B cauſa apoſtoli diaconorum illorum electionem pro illo tempore permiſerunt multitudini, nempe ad ſedandum murmur, quod in ea exortum fuerat. Vides præterea electos illos à multitudine, non ex illa electione, ſed apoſtolicarum manuum impoſitione, ſortitos ſacrum miniſterium.

Ad rationes philoſophicas Marſilij.

Ad illas autem, quas iactat, philoſophicas rationes, quibus demonſtraſſe ſe putat, tam legis ferendæ, quàm conſtituendi principis, qui coactiuam poteſtatem ſuper alios habeat, autoritatem eſſe penes vniuerſitatem multitudinis, nihil aliud reſpondendum eſt, quàm eſſe veteris ægroti delira inſomnia. Nam quales ſint, ſuperius clariſsimè demonſtrauimus. Quæ etiam vt in ciuilibus ſocietatibus veritatem haberent & rectè concluderent, nunquid etiam regnum hoc Chriſti, hoc eſt, catholicæ Chriſti eccleſiæ ſocietas, cuius eſt ſupernaturalis vniuerſa inſtitutio, ſupernaturalis quoque, qua gubernatur, regitur, & in finem ſuum dirigitur, autoritas, Ariſtotelicis ſubiecta erit ratiunculis & inſomnijs? Attamen ex illis ipſis etiam, quas ille profert, ſententijs Ariſtotelicis, quatenus locum aliquem habere poſſunt in diuinitus inſtituto hoc Chriſti regno, vt audiſti neceſſario conuincitur etiam in eodem, vt eiuſmodi quacunque tandem autoritate, vnum neceſſario principans eſſe oportere, quod omnium eius partium poteſtatem habeat, omnibus poſsit ſua præſcribere officia, ab omnibus eorundem rationem exigere, omnes continere in officio, vnitate cócordia. Quale ab initio vſque nunc, haud aliud fuiſſe inuenient, quàm Petrum & ſucceſſores eius, quibus id muneris demãdatũ à Chriſto, ſuperioribus libris luce clarius demóſtrauimus. C

Ad quem vero pertineat, diſtribuere tẽporalia eccleſiæ, quæ eccleſiaſtica beneficia dicimus, & eccleſiaſticæ ſocietatis quatenus eiuſmodi miniſtris deputata ſunt, quæ ille velut legẽ ſanciẽs ſtatuit, nec reſpóſione indigent, cũ nulla ratione ea cóuincat aut adſtruat, nec quę accuratius redarguãtur, digna ſunt. Cũ etiã ſecundũ ea, quę ille ipſe ſtatuit, principia neceſſe eſt eorũ omniũ ſummã & principalẽ autoritatẽ pertinere ad principãtem in catholica eccleſia, quatenus eiuſmodi, quem quærat qualemcunq; voluerit: aliũ tamen non inueniet, quã quos ſupra demonſtrauimus, Petrum & ſucceſſores eius.

Cuius ſit ortas inter nos de fide & religione quæſtiones & controuerſias determinare ſua definitione & iudicio

Ad cuius autem autoritatem pertineat, exortas inter nos de fide & religione quæſtiones & controuerſias determinare ſua definitione & iudicio, vtque Chriſtus ſuæ eccleſiæ (cuius illi ſingularis cura extitit) ea in re vt omnium præcipua & momenti maximi, diligentiſsime prouiderit, libro ſuperiore euidentiſsimum fecimus. In primis, hoc certo conſtat, autoritatem ad quam illa pertinent, ſingulari diuinę aſsiſtentiæ priuilegio in ſuis iudicijs ac definitionibus neceſſario dirigi oportere, ſine quo de nullius omnino hominis, ſed nec de plurimorum quotouis numero ſententia, indubie veritatis certitudinem habere poſſumus. Omnis ſiquidem homo mendax. Deinde, nec minus illud certum eſt, autoritatem illam paratam ſemper eſſe oportere omnibus, & ad conſulendum, dubiorumque reſolutionem petendam cuique aditu facilem: cũ quotidie incidat eius conſulendi neceſsitas, quotidie oriantur in eccleſia quæſtiones & controuerſiæ eiuſmodi. Alioqui Chriſtus haud ſane ſufficienter ſuæ prouidiſſet eccleſiæ, ſed veteris illius, vt oſtendimus, ſynagogę maiorem accuratioremque curam habuiſſet. At conſtat, horum ſecundum non conuenire vniuerſali concilio, quod non ſemper paratum eſt omnibus, nec ad conſulendum aditu facile, ſed quàm rariſsime, nec ſine magno orbis totius motu, maximaque impenſa conuocari, celebrariq; poteſt: quemadmodum nec illis trecentis triginta annis ante Nicenum concilium vnquã celebratum extitit. Deinde, nec hoc demon- D

ſtratum

A ſtratum eſt,quod tamen ſolum demonſtrandum fuerat, illi & nulli alij in ſuis definitionibus & iudicijs adeſſe diuinę aſsiſtentię ſingulare priuilegium. De vniuerſalium igitur conciliorum autoritate, quæ,qualis & quanta ſit:ad quem aut quos eorundem conuocatio pertineat, quos intereſſe oporteat: breuiter, quæcunque ad hoc argumentum pertinent, non ex ratiunculis, quales audiſti, aut verius nugis Ariſtotelicis(ex quibus ille vniuerſa illa,quę audiſti, paradoxa adſtruit,quę proponit tam audacter, & tanto cum ſupercilio) ſed ex proprijs & certiſsimis illis, quæ ſupra ſtabiliuimus,theologicis principijs(ex quibus ſolis certo demonſtrari poteſt, quid Chriſtus in ſuo hoc regno conſtituerit & ordinauerit,quam cui poteſtatem commiſerit: neque enim à multitudine, vt forte in ciuili ſocietate,ſed à Chriſto vniuerſa hæc pendet autoritas) libro ſequenti diligenter explicare conabimur.

Ad apoſtolicæ vero cathedræ atque eius præſidis autoritatem,velut ad caput ac principem hierarchiæ eccleſiaſticæ pertinere, exortas inter nos de fide & religione quæſtiones & controuerſias ſua definitione & iudicio determinare & componere, ſuperiori libro fecimus euidentiſsimum. Cui quod ille

B occurrit,dicens fieri poſſe,vt dictæ cathedrę præſides vna cũ ſacerdotali collegio ſecum in eadem domino ſeruientium ſint hæretici, exemplum afferẽs in Liberio. Deinde etiam falſas quaſdam & hæreticas definitiones Romanorum pontificum proferens,vt illam Ioannis XXII. tametſi hominem non nominet, de paupertate Chriſti & apoſtolica,in Extrauagante. Cum inter, atque in Extrauagante. Ad conditorem,ſub tit.de verb.ſig. Et alteram afferens Bonifacij VIII.in Extrauagant. Vnam ſanctam,ſub tit. De maio.& obedien. cuius hoc extat decretum: Porro ſubeſſe Romano põtifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus & diffinimus omnino eſſe de neceſsitate ſalutis.Quam eius definitionem dicit & nunc eſſe,& ſemper fuiſſe falſam,erroneam,cunctiſque ciuiliter viuentibus, omnium excogitabilium falſorum maximè præiudiciabilem.

Obiectionis ſolutio de Ro. pontificibus & definitionibus eorundem hæreticis.

De Liberio.

Dicimus primum de Liberio, quem ipſe hæreticiſsimus impie facit hæreticum , nos illum ſupra capite VIII.libri IIII.ſatis vindicaſſe à nota hæreſis. Cuius ſimiles hæreticos vtinam nobis contigiſſet habere omnes noſtris temporibus.

De definitione Ioãnis XXII

Definitionem vero illam Ioannis XXII.de paupertate Chriſti & apoſtolica, nihil dubitamus eſſe veriſsimam & Chriſti euangelio

C & doctrinæ omnique rectæ rationi conſonam. Quam idem ipſe aduerſus detractores, calumniatoreſque eiuſdem doctiſsime tuetur in Extrauag. Quia quorundã,ſub eo. tit. adeo vt noſtro patrocinio non indigeat.

Illam quoque Bonifacij definitionem, quam hic tantopere lacerat , & nunc & ſemper,poſtquam cathedra Petri Romæ collocata eſt,veriſsimam fuiſſe,duobus ſuperioribus libris ſatis , ni fallor, ſuperque euidens fecimus. Et nos affirmamus & dicimus cum illo , omni humanæ creaturæ ſecundum legem ordinatam à Chriſto, eſſe neceſſarium ad ſalutem,vt ſubſit Romano pontifici, totius eccleſiæ paſtori & epiſcopo. Quis enim negat, Chriſtianus modo , abſorberi omnes ab aquis diluuij,quos non ſeruat arca catholicæ eccleſiæ,extra quam nullus ſalus eſt? Omni ergo humanæ creaturæ ad ſalutem eſt neceſſarium , vt ſit intra ſepta ouilis catholicæ eccleſię.Omni autem ei,qui intus eſt in ouili ipſius Chriſti , eiuſdem paſtori & rectori ſubſit oportet, hoc eſt,Petro,atque eius ſucceſſoribus Romanis pontificibus.Omni igitur humanæ creaturę,vt ſubſit Romano pontifici,ad ſalutem eſt neceſſarium. Nemo hic mihi infantes proferat , quos nondum datus rationis vſus non ſinit cogitare de Romano

Aſſeritur definitio illa Bonifacij, quæ omni homini ad ſalutẽ neceſſariũ pronunciat, vt ſubſit Rom. pontifici.

D pontifice,nemo Chriſtianos alios quam plurimos,qui forte nunquam audierunt Romanum pontificem toti præeſſe Chriſtianæ eccleſię.Nam omnes,qui baptiſmatis ſacramẽto militię Chriſti adſcripti ſunt, re ipſa ſubiacent , & ſe ſubiecerunt Romano pontifici, eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti: tametſi forte illum non cognoſcant , tametſi de illo nihil actu cogitent. Virtute enim & implicite in hoc ipſo ſacramento, cui ſe vltro adſtrinxerunt, aut quo extra vſum rationis adſtricti, iam adulti,& rationis compotes ſe teneri nõ recuſant, illi quoque ſubiecti ſunt. Quæ equidem virtualis ſubiectio ad ſalutem & neceſſaria & ſufficiens, tamdiu perdurat,donec quis actu explicito,& aperta contra eum rebellione eidẽ ſubiectus eſſe recuſat.Quod eſt ſchiſmatis crimen execrabile. Sicut qui ſe alicuius militiæ ſacramento vltro adſtrinxit, imperatori exercitus intelligitur ſe ſubmiſiſſe: tametſi quis ille ſit, neſciat, imo de imperatore nihil actu cogitauerit , eidemq; vltro ſubeſſe velle, donec aperta rebellione illi ſubeſſe recuſet,ab eo deficiat , & ſuſceptã militiam deſerat.

Quæ vero ille imaginatur verius , quam vel tentet vlla probabili cõiectura veriſimilia facere , de origine & modo autoritatis Romani pontificis ſuper alios totius orbis

A epiſcopos & eccleſias ante Cōſtantini tempora, euidenter redarguuntur per ea quæ capite IX. libri IIII. adduximus, vbi ab ipſis cōtinuo apoſtolorum temporibus ad Conſtantinum vſque, formam, vigorem & autoritatē eccleſiaſticæ hierarchiæ clariſsimè explicauimus, & tam dicto, quàm præcedentibus & ſequentibus capitibus, atq; adeo totis duobus libris ſuperioribus, eque ex diuinis ſcripturis ac ex infallibili illa rectæ intelligentię ſcripturarum amuſsi, catholicæ eccleſiæ conſenſu, confeſsione ac ſententia, apoſtolicæ ſedis & Romanæ eccleſiæ præſulem fuiſſe totius, quanta eſt, catholicæ eccleſiæ paſtorem ſummum & epiſcopum: ad illum pertinuiſſe totius eccleſiaſticæ domus curam, regimen & gubernationem præcipuam, ad illum, omnibus in familia eccleſiaſtica ſua ordinare, determinare, præſcribere officia, eorundem ab omnibus rationem exigere, officijs ſubmouere, eccleſiaſticæ domus ordinē, pacē, diſciplinamq; cōturbātes eccleſiaſticis cenſuris cohibere, omnes in eadem de fide, religione, eccleſiaſticis ſacramentis, ritibus, ordinibus exortas dubitationes, quæſtiones, controuerſias ſua autoritate, defintione & iudicio componere, luculentiſsimè demon-

B ſtrauimus. Quæ vniuerſa, quod ille contra ad ſolam vniuerſitatem fidelium (quam legiſlatorem fidelem appellat) pertinere vult, aut ex eius autoritate vniuerſali concilio, idque politicis illis, quas audiſti, demonſtrationibus, quibus ſolam illam putat condere poſſe leges in eccleſia Chriſti obligatorias, miranda profectò eſt ſtupiditas hominis. Nā vt in ciuili ſocietate, quæ pendet ex mera, libera & licita in vtranque partem voluntate eorum, qui pars eius ſocietatis ſunt, ad commodum, quietum, & ſufficientem inter ſe conuictum melius conſeruandum, illa ipſa fortè aliquid rationis haberent (quanquam nec ibi veritatem habere omnium regnorū, gentium, populorum mores, leges & conſuetudines comprobant) certè in hoc regno Chriſti, quod nulla prorſus ratione dependet ex libera & licita in vtranque partem voluntate eius regni ciuium, hoc eſt, Chriſtifidelium, ſed ex ſola inſtitutione Chriſti, vt quiſquam ſibi vllam autoritatem arroget, niſi ex commiſsione eiuſdem legiſlatoris noſtri & principis, omni rationi eſt contrarium. At vniuerſitati fidelium nullam prorſus idem autoritatem cōmiſiſſe legitur, ſed Petro, cui eiuſdem ſui regni commiſit curā vniuerſam & regimen, autoritatemque ad hoc neceſſariam. Illum conſtituit idem ipſe ſuper vniuerſam ſuam familiam, non contra

Oſtēditur in catholica eccleſia nihil autoritatis primo conuenire vniuerſitati fidelium.

ſubiecit familiæ. Illum præfecit ouili ſuo, atque huic parendi eidem, obſequendique neceſsitatem impoſuit, vt hæc ſeſe conſequuntur neceſſario. Qua igitur fronte, multitudo Chriſtifideliū precario recepta in ouile Chriſti, & non ſuum & proprium regnum conſtituit, ſed in alienum regnum ex ſingulari eius imperatoris aut regis gratia, ad conſequenda eius regni commoda, hoc eſt, æternæ ſalutis & felicitatis præmia, admiſſa eſt, eius quoque gubernandi, & legis ferendi, quibus illud ipſum regnum adminiſtrare oporteat, autoritatem ſibi vſurpabit? Nunquid ſic admiſſa, & in alienum regnum gratioſè recepta multitudo eiuſmodi, nō debet potius promptè obediendo & ſimpliciter parendo eius regni legibus, magno ſe beneficio affectam conteſtari, quod bonorum & commodorum eius particeps fieri potuit? In quo, vt eiuſmodi, præter ipſum legiſlatorem noſtrum Chriſtum, nulli ex ſe competit ſuper alium autoritas, nemo alius quicquam ſtatuedi, aut ſuis legibus alios obligandi autoritatem obtinet: niſi ſi cui ille ſuas in re vices ſingulariter commiſerit: cum alioqui omnes conſerui ſimus, omnes in alienum regnum admiſsi precario. Itaque vt ſciamus, apud quem in hoc Chriſti regno ſit legum ferendarum autoritas, cuinam aliorum cura, regimen, & gubernatio ab illo ipſo imperatore noſtro commiſſa eſt, quis ſuis præceptis & legibus poſsit obligare cæteros, non hoc quærendum eſt ex Ariſtotele, quem in conſtituēdo ordinandoque regno ſuo non adhibuit CHRISTVS in conſilium: ſed ex illis, quæ ante ſtabiliuimus, noſtræ fidei certiſsimis indubitatiſque principijs, diſcendum eſt, nempe diuinis ſcripturis, & earundem rectæ intelligentiæ amuſsi & regula infallibili. Ex quibus nullā eiuſmodi autoritatem vniuerſitati Chriſtifidelium, nullam vniuerſalibus cōcilijs (quorum nulla prorſus ab eo mentio facta eſt, & quæ plus quàm trecentis annis ab initio omnino ignorauit vniuerſa CHRISTI eccleſia) ſed vni Petro ſuper vniuerſum eius ouile commiſſam inuenies, vni datas ab eodem claues regni cœlorum, vni dictum, vt quodcunque ipſe obligaret in vniuerſo illo ſuo regno, etiam in fines orbis terræ diffuſo: quicquid ſuper terram ligaret, hoc ipſum obligatum haberetur & in cœlis. Et quicquid ſolueret, ſolutum. Cui in eadem regiminis Chriſtiani regni autoritate ſucceſsiſſe Roma. pontifices, ex eiſdem illis principijs etiam luculentiſsime demonſtrauimus. Quibus, cur collatam à CHRISTO in ſuo ipſius regno autoritatem, nunc quidam in illud ipſum admiſ-

C

D

A admiſsi precario, fruſtra conuellere & auferre conantur in ſuam ipſorum perniciem?

Rom. Pont. à Chriſto, non ab imperatoribus accepiſſe ſuā autoritatē ſuper alios.

Quod vero aut à Conſtantino aut à Phoca autoritatem iſtiuſmodi ſuper alios totius orbis epiſcopos & eccleſias vult accepiſſe Roman. pontifices & Romanam eccleſiam, mera ſunt figmenta, mera mendacia. Non eſt hæc ab imperatoribus, ſed ab ipſo CHRISTO data ipſi Petro autoritas, cui in eadem ſucceſſerunt Romani pontifices. Nihil illis in eccleſiam & regnum CHRISTI, vt eiuſmodi, vnquam autoritatis competijt, tametſi etiam in regni Chriſtiani ciues, vt ſui quoq; regni ciuilis, quāuis ethnici, pars erant, ciuilē quoq; autoritatē ipſis cōpetijſſe nō negauerim. Nihilo minus eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti ſua in CHRISTI regnum ex ipſius delegatione conſtabat autoritas, non ſubiecta autoritati ciuilium principum, ſed nec præfecta, niſi poſtquàm eadem CHRISTI regno vltro ſe ſubdidit. Qualis enim Romanorum pontificum ante Conſtantini tempora in vniuerſam Chriſti eccleſiam ab vniuerſis toto orbe Chriſtifidelibus recognita fuerit autoritas, liber præcedens, præſertim caput eius nonum demonſtrat clariſsime, nec minus intelligetur ex conſequentibus.

Cenſura de Conſtantini decreto.

De Conſtantini itaque decreto, quod aſſerunt, non eſſe germanum & integrum, ſed B falſatum in pleriſq;, illa ipſa ex eo citata verba ſatis conuincunt. Siquidem in quatuor ſedes præcipuas, ſupra quas quinta Romana ſtatuitur, Conſtantinopolitanam tertio loco numerāt. At conſtat eo tempore Conſtantinopolitanam inter ſedes principales nullum locum habuiſſe, imo necdum fuiſſe Conſtantinopolitanam eccleſiam, durante adhuc antiquo Bizantio, quod aliquanto poſt reformatum eſt in ſedem imperialis reſidentiæ Conſtantinopolim, ſed eo tempore vt numeraretur inter ſedes præcipuas, nulla vnquam à quoquam mentio facta eſt, imo certiſsimæ hiſtoriarum fidei eſt contrarium, ex quibus conſtat, multa hoc ipſum ambitione ob imperialis dignitatem reſidentiæ, longo poſt tempore, vix tandem obtinuiſſe eandē. Tamen quicquid ſit de illo Conſtantini decreto, quod nobis fauet plusquàm velint aduerſarij, vtq́ue daretur germanum eſſe, non ſubdititium, vt vere imperiali ſua ſanctione ita decreuiſſet, quod verba ſonant, vt Romana eccleſia principatum teneret ſuper omnes totius orbis Dei eccleſias, vtq́ue eius pōtifex princeps eſſet ſacerdotum omnium: nihil aliud feciſſe intelligēdum eſt Chriſtianum & religioſum principem, quàm vt ſe ſuamq́ue autoritatem Chriſti regno, cui incorporari meruerat, ſeruire ſe paratū oſtenderet: atque eadem ſua quoque autoritate à ſibi ſubiectis exigere, quæ à CHRISTO conſtituta & ordinata intellexerat. Quemadmodū & rex ille Babylonis Nabuchodonoſor, miraculo trium conſeruatorum in incendio veri Dei cultorum attonitus, & verum ex illo Deum eorum intelligens, edictum propoſuit, vt omnis populus, tribus & lingua, quæcunque diceret blaſphemiam contra Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, diſperiret, & domus eius vaſtaretur. Sua hic autoritate, qua ante aduerſus DEVM verum in propoſita populis adoranda aurea ſtatua abuſus fuerat, admonitus miraculo & ad veri Dei conuerſus notitiam, nunc contra eiuſdem quoque præceptis famulatur, & hoc à ſuis exegit, quod ab ipſo vero omnium Deo ab omnibus exigi intellexerat. C

Vt nihil autoritatis Ro. eccleſia à Phoca imperatore acceperit.

De Phoca vero, quę & hic affert, & alij plerique qui eiuſdem farinæ ſunt, vel ex hiſtoriarum ignorantia, vel ex prauo in eccleſiaſticam autoritatem affectu, ex cuiuſdā Martini chronicis annotant, mera ſunt mendacia. Sed ita ſe habet rei veritas, quod Conſtantinopolitani antiſtites modo ſuo nō contenti, ſed elati ob ſedem imperialis reſidentiæ, eandem ambierunt pene à principio numerari inter ſedes principales ſecundā poſt Romanam eccleſiam. In quod in gratiam & fauorem principum inclinata fuit primum Conſtantinopolitana prima ſynodus, altera vniuerſalis poſt Nicenam, ſub Theodoſio principe, deinde Chalcedonēſis, ambitione atq; importunitate Anatholij Conſtantinolitani epiſcopi, inſtante etiam Martiano principe. Sed (vt libro ſequēti clarius intelliges) illorum iniuſtæ ambitioni diu reſtitit apoſtolicæ ſedis autoritas, neque tunc permiſit voti compotes fieri. Ex cuius tamen conniuentia, illorumq́ue pertinaci plurimorū annorum ambitione cum tandem id obtinuiſſent, vt nullum modum nouit ambitio, demum ſub Pelagio Romano pōtifice & Mauritio imperatore, Ioannes quidam tūc Conſtantinopolitanus epiſcopus, eo prorupit veſaniæ, vt conuocato epiſcoporum aliquot ſibi conſentientium concilio, in eo œcumenicum, hoc eſt, vniuerſalem ſe pronunciaret patriarcham & epiſcopum. Aduerſus cuius inſolentiam idem inſurgens Pelagius conciliū illud ſua & apoſtolicę ſedis autoritate deduxit in irritum: & epiſcopis, qui in eo conuenerant, ſtultæ illius elationi & inſolentiæ cōſentire atque aſſentari ſub anathematis interminatione interdixit. Addens, tam prædeceſſores illius, quàm illum ipſum etiam Ioannem

Quanto ambitu Conſtātinopolitana ſedes ſecūdū locū obtinuerit in eccleſia D

Pelagius aduerſus ambitionē Ioānis Conſtant.

A annem ſuis literis & epiſtolis proprio roboratis ſigillo & chirographo, Apoſtolicæ ſedis autoritatem ſæpe recognouiſſe & publice confeſſos fuiſſe ſuper vniuerſam CHRISTI eccleſiam, ſeipſos etiam ſucceſſoresque ſuos, ſi aduerſus eiuſdem ſedis autoritatem ſe vnquam efferrent, conſtringentes anathematis vinculo. Idcirco, inquit, non eſt neceſſe illos excommunicare aut anathematizare, quia ipſi anathematis vinculo ſeipſos (proprijs manibus profeſsiones ſuas ſuaque ſcripta roborantes) conſtrinxerunt. Hæc ille Pelagius ad epiſcopos, qui ad illicitam vocationem Ioannis Conſtantinopolitani epiſcopi conuenerant. Quo paulo poſt ſublato è viuis, eadem tempeſtas excepit diuum Gregorium, qui, quod Ioannis illius ambitioni aduerſaretur, etiam Mauritij imperatoris grauiſsimas inimicitias pertulit. Cui quadã epiſtola reſpondens, non ſuam eam cauſam eſſe, ſed Dei & totius eccleſiæ, conteſtatus eſt: Quia, inquit, piæ leges, quia venerãdæ ſynodi, quia ipſa domini noſtri Ieſu Chriſti mandata ſuperbi & pompatici cuiuſdam ſermonis inuentione turbantur. Cunctis enim euangelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto & omnium apoſtolorũ Petro principi apoſtolo, totius eccleſiæ cura
B commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas petijt cribrare vos, ſicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. Ecce poteſtas ei ligandi ſoluendique tribuitur, cura ei totius eccleſiæ & principatus committitur: & tamen vniuerſalis Apoſtolus non nominatur. Et vir ſanctiſſimus cõſacerdos meus Ioannes vocari vniuerſalis epiſcopus conatur? Exclamare compellor, & dicere: O tempora, o mores. Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorũ iuri ſunt tradita, deſtructæ vrbes, euerſa caſtra, depopulatæ prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat, ſæuiunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum. Et tamen ſacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis vocabulis gloriantur. Hæc ille Gregorius ad Mauritium imperatorem illius ſcandali autorem, aut certe patronum. Aduerſus quem cum diuina vltio, ſuæ vindex eccleſiæ, Pho-

cam tandem excitaſſet, militari tumultu imperatorem creatum, idem poſt ſublatum cũ coniuge & liberis Mauritium, etiam ſcandalum illud ab eccleſia ſuſtulit, atque imperiali edicto Conſtantinopolitani epiſcopi inſolentiam coercuit, vetuitque ne quis alius nominaretur vniuerſalis eccleſię patriarcha aut epiſcopus, quàm vnus Romanæ eccleſiæ pontifex, quæ vt ſemper caput fuit eccleſiarum omnium: ita & hic Eccleſiaſticæ hierarchiæ princeps ſemper eſt habitus. Et hic indocti quidam & ſtupidi alicubi breuiter annotatũ legentes in chronicis, conſtitutum à Phoca, vt ſolus Romanus pontifex vocaretur œcumenicus, Romanaque eccleſia agnoſceretur caput eccleſiarum omnium, putant à Phoca primo hoc datum Romanæ eccleſiæ atque eius pontificibus, quod eiſdem competijſſe ab initio ſuperioribus duobus libris ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Certe idem ipſe Gregorius, tam in memorata ad Mauritium imperatorem, quàm in alijs ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum epiſcopos epiſtolis, affirmat à frequentiſsima illa Chalcedonenſi ſynodo, atque adeo à catholica (cuius ſenſum illi exprimebant) eccleſia beatum Leonem Apoſtolicæ ſedis põtificem, recognitum & appellatum fuiſſe patriarcham œcumenicum. Quanquam ipſe etiam ſibi conuenientem, & ab vniuerſa eccleſia delatam appellationem eiuſmodi, velut inuidioſam, aut certe oneroſam fugiens, quo ambitioſum illum & inſolentem ab vſurpatione ſibi non competentis honoris ſuo reuocaret exemplo, non œcumenicum ſe epiſcopum, ſed ſeruum vocauit ſeruorũ Dei. Quem morem etiam ſucceſſores eius fere retinuerunt: tametſi ab alijs ſibi congrua appellatione, & ante, & poſt Gregorium ſemper honorati ſint. Ita enim demonſtrauimus ab initio geſsiſſe omnes curam epiſcopatumq; totius eccleſię. Ita ante annos mille quadringentos, quoties id res exigeret, nihil dubitaſſe ſeipſos nominare & ſcribere epiſcopos vniuerſalis apoſtolicæ eccleſiæ toto orbe approbante, teſtes ſunt, primo Sixti primi, ſub Hadriano principe, ad epiſcopos totius orbis epiſtola, quæ ſic incipit: Sixtus vniuerſalis apoſtolicæ eccleſiæ epiſcopus, omnibus epiſcopis in domino ſalutem, quæ aliquanto ante annos M.CCCC. ſcripta eſt. Deinde illa Victoris, non multo poſt ſcripta ad Alexandrinum Theophilum, in hæc verba incipiens: Victor Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ archiepiſcopus, Theophilo epiſcopo, & cunctis fratribus in Alexandria domino famulantibus. Ita quoque beatus Pontianus martyr

C

B. Leonem à Chalcedo. ſynodo appellatum patriarcham œcumenicum.

D

B. Gregor. ſe ſeruũ vocauit ſeruorum Dei.

Sixtus I. ſub Hadriano imperatore ſe ſcribit & nominat vniuerſalis eccleſiæ epiſcopũ.

Idem Victor.

Idem Pontianus.

A martyr & pontifex ante annos M.CCC.vniuerſis Chriſtifidelibus ſcribens ſic orditur: Pontianus martyr ſanctæ & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus, omnibus recte dominum colẽtibus. Beatus etiã Stephanus (ad quẽ extant ſancti Cypriani epiſtolæ) paulo citra annos mille trecentos, in hæc verba ſcribit omnibus toto orbe epiſcopis: Stephanus ſanctæ apoſtolicæ & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus omnibus per diuerſas prouincias conſtitutis epiſcopis in domino ſalutem. Ita Marcellinus ad Solomonem epiſcopum. Marcellus ad Maxentium tyrannum, & alij ad alios (ne fruſtra ſim prolixior) apoſtolicæ vniuerſalis eccleſiæ ſe ſcribunt epiſcopos. Et hi omnes ante Conſtantinũ & Nicenũ cõciliũ. Iam & tempore eiuſdem concilij B. Syluester in edicto Conſtantini imperatoris nũc ſummus, nunc vniuerſalis nominatur pontifex. Et à B. Athanaſio Alexandrino & vniuerſis Aegyptiorum epiſcopis, Marcus Ro. ac apoſtolicæ, atque vniuerſalis eccleſiæ papa ſcribitur. Ad Damaſum quoque Stephanus archiepiſcopus & caput concilij Mauritaniæ, vna cum vniuerſis epiſcopis trium conciliorum Aphricanæ prouinciæ ſcribẽtes, eundem patrem patrum, & ſummum omnium præſulum pontificem conſalutant. Et vt ſemel

Idem Stephanus.

B finiam, à DC.XXX. epiſcopis qui ex toto orbe in Chalced. ſynodum conuenerant, B. Leo ſimili appellatione dignatus eſt. Ne forte crederes ipſos tantum in ſuis literis ſibi hoc vſurpaſſe Ro. pontifices. Et hæc omnia quanto tempore ante Phocam & Bonifaciũ tertium? Ita vt me plane pudeat ſtupẽdæ impudentiæ & ignorantiæ illorum, qui prædicta annotantes, & proferentes contra antiquitatem autoritatis ſedis apoſtolicæ, ſibi tamen vehementer eruditi videntur. Quod vero negat Gregorius quenquam etiam prędeceſſorum ſuorum (quibus ſolis hoc competere videbatur) vſum fuiſſe illo vniuerſitatis vocabulo, Ioannis illius ea in re ſtupiditatem taxat, qui imitari volens appellationem & titulos Ro. pontificum, vniuerſalem ſeipſum faciebat epiſcopum, quod à nullo illorum præſumptum legitur. Qui tametſi catholicæ aut vniuerſalis eccleſiæ ſe confiterentur, ſcriberent & gererent epiſcopos, non tamen vniuerſales epiſcopos. Nam qui vniuerſalem ſe facit epiſcopum, omnibus alijs (vt idem ſcribit Gregorius) epiſcopatus honorem detrahit, quem ſibi arrogat vniuerſum.

Reſtat adhuc vltimo hic loco reſpondere ad pauca quædam verba, quæ captauit ille ex præfatione Iſidori in Nicenum conciliũ,

C quibus dicit reſidentibus in concilio epiſcopis iuſſiſſe Conſtantinum, vt adeſſet Arrius, quo iudicarent illi de propoſitionibus eius & quæſtionibus. Ex quibus notat humani legiſlatoris fidelis iuſſu in concilium congregatos ſacerdotes & epiſcopos. Vnde etiam argumentum trahit omnem coactiuæ iuriſdictionis autoritatem ſuper vniuerſos æque ſacerdotes & laicos, perſonarum determinationem & approbationem, officiorum quoque inſtitutiones omnium ad eiuſdem tantum autoritatem pertinere. Quod ipſum confirmat ex legibus & edictis principum aduerſus hæreticos.

Sed hic vide Chriſtiane lector, quàm ſibi nuſquam hic conſtet, quàm aranearum more venenum exugat ex autoribus omnibus, ex quibus tamen Chriſtifidelibus ſuggeritur ſyncerifsimi mellis vberrima copia. Vt mera malignitate & hæretica plane malitia, trunca quædam verba vbique captet ex ſcriptoribus, & ſuæ impietati ſeruire cogat: cum, quæ abſcindit, præcedentia & ſequentia ſuam ſententiam plane iugulent. In primis hoc nobis reſpondeat, qua nunc ratione Conſtantinum hic vocet legiſlatorem humanum fidelem, ex cuius autoritate conuocatum ſit vniuerſale concilium, & in eo peracta omnia, cum ſuperius ſemper ipſe contenderit autoritatem legis ferendæ eſſe non poſſe penes vnum aut paucos, ſed neceſſario reſidere penes vniuerſitatem multitudinis. Et propter hoc eandem vniuerſitatem, ſemper legiſlatorem humanum appellauit, inſuper & vniuerſitatem fidelium, primum legiſlatorem humanum fidelem. Vnde ergo derepente tanta rerum conuerſio? Vnde nunc vnus Conſtantinus legiſlator fidelis, cũ nec ab vno, nec à paucis optimas leges ferri poſſe ab ipſo euidenter, vt iactat, demonſtratum ſit, ſed à ſola vniuerſitate ciuilis multitudinis, ne vel ille vel illi, ad proprium, non commune reſpicientes commodum tyrannicas leges conderent. Sed dicet, autoritate vniuerſitatis multitudinis vni principi hoc cõmiſſum legum ferendarum officium. Sed æque ſibijpſi contradicit, qui XII. primæ dictionis ſuæ demõſtrare conatus eſt, nec vni, nec paucis id committi, ſed à ſola vniuerſitate multitudinis optimas leges ferri poſſe, idque talibus demonſtrationibus, quas etiam in his quæ ad CHRISTI fidem, religionem, & regnum pertinent, vult nobis ſufficere: tametſi cõtra euidentes & clariſsimas ſcripturas, totius eccleſiæ vltra mille annos (quod negari non poteſt) vſum, obſeruationem, conſenſum, ſententiam. Vt autẽ daremus, aut poſſe

Marſilij impudentia & inconſtantia.

D

aut

A aut potuiſſe à multitudine transferri legum ferendarum autoritatem in principem, nunquid hoc aliquandò factum ab vniuerſitate Chriſtifidelium in Conſtantinum quiſquam poteſt vel fingere? Vbi, quæſo, ante Nicenum concilium vnquam conuenerat Chriſtifidelium vniuerſitas, vt ipſi daret autoritatem condendi leges obligantes domum eccleſiaſticam? vbi autoritatē eandem domum, quatenus eiuſmodi eſt, gubernādi? generalia cōuocandi concilia? ordinandi miniſteria & officia eccleſiaſtica? Sed nec in illo ipſo Niceno concilio conuenit Chriſtifidelium vniuerſitas, imo lecti tantum ex toto orbe ſacerdotes & epiſcopi CCCXVIII. Quos ipſos habuiſſe autoritatem ex commiſsione fidelium toto orbe diffuſa vniuerſitate, nemo vnquam probauerit.

Coarguit eiuſdē perfidiā in citādis autorū ſententijs.

Iam nunc vide fidem & ſynceritatem hominis in citandis autoribus. Eſt quidem, quę trunca citat, in ea prę́fatione de actis Nicenę ſynodi apud Iſidorū verba legere. Sed ſi & præcedentia & ſubſequentia eiuſdem autoris verbis in eadē præfatione adiūxiſſet, iam intellexiſſet lector, quàm diuerſum ab eo, quod illi impingit, Iſidorus ſentiat. Sic enim incipit: Beatiſsimo Syluestro in vrbe Roma apoſtolicæ ſedis antiſtite, Conſtantino Augusto, & Licinio Cæſare, conſulatu Paulini &
B Iuliani virorum clariſs. Anno ab Alexandro DCC.XXXVI. Menſe Iunio, XIII. Calendas Iulij, propter inſurgentes hæreſes fides catholica expoſita eſt apud Niceam Bythiniæ, quam ſancta & reuerendiſsima Romana cōplectitur & veneratur eccleſia, quippe quam trecenti decem & octo patres, mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſsimis Romanæ ſedis presbyteris, inſpirante Deo ad obſtruenda Arrij venena protulerunt. Nam & nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmauit eccleſia.

Ro. eccleſia vt primatum obtinuerit.

Deinde ſubiungit: Sciendum ſane eſt omnibus catholicis, quoniā ſancta eccleſia Romana, nullis ſynodicis decretis prælata eſt, ſed euangelica voce domini & ſaluatoris noſtri primatum obtinuit, vbi dixit beato Petro apoſtolo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris, ſolutum. Adhibita eſt etiam ſocietas in eadem vrbe beatiſsimi Pauli apoſtoli vaſis electionis, qui vno die, vnoq; tempore glorioſa morte cum Petro, ſub principe Nerone agonizans coronatus eſt, & ambo pariter eccleſiam ſanctam Romanam Chriſto domino conſecrauerunt, C alijsque omnibus vrbibus in vniuerſo mundo, ſua præſentia atq; venerando triumpho prætulerunt. Et licet ab omnibus aſsidua apud dominum, omnium ſanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus ſanctiſsimus apoſtolus, Romanis proprio chirographo pollicetur, dicens: Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in euangelio filij eius, quod ſine intermiſsione memoriam veſtri facio in orationibus meis.

Ordo principalium ſedium.

Prima ergo ſedes cœleſti beneficio eſt Romanæ eccleſiæ, quam beatus Petrus atque Paulus ſuo martyrio dedicarunt. Secunda autem apud Alexandriam, B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo & euangeliſta conſecrata eſt. Quia & ipſe in Aegypto primus verbum veritatis directus à Petro prædicauit, & glorioſum ibidem ſuſcepit martyriū, cui venerabilis ſucceſsit Abilius. Tertia vero ſedes apud Antiochiam eiuſdem B. Petri apoſtoli habetur honorabilis, quia illic, priuſquam Romam veniret, habitauit, & Ignatium epiſcopū conſtituit, & illic primum nomen Chriſtianorū nouellæ gentis exortum eſt. Nam & Hieroſolymitanus epiſcopus, pro tanti loci reuerentia habetur ab omnibus honorabilis, maxime quod illic primus beatiſsimus Iacobus cognomēto iuſtus, qui etiam ſecundum carnem frater domini nuncupatus eſt, à Petro, D Iacobo & Ioanne apoſtolis eſt ordinatus epiſcopus. Tamen ſecundum antiquorum patrum definitionem, ſedes prima Hieroſolymis eſſe minime dicitur, ne ſorte ab infidelibus & idiotis ſedes domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in cœlis eſt, in terra eſſe putaretur, &c.

Occaſio & cauſa Niceni concilij.

Deinde veniens ad cauſam & occaſionem Niceni concilij: Cum igitur, inquit, apud Alexandriam poſt Achillem, qui Petri martyrio ſucceſsit, ſuſcepiſſet Alexander ſacerdotium, quia pax noſtris & quies à perſecutionibus erat, atque eccleſiarum gloria confeſſorum meritis gaudebat, proſperitas rerum noſtrarum domeſtica cōtentione turbabatur.

Hoc omnium hæreticorum proprium eſt

Etenim presbyter quidā apud Alexandriam, nomine Arrius, vir ipſe forma magis quàm virtute religioſus, & gloriæ laudisque & nouitatis improbe cupidus, praua quædam de Chriſti fide proferre, quæ arte inquiſitionis inuenerat, cœpit. Abſcindere enim & ſeparare ab illa æterna & ineffabili Dei patris ſubſtantia vel natura filium conabatur. Quæ res in in eccleſia plurimos conturbabat & à dulci mentis tranquillitate dimouebat. Sed cum Alexander epiſcopus, natura lenis & quietus, aſsiduis commonitionibus Arrium cuperet à prauo incœpto & aſſer-

A ſertionibus impijs reuocare, nec tamen res ex ſententia procederet, & quod pleroſque contagio peſtiferæ aſſertionis infecerat, non ſolum apud Alexandriam, verum & per alias vrbes & prouincias ſerpſerat, pernicioſum fore credens ſi diſsimularet à talibus, plurimis conſacerdotibus rem indicat. Quin & laicis quæſtio innoteſcit, & ſermo vſque ad aures religioſi principis, quippe qui omni ſtudio & diligentia curaret, quæ noſtra ſunt, peruenit. Tum ille ex ſententia ſacerdotum, apud vrbem Niceam epiſcopale concilium conuocat. Ibique Arrium, trecentis decem & octo epiſcopis reſidentibus, adeſſe iubet, ac de eius prupoſitionibus & quæſtionibus iudicare.

Et ſubiungit conſequenter: Sed in eo concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis conueniſſent epiſcopi, & vt fieri ſolet, ex diuerſis cauſis inter ſe quędam iurgia detuliſſent, interpellabatur frequenter à ſingulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hęc, quàm ad id pro quo fuerat ventum, animos dabant. At videns quod per eiuſmodi iurgia fruſtraretur cauſa ſummi negocij, diem certum ſtatuit, quo vnuſquiſque epiſcoporum ſi quid querimoniæ

B habere videretur, ſemel deferret. Cùm reſediſſet, ſuſcepit libellos à ſingulis, quos omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad epiſcopos: Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem nó poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod ei ſolius inter vos expectate iudicium, vt veſtra iurgia, quæcunque ſunt, ad illud diuinum referuentur examen, vos enim nobis à Deo dati eſtis dij. Conueniens ergo non eſt vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernit. Et ideo his omiſsis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſcutite. Et cum hæc dixiſſet, omnes querimoniarum libellos iuſsit exuri, ne innoteſceret illi odium & ſuggilatio ſacerdotum. Hactenus Iſidorus in præfatione prædicta. Quem nunc audis lector, an confirmet quæ nos duobus ſuperioribus libris demonſtrauimus. An vero huius contrariam impiamq; aſſertionẽ & ſententiam.

Nota confeſſioné & vere Chriſtianam ſententiam Chriſtianiſſimi principis.

In primis hoc perpende, quod negat Romanã eccleſiam aut à Conſtantino, aut etiam (quemadmodum ille aſſerit) ex decreto vllius vniuerſalis concilij, ſed euangelica voce domini ſaluatoris noſtri in beatiſsimo Petro accepiſſe primatum ſuper alias eccleſias. Deinde & hoc perpende, quod ea præfatione clariſsime innuatur, autoritatem illius Niceni concilij dependiſſe ab autoritate Romanæ eccleſiæ. Siquidem ideo fidei catholicæ expoſitionem factam in dicto concilio meruiſſe apud omnes autoritatem indubiam, quia ſancta & reuerendiſsima Romana eccleſia eandem complexa & venerata eſt. Quippe quam trecenti decem & octo patres mediantibus apoſtolicæ ſedis legatis Deo inſpirante protulerunt. Sic & de canonibus eiuſdem concilij innuit: quos, inquit, memorata ſuſcipiens confirmauit eccleſia. Vides itaque à Romana eccleſia, teſtificante præfatione prædicta, confirmatos fuiſſe canones ac regulas ſtatutas in Niceno concilio. Ex quo conſtat, eum ſemper fuiſſe orthodoxorum ſenſum & conſenſum, vt ex vnius Romanæ eccleſiæ autoritate dependeret autoritas conciliorum vniuerſalium: & non vt apud hæc eſſet omnium prima autoritas. Sed libro ſequenti vniuerſam conciliorum cauſam diligentius explicabimus. C

Niceni cõcilij autoritatem depẽdiſſe ab autoritate Ro. eccleſiæ.

Quin & religioſiſsimi principis confeſsionem pepende, qua recognouit ſacerdotes & epiſcopos ſuo non eſſe ſubiectos iudicio, D cuius contrarium iſte conatur adſtruere: quin potius eoſdem accepiſſe poteſtatem de ipſo quoque iudicandi & imperatore & imperio: Deus, inquit, vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et nos à vobis recte iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus, ſecularibus videlicet, iudicari. Vides itaque lector Chriſtiane, qua hic ſide citet autorum ſententias velut ſuæ ſubſcribentes ſententiæ. Nam ea præcipue cauſa, vt hoc ipſum clare intelligeres, hæc aliquanto prolixius hic adſcripſimus.

Quod igitur ille ex præfatæ præfationis verbis demonſtratum putat, Conſtantini autoritate peracta in Niceno concilio omnia, ipſe tibi reclamat Conſtantinus, ex ſacerdotali autoritate, quanuis ſua inſtantia, ea peracta affirmans. Siquidem, vt ſcribit Theodoretus ille Cyrenen. epiſcopus, præparata iu regalibus domo maxima, & in ea collocatis ſedibus & ſubſellijs, quę ordini ſacerdotũ ſufficerẽt, inuitauit eos ingredi. Introiuit autẽ & ipſe princeps vltimus cũ paucis, laude dignã ſui magnitudinẽ habens, & mirabilem ſpeciẽ, mirabilioremq; gerẽs dignitatẽ pudoris in frõte. Minore vero ſede quã alijs poſita, in medio eorũ ſedit, primũ tamen petẽs ſibi hoc epiſcoporũ iuſsiõe cõcedi. Hactenus ille.

Conſtantinũ niſi petita & obtẽta ab epiſcopis licẽtia, nõ ingreſſum concilium.

A Vides itaque quam autoritatem Conſtantinus exercuerit in Niceno concilio. Quod vero dicitur, eius iuſſu congregatum concilium, non ita habet ea quam citat Iſidori præfatio, ſed quod ex ſacerdotum ſententia apud Niceam epiſcopale concilium conuocauerit. Ipſe itaque ſuam autoritatem ſubiunxit ſacerdotali, eidemq́ue famulari fecit, & velut ſacerdotalis ſententiæ executor factus eſt. Sed de conciliorum autoritate, vnde eorum dependeat autoritas, & cuius autoritate regulariter cōuocari oporteat, libro ſequenti exactius explicare conabimur.

In hæreticos vero quod principum, non Romanorum pontificum, aut ſacerdotalis vllius collegij autoritate vult conſtitutas fuiſſe pœnas ab initio: dicimus, ex CHRISTI neceſſaria ordinatione duos eſſe in eccleſia gladios, alterum ſpiritalem, materialem alterum, vtrunque vero eſſe debere in poteſtate eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, ſui in illo ſuo regno vicarij: alterum quidem vibrandum ab ipſo, vbi id res exigit & neceſſitas: alterum vero militari manu ad iuſſum imperatoris, regum, aut principum, ad nutum tamen regni huius CHRISTI præſidis. Id quod diligenter annotarunt ſancti patres ſignificaſſe CHRISTVM, cum iuſsi ab

B eo apoſtoli diuenditis tunicis gladios emere reſpondiſſent, duos ſe habere, idem dixerit, duos ſufficere. Quorum altero, qui materialem ſignificabat, cum Petrus paulo poſt defenſurus CHRISTVM Malcho amputaret auriculam, iuſſus eſt ab eodem gladium ſuum in vaginam recondere. Tuum ergo, inquit ille Bernardus ad Eugenium, qui negat, non ſatis mihi videtur attēdere verbum domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus erit ergo & ipſe, tuo forſan nutu, non tua manu euaginandus. Alioqui, ſi nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus apoſtolis: Ecce duo gladij hic, non reſpondiſſet dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis: ſed is quidem pro eccleſia, ille vero & ab eccleſia exerendus eſt. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis & iuſſum imperatoris. Itaque eccleſia vtroque gladio perſequitur hæreticos, ſpiritali, manu ſacerdotis: materiali, iuſſu quidem ſecularium principum, tamen ſubſequenter ad ſacerdotale iudiciū.

Libr. 4. de conſi.

Eccleſia vtroq; gladio hæreticos perſequitur.

Quod ipſum, nō præeſſe, ſed ſubeſſe potius ciuilem autoritatem eccleſiaſticæ, atque eidē ſubſeruire ſuis edictis & legibus, certiſsimo argumento eſt: Quemadmodum, vt neceſſario ſubſit iam exiſtens officium inſignis membri eccleſiaſtici corporis, autoritati capitis, cui plena totius corporis gubernandi commiſſa eſt à Chriſto autoritas, ſupra non ſemel irrefragabiliter à nobis demonſtratum eſt. C

Summam querimoniarum omnium, quæ in ſedem apoſtolicam atque eius pontifices ex vſurpata (vt volunt) plenitudinis poteſtatis abuſu effunduntur ab hoſtibus dignitatis eccleſiaſticæ: & quæ imperiali autoritati, & ſeculari poteſtati per ipſos inique detracta conqueruntur, breuiter complecti & explicare.

CAP. XI.

NVllum finem, nullū modum ſuæ impietatis facit ille Marſilius: ſed quicquid à ſingulis eccleſiaſticæ dignitatis hoſtibus in eccleſiam vnquam aut ſcriptum, aut excogitatum eſt, hic ſimul in eandem maledicentiſsime euomuit. In primis itaque hoc indigniſsime ferens, prætendi à Romanis pontificibus, ſibi vt ouilis Chriſti rectoribus commiſſam à Chriſto eius gubernandi & diſponēdi autoritatis plenitudinem, multas diſtinctiones & acceptiones varias plenitudinis poteſtatis, ca. XXIII. dict. ſuæ ſecundæ comminiſcitur. Quas vniuerſas ſcrupuloſe proſequi, non eſt operæprecium: ſed tantum quæ ad rem ipſam videbuntur pertinere, non diſsimulabimus. Dicit autem nullo prorſus modo plenitudinem illam poteſtatis Romanis pontificibus competere. Neque vt intellectam, veluti ſupremam quandam iuriſdictionis coactiuæ autoritatem ſuper omnia membra eccleſiæ, communitates, populos, reges, principes, regna, imperia: qui tertius apud eum plenitudinis poteſtatis modus eſt. Neque etiam ſuper miniſtros tantum eccleſiæ diuino ſpecialiter mancipatos cultui & ſeruitio, clericos, ſacerdotes, epiſcopos: vt ipſis ſua poſsit officia præſcribere, eorundem ab illis rationem exigere, officio amouere, vbi id res & cauſa exigeret, & alios in eorundem locum ſubſtituere: Quæ partim in quarto apud illū modo poteſtatis plenæ, partim comprehendūtur in ſexto. Nec deniq;, vt intelligatur illorū eſſe, exoriētes in eccleſiaſtica domo de fide & religione quæſtiones & cōtrouerſias ſua definitione & iudicio terminare aut cōponere, ſuis canonibus & legibus ordinare ritum eccleſiaſticū, ſuasq; ordinationes à Chri-

Inuectiua Marſilij aduerſus plenitudinē poteſtatis Roman. Pontificum.

D

A

Vt probet Romæ Pont. non cōpetere poteſtatis plenitudinem,

à Chriſtifidelibus ſub aliqua pœna exigere.

Quando vero horum omnium ab illo demonſtrationem expectas, nihil audis quàm remiſsionem ad ſuperius à ſe ſtatutas æque impias ſententias, æque nulla ſolida ratione probatas: ſed ſemper remiſsionem ad prius demonſtrata, & tandem ad illam ſententiam, quam XII. dicti. ſuæ primæ, dialecticis aliquot ratiunculis male venatis ex politicis Ariſtotelis conatur adſtruere. Apud ſolam videlicet vniuerſitatem multitudinis eſſe autoritatem ſcrendæ legis obligatoriæ, deinde & XV. eiuſdem, apud eandem ſolam eſſe autoritatem conſtituendi principis. Itaque explicatis ſuis illis diuiſionibus & modis plenitudinis poteſtatis: De tertio, inquit, & quarto modis plenæ poteſtatis eiuſmodi (nam primus & ſecundus nihil ad ré faciunt) per demonſtrationem oſtenſum eſt XV. primæ, & per ſcripturæ ſacræ teſtimonium, quarto, quinto & octauo ſecundæ dictionis ſuæ. At cum ad illa ipſa recurrens capita, rationes diligentius expendis, nihil inuenis, quàm remiſsionem ſimilem, ab octauo ad quintum, ab hoc ad quartum, & tandem ad XV. & XII. primæ, velut ad prima ſua principia. Vel ſcripturę ſacrę & ſanctorum patrum citatas quidem, ſed contra proprium ſuum ſenſum deprauatas ſententias, quod ſatis ſuperque in ſuperioribus demonſtrauimus. Et

B

eodem prorſus modo, reliquos quoque à ſe modos plenæ poteſtatis explicitos, ſed in his, quæ diximus, comprehenſos, ſatis demonſtratum vult Romano pontifici non competere.

Pergens autem ſuo more, & velut legiſlator quidam, nos docere, vt in eandem poteſtatis plenitudinem paulatim irrepſerint dominandi libidine & Chriſtifidelium ſimplicitate, aut potius ſtoliditate ac ſuperſtitione, nullum modum ponit ſuæ maledicentiæ. Sed hoc in primis exaggerat velut inuidioſum ſecularibus, quod omnem clerum exemerint à iuriſdictione laica, quodq; ipſis iniuriantes ſpritali vlciſcantur gladio.

Crimina, quæ Roma. Pont. obycit.

Item, quòd quidam ex eis Romanú principem iuramento fidelitatis ſibi adſtrictum prætenderit.

Poſtremo, quòd alter alterius imperatoris ſententiam reuocare conatus fuerit.

In omnem deinde detrahendi & maledicendi licentiam effrenem linguam ſoluens liuida detractio, & quamcunque animo concipere potuit, virulentiam in Roma. pontifices expuens, multis & impotentibus verbis exaggerat, quibus quantisque modis eorum quidam hac plenitudine poteſtatis abuſi ſint. Primum in ordinandis & conſtituendis miniſtris & prælatis eccleſiæ, quos queritur indignos præfici, turbari exemptionibus, nec conſeruari ordines eccleſiaſticos. Exhauriri annatis atque eiuſmodi exactionibus regna & prouincias. Deinde cum ſecundum legem diuinā nihil poſsidere proprium, ſed ſectari paupertatem euangelicam, nudo ſimpliciq́ue victu & veſtitu eſſe contenti, ſubeſſe deberent, non præeſſe principibus ſeculi, ſub legibus & ordinationibus eorundem viuere, ab eiſdem & populo collationes, confirmationes, & inueſtituras omnium dignitatum, prælaturarum & eccleſiaſticorum officiorum, vocatorumq; beneficiorum accipere, quemadmodum conſtare affirmat antiquitus fieri ſolitum, munc contra dicit exulare ab eccleſia ſummam illam, quam Chriſtus in ea plantauerat, meritoriam paupertatem, ob ſacerdotum contrariam auaritiam: in locum autem humilitatis admiſſam ſuperbiam, & principibus ſecularibus omnia, quæ illorum iuris ſunt, adempta à Romanis pontificibus, & vſurpata ſibi ſub prætextu illius plenitudinis poteſtatis, hoc eſt, tam ordinationem ſedis Apoſtolicæ, quàm inueſtituras, collationes & diſpenſationem aliarum dignitatum, prælaturarum & officiorum, beneficiorumque eccleſiaſticorum omnium.

C

Quibus modis criminetur abuſus poteſtatis plenitudine.

D

Quam præſumptionem primam impingit Simplicio, quem primum ſtatuiſſe dicit, nullum clericum à laico inueſtituram debere ſuſcipere. Hunc ſequutum Adrianum tertium ſtatuiſſe, vt nullus imperator de electione papæ ſe intromitteret, cum ante per imperatores Romanæ eccleſiæ epiſcopi conſueuiſſent inſtitui, atque idem hoc priuilegio conceſſum affirmet, primú Carolo magno, deinde Ottoni primo, illi quidem ab Adriano, huic vero à Leone, cuius hoc citat decretum.

Leo papa in ſynodo congregata Romæ in eccleſia ſancti Saluatoris: Ad exemplú beati Adriani, Apoſtolicæ ſedis epiſcopi, qui diuo Carolo victorioſiſsimo regi Francorum Patritiatus dignitatem, ac ordinationem Apoſtolicæ ſedis & inueſtituram conceſsit, ego quoque Leo, ſeruus ſeruorum Dei, epiſcopus ſedis Apoſtolicæ, cum cuncto populo & clero Romano, conſtituimus, confirmamus & roboramus, & per noſtram Apoſtolicam autoritatem concedimus atque largimur Domino Ottoni primo, regi Teuthonicorum eiusq́ue ſucceſſoribus huius regni Italiæ in perpetuum, tam ſibi facultatem eligendi ſucceſſorem, quàm ſummæ ſedis apoſtolicæ pontificem ordinandi.

Priuilegiū ordinandi ſedē apoſtolicam atq; inueſtiturarū, &c. Ottoni primo cōceſſum à Leone.

g 2 Ac per

A Ac per hæc archiepiſcopos, ſeu epiſcopos, vt ipſi ab eo inueſtituram accipiant, conſecrationem autē vnde debent, exceptis his, quos imperator pontifici & archiepiſcopis conceſsit. Et nemo deinceps, cuiuſcunque ſit dignitatis vel religioſitatis, eligendi ſeu patritium, ſeu pontificem ſummæ ſedis, vel quemcunque epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſque conſenſu ipſius imperatoris, qui tamen fiat abſque omni pecunia. Et vt ipſe ſit patritius & rex. Quod ſi à clero quis epiſcopus eligatur, niſi à ſupradicto rege laudetur & inueſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc autoritatem apoſtolicam aliquid moliatur, hunc excommunicationi ſubiacere decreuimus: & niſi reſipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis ſupplicijs affici. Hactenus verba decreti. Quod ipſum confirmatum dicit à Stephano illius Leonis ſucceſſore. Deinde à Nicolao qui huic ſucceſsit. In quo equidem edicto dicit ſingulariter notandum, quod translatio illa inueſtiturarum à Ro. pontifice, vna cum clero & populo facta in imperatorem, quantum ad ipſum attinebat pontificem, ſolum quædam renunciatio fuerit, aut reſtitutio potius,

B per quam ius illud ad ſuam naturam, ſuumque dominum redijt. Quoniam, inquit, autoritas huius prima fuit & eſt principis aut legiſlatoris humani, qui hãc autoritatem inueſtiendi epiſcopos & archiepiſcopos iam dudum papæ conceſſerat. Quam rurſus refuſam in principem à clero & populo Romano non vult reuocari poſſe à ſolo pontifice abſque decreto populi. Propter quam tamen reuocationem præſumptam à Romanis pontificibus, maximas inter ipſos & imperatores diſcordias conſecutas affirmat, præcipue autem inter Paſchalem II. & Henricum V. Teuthonicorum regem: quem dicit ab illo prohibitum ad imperialem apicem ſcandere, vſque dum inueſtituras epiſcoporum, abbatum & clericorū omnium, per ſuas literas & nuncios Romam miſſos ex Tuſcia, eidem reſignaret. Quas rurſus Romam ingreſſus cum exercitu, poſtquam imperiali diademate exornatus fuerat, capto cum cardinalibus pontifice, ab eodem vi extorſit, ſed poſt Caliſto II. iterum reſignauit.

Sed has, inquit, conceſsiones & priuilegia, ex cauſa fortaſsis legitima reuocare volentes, aut reuocantes ſimpliciter, aut in parte Otto IIII. & Fredericus II. Romanorum imperatores, epiſcoporum & cleri Romani plurimas inſidias, perſecutiones & impedimenta ſunt perpeſsi.

Iam & hoc velut intolerandum grauibus verbis inſectatur, quod tēporalia poſsidentes, nolunt ſubeſſe legibus ac edictis principum, contra Chriſti, vt dicit, & apoſtolorum exemplum & doctrinam, cum dicat Apoſtolus: Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Quod parum, inquit, attendentes Romani epiſcopi cum clericis alijs, ſi quando per Romanos principes ſibi grauari videantur, per decimarum vel tributorum ſumptionem, ad militū ſuorum impenſam in neceſsitatibus bellorū pro ſuſcepta gratia & beneficio rerū temporalium, quas à Romanis principibus gratioſe acceperunt, in ſuperbiam elati, & ſuæ conditionis ignari, & ingratiſsimis omnibus magis ingrati, effrenata quadam præſumptione in horribiles blaſphemias & anathemata proruperunt, tam in principes, quàm in eis ſubditos, in ſe tamen & in ſua capita potius reditura, quàm nocitura illis. C *Quæ ille contra immunitatem bonorū eccleſiaſticorum.*

His addit, Romanos pōtifices multa vſurpare & vſurpaſſe de iuribus imperij, vt ciuitates Romandiolæ, Ferrariam, Bononiam, & alia quàm plurima.

Et quod vult his omnibus eſſe intolerabilius, in tantam quoque dementiam & inſaniam dicit prorupiſſe ex his aliquos, vt omnes mundi principes & populos pronunciarint ſuæ iuriſdictioni coactiuæ ſubiectos. Et hoc credere tanquam verum, eſſe cuique de neceſsitate ſalutis. D *Contra definitionem Bonifacij.*

Sane, inquit, attendētes & noſcentes (tametſi diſsimulent) humani legiſlatoris eam eſſe autoritatem, priuilegia & conceſsiones quaſcunque conferre & auferre, Romani principis creationem & promotionem, omni ſollicitudine & machinatione prohibent. Quin & illa ſeſe armant plenitudine poteſtatis, quam à CHRISTO in perſona beati Petri, ſibi vt eius ſucceſſoribus, aiunt ſingulariter conceſſam. Quo ſiquidem execrabili titulo & oratione ſophiſtica ſecundum æquiuocum, omnibus fidelibus nihilo minus tanquam falſa, ſecundum omnes eius ſenſum ſemper & vbique neganda, paralogizare nituntur, & in ſuam ſeruitutem redigere omnes mundi principes & populos. Quod non obſcure præ ſe ferre vult Clementinam de ſententia & re iudicata. In qua reuocando ſententiam quãdam Henrici VII. Nos, inquit, tam ex ſuperioritate, quã ad imperium non eſt dubium nos habere, quàm ex poteſtate in quã vacãte imperio imperatori ſuccedimus, & nihilominus ex illius pleni- *Contra Clementinam de ſenten. & re iudic.*

A plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus, rex
regum, & dominus dominantium, nobis li-
cet immeritis in perſona beati Petri conceſ-
ſit, ſententiam & proceſſus prędictos, & quic-
quid ex eis ſecutum eſt, vel occaſione ipſo-
rum, de fratrum noſtrorum conſilio decla-
ramus fuiſſe & eſſe omnino irritos & inanes.

Claſſico omnes ad rebellionẽ cõcitat.

Tandem in hæc verba exclamat: Et ne
deinceps lateat horum epiſcoporum falla-
cia, tanquam veritatis præco, clamo valenter
& vobis dico, regibus, principibus, populis,
tribubus & vniuerſis linguis, per Romanos
epiſcopos cum ſuorum clericorum ſeu car-
dinalium cœtu, hac ipſorum ſcriptura, ſecun
dum omnem eius ſuppoſitionem apertiſſi-
me falſà, ſummum omnium præiudicium
fieri. Vos enim tentant in ſuam redigere ſub-
iectionem, ſi eam manere paſſi fueritis, præ-
ſertim vim ac legis robur habere. Attendite
nanque per neceſſitatem ſequi, habentem
autoritatem primam cuiuſuis principis ſeu
iudicis reuocandi ſententiam, ſuper eum ha-
bere iuriſdictionem, & coactiuum principa-
tum, poteſtatem quoque ſui principatus in-
ſtituendi & deponendi. At eam Romanus
epiſcopus ſibi adſcribit ſuper omnes princi-
pes mundi, & ex illa plenitudine poteſtatis,
quam à Chriſto in perſona B. Petri accepit.
B Quanuis aperto mendacio contra Chriſti &
apoſtolorum doctrinam, per quam & ſibi &
apoſtolis omnibus, eorumque ſucceſſori-
bus omni coactiua in quemcunque autori-
tate, nedum in principes vult interdixiſſe
Chriſtum: ſicut IIII. V. & IX. ſecundæ
dict. ſuæ ſufficienter à ſe demonſtratum
confidit.

Poſt hæc vult ſpecialius vlturus imperium
de Roma. pontificibus, nouum inchoat non
tam libellum quàm librum iniuriarum &
blaſphemiarum in Romanos pontifices, in
quo tam impotenter, tam virulenter, tam pe-
tulanter debacchatur in eoſdem, vt etiam
ipſe Lutherus, quantumuis ea in re ſtudioſus
huius diſcipulus & imitator fuerit, quãtum-
uis etiam eodem quo hic ſpiritu blaſphemię
plenus, maledicentiæ iſtius virulentiam vix
aſſequi potuerit: tametſi vt vinceret, etiam
omni ſtudio contenderit. Qua interim quã-
tum licebit diſsimulata (nihil enim facit a-
liud, quàm vt clariſsimè prodat quo ſpiritu
agitatus hæc ſcripſerit aduerſus dignitatem
& autoritatem eccleſiaſticam) ſummam tan-
tum cauſæ & querimoniarum, quas nomine
imperij proponit aduerſus Roma. pontifices
proſequemur, quo diſcuti poſsit cõmodius,
iuſtane ſit an iniuſta cauſa querimoniarum
eiuſmodi.

In primis, poſt impia multa ſcurriliter in C
pontifices iactata conuicia illam ab ipſis ia-
ctatam ſententiam, qua ſe diuino, humano,
aut vtroque fortaſsis iure ſuperioritatem ha
bere dicunt ſupra Romanum principem, di-
cit eiuſdem imperij autoritatem euertere.

Aegre ferre Ro. principes ſubeſſe pontificibus.

Huius autem præſumptionis occaſionem il-
lis tribuiſſe vult ſuperſtitionem quorundam
imperatorum citra Cõſtantini tempora. Qui
Chriſtum venerantes in Rom. pontificibus,
& ſingularem eis exhibentes, electionem ſuã
eiſdem ſignificare ſolebant, quo eorundem
interceſsione reuerentiam, benedictionem à
deo, & gratiam adiutricem ad ſui guberna-
tionem imperij conſequerentur. Et eodem
conſilio, vult ſimiliter imperatores quoſdã,
propter ſuæ intronizationis maiorem ſolen-
nitatem, ab ipſis Roma. pontificibus, regium
ſibi diadema imponi feciſſe. Qua conſuetu-
dine aliquot annorum vſu confirmata, ita vt
iam legitimum videretur, imperatorem à
Roma. pontifice apoſtolica autoritate bene-
dici, & imperiali diademate inſigniri debere,
ſolennitatem eiuſmodi, confirmationẽ ele-
cti nominantes, tandem ſimplicitate & igna-
uia principum, ius confirmationis eiuſmodi
ad ſe vult attraxiſſe. Quod, inquit, non eſt a-
liud, quàm Romanum pontificem ſoluere
principatum, & principis electionem perpe- D
tuo prohibere. Nam ſi à pontificis voluntate
aut confirmatione penderet electi autoritas,
inane penitus eſſet officium eligentſum.

Imo grauiorem ex hoc ipſo natũ & conſe-
cutum vult abuſum, quod imperatores præ-
ſtare cogantur Rom. pontificibus fidelitatis
iuramentũ, hoc ipſo illius autoritati & iuriſ-
dictioni ſe ſubijci cõteſtantes; præterea pro-
uinciarũ quarundam illicite & iniuſte occu-
patarũ confirmationes facere, ſolenni iureiu
rando interpoſito. Quæ quidẽ iuramenta &
pacta nec ſalua conſcientia vult ab eis pręſta-
ri poſſe, vt contraria licito iuramento ante à
ſe pręſtito in ſui electione de cõſeruandis iu-
ribus imperij: nec præſtita licite obſeruari.
Quis enim, inquit, niſi muliere mollior, &
manifeſte ęque obſeruando ac iurando talia
periurus ea obſeruauerit? Et cur magis Rom.
imperatoris, quàm aliorũ Chriſtianorũ regũ
& principũ confirmationem ad ſe pertinere
contendunt? Proinde probat velut lauda-
bile atque alijs imitandum Ludouici Bauari
exemplum (cui vt adularetur & gratificare-
tur, ſuum illud ſycophantiarum, calumnia-
rum, conuiciorum & blaſphemiarum volu-
men aduerſus eccleſiæ autoritatem euo-
muit) quem dicit contempta & ſpreta auto-
ritate cõfirmationis apoſtolicę, ſuę electionis

Vult iuramẽta illa illicita nec obligatoria.

Probat Ludouici Bauari minime probandum exemplum.

A vigore glorioſe & fortiter ſibi vendicaſſe iura imperij. Aduerſus quem iniuſtiſsime & iniquiſsime vult ſe extuliſſe Ioannem XXII. tunc Romanum pontificem, & primum illū notaſſe execratione & anathemate, deinde procedente contumacia & contemptu, damnationis & priuationis in illum protuliſſe ſententiam. In qua, vna cum ſibi adhærentibus ſuiſque fautoribus, ipſos ſecerit hæreticos, eccleſiæ inimicos & rebelles. Subditos quoque per quædam, inquit, ſua diabolica, non apoſtolica ſcripta à iuramento fidelitatis, quo eidem adſtricti tenebantur, abſoluerit periurio ac damnatione æterna inuolués miſeros Chriſtifideles ac ſimplices. Quum ab iuramento eiuſmodi atque alio quouis promiſſo licito, certum dicat nullum epiſcopum abſque rationabili cauſa poſſe abſoluere, quam nullam illic vult fuiſſe rationabilē. Quinimo, inquit, concedere hoc aut Romano aut alteri cuiuis epiſcopo, nihil eſt aliud, quàm omniū principatuum radicem ſuccidere: & vinculum nexumque cuiuscunque regni & ciuilitatis diſſoluere. Multa hic maledicta cnngerens & congeminans in Rom. pontifices, velut contra Chriſtum & apoſtolos docentes ſubditos rebellare poteſtatibus & ſuis ſuperioribus, quibus illi obediendum
B præcipiunt. Nunc phariſæos, nunc pſeudoprophetas, atque alijs multo inhoneſtioribus epithetis exornans. In quo vno penè facundus eſt, nempe in inſigni detractione & maledicētia, cum reliquus ſermo vniuerſus obſcurà tetraque barbarie ſordeat, ita vt alicubi vix diuinare poſsis hominis ſententiam: hoc ipſo clariſsime demonſtrans, quis ille fuerit, qui per os eius locutus eſt, paracletus. Is ille nempe, quē Gerſonus rectè vocat detractionem liuidam.

In ſacerdotibus planè dānat poteſtatē ſecularis gladij.

Quin & hoc grauis & inexpiabilis piaculi loco obijcit, quod Marchiam Anchonitanam ac alias quaſdam ditiones Roma. eccleſiæ, ſtudio præfati Ludouici eidem rebellantes armis reduxerit ad officium: viros ſanguinum & doloſos propterea appellans, cum ſacerdotibus planè interdictam velit poteſtatem ſecularis gladij.

Peroratio Marſilij.

Tandem velut perorando, & reducendo orationem ad ſuum principium, vſurpatæ illi plenitudini poteſtatis à Romanis pontificibus acceptam referri vult omnem ciuilem, quæ inter principes & communitates viget, diſcordiam: abſolutum ab eadem vigorem autoritatis principantium, qua ciuilis continetur concordia & vnitas. Proinde expedire dicit, vt titulus ille plenitudinis poteſtatis interdicatur Romano pontifici ab vniuerſali concilio, ſimiliter & facultas conferendi beneficia eccleſiaſtica. C Ad quæ vult obligari omnes iuriſdictionem habentes, præcipuè reges, lege diuina velut conſtitutos, vt faciant iudicium & iuſtitiam. Hæc velut ſumma orationis eſt, bone deus qualis? quæ in ſui confutatione multo minus nobis negocij exhibuit, quàm fecit, vt ex horrendo quodam verborum & maledictorum inuolucro expiſcaremur incluſas ſententias, eaſque explicaremus qualicunq; ordine & compendio. In quibus tamen fidem meam ſateretur etiam ille ipſe, ſi viueret. Adeo nuſquā diſsimulaui rationum eius efficaciam, nec in eiſdem explicandis quicquam illis detraxi, aut vigoris, aut probabilitatis, vt pro virili eaſdem adiuuarim potius, & pleraſque quàm ille, explicarim multo probabilius.

Romanis pontificibus, vt eccleſiaſticæ hierarchiæ rectoribus, gubernationis quoque & regiminis vniuerſæ familiæ eccleſiaſticæ plenam poteſtatem competere, aduerſus prædictorum impietatem aſſerere.

CAP. XII.

D

Callidi ſerpētis artes, & quid ſpectet eo impugnanda atque euertenda autoritate eccleſiaſtica.

VT videt nullis ſuis artibus & technis ſe magis proficere callidus ille & antiquus ſerpens, hoſtiſque humani generis: quàm ſi, vt primis noſtris parentibus deo, ita & nobis ſacris ab eodem conſtitutis ordinatiſq; magiſtratibus non obedire perſuaſerit. Inde enim & dei, & cultus eius, vniuerſæque religionis neglectum videt conſequi. Ita nulli rei, excitatis ad hoc ſuis apoſtolis, ſtudet diligentius & accuratius: præſertim cum hoc ſibi videat fere cecidiſſe feliciter, ob inſitæ omnibus appetitionis cuiuſdam, ſed niſi ratione moderetur, inordinatæ, libertatis, inquā, cognatæque ſuperbiæ igniculum. Sic ſecularibus perſuadetur facilè, non ſubijci, non teneri ſacerdotali autoritate & legibus. Ita cuique ea, quibus frena relaxantur licentiæ. Aures arrigunt tametſi pij alioqui principes, cū ſua ſibi iura detracta à ſacerdotibus audiūt & facilè credūt, quæ per ſe arridēt, facilè incitantur ad ea quocūq; modo ſibi vēdicanda, quę ſibi deberi optimo iure perſuadētur. Atq; ethnicā fere dominationē interdictā à Chriſto, inſtillatam ab his conſultoribus, concipientes meditanteſque animo, obliuiſcuntur interim, quod Chriſtianæ eccleſiæ membra ſint, quod Chriſti regno ſeruiant. Sic (quorſum

ſum

A ſum ille hæc agit omnia)ſupernæ quoque illius felicitatis regno,qui huius Chriſti regni finis eſt, excluduntur, & ſecum attrahit in perditionem & interitum. Quare prædictis diligentius reſpondendum eſt,calumnijs verius,quàm querimonijs,& vbique aſſerenda orthodoxa veritas.In primis hoc,velint nolint,fateantur neceſſe eſt,Rom. pontifici,velut totius eccleſiæ rectori & præſidi,competere autoritatẽ talem ac tantam,qualis quantaque ad eccleſiaſticæ domus regimen gubernationemq́ue illi fuerat neceſſaria. Qua & omnes,qui eiuſdem familiæ ſunt, quemq; in ſuo continere poſsit officio,ab vnoquoq; eius rationem exigere, delinquentes punire, exceſſus corrigere, moderari vniuerſa quæcunque aguntur in domo eccleſiaſtica.Inſuper & exortas omnes de fide & religione, eccleſiaſticisq́; negocijs cauſas, quæſtiones, controuerſias, inter membra eccleſiaſtici corporis,ſua autoritate, definitione & iudicio terminare & componere.Proinde omnes qui ad Chriſti eccleſiam pertinent, qui intra ſepta ouilis eius continentur, quatenus eccleſiæ membra ſunt,autoritati,gubernationi & regimini Petri & ſucceſſorum eius humiliter ſe ſubmittere, omnes eius ſacroſanctam autoritatem illi datam à Chriſto agnoſcere & reuereri oportere, à quo nemo exemptus eſt,nec princeps,nec rex,nec imperator, poſtquam ſe Chriſti iugo vltro ſubdidit, & regno eius incorporari ſeruireque expetijt. In quo,vt eiuſmodi, nemo vllam ſuper conſeruos ſuos autoritatem aut ſuperioritatem exercere poteſt, niſi cui conſtat à legiſlatore noſtro Chriſto delegatam eiuſmodi.Qui regni illius ſui regimen no imperatoribus aut regibus,ſed Petro commiſit. Illi dixit:Paſce regeq́; oues meas & agnos meos. At cui aliquorum commiſſum eſt regimen, neceſſe eſt datam illi regendi eoſdem poteſtatem, his autem obſequendi & rectoris imperijs obediendi neceſsitatẽ impoſitam: ſine quo quis poſſet vel viginti perſonarum familiam regere?Sed hæc duobus libris ſuperioribus ex illis noſtræ fidei indubitatis certiſsimisq́ue principijs copioſe & luculenter demonſtrata ſunt.Et hoc ipſo libro,ex illis ipſis,quę hic aduerſus eccleſiam ſtatuit philoſophicis nó ſemel confirmata principijs.

Paſtori & rectori ouilis Chriſti ſubeſſe omnes qui continentur in eodẽ, etiam imperatores,reges principes.

B

Hæc itaque eſt illa plenitudo poteſtatis, gubernandi videlicet & regendi ouile Chriſti & domum eccleſiaſticam, non vſurpata à Rom.pontificibus,ſed ipſis commiſſa à Chriſto in B.Petro apoſtolorum principe,cui ſuccedunt in autoritate & officio. Qua ſi abutantur, non effugient iudicium eius, cui vni ſubiecti ſunt, & qui vices ſuas ipſis cõmiſit, potenteſq́ue potentius tormenta patientur. At nobis permiſſa nó eſt illos iudicandi autoritas.In quo ſi mihi non credis, audi Apoſtolum: Nam tu quis es, inquit, qui iudicas alienum ſeruũ? Domino ſuo ſtat,& domino ſuo cadit. A Chriſto ille conſt tutus eſt vt te regat,vt te iudicet,non tu illius iudex cõſtitutus. Tu autem ouis es, inquit ille, noli diſcutere paſtorem, ne eius quoq; criminis reus tenearis: noli te iudicem dei conſtituere & Chriſti, qui dicit ad apoſtolos, & per hoc ad omnes præpoſitos,qui apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui vos audit, me audit:& qui me audit,audit eum qui miſit me. Vnde enim hæreſes & ſchiſmata obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum epiſcopus, qui vnus eſt & eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dei dignatione honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? Hæc ille Cyprianus glorioſus Chriſti martyr & pontifex.

Plenitudo poteſtatis cõpetẽs catholicæ eccleſiæ rectoribus.

Si peccẽt illi,nõ noſtro,

C

ſed dei ſubiacere iudicio.

Cyprianus ad Florentiũ.

Quod ſi mali tibi videantur tui præpoſiti, primum in te reſpice, num tua ſortè tuique ſimilium culpa mali ſint. Siquidem propter peccata populi deus regnare facit hominem hypocritam,& ſuos principes ſanctos contaminat. Ita cum addidiſſet furor domini iraſci contra Iſraëlem,commouit Dauid, vt numeraret Iudam & Hieruſalem. Sic & peccatis noſtris iratus,etiam noſtros paſtores labi permittit, & linguam adſtringit vt loqui neſciant, ſubtrahit nobis influxum cœleſtis & ſpiritalis gratiæ, quia nos ſumus domus exaſperans.

Iob 34
Eſa 44

D

Quod ergo, ſi quæris, correctionis paſtorum noſtrorum optimum efficaciſsimumq́; remedium?Vt nos ipſos iudicemus primum, propria noſtra, non paſtorum peccata accuſemus,emendemusq́ue,quibus ille prouocatus, in ira furoris ſui dat nobis quales meremur prælatos & principes,vt in ſordibus exiſtentes inſordeſcamus amplius. Et deinde, clamemus ad dominum, vt vel illos ipſos emendare dignetur: vel malis ſublatis, alios ſecundum cor ſuum nobis conſtituere. Qui cito nos audiet,cito vindictam faciet ſeruorum ſuorum fideliter ad ſe clamantium.At ſi hoc remedio neglecto, ipſi manum illis admoliri voluerimus, ipſimet illos magiſtratu amouere,quem non à nobis, ſed à Chriſto in ſuo illo regno acceperũt, in quo etiam nos precario & gratioſe recepti ſumus: non ſolũ nihil proficiemus, nihil nobis cedet feliciter, ſed etiam iram furoris domini cõtra nos prouocabimus, imo læſæ maieſtatis crimine inuoluemur,nobis ſacrilege vſurpãtes,quod ad ſo-

A ad ſolum Chriſtum pertinet: Idque quia nec Chriſto credimus, nec confidimus ſibi curę eſſe ſuum regnum, ſuam eccleſiam.

Qualia crimina obyciat ille Ro. pontificibus.

Quæ tamen ille capitalium & intolerabilium criminum & abuſionum loco Romanis pontificibus obijcit, mihi crimina, niſi in criminante non videntur. Quorum primum & grauiſsimum hoc eſt, quod cum ipſi principibus & poteſtatibus publicis ſubiecti eſſe deberent: contra ſibi ſubiecerint reges & regna, imperatores & imperia. Sed hanc calumniam ſatis iam ſuperque diluimus. Quin potius dicimus Petro atque eius ſucceſſoribus commiſſum à Chriſto, vt ſuum ouile regat & gubernet. Qui ergo à Petro atque eius ſucceſſoribus regi, illis ſubeſſe noluerit, caueat Chriſti ouile ingredi, aut ingreſſus exeat, vt vero quiſquam intus maneat, quiſquā eſſe velit membrum, eccleſiaſtici corporis, & non ſubeſſe eius capiti, nec ipſa rerum natura patitur, etiam ſi non contradiceret Chriſtus.

Fieri nō poſſe, vt quis velit eſſe mēbrū eccleſiaſtici corporis, nec eius ſubeſſe capiti.

Aſſertio definitionis Bonifacianæ.

Quare non eſt amentia aut inſania, quod ille blaſphemat, dicere omnes Chriſtianos, etiam imperatores, reges, principes, ſubeſſe Roman. pontifici. Imo Chriſti ſententia eſt: Omnem omnino hominem de neceſsitate ſalutis eidem ſubeſſe debere. Nam quamuis

B actu ſubſit nemo, niſi qui iam in ouili Chriſti continetur: quia tamen extra illud nulli ſalus eſt, ſed debent omnes, qui ſaluari voluerint, intra ouile Chriſti contineri: ideo quoque & paſtori, rectoriq́ue eiuſdem omnes ſubeſſe tenentur. Cui vero, iuſtiſsimoq́; titulo, non execrabili (vt hic omnibus Chriſtifidelibus merito ter execrandus impiè aſfirmat) non oratione ſophiſtica & æquiuoca, ſecundum omnem ſuum ſenſum falſa & ſemper & vbique neganda omnibus Chriſtifidelibus. Quin potius veriſsima, atq; omnibus, qui regni Chriſti participes eſſe deſiderant, fideliter amplectenda, competit illa, quam diximus plenitudo poteſtatis regendi & gubernandi vniuerſam familiam eccleſiaſticā.

Aſſertio Clementinæ paſtoralis, de ſent. & re iu.

Nec quicquam præter nudam, meramq́ue veritatem continet Clementina illa paſtoralis (cui ille tam petulanter inſultat) de ſent. & re iud. Nam ſi (quod ſupra euidenter demonſtrauimus) ad autoritatem capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ pertinet, omnia membra eccleſiaſtici corporis in officio continere, exceſſus corrigere, eorum præſertim, qui ſecundum eiuſdem hierarchiæ formam nulli alteri eccleſiæ membro ſubſunt quàm capiti, tu non vis latam ab eiuſmodi aliquo iniuſtam, iniquamq́ue ſententiam poſſe retractari autoritate capitis, aut ſi de iure non ſubſiſtat (quod ille fecit) nullam declarari? C Habuit, habet, & habebit, etiam ſi te ruperis, illam autoritatem ſuper vniuerſa membra eccleſiaſtici corporis, caput eiuſdem, quod à Chriſto nobis inſtitutum eſt, hoc autem eſſe Roma. pontifices ſucceſſores Petri, libro III. & IIII. irrefragabiliter demonſtrauimus. Itaque quod ille tanquam veritatis præco ſcilicet valenter atque impotenter clamat, regibus, principibus, populis, per dictā Clementinam ſecundum omnem eius ſuppoſitionē apertiſsimè falſam, omnibus ſummum præiudicium fieri: Omnes ſiquidem ſecundum eius ſententiam ſubiectos eſſe autoritati Romani pontificis, quod nullis modis ferendū vult. Ego contra, veritatis verus præco, clamo, & valēter clamo, illum eſſe liuidum detractorem veritatis, non præconem: ſed hoſtem & aduerſarium, pietatis euerſorem, & pro pace (cuius ſe deſenſorē prædicat) eccleſiam Chriſti confundere turbis, rixis, ſeditionibus, bellis innumeris. Vobis quoq; dico, principibus, regibus, populis, omnibus denique qui ſe gaudent intra Chriſti ouile contineri, vt libenter, diligenter & humiliter illi ſubſint, cui Chriſtus mandauit ſui ouilis curam & regimen. Nulli hoc cuiquam fore præiudicio, ſed lucro maximo. Hac enim D via illam felicitatem aſſequemini, ob quam in hoc Chriſti regnum congregati ſumus. Tu mihi dic, qui pacem defendere te prædicas, quo pacto pacem conſeruabis in domo eccleſiaſtica, niſi omnem in eadem autoritatem ciuilem ſubdas autoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis? Sunt in domo eccleſiaſtica principantes multi, ciuilesq́ue magiſtratus gerentes, quorum nemo ſubditur alteri, nec alium ſupra ſe recognoſcunt principantem ciuiliter: vt imperator, rex Galliæ, rex Hiſpaniarum, Angliæ, Scotiæ, & alij plurimi. Inter hos ſi quando ſurgit quæſtio & controuerſia (niſi illos ſubeſſe volueris communi totius eccleſiæ capiti, cuius eſt membra omnia in officio continere, pace & concordia) nunquid non erit neceſſarium, vt cōtinuo armis decernatur omnis exorta inter eos controuerſia eiuſmodi? Nunquid non continuis bellis tumultuabitur domus eccleſiaſtica? Quod ſi contrà hos facies omnes diligenter, fideliterq́ue, vt tenentur, ſubeſſe communi totius eccleſiæ capiti, nunquid ille ſua autoritate, cui obedire debent omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, non facilè componet exortas omnes quæſtiones & controuerſias? Nunquid pro continuis bellorum tumultibus, quæ tu defenſor pacis inducis, excitas, foues, tot in eccleſiaſtica domo principantes,

Neceſſario requirere pacē Chriſtianæ eccleſiæ, vt omnis in eadē ciuilis autoritas ſubſit autoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis.

A pantes, nec ſibi mutuo, nec vlli ſuperiori ſubiectos conſtituens, non videremus in eadem vigere pulcherrimam pacis pulchritudinem? Et quæ eſt alia cauſa bellorum inter nos pluſquam ciuilium, quibus Chriſtiani fratres in viſcera fratrum innocentum ferrũ ſtringimus, niſi quia principes noſtri infideles & inobſequentes filij? Niſi quia à te, tuiſq; ſimilibus peſtilentiſsimis conſiliarijs ſeducti veſtris perſuaſionibus euiſmodi, pij patris, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, ipſos omni ſtudio ad Chriſtianam pacē exhortantis monitis, in totius Chriſtianæ reipublicæ confuſiouem, perniciem & excidium rebelles & contumaces ſunt?

Cauſa bellorũ inter nos pluſquam ciuilium.

Sed attende obſecro lector Chriſtiane, quid huic frontis ſit homini, quibus, qualibuſcunq; argumentis datam à Chriſto Rom. pontificibus autoritatem, eiſdem extorquere conetur. Attendite namque, inquit, per neceſsitatem conſequi, habentem autoritatem primam cuiuſuis principis aut iudicis reuocandi ſententiam, ſuper eum etiam habere poteſtatem ſui principatus inſtituendi & deponendi. O argutum & dialecticum hominem. Archiepiſcopus autoritatem habet retractandi ſententiam alicuius ſibi ſubditi epiſcopi, vbi ad ipſum legitimè prouocatum
B extitit: ergo poteſtatem habet inſtituendi & deponendi epiſcopatum & epiſcopum? Per quem locum dialecticum? Sed non vacat ineptias & maledicentiam hominis perſequi, & retaliare per ſingula, tametſi nec ad omnia conniuere potuimus, propter multos, quibus placet nimium. Et hactenus quidem, quod Roma. pontificibus plena poteſtas competit regendi, gubernandiq; vniuerſam familiam eccleſiaſticam, nec ſit indebite ab illis vſurpatus ille plenitudinis poteſtatis titulus, ſed Chriſti autoritate & commiſsione eiſdem competens, aduerſus illius detractionem & calumnias breuiter indicauimus.

Marſiliana collectionis inepta.

De poteſtate ordinandi ſedem apoſtolicam, & iure inueſtiturarum eccleſiarum, prælaturarumque, & collationum eccleſiaſticorum beneficiorum omnium, an quo iure imperatoribus, aut ſecularibus principibus conueniant.

CAP. XIII.

De iure inueſtiturarũ & ordinandi ſedem apoſtolicam.

Conqueritur ille, vt audiſti, vſurpata pleraq; à Rom. pontificibus, & ablata imperatoribus, quæ vult iure diuino ſpectare ad ius imperij, tanquam ad ſupremũ legiſlatorem fidelē. Et in primis poteſtatem ordinandi ſedem apoſtolicam, atq; in ea conſtituendi pontificem. Deinde inueſtituras, collationes, liberamque diſpoſitionem eccleſiarum, eccleſiaſticarumque dignitatum, prælaturarum, officiorum, beneficiorumque eccleſiaſticorum omnium. Quæ cum pertinerent ad ius fidelium principum, & ab eiſdem religionis, deuotioniſque cauſa conceſſa pontificibus, per eoſdem vna cum Romano clero & populo reſtituta fuiſſent, primum Carolo Magno, deinde Ottoni primo imperatori, dicit poſtea, magno totius orbis tumultu, magno omnium ordinum confuſione, multiſque ſcandalis repetita per ſubſequentes pontifices. Et quamuis cum eam ob rem inter Henricum V. & Romanam eccleſiam grauis exorta controuerſia, multis annis turbaſſet eccleſiam, idem poſtea Caliſto II. ea omnia vltro ceſſerit: quia tamen has conceſsiones & hæc priuilegia ex iuſta fortaſsis & legitima, vt dicit, cauſa ad ſe reuocare conati ſunt, Fredericus II. & Otto IIII. multis eoſdem inſidijs, perſecutionibus & impedimentis diuexatos conqueritur à Romanis pontificibus. C

Itaque vt clariſsimè intelligatur, num quo iure hæc ad imperatorem, aut ſeculares principes pertinuerint & pertineant, an vero iuſta aliqua conſideratione, eadem aut eorum aliqua, priuilegio ſingulari illis aliquando conceſſa per eccleſiaſticæ hierarchiæ caput & præſidem, iuſtiori poſtmodum ratione ab eiſdem reuocata ſint. D

An quo iure ad ſeculares principes pertinuerint, & pertineant.

Dicimus in primis, capiti hierarchiæ eccleſiaſticæ iure diuino competere autoritatem regendi, gubernandiq; vniuerſum corpus eccleſiaſticum, & ſingula eius membra in ſuo continendi officio. Inter quæ præcipua quædam ſunt imperatores, reges & principes. Quorum eſt officium & autoritas, vt ciuiliter gubernent ſubiectam ſibi multitudinem: ſubordinate tamen, ad finē regni ipſius Chriſti, hoc eſt, catholicę eccleſiæ, cuius pars & membra ſunt, & cui ipſorum etiam ſeruire debet autoritas. Vt vero viciſsim illis ipſis membris competeret in caput ſuum vlla ordinandi aut regulandi autoritas, Chriſto, rationi, atque adeo ipſi rerum naturæ eſt contrarium. Sed hoc planè eſt neceſſarium, vt reliquorum membrorum omnium caput, ſit rector & regula, etiam imperatorum, regum & principum, vt omnium diſponat ac moderetur officia, & breuiter vniuerſum eccleſiaſticum ſub ſe ordinem in ſua poteſtate habeat. Hæc, inquam, vniuerſa diuino iure ad illũ pertinent, cui Chriſtus ipſe vniuerſi ouilis ſui curam commiſit & regimen, Petro videli-

A videlicet, & qui eidem ſucceſſerunt in ca autoritate & officio, non imperatoribus, regibus, aut ſecularibus principibus. Si imperator, inquit ille, catholicus eſt (quod ſalua pace ipſius dicimus) filius eſt, non præſul eccleſiæ: quod ad religionem pertinet, diſcere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis, diuinitus cõſequutus eſt. Dei itaq; beneficijs non ingratus, contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nil vſurpet. Ad ſacerdotes enim deus voluit, quæ eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, nõ ad poteſtates ſeculi. Quas, ſi fideles ſunt, eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vendicet alienũ ius, & miniſterium, quod alteri deputatum eſt, neq; contra eum contendat hæc abrumpere, à quo conſtituta ſunt: ne contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam aſſecutus eſt poteſtatem. Non à legib. publicis, non à poteſtatibus ſeculi, ſed à pontificibus & ſacerdotibus omnipotens deus Chriſtianæ religionis clericos & ſacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, ac recipi de errore redeuntes. Hæc nonageſima ſexta diſtinctione, c. Imperator.

Qua ratione conſueuiſſe olim in electione Ro. pontificis requiri aſſenſum principis.

Haud tamẽ imus inficias, quin in electione Romanorum pontificum, requiri ſolebat antiquitus, etiã Romani principis aſſenſus: ſed tunc, cum non ſolum ad clerum, ſed etiam ad Rom. populum pertinebat pontificis electio, aut ſaltem, cum non alium eligeret

B clerus, niſi quem communibus ſuffragijs expetiuiſſet populus. Quemadmodum etiam aliarum eccleſiarum eligi tunc ſolebant epiſcopi. Hoc ſummo ſtudio præcauentes nimirum eccleſiæ rectores & antiſtites, ne quibus inuitis quis male gratus obtruderetur epiſcopus. Ne fiat, inquit ille, ciuitas minus religioſa quàm conuenit, cui non licuit habere, quem voluit, epiſcopum. Quid igitur mirum eſt, etiam principis, velut capitis electoris populi, expetitum fuiſſe ſuffragium? Quod quamdiu nihil diſſuadebat grauius, vtile viſum eſt patribus, vt eo libentius illius autoritati ſe princeps ſubmitteret, quem etiam ſuo extuliſſet ſuffragio. Quanquam nihil ſibi iuris competere in eiuſmodi niſi gratioſe conceſſum, ſane etiam intellexerint religioſi principes.

Valentiniani imperatoris teſtimonium.

Itaq; Valentinianus ille (vt quarto eccleſiaſticæ ſuæ hiſtoriæ lib. explicat Theodoretus Cyrenenſis Epiſcopus) vere orthodoxus imperator, cum defuncto Auxentio epiſcopo, qui Arriana perfidia infecerat Mediolanenſem eccleſiam, cuperet eidem orthodoxum aliquẽ epiſcopum præfici, accerſitos ſacerdotes & epiſcopos ita alloquitur: Ignorare nõ poteſtis vllo modo, quippe diuinis inſtructi literis, qualem eſſe conueniat eum, cui pontificalis dignitas cõmittenda ſit, quodq; non doctrina ſolum, ſed etiam moribus ac vita inſtruere ſubiectos debeat, atque ita totius honeſtatis ſe exemplum proponere, vt doctrinæ ſuæ ipſa conuerſatio perhibeat teſtimonium. Proinde & hoc tempore, talem in pontificali cõſtituitę ſolio, cui etiam nos, qui gubernamus imperiũ, noſtra capita ſyncere ſubdamus, cuiuſq; reprehenſionis (cum enim homines ſimus, & offendere neceſſe eſt) tanquam medicinæ curam libenter admittamus. Hæc loquutum iubet ſynodus ipſum deligere aliquem ſuffragio ſuo, ſapientem, & pietate ornatum. At ille, ſupra nos eſt, inquit, talis electio, aut, vt vertit alius, maior, quàm vt à me præſtari poſſit res, multoque fuerit melius vos decernere, diuina gratia dignatos & participes ſplendoris illius. Hactenus ille. Vides itaque religioſiſſimi imperatoris Chriſtianam ſententiam, vtque intellexerit, non ad ius imperiale, ſed ſacerdotale ſpectare electionem pontificum. C

Quomodo etiam à populo antiquitus pendebat pontificum electio.

Quanquam etiam hoc, quod dixi, ad clerum & populum tunc communiter, quamuis diſpenſatione quadam, pertinuiſſe electionẽ pontificum, ſane intelligẽdum eſt. Nec enim electio pertinebat ad populum, ſed ad clerum & ſacerdotes tantum. Qui tamen, niſi D aſſenſu populi, aut eius ſanioris partis neminem permittebantur eligere. Tunc enim, inquit beatus Stephanus pontifex, in eccleſia dei ritè præficietur, cũ populus pariter in eũ acclamauerit, quem clerus cõmuni voto elegerit. Singulorum autem in electione officia propria diligenter & diſtincte expreſſit beatiſſimus ille Leo in epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem epiſcopum: Vota, inquit, ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus ſacerdotum conſiderentur. Itaque tunc & laudabilis vſus obtinuerat, & per eccleſiaſticę hierarchię pręſides ita quoque ordinatum, conſtitutumq; fuerat, vt electiones tam Romanorum pontificũ, quàm etiam aliorum epiſcoporum, referrentur ad fideles imperatores & principes, maxime ꝓpter hæreticorum & ſchiſmaticorum concertationes, à quibus non raro confuſa, dei periclitabatur eccleſia. Aduerſus quos, cum pro ipſorum impietate parum valerent cenſuræ eccleſiaſticæ, fideliſſimorum imperatorum ſeueritas ſeruiuit eccleſiæ. Cui vt eo ſeruirent deuotius, vtque velut deuotiſſimi filij, illius autoritati ſe ſubmitterent ſyncerius,

A ceſſus, quem proprio quoque aſſenſu ſibi in patrem conſtitutum viderent, hoc honoris fidelibus principibus in electionib. permiſſum eſt à principio. At cum poſtea per Hexarchorum tyrannidem (qui imperatorũ gerebant vices per Italiam) multa committerentur enormia, & frequenter turbaretur atque impediretur legitima electio, ſæpe etiã vis interponeretur apud clerum & populũ, vt quem ipſi vellent, eligerent: nõnunquam etiam ſine electione vi intrudere conarẽtur aliquos, iuſtiori ratione hoc poſtea abrogatũ eſt, quàm indultum fuerat à principio. Itaq; in concilio quod ſub Symmacho celebratũ eſt, inter cætera in hæc verba decretum legitur: Non placuit laicum ſtatuendi in eccleſia aliquam poteſtatem habere, cui ſubſequẽdi eſt iniuncta neceſſitas, & non data imperandi autoritas. Et rurſus: Laicis quamuis religioſis, nulla de eccleſiaſticis rebus aliquid ſtatuendi legitur attributa facultas.

Decretum concilij ſub Symmacho.

Itaque Conſtantinus imperator IIII. eius nominis, cum intellexiſſet Benedictum II. virum multis ornatum virtutibus, aſſumptum ad regimen vniuerſalis eccleſiæ, eius ſanctitate permotus, ſanctionẽ ad illum miſit, per quam vltro reſignauit ex vetuſta illa conſuetudine, ſibi & imperio prætenſo priuilegio B præfato. Ne forte ea occaſione, per ſucceſſorum ſuorum minus forte religioſos aliquos, ſcandalum aliquod concitaretur dei eccleſiæ. Vtq; deinceps, quem clerus cum populo Romano delegiſſet in pontificem, eundem nulla aut Conſtantinopolitani principis, aut Italiæ Hexarchi expectata autoritate, omnes verum Chriſti vicarium crederent.

At Carolo magno, cum à vi atque tyrannide Longobardica, capto vltimo eorum rege Deſiderio liberaſſet Romanam eccleſiã, atque eidem reſtituiſſet ablata per Longobardos omnia, paternamq́; donationem etiã maioribus confirmaſſet, auxiſſetq́ue priuilegijs, Adrianus pontifex, conuocata ad hoc CLIIII. epiſcoporum apud Lateranũ in eccleſia S. ſaluatoris ſynodo, ius & poteſtatem eligendi pontificis, & ordinandæ, ſi quando vacaret, ſedis apoſtolicæ, dignitatem etiam patritiatus conceſsit. Inueſtiendi quoq; archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas ſibi ſubiectas prouincias conſtituẽs, vt niſi à rege laudetur & inueſtiatur epiſcopus, à nemine conſecretur. Et quicunq; contra hoc decretum ageret, anathematis eum vinculo innodauit: & niſi reſipiſceret, bona quoq; eiuſdem publicari præcepit.

Carolo conceſſũ ius tam ordinandi ſedem apoſtolicam, quàm inueſtiendi epiſcopos per vniuerſas ſibi ſubiectas prouincias.

Sed huic priuilegio, quantum ad inueſtituras eccleſiarum, archiepiſcoporum & epiſcoporum pertinebat, idem ipſe Carolus (re C ipſa deinceps expertus parum illud decere, vt contrarium ſacris canonibus, & apertam palatinis per hoc ianuam irrumpendi in omnes eccleſias, eaſdemq́; prophanandi) poſt aſſumptum in conſortem imperij Ludouicũ filium, vltro ceſsit & reſignauit, quẽadmodum eſt videre lib. I. capitulorum Caroli & Ludouici imperatorum. In quo inter cætera ab ipſis conſtituta, etiam hæc legitur eorum ſanctio: Sacrorum canonum non ignari, vt in dei nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini eccleſiaſtico prębemus, vt ſcilicet epiſcopi, per electionem cleri & populi, ſecundum ſtatuta canonum, de propria diœceſi, remota perſonarũ & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo ſibi ſubiectis vſquequaq; prodeſſe valeant. Hactenus verba ſanctionis, quam etiã Gratianus ſuæ compilationi inſeruit, LXIII. diſt. c. Sacrorum.

Sanctio Caroli & Ludouici.

Quod vero ad ordinationem ſedis apoſtolicæ, aut electionẽ Romani pontificis attinet, idem Ludouicus, poſt mortem patris iam ſolus imperans, Paſchali pontifici huius pacti ac ſanctionis tenore reſtituit:

Ego Ludouicus imperator Romanus Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactũ confirmationis noſtræ, tibi B. Petro, principi apoſtolorum, & per te vicario tuo D. Paſchali D ſummo pontifici, & ſucceſſorib. eius in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus veſtris, vſq; nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis, Romanã ciuitatem, cum ducatu ſuo, & ſuburbanis, & villiculis omnib. & territorijs eius, montanis, & maritimis, littoribus & portubus, ſeu cunctis ciuitatibus, oppidis, caſtellis, & villis in Tuſcię partibus. Itemq́ue quando diuina vocatione huius ſacratiſsimæ ſedis pontifex de hoc ſeculo migrauerit, nullus ex regno noſtro, aut Frãcus, aut Longobardus de qualibet parte homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus, licentiam habeat, contra Romanos, aut priuatim, aut publice conueniendi, aut electionem faciendi. Nulluſq́ue in ciuitatibus aut territorijs, ad eccleſiæ B. Petri apoſtoli poteſtatem pertinentibus, aliquod malum facere pręſumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine qualibet perturbatione honorificam ſuo pontifici exhibere ſepulturam. Et eum quem diuina inſpiratione, & B. Petri interceſsione omnes Romani vno concilio, atq; vna concordia, ſine aliqua promiſsione ad pontificatus ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate aut contradictione more canonico

Sanctio Ludouici.

A

nonico conſecretur. Et cum cõſecratus fuerit, legati ad nos vel ſucceſſores noſtros, reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, charitatem & pacem conſocient. Hactenus verba pacti & ſanctiõis præfatæ, quæ Gratianus ſuæ quoque compilationi inſeruit, LXIII. diſt. c. Ego Ludouicus.

Cur in electione Adriani II. oratores Ludouici II. quamuis præſentes vocati non fuerint.

Itaque cum ſub huius ſucceſſore & filio, Ludouico II. Adrianus II. (vt ſcribit Gregorius VII.) ad Ro. pontificatum ab eccleſia dei genitricis, & dominæ noſtræ (quæ dicitur præſepe) traheretur ad Lateranen. patriarchium, & certatim à populo & procerib. deportaretur, audientes hoc oratores Ludouici imperatoris, indigne tulerunt, quod dũ præſentes eſſent, ad hoc ipſum inuitati non fuerant, nec optatæ à ſe futuri præſulis electioni intereſſe meruerant. Qui accepta ratione, quod non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu hoc commiſſum fuerat, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præſulum expectandi mos per huiuſmodi fomitem inoleſceret, omnem indignationẽ medullitus ſedauerunt & ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt. Hęc Gregorij verba etiam Gratianus dictæ diſtin. inſeruit c. Cum Adrianus. Cuius Adriani hoc extat decretum, vt nullus laicorum principum vel potentum ſemet electioni ingerat, aut promotioni patriarchę, metropolitę aut cuiuſlibet epiſcopi, ne videlicet inordinata & incõgrua fiat electio, confuſio vel contentio, pręſertim cum nullam in talib. poteſtatẽ quenquam poteſtatiuorum vel cæterorum laicorum habere conueniat. Et adijcit pœnam anathematis in prædictos, ſi quis eorũ aduerſus communem, conſonantem, atque canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere tentauerit.

Adriani decretum.

B

Similiter in VIII. vniuerſali cõcilio, quod ſub Nicolao pontifice ſub legatorum eius præſentia Conſtantinopoli celebratum eſt poſt execratum Photinum, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ex imperiali fauore occupatorem, & reſtitutum in eandem B. Ignatium, in hæc verba ſtatutum legitur:

Decretum 8. vniuerſalis concilij.

Conſecrationes & promotiones epiſcoporum, concordantes priorib. concilijs clericorum electione ac decreto, & ab epiſcoporum collegio fieri hæc ſancta & vniuerſalis ſynodus definiuit & ſtatuit, atq; iure promulgauit: Neminem laicorum principũ vel potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni patriarchæ, metropolitani aut cuiuſlibet epiſcopi, ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat electio, contentio vel confuſio, præſertim cum in talib. nullam poteſtatem quenquam poteſtatiuorum vel laicorum cęterorum habere conueniat: ſed ſilere & attendere ſibi, vſquequo à collegio eccleſiæ ſuſcipiat finem pontificis futuri electio. Si vero quiſquam laicorum ad contractandum vel cooperãdum inuitatur ab eccleſia, licet huiuſmodi laico cum reuerentia (ſi ſorte voluerit) obtemperare ſe adſciſcentibus. Hactenus verba concilij, quæ etiam eſt legere in Gratiani volumine, diſt. LXIIII. c. II. C

Tu itaq; vide, qui definitionum vniuerſalium conciliorum legitimè congregatorum, non minorem, quàm canonicarum ſcripturarum autoritatem eſſe prædicas, vt ad quæ pertinet dubios hinc ortos ſenſus definitione ſua determinare, qua fronte audeas conqueri imperatoribus & principibus factam iniuriam per Rom. pontifices, quod ipſis poteſtatem conferendi eccleſias, & dignitates eccleſiaſticas pro arbitrio diſpenſandi interdixerint.

Ioannis 12. & Leonis illi ſubordinati hiſtoria.

At longo poſt hæc tempore, cum Ioanni XII. probris omnibus & ſceleribus cooperto & inquinato pontifici, & iam ob conſcientiã ſcelerum (accito à cardinalibus & aduentãte ad vrbem Ottone I. Imperatore) profugo in Campaniam, & in montib. inter feras deliteſcenti ac feralem vitam agẽti, Romamq; (quamuis communi, & principis, & Romanorum conſenſu & publica legatione reuocato etiam data eidem ſecuritate, vt in cathedra ſua libere poſſet reſidere) recuſanti redire, ac per id velut ſuam cathedram vltro deſerenti, communi voto Romanorum & principis illi ſuperordinatus eſſet Leo apoſtolicæ ſedis ſcriniarius, eius nominis VIII. & de more ſolẽniter conſecratus, Romani abeũte principe perſuaſi à quibuſdam (rectè an ſecus ſequenti libro inueſtigabim⁹) pręter ius & fas ſe egiſſe, ꝙ viuenti adhuc Ioanni, quantumuis ſcelerato, quantumuis ſuę ſedis deſertori & profugo ſuperinduxiſſent alium, conſilium inierunt quoquo modo reducendi Ioan. Leonemque, quẽ illi ſuperinduxerant, ante omnia eiecerunt. Qui ad imperatorem haud longe agentem ab vrbe confugiẽs hac re exacerbatũ facilè induxit, inſtructa acie Romã contẽdere & Romanos bello perſequi. In qua rerum perturbatione, cum ille Ioannes è viuis de repẽte ſublatus, ademiſſet Romanis illum ſcrupulũ, feciſſetq; liberum, vt vel de nouo conſentiendo in electionem Leonis, accõmodare ſe poſſent volũtati principis, & vim certo ſibi imminentis belli auertere, omne tamen periculum ſubire decreuerunt potius, quàm perniciem exempli eiuſmodi D

Leo à Romanis eiectus Ottonis imperatoris ope reducitur.

A modi tranſmittere ad poſteros. Itaque aduentanti hoſtiliter imperatori, miſerunt quidem legatos obuiam, quibus pacem ſupplices precabantur, ſed Benedictum eius nominis V. non illum Leonem ſuperinductum viuenti, ſibi poſtulabant concedi pontificem. At imperatore iam iurato in verba & fidem Leonis, tanquam ſuo promoti ſuffragio, illi nullo metu deterriti inſtantis periculi, & potentiſsimi exercitus iamiam imminentis vrbis excidio, elegerunt nihilominus Benedictum, & in ſede B. Petri apoſtoli conſecratum de more collocarunt. Quod intelligẽs imperator, hoſtiliter Romanã ditionem ingreſſus, vrbem diuturna ac arctiſsima obſidione preſsit, adeo vt modiũ ſurfuris XXX. aureis inibi venijſſe teſtetur Bibliothecarius Lateranenſis ſcriptor eorum temporum. Qua victis neceſsitate, tandem patentibus portis admiſſus in vrbem imperator, Benedictum inde ſecum abduxit in Germaniam. Qui non multo poſt, dolore animi (vt creditur) apud Hemburgum (quo relegatus fuerat) moritur. Leo vero, vi & armis imperialibus reſtitutus in ſedem apoſtolicam, vt imperatori gratiam repẽderet, autoritatem omnem eligendi pontificis, à clero populoque in imperatorem tranſtulit, ea forma, quę ſuprà inducta eſt ab aduerſario. Quam & B Gratianus ſuo decretorum volumini inſeruit, LXIII. diſt. Ex hac conceſsione quali quali (merito enim dubitatur de Leone, nũ legitimus fuerit pontifex, vt ſuperinductus viuenti, an vero ille Benedictus V. electus ſede vacante, per obitum Ioannis indubitati ante pontificis) ſucceſſores Ottonis, metu oppreſsis & conniueutibus ad hoc Romanis, tam pontificibus, quàm clero & populo, eandem ſibi autoritatẽ, tam eligendi Rom. pontificis, quàm inueſtiturarum aliorum epiſcopatuum & archiepiſcopatuum per imperij prouincias ſibi præſumpſerunt, quouſque in exceſſus intolerandos prorumpẽtes, diuina, humana, ſacra, profanaque ſub illius prætextu confunderent omnia. In apoſtolicam ſedem pro accepto beneficio facti rebelles & impij, cum impietati ſuæ reſiſtere ſentirent Romanos pontifices, nothos & adulteros ſuperinducere legitimis, & inconſutilem domini tunicam ſcindere frequenter conati ſunt. Archiepiſcopatus, epiſcopatus, abbatias, cæteraſque dignitates eccleſiaſticas, ſine vllo pudore & verecundia publice venales in palatio proſtituerent, qualia ſub Henrico IIII. & pleriſque eius ſucceſſoribus plurima contigiſſe certum eſt. Siquidem ille, cum id exigentibus varijs & intolerandis eius exceſsibus, & præſertim ob epiſcopatuum, eccleſiarum & abbatiarum publicam, impudentemque venditionem, eccleſiaſticæ communioni ſibi eſſet interdictum à Gregorio VII. exacerbatus, non emendatus cenſuris eccleſiaſticis, tandem apud Noricã Brixiam conuocatis ſceleratis aliquot (quos de ſua manu fecerat) epiſcopis ſanctiſsimũ pontificem, congeſtis in illum infinitis & notorie falſis, execrandiſq; criminibus, deponere conatus eſt, & Gunbertũ quendam, omnium ſuorum ſcelerum miniſtrũ, Rauennatem archiepiſcopum, illi ſuperinducere. Quę peſtis multo tempore vexauit eccleſiam. Idem tentauit Henricus V. illius filius & impietatis eius hæres. Siquidem fugato ex vrbe Gelaſio II. viro ſanctiſsimo Mauritium quendam Bracharenſem archiepiſcopum, illi antipapam erigit. Sic & Fredericus I. aduerſus Alexandrum III. canonice electum & conſecratum in ſede apoſtolica, fouit Octauianũ quendam antipapam, cui Victori nomen indidit, & velut legitimum pontificem adorauit, magnumque in eccleſia dei ſchiſma concitauit, omnib. alijs Alexandri legitimi pontificis obedientiam ſectantibus, præter eos, quos Fredericus vna ſecum in ſchiſma pertraxerat. Et in Romanæ eccleſiæ excidium vniuerſas vires conuertit imperij. Quod ipſum fecerunt etiam ſucceſſorum eius aliqui. Et his permittenda erat apoſtolicę ſedis ordinatio, eccleſiarum diſpoſitio, & dignitatum, prælaturarum & eccleſiaſticorum beneficiorum omnium?

Romani in locum Ioannis mortui Benedictum V. eligunt.

Merito dubitari de Leone, an fuerit legitimus pontifex.

C

D

Has igitur & iuſtiſsimas quidem ob cauſas, eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſides, horum omnium autoritatem, velut iure diuino ad ſe pertinentem, ab imperatoribus & principibus ſecularibus, qui contra eccleſiam abutebantur indulgentia eccleſiæ, ad ſe reuocarunt. Itaque cum mortuo Nicolao pontifice, & in eius locum communibus omnium ſuffragijs ſuffecto Anshelmo, patria Mediolanenſi, ex Lucenſi epiſcopo, ſub Alexandri II. nomine, Henrici illius IIII. imperatoris ſtudio Cadolus quidam Parmenſis epiſcopus in Longobardia eidem ſuſcitatus & obtruſus eſſet antipapa, atque idem vi & armis Longobardicis Roma depellere legitimum pontificem aggreſſus, Godtfridi Mechtildis illius Comitiſſæ mariti virtute repulſus, in Longobardiã coactus eſſet refugere, ab Henrico miſſus Romam, venit Otto Colonienſis archiepiſcopus. Qui admiſſus ad Alexandri pontificis aſpectum, conſidentibus cardinalibus, & è clero potioribus, in huiuſmodi orationem prorupiſſe legitur.

A

Ottonis Colonienſis archiepiſcopi nomine Henrici cum Alexandro pontifice expoſtulatio.

Reſponſio Hildebrandi nomine pontificis & fratrum collegij.

Quo factum eſt, inquit, modo frater Alexander, vt præter ſeruatos hactenus mores, præter legem olim Romanis pontificib. præſcriptam, pontificatum Romanum à rege & domino meo Henrico iniuſſus acceperis? Et incipientem à Carolo multos numerare pōtifices, qui imperiali autoritate vel electi, vel in electione confirmati fuiſſent, Hildebrandus archidiaconus, poſt Gregorius VII. adnuente ſibi pontifice & cardinalibus interrupit, & reſpondit in hunc modum: Nullum vnquam ius, nullum imperium Otto archiepiſcope, regibus aut imperatorib. Romanis in pōtificis Romani electiōe fuit. Et ſi quid pontificum indulgentia pio aliquo reſpectu hac in re illis permiſſum extitit, iamdudum conuerſum in eccleſiæ perniciem iure merito reuocatum, & patrum cenſura poſtea correctum eſt. Incipienſque à ſuperioribus, tamdiu immoratus eſt, quoadusque victus Otto, ſibi ſatisfactum eſſe publice confiteretur & reſponderet. Qui quidem Hildebrandus mortuo Alexandro omnium conſenſu ſuffectus Gregorij ſeptimi nomine, Romæ conuocata ſynodo, Henricum illum ob intolerandos exceſſus, & præſertim ſimoniacam prauitatem, qua eccleſias, abbatias, dignitates, in palatio ſuo velut publice venales plus

B

offerentibus proſtituerat, nec de hoc Chriſtiano more per pontificē correptus, ſe emendauerat, execratus eſt, velut ſimoniacū, periurum, & eccleſiæ ſubuerſorē. Similiter ſub anathemate prohibuit eccleſiaſticis omnibus, de manu cuiuſcunque laicæ perſonæ epiſcopatuum, vel quarumcunq; eccleſiaſticarum dignitatum inueſtituram recipere. Et tam dātes laicos, cuiuſcunq; demum dignitatis, etiamſi imperialis exiſterēt, quā recipientes clericos anathemati eccleſiaſtico ſubiecit. Cuius decreta etiam leguntur in Gratiani volumine decimaſexta, quęſtione ſeptima, c. Si quis deinceps, & ſequenti.

Henricus V. poſt reſignatum patrem ſuum ius inueſtiturarum, idem perfidia ſacrilega rurſus extorſit.

At cum Henricus V. execrādi illius filius (à quo & exutus imperio in anathemate eccleſiaſtico miſerabiliter deceſſerat) iamdudum viuo patri ſuperelectus à regni proceribus, tandem ſub Paſchali II. Romā contendens, vt ab eo imperialem benedictionē mereretur accipere, vtq; ſuper eccleſiarū inueſtitura exortum nuper inter imperium & ſacerdotium ingens diſsidium, quoquo pacto cum Romano pontifice componeret, in Tuſciam vſq; cū ingenti & valido exercitu progreſſus, duodecim oratores, regni proceres (in quibus duo regis nepotes fuerant) miſit ad pontificem cauſa concordādi inter ipſos omnis diſsidij. Qui regis nomine enixe cō-

C

tendentes ſibi ſeruari conſuetudinē, qua à poſtolico priuilegio à Carolo Magno deſcēdente, & ſucceſſorib. eius à pontificibus Romanis per annos plurimos confirmata & obſeruata, per inueſtituram annuli & paſtoralis baculi, epiſcopatus & abbatias, quibus volebāt, licite dare conſueuerant. Et contra prætendente Paſchali, iuſtiori cauſa hoc reuocatum fuiſſe, quàm ab initio conceſſum fuerat: & ob innumera inde conſequuta mala & ſcādala, à prædeceſſorib. ſuis & epiſcoporūconcilio, ne deinceps fieret, merito interdictum ſub pœna anathematis. Tandem (vt ſcribit hic noſter Marſilius, aduerſus quem agimus, atq; etiam affirmāt ſcriptores plerique alij) conſenſerunt in pontificis ſententiam, & intercurrentibus & literis & nuncijs, ſolenniq; iureiurando interpoſito renunciauit Henricus inueſtiturę eiuſmodi. Qui deinde cum exercitu pacifice Romam veniens, à pontifice, clero & populo cum omni honore exceptus, & pro voto, imperiali benedictione & diademate ſublimatus, fidei iam ſacramentorumque immemor, contra eadem inueſtituræ ius armatis precibus repetijt, & cum ſibi recuſaretur, immiſsis in clerum & populum militibus, & vniuerſa fœda confuſione,

D

Henrici V. ſacrilega perfidia.

tumultuque miſcentibus, cædibus, rapinis, incendijs, adulterijs, ſtupris, prout ferebatur emiſſa militaris licentia, captum cum cardinalibus quibuſdam, & Romanorum proceribus pontificem abduxit ab vrbe, atque ab eodem extorſit huius tenoris priuilegium:

Tenor extorti à Paſchali per Henricū priuilegij.

Paſchalis epiſcopus, ſeruus ſeruorum dei, chariſsimo in Chriſto filio Henrico glorioſo Teuthonicorum regi, & per dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori Auguſto, ſalutem & apoſtolicam benedictionē: Regnum veſtrum S. Romanæ eccleſiæ ſingulariter cohærere diſpoſitio diuina conſtituit. Prædeceſſores ſiquidem veſtri, probitatis & prouidentiæ amplioris gratia Romanæ vrbis coronam & imperium conſecuti ſunt. Ad cuius videlicet coronę & imperij dignitatem, tuam quoq; perſonam, fili chariſſime Henrice, per noſtri ſacerdotij miniſterium, maieſtas diuina prouexit, illam ergo prærogatiuam, quam prædeceſſores noſtri, veſtris prędeceſſoribus, catholicis imperatoribus conceſſere, & priuilegiorum paginis confirmauere: nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præſentis priuilegij pagina confirmamus: vt videlicet regni tui epiſcopis & abbatibus libere, præter violentiam & ſimoniam electis, inueſtituram virga & annulo conferas, & poſt inueſtituram, canonice conſecrationem accipiāt ab epiſcopo ad

quem

A quem pertinuerint. Si quis à clero vel à populo pręter conſenſum tuum electus fuerit, niſi à te inueſtiatur, à nemine conſecretur, exceptis illis, qui vel in archiepiſcoporum vel Romani pontificis ſolent inueſtitura cōſiſtere. Sane archiepiſcopi vel epiſcopi libertatē habeant, à te inueſtitos abbates & epiſcopos canonice cōſecrare. Prædeceſſores enim veſtri eccleſias regni ſui tantis regaliū ſuorum beneficijs ampliauere, vt regnum ipſum, epiſcoporum maxime & abbatū prēſidijs oporteat communiri, & populares ſeditiōes (quæ in electionib. ſępe contingunt) regali oporteat maieſtate compeſci. Si quis vero ad periculum animę ſuę inflato ſpiritu, cōtra huiuſmodi autoritatis noſtræ decretū agere præſumpſerit, ſciat ſe vinculo apoſtolicæ maledictionis & anathematis in hoc ſeculo & futuro, niſi reſipiſcat, eſſe alligatum. Hactenus verba priuilegij. Quod vi extortū, capto abductoq; Roma pontifice cum multis ex Romanorum pręcipuis, ſatis inter omnes cōuenit. Modum tamē & ſeriem rei geſtę alij narrant aliter atq; aliter, quiſq; ſuo aliquid affectui tribuens. Germanis fere conantibus eleuare hoc crimē in ſuo imperatore auſus ſacrilegi & perfidię. Itali etiam, vt variè partiū ſtudioſi erant, ſuo quiſq; modo & vario adij-

B cientes nonnulli, vt poſt extortum hoc priuilegium, pontificem & Romanos quos abduxerat, magnificentiſsimis muneribus placare conatus ſit, & honorificētiſsime Romam remiſerit. Tamen dicto quo narrauimus modo extortum, teſtantur ea quæ continuo deinceps ſubſecuta ſunt. Et in primis acta duorum conciliorum celebratorū in Laterano. Siquidem pontifex in vrbem reuerſus, à Romanis multas iniurias perpeſſus, quod Henricum regem, imo tyrannum (vt dicebāt) & eccleſiarum euerſorem, contra eccleſię inſtituta imperiali benedictione ſublimaſſet, inſuper & priuilegio ſacrilegum condonaſſet, coactus eſt in concilio Laterani habito, XII. Calendas Apriles anni ſubſequētis, quo hæc acciderant, hoc eſt, M.C.XII. coram omnib. profiteri, ſanctorum patrum Romanorum pontificū decreta, & pręcipuè Gregorij VII. & beatæ memoriæ Vrbani, ſe amplecti, laudare, quæ ipſi laudauerunt: tenere, quæ ipſi tenuerunt: confirmare, quæ ipſi confirmarunt: damnare, quæ ipſi damnarunt: interdicere, quæ ipſi interdixerunt, atque in omnibus & per omnia in his ſe perſeueraturum. Qua profeſsione per ipſum facta Gerardus Egeliſmenſis epiſcopus, Aquitaniæ legatus (nam totius Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & aliarum prouinciarum ad concilium conuocati

Reuocatio extorti ab Henrico priuilegij Later. concilij.

C conuenerant epiſcopi) iuſſu pontificis & totius concilij ſurgens, ex ſcripto hanc ſententiam protulit:

Priuilegium illud, quod pro liberatione captiuorum à D. Paſchali papa per violentiam regis Henrici extortum eſt, nos omnes canonica cenſura, & autoritate eccleſiaſtica, iudicio ſancti ſpiritus damnamus, & irritum iudicamus. Et hoc ideo, quia in eo priuilegio continetur, vt electus canonice, à nemine conſecretur, niſi prius à rege inueſtiatur: quod eſt cōtra ſpiritum ſanctum, & ſanctionem canonicam. Qua ex communi decreto perlecta ſententia acclamatum eſt ab omnibus, amen: & deinde eidem poſt Romanum pontificem ſubſcripſerūt, in primis patriarcha Venetus Ioannes, & alij circiter centum epiſcopi. Inſuper in Henricum imperatorē, ob notorie commiſſum crimen ſacrilegij in pontificem, prolata eſt excommunicationis ſententia, quę poſt miſsis apoſtolicę ſedis legatis Coloniæ, & in diuerſis regni locis, in publicis optimatum regni conuentibus aduerſus eundem publicata eſt cum inſinuatione ſolenni reuocationis inueſtiturarum priuilegij. Qua quidem apoſtolica cenſura innodatus imperator, cum omnes regni proceres, apud quos dei quàm regis timor plus

Excommunicatur Henricus ob crimē ſacrilegij, & denunciatur per Germaniam.

D valuit, & Chriſti religio, quàm fauor principis, à ſe ſuaque communione alienatos videret, velut declinans principum ſcandala, in Italiam ſe contulit. Et ibi circa Padum ſe cōtinens, regnique inſiſtens negocijs, legatos Romam miſit componendi diſsidij cauſa, quod ſibi interceſſerat cum pontifice & impetrandæ abſolutionis à cenſuris, quibus innodatus fuerat, eccleſiaſticis: Cuius legationis princeps erat abbas Cluniacēſis, Paſchali pontifici conſanguineus. Quorum cauſa rurſus conuocato à pontifice vndequaq; generali epiſcoporum concilio, quod pridie Nonas Martij in eccleſia ſancti Saluatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, apud Lateranū celebrari cœptum eſt. In quo in alia quędam abſumptis tribus dieb. primis, ſeſsione quarta, in præſentia legatorum imperatoris exurgens in concilio Paſchalis pontifex cauſam tātæ cōuocationis his verbis expoſuit: Poſtquam, inquit, dominus de ſeruo ſuo fecit, quod voluit, & me populumq; Romanum in manibus regis conſtituit, videbam quotidie paſſim fieri rapinas, incendia, cædes, adulteria, hæc & huiuſmodi mala cupiebam auertere ab eccleſia & populo Dei. Et quod feci, pro liberatiōe populi Dei feci: feci autem vt homo, quia puluis ſum & cinis, fateor me male egiſſe: ſed rogo vos omnes, orate pro me de-

Indicitur ſecundo ſynodus vniuerſalis apud Lateranum.

h 2 um,

A um, vt indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentorijs feci, quod priuilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate, vt nullius vnquam bonæ memoriæ ſit: & rogo vos omnes, vt idem faciatis.

Ad hanc pontificis propoſitionem & ſententiã, cũ ſuborta hinc eſſet inter patres controuerſia, quod Bruno quidam Signinus epiſcopus diceret, priuilegium illud etiã hęreticam in ſe prauitatẽ continere, aduerſus quẽ indignati alij, & præcipue Ioannes Caietan⁹ cardinalis, vir ſummæ autoritatis, & qui Paſchali in pontificatu ſub nomine Gelaſii II. ſucceſsit, ꝙ pontificẽ Romanũ ſuboblique notaſſet hæreſeos, dicens forte minus recte illum egiſſe concedendo illud priuilegium, non tamen fuiſſe hęreticũ. Aliis quibuſdam, nec peccaſſe in hoc pontifice affirmantibus, quod coactus illud feciſſet pro liberatione populi dei, põtifex manu indicto altercantibus ſilẽtio, his verbis illis interceſsit: Fratres, inquit, eccleſia iſta nunquã habuit hæreſim, imo per hanc omnes contritæ ſunt hæreſes. Pro hac eccleſia filius dei orauit, cum dixit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & multa ad idem ſubiunxit, quę ſuperiori lib. à nobis diligẽtius explicata ſunt.

Pontificis interlocutio.

B

Introducta quæſtio de tẽporalitate eccleſiæ.

Sexta deinde ſeſſione, cũ introducta eſſet de temporalitate eccleſiæ quæſtio, quibuſdam, qui imperatoris cauſam ſuſtinebant, in eam vt nimiam, & imperatoribus, regibus & principibus, aut præiudicialem aut potius inuidioſam inuehentibus, dicta à pontifice ſententia ab vniuerſo concilio comprobata eſt. Dixit autem in hæc verba:

Pontificis ſententia.

Eccleſia primitiua martyrum ſanguine floruit. Deinde, cum accepiſſet orbis terrarum Chriſtianã pietatem ſub Romanis principibus, qui matrem ſuam eccleſiam ſicut boni filij honeſtauerunt, eidem conferentes prædia, ſeculares honores & dignitates, regalia quoque inſignia: quemadmodum Conſtantinus, cæterique principes fideles: cœpit eccleſia florere, tam apud Deum, quàm apud homines. Habeat ergo mater eccleſia ſibi à regibus & principibus collata, diſpenſet & diſtribuat ea filiis ſuis, ſicut hactenus fecit, & ſicut vult.

Poſt hęc D. Duno Cardinalis Preneſtinus, qui tempore ſacrilegæ illius extortionis factę per Henricum Apoſtolicę ſedis legatum apud Hieroſolymam egerat, atque inde reuerſus, & in Germaniam miſſus, anathema, ſuperiori concilio promulgatum in eundem Henricum, cum reuocatiõe extorti ab eodẽ priuilegii ibidẽ publicauerat, expoſuit concilio, vt in ſedis Apoſtolicæ legatione agens Hieroſolymis audierit regem Henricum, C poſt ſacramenta, obſides, & oſcula, in ipſa B. Petri eccleſia dominum papam tenuiſſe captum & indigne tractatum, potiora eccleſiæ membra, Cardinales videlicet, exutos & tractos, nobiles quoque Romanos occiſos, captos & magnam populi ſtragem factam: vtque hęc audiens & ingemiſcens, zelo Dei accenſus, excommunicationis ſentẽtiam cum eccleſiæ Hieroſolymitanę concilio in ſacrilegum regem dictauerit, & eandẽ in tranſmarinis illis partibus publicauerit, in Græcia quoque, Hungaria, Saxonia, Lothoringia, Francia, eccleſiarum concilio renouando confirmauerit. Orare ſe demum, vt ſicut papa ſuam legationem confirmaſſet, ita totius conciliũ autoritate & conſenſu confirmetur. Id quod vnanimi totius concilii conſenſu factum eſt: pręſertim cum vna cum legato etiam Viennenſes hoc literis & nuncijs ſpecialiter poſtularent.

Henricus Gelaſium bello perſequitur & Roma fugato antipapam erigit.

Deinde, cum Henricus eccleſiæ ad eius arbitrium reconciliari recuſaret, nec in flectendo aliter pontifice, poſtquam tentaſſet omnia, vllam ſpem cerneret, & paulo poſt mortuo Paſchali Gelaſium II. eius ſucceſſorem, virum ſanctiſsimum, in eadem perſiſtentem ſententia bello perſequeretur, Romaque effugatum, etiam ſede apoſtolica priuare conatus, Mauritium quendam Bracharenſem (vt ſupra diximus) archiepiſcopum illi erexiſſet in antipapam, & beati Petri cathedram eo commaculaſſet: tandem & D hoc Gelaſio in Gallijs, quo declinauerat furorem, perſecutionemque Henrici fugiens, Cluniaci continuo poſt vita defuncto, ſub Caliſto ſecundo eius ſucceſſore, totius regni epiſcoporum & procerum nuncijs compulſus imperator, in Vuirceburg generali indicto conuentu, præſentibus apoſtolicæ ſedis legatis pax vniuerſalis cõcluſa eſt ſub his ferè legibus & conditionibus, vt regalia vel fiſcalia regno, eccleſiaſtica eccleſijs, prędia de prædatis reſtituerentur, omnique perſonæ redderetur iuſtitia. Et quicquid ſcandali aut perturbationis per regnum Germaniæ ſuccreuerat, omnibus modis eradicari decretum eſt. De verbo autem excommunicationis, vnde ſcandala pullulauerant, ad pontificem relatum eſt, deſignatis vna legatis epiſcopo Spirenſi & abbate Fuldenſi, qui totius regni nomine omnia referrẽt ad ſedem apoſtolicam. Quib. iter accelerantibus, cum Romæ auditi eſſent à pontifice, mox vna cũ Lamberto Oſtienſi epiſcopo, qui pleniſsima poteſtate fungebatur ſedis apoſtolicę, & duobus ſibi adiũctis alijs, Gregorio ſancti Angeli,

Sub Caliſto II. vt pax reddita eccleſia.

Pacis conditiões æquiſſimæ.

A geli, & Saxone ſancti Stephani in Celio monte Cardinalib. remiſsi ſunt vt feliciter cœpta ad optatum finem perducerét. Ad quorum nunciatũ aduentum rurſus facto generali conuentu apud Vangionum vrbem, quam nunc Vuormatiã dicimus, incredibile memoratu eſt, quàm inſtanter, quàm ſollicitè omniũ procerũ ſtudijs & conſilijs pro concordia certatũ ſit, donec ipſe, in cuius manibus cor regis eſt, omnem animoſitatem imperatoris, ſub Apoſtolicę ſedis, & ſanctę matris eccleſię obedientiã, etiam vltra ſpem plurimorum inflecteret. In manibus legatorum facta inueſtiturarũ (quæ totius diſſidij cauſa fuerant) reſignatione ſub hoc verborum tenore, imperiali diplomate, omniumq; regni procerum conſenſu confirmato:

Ego Henricus Dei gratia Romanorũ Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Rom. eccleſiæ, & D. Papę Caliſti; & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo; ſanctæq; Catholicæ eccleſiæ, omné inueſtiturã per annulum & baculum. Et concedo in omnibus eccleſijs fieri electioné, & liberam conſecrationem, poſſeſsiones B & regalia B. Petri, quæ à principio huius diſcordiæ, vſq; in hodiernũ dié, ſiue tempore patris mei, ſiue etiã meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem Romanę eccleſię reſtituo, quę autem nõ habeo, vt reddãtur, fideliter iuuabo. Et do verã pacé Caliſto, ſanctęq; Romanę eccleſię, & omnib. qui ex parte ipſius ſunt vel fuerũt. Et in quibus ſancta Romana eccleſia auxilium meum poſtulauerit, fideliter iuuabo.

Reconciliatur Imperator Eccleſiæ cum ſuis.

Facta hac reſignatione & ſpõſione in manib. apoſtolicę ſedis legatorũ, ſub pręſentia omnium totius regni procerũ, imperatoreq; cum omnibus, qui ſecum communicauerãt & participauerant (generaliter impenſa omnibus abſolutione à vinculo anathematis) recõciliatis catholicæ eccleſiæ, & in cõmunionem receptis, cùm continuo huius reſignationis & ſponſionis tenor cum certitudine geſtorũ omnium relatus eſſet ad pontificé, ille reſignationem hanc in manibus ſuorũ legatorũ factã ex ſacri ſenatus cõcilio approbans, & hac gratuitæ conceſsionis beneuolẽtia eandem remunerans, huiuſmodi tenoris remiſit ad Henricũ imperatoré literas:

Priuilegium perſonale, quod Henrico conceſsit Caliſtus.

Ego Caliſtus ſeruus ſeruorum Dei, apoſtolicæ ſedis & catholicæ eccleſiæ epiſcopus, tibi dilecto filio Hẽrico, Dei gratia Romanorũ imperatori Auguſto, concedo, electionem epiſcoporum & abbatum Teuthonici regni, qui ad regnum pertinẽt, in præſentia tua fieri poſſe, abſque tamen Simonia aut aliqua violentia: C aut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & comprouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia à te per ſceptrum accipiat. De quibus verò mihi querimoniã feceris, ſecundum officij mei debitum, auxilium pręſtabo. Doq; tibi verã pacem, & omnibus qui ex parte tua ſunt vel fuerunt tempore huius diſcordiæ. Datum Anno domini M. C. XXII. IX. Calend. Octobris.

Hæc autem ſcripta & reſcripta in loco campeſtri prope Rhenum, propter infinitæ multitudinis conuentum, qué nulla fora, nulla theatra in vrbibus potuiſſent capere, publicè corã omnibus lectã, atq; inuicem data atq; accepta teſtãtur hiſtoriæ. Atq; omnibus ex ſententia vtrinque compoſitis imperatorem regijs muneribus donatos legatos remiſiſſe ad pontificem. Et hunc tãdem felicé exitum ſortita eſt dira hęc multorum annorum tragœdia, quam magno labore erutam ex diuerſis eorum temporum, tam Germanis; D quàm Italis ſcriptoribus, non piguit aliquanto prolixius adſcribere. Ex ea enim & veriſsimè & clariſsimè intelliges vniuerſæ huius cauſæ & querimoniæ, quę de inueſtituris eſt, merita. Et quàm immeritò querantur iſti, qui zelare videntur autoritaté ſecularium principum, ipſis hac in re factam iniuriam, aut quicquam quod iuris eorum eſſet, detractum eiſdẽ & ſibi vſurpatum per Romanos & alios epiſcopos: quemadmodum peſtilentiſsimi quidã conſiliarij perſuadere conãtur harum rerum ignaris principibus & plus ſatis credulis, vt eorum quæ per ſe adblãdiri, & ad augẽdam autoritatem, dignitatemq; eorum pertinere vidẽtur. Quorum ſuggeſtionibus & nocentiſsimis conſilijs omnes tẽmpeſtates, quæ etiam poſt hęc explicabũtur, per imperatores quoſdam, Fredericum primum, Henricum ſeptimum, Ottonem quartum, & Ludouicum Bauarũ, alioqui nõ peſsimos principes, niſi ab iſtiuſmodi delatorib. & adulatoribus abrepti fuiſſent, aduerſus eccleſiã excitatæ ſunt, acceptas referimus, quibus notã grauiſsimam ſuæ gloriæ inuſſerunt. Fuit enim etiam hic Marſilius vnus ex intima Ludouici illius familia,

Finis contentionis ſuper iure inueſtiturarum.

A cui etiam ter execrandum blaſphemiarum ſuarũ opus dedicauit, habens hac in re ſocium, quendam pſeudotheologum Ockam minoritam, quem etiam aduerſus apoſtolicæ ſedis dignitatẽ venalibus ſcriptis militantẽ, in ſua familia idẽ nutriebat Bauarus.

Epilogus Sed tu lector Chriſtiane, ipſe his lectis perpende hanc cauſam & iudica. Nihil enim dubito, quam ſis laturus ſententiã. Carolus Magnus, vt imperiũ, ita & autoritatem eligendi Romanũ pontificẽ, & inueſtiendi epiſcopos & abbates accepit conceſsione & priuilegio ſedis Apoſtolicæ, pro ſingularibus maximiſq; beneficijs, quibus eandem & vniuerſam eccleſiã proſequutus fuerat, & proſequebatur continuo. Sed idẽ ſentiẽs & re ipſa experiens non ſolũ hoc indecorũ & indecens, ſed etiã prophanari per hoc ſacra omnia, apeririq; palatinis oſtium ad omnem ambitionem improbã, ad inuadendũ omnes eccleſias, dignitateſq; eccleſiaſticas, vna cum Ludouico filio, conſorte imperij, abdicarunt & reſignarunt eiuſmodi inueſtiturarũ priuilegiũ. Aeque idem Ludouicus poſt patris obitum Romanis reſtituit libertatem antiquo more eligendi ſuũ pontificem. Poſt quem, quamuis iterũ videatur conceſſum illud ipſum Ottoni primo, audi
B ſti nihilominus, quo modo, & à quo, nempe Leone illo, de cuius pontificatu meritò dubites, idq; in odium Romanorũ, qui ipſum recognoſcere nolebant pro legitimo pontifice. Vt tamen daretur legitime conceſsũ à legitimo & indubitato põtifice, audiſti æque, quibus ex cauſis iuſtiſsime reuocari debuerit, & reuocatũ ſit poſtea ab eccleſiaſticæ hierarchiæ, à quibus acceperant, principibus, idq; approbantibus concilijs vniuerſalibus. Et nouiſsime, etiam remiſſum & reſignatum ab imperatoribus totius cõſenſu imperij. Et hæc quidem de inueſtiturarum querimonia ſatis ſuperq; fuerint.

Vt dependeat ſecularis in eccleſia iuriſdictio ab eccleſiaſtica: & præſertim, quod nunc eſt imperium, vniuerſaq; imperialis autoritas, ab autoritate eccleſiaſtica hierarchia præſidis, particulatius explicat.

CAPVT XIIII.

COnqueritur ille (vt audiſti lector) Romanos pontifices vſurpatione callida obtinuiſſe autoritatem ſuper Romanum imperatorem & imperiũ: idq; per nimiam & ſuperſtitioſam religionem quorundam Romanorum principum poſt Conſtantini tempora, per quos primum (vt imaginatur) introducta conſuetudine, electionem ſuam ſignificandi Romanis pon- C tificibus, & imperialem coronam de manu eorundem ſuſcipiendi, ſubſequentium ſimplicitate ita confirmata, vt hoc iam videretur legitimum & non voluntarium, Romanos pontifices ad omnem occaſionem attẽtos vult ad ſe attraxiſſe velut ius confirmationis electi in Romanunm principem, atq; hoc veluti medio & prætextu extorſiſſe primũ ab illis ignauis & ſimplicibus iuramẽta quædam fidelitatis & ſubiectionis, inſuper & confirmationis quarundam ditionnm & ciuitatum illicite ab ipſis occupatarum de imperio, vt ciuitatis Romandiolæ, Bononiam, Ferrariam, atq; adeo ſibi ſubieciſſe imperium. Quæ equidem iuramenta & pacta, nec licite vult ab eis præſtari, nec præſtita obſeruari poſſe, vtpote iuramenta priori licito, de conſeruandis iuribus imperij, contraria: quin potius, & iurando, & obſeruando pręſtita, ipſos incurrere crimen periurij. Laudans proinde Ludonici Bauari exemplum, qui contempta autoritate confirmationis apoſtolicæ, ſolius ſuæ electionis vigore, iura ſibi vendicauit imperij, & multis maledictis in Ioannem XXII. inuehens, qui ob hoc ipſum innodauerat Ludouicũ vinculo anathematis, & deinde creſcente con- D tumacia priuarat imperio, abſolutis à iuramento fidelitatis, quo illi adſtricti fuerant, omnib. imperij fidelibus & ſubditis. Quod ipſum vult eſſe hęreticum, & Chriſti apoſtolorumq; doctrinę contrarium. Quanquam conſtet hoc factum, nõ ab illo Ioãne XXII. ſed à Clemente VI. qui poſt Benedictũ XII. demum Ioanni ſucceſsit. Concludens vſurpatæ huic à pontificibus autoritati aut poteſtati nimiæ acceptam referendam, quæ nũc inter Chriſtianos viget, ciuilem diſcordiam, vt quæ ciuilis autoritatis vigorem, qua ciuilis continetur concordia, aut ſoluit, aut ſibi ſubijciendo minuit.

Sed vt ipſiſsimam huius rei veritatẽ ſimpliciter, ſine fuco & clare intelligas, velim Chriſtiane lector, hoc perpetuo cogites, nobis eſſe diſputationem de catholica Chriſti eccleſia, atq; eius membris vniuerſis & partibus. Qnæ ab initio puſilla quidem erat & modica, at nunc lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus, vehementer & in montem magnum excreuit, adhuc impleturus vniuerſam terram, quando omnes introducti erunt in ouile Chriſti. Cuius nunc ouilis & eccleſiæ, diuina gratia ac miſericordia etiã principes, reges & imperatores, regna quoque & imperia membra ſunt. *De catholica Chriſti eccleſia, atq; eius membris nobis tantum eſſe ſermonem*

Deinde & hoc memineris, ex his quæ ſuperius à nobis demonſtrata ſunt, vnam neceſſa-

A ceſſario eſſe catholicam eccleſiam, quemadmodum & in ſymbolo Nicenę fidei per catholicam omnes profitemur eccleſiam, & velut vnum quoddam corpus, cuius mēbra ſunt Chriſti fideles vniuerſi, ſecundum diuerſas functiones & officia. Nam corpus inquit ille, non eſt vnum membrum, ſed multa. Si enim eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, ſed multa magis quæ videntur infirmiora mēbra corporis, neceſſaria ſunt. †

1 Cor. 12.

Quin & hoc tecum cogites, quod ſupra etiam à nobis luculentiſsime demonſtratū eſt, æque monſtrante natura ac recta ratione, multorum communionem conſpirantem in vnū, nec imaginari poſſe, ne dicam ſubſiſtere, niſi regātur, moderenturq́; principantis alicuius imperio: ſine quo, vt nullum membrorū, vtpote rationalium & quorum ſingulū ſui eſt arbitrij, diu faciet quod ſui eſt officij: ita quodq; ſi duce proprio arbitrio feratur in ea, quæ vel ſibi, vel toti videbuntur commoda, ferentur neceſſario in contraria, & diſſoluetur neceſſaria vnitas corporis, membrorúq́; illa conſpirans in totius ſalutem & vtilitatem communio: velut ſi cuique membro humani corporis propriam rationē, voluntatéq́; ſecundum quam per ſe poſsit moueri, imaginatione B dederis, aut plura prima motiua principia in vno animante feceris, quorum vno hac, alio mouente in contrarium, velut momento diſſolueretur totius vnitas. Ex quo euidenter conſequitur, etiā in catholica Chriſti eccleſia neceſſario eſſe aliquod ἡγεμονικὸν (vt dicam Ariſtotelice) aut principans, cuius imperio regantur, moderenturque vniuerſa membra eccleſiaſtici corporis, quo eius conſeruetur vnitas. Ne ſine vnius imperio & habenis, quodque motum pro ſuo arbitrio, ſeſe mutuo impediant, totius ſalutem negligant, totius vnitatem diſſoluant.

† In vno itaque corpore vt eſt neceſſaria membrorum omnium quædam communio, per quam ſubordinata ſunt ſibi, ac mutuo ſubſeruiunt, in totius vtilitatem et ſalutem conſpirantia: ita hoc ſolum vinculū eſt, quo multa colligantur in vnitatem vnius corporis.

Inſuper & hoc adſit in memoria, catholicam (de qua nunc loquimur) eccleſiam eſſe illud regnum Chriſti, de quo loquitur Apoſtolus, dicens: Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius, nouiſsime autem inimica deſtruetur mors. Vides enim loqui Apoſtolum de hoc regno Chriſti ſuper terram, non de illo cœleſti. Siquidem hoc, de quo ipſe loquitur, regnum præcedit conſummationem, C ſeu finē, & mortis deſtructionem: illud vero cœleſte ſubſequitur hæc omnia. Et quáuis nondum videamus omnia illi ſubiecta, vt idem dicit Apoſtolus: hoc tamen haud dubie expectamus fore ſecundum eiuſdē ſententiam, cum plenitudo gentiū in hoc ouile Chriſti introducta fuerit, & vniuerſus etiam Iſrael illuminatus lumine fidei, qui adhuc ſub cæcitate laborat. Itaq; eandē catholicam eccleſiam Chriſtus toties, vt ſupra indicauimus, regnum cœlorum appellat, quod nunc nuptijs regalibus, quibus tamen quidam ſine veſte nuptiali interſunt, paulo poſt in tenebras exteriores mittendi, nūc decem virginibus, inter quas quinque fatuæ, nunc ſagenæ miſſæ in mare, omnis generis piſces, malos cum bonis vna comprehendenti, comparat.

Hæc itaque catholica eccleſia, eſt illud regnum Chriſti, quod precioſo ſanguine ſuo ſibi conquiſiuit. In quo regnabit ſuper terram, donec euacuauerit, ſibiq́; ſubiecerit omnem principatum, poteſtatem & virtutem. Non quidem vi aut potentia, imo ſponte & vltro ſe dedentibus omnibus, & iugo ſuo, ſuoq́; regno ſubijcientibus. Non enim niſi ſpontaneos in regnum ſuum acceptat Chriſtus. Hoc autem regnum vt in- D dubia omnium orthodoxorum ſententia eſt Chriſti fidelium vniuerſitas: ita memineris, regnum eſſe, non Babylonem, non confuſam multitudinem, ſed quæ à propheta ſub nomine Hieruſalem deſcribitur: Quæ condita eſt, inquit, velut ciuitas quædam nobiliſsima. Cuius ciues in vnū coeūt, in quam aſcendunt tribus, tribus domini, ad confitendum laudem nomini domini. In qua etiam conſiſtit iudicij ſolium.

Regnū Chriſti, vt eſt fidelium vniuerſitas: ita regnum eſt non Babylon.

Quanquam autem in hoc regno ſuo dominari debeat vnus Chriſtus, vnus legifer, vnus rex & imperator noſter, ipſe tamen abiens in regionem longinquam, quo eius conſeruaretur neceſſaria illa communicatio mēbrorū omniū, illa connexio, vnitas & conſpiratio ad totius ſalutem & vtilitatem, ob quam membrorum, quodq; ſuum proprium commodum, propriam ſalutem debet negligere, Petrum vice ſua illi præfecit, ipſi commiſit totius curam & regimen.

Quare ſecundū ea, quæ præmiſſa ſunt, oportere quilibet intelligit, vt membra vniuerſa eccleſiaſtici corporis, illius habenis & imperijs moderentur ac regulētur: ne quolibet lato pro ſuo impetu & arbitrio, neceſſario ſubſequatur & pugna inter ſe mēbrorū, & ſchiſma, atq; vnitatis diuiſio. Nec elegit Chriſtus nobiles ſecūdū carnē, nō reges,

A non imperatores,quibus ſui ouilis, ſuique regni curam committeret & regimen: ſed infirma huius mundi elegit, vt conſundat fortia,ſed Petrum piſcatorem elegit,& poſt eum plurimos ex infima plebe,ſub quorum gubernatione,regimine & imperio humilient ſe neceſſe eſt,quicunque in Chriſti ouile & regnum adſcribi voluerint. Hæc enim lex huius regni eſt. Proinde obliuiſcãtur interim proprij regni & imperij oportet reges & imperatores,quicunque in hoc ouile Chriſti,aut regnum eius ingredi admittique voluerint,aut admiſsi intus manere,ſub illo ſe humilient neceſſe eſt, quãuis piſcatore,quãuis ex infima plebe aſſumpto,cui Chriſtus illius ſui ouilis gubernationem regimenq; cõmittere dignatus eſt.

Chriſtus non reges, ſed piſcatorem Petrum elegit, cui regni ſui curam committeret.

Fuit quidem hoc regnum,vt diximus,ab initio puſillum & humile,inſtar grani illius ſinapis,cui Chriſtus ipſum comparat:quod acceptum miſit homo in hortum ſuum & creuit,factumque eſt in arborem magnam, ita vt volucres cœli venientes in ramis eius requieſcerent. Quod tunc cœpit impleri, cum Conſtantinus imperator, & poſt eum reges & principes alij, ſuos faſces, ſua ſce-
C ptra,ſuaque colla regno Chriſti ſubmittentes,ſub ramis eius vetam pacẽ quietemque inuenerunt. Quos omnes in hoc regnũ adſcriptos, non amplius inſtar principum & regum gentium,ſubditorum ſuorum,ſibi dominari,ſed Chriſto,oportet ſub illo, cui idem ipſe totius ſui ouilis gubernationem commiſit & regimen,etiam principum,regum,& imperatorũ. Cui,quo eius eſſet liberior in omnes autoritas,quo minus impedita(vt fit)vna ſecum reſidentium ſecularium principum poteſtate & ſæpe tyrannide:ita ordinatum videmus diuina prouidentia,ſine qua,nec ſolium ſuper terrã cadit,vt vrbem Romam eatenus terreni imperij caput & domicilium , Conſtantinus imperator Petri ſucceſſorib9 cederet,& nouas ſibi ſuoq; imperio ſedes quæreret,addẽs(quo eorũ maiori veneratiõi cũctis eſſet autoritas)etiam regalis dignitatis inſignia.

Sed nec his cõtenta diuina prouidentia, ne quis (vt ſæpe factum eſt) in hoc Chriſti regno,oblitus illi ſe ſeruire, meditaretur ac ſpiraret,aut Alexandros,aut Iulios,omnẽ dominationẽ &principatũ,qui ex illa gentilitate traxit originẽ,paulatim euacuauit,ſecitq; vt omnes inter nos principes,reges & impatores,à chriſti regno ꝓrſ9 depẽderẽt.

Dedit equidem illud vetus imperium, quod à Romanis,atq; illo Iulio traxit originem,non exiguam ſuæ dignitatis partem ecclesiæ Chriſtianæ pontificibus: quo magis venerabilis & reuerenda eſſet orbi eorum neceſſaria autoritas. Attamen ſi quando illos principes nõ ſatis cohibuerat Chriſtiana pietas & religio,ſuperbe nimis efferebant cornua,& gentilem illam dominationem adhuc meditantes, haud ſatis recordabantur Chriſti ſe regno,ſuumq; iam ſeruire imperium , nec ſatis reuerenter illius autoritati ſe ſubmittebant,cui ouilis Chriſti ab eodem commiſſa erat gubernatio, imo eandem aliquando conabantur ſibi facere obnoxiam : donec, iuxta Danielis vaticinium,lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus,ab initio modicus,ſed qui paulatim in montem magnum excreuit,impleturus adhuc vniuerſam terram, percuteret illam ſtatuam,quam viderat rex ille Babylonius,ſuccedentium ſibi regnorũ exprimentẽ imaginẽ, in ſuis pedibus ſerreis & fictilibus. Quos,eodem Daniele fideli interprete,Romanum imperium circa ſui finem ſignificare certum eſt. Lapidem autem iſtũ, quem ſic ille prædixit comminuturum, & ſibi ſubiecturum Romanum imperium, eſſe hoc regnũ Chriſti,hoc eſt, catholicam ecclesiam,idem ille Daniel certiſsimus teſtis. In diebus autẽ,inquit, regnorum illorum,ſuſcitabit deus cœli regnum,quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur,comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum , ſecundum quod vidiſti,quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus,& comminuit teſtam, & ferrũ, & æs,& argentum ,& aurum. Vides itaque quis ſit ille lapis de mõte abſciſſus ſine manibus,nempe hoc regnum Chriſti, catholica inquam ecclesia,quod,inquit,conſumet vniuerſa regna hæc,ſibiq; ſubijciet. Recte vero catholica Chriſti ecclesia per lapidem ſignificatur abſciſsũ de mõte ſine manibus: vt quę inſtar ſui capitis,ſine carnali cõmixtione de ſpiritu ſancto cõcepti , & nati ex virgine ſine virginitatis iniuria,& ipſa ex aqua & ſpiritu ſancto regenerata virgo ex virgine,ſine ruga & macula permanẽs,noua tamẽ quotidie ſobole cõtra legẽ naturæ fœcũda eſt. Cui etiã Eſaias ſub nomine Hieruſalẽ ita loquitur: Surge & illuminare Hieruſalẽ,quia venit lumẽ tuũ & gloria domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operiẽt terrã & caligo populos: ſup te autẽ orietur dominus,& gloria eius in te videbitur. Et ambulabũt gẽtes in lumine tuo,& reges in ſplẽdore ort9 tui. Leua in circuitu oculos tuos & vide,oẽs iſti cõgregati venerũt tibi filij

tui

G

Iuxta Danielis vaticiniũ, Catholica Chriſti eccleſia ſibi ſubiectura erat, atq; in ordinem redactura h.e. imperium. Dan. 2.

D

Lapidem de monte abſciſſum ſine manibus ſignificare catholicam Chriſti eccleſiam.

Eſaie 60.

Notandum Eſaiæ vaticinium de catholica Chriſti eccleſia.

A tuî de longe venient, & filiæ tuæ de latere conſurgent. Tunc videbis & afflues, mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, &c. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi &c. Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabũtur. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul, ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & cætera. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi, & cæt. Pro eo quod fuiſti derelicta & odio habita, & non erat qui tranſiret per te, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, & gaudium in generationem & generationẽ. Et ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Hactenus ille. Hoc autem Eſaiæ vaticinium an non impletum clariſsime cernimus, cum iam gentes & reges ambulent in lumine fidei, illuminati ſplendore ortus illius primitiuæ eccleſiæ, qui fugauit tenebras & caliginem infidelitatis, quæ operuerat terram & populos? Quæ pro eo quod fuerat derelicta & odio habita, oppreſſa, & in camino tribulationum per-

Gloria eccleſiæ.

B ſecutionumque excocta, nunc vice verſa dilatata affluit, conuerſa ad eam multitudine maris, & fortitudine gentium. Itaque & filios peregrinorum & alienorum ædificaſſe nunc videmus muros eccleſiæ, & reges illi miniſtraſſe ac miniſtrare. Ita Conſtantinum, Pipinum, Carolos, omnes denique Chriſtiani orbis pios imperatores & principes ſe curuos illi humiliaſſe, & adoraſſe veſtigia pedum eccleſiaſticę hierarchię principũ. Cui nunquid indignum quiſquam putabit, obedientiam & reuerentiã deberi ab imperatoribus, regibus & principibus? Si filij nũc ſunt eccleſiæ, nunquid eidem, atque eius paſtori ac præſidi non debent obedientiam & reuerentiam?

Indigne indignaris hoſtis eccleſiæ, eandem ſibi ſubiecisse reges & principes.

Quid igitur hanc indignaris impie ſibi ſubieciſſe reges, imperatores, principes, regna denique & imperia, quod ab æterno ita futurũ præordinauit omnipotens illa ſapientia, & priuſquã fieret, tanto ante (vt audiſti) fore & ab Eſaia & Daniele prędictũ eſt? Nunquid nõ legiſti in Apoſtolo: Qui dei ordinationi reſiſtũt, ſibi damnationẽ acquirere? Et hæc ſi non tanto ante, tam aperte & clare prædicta legerentur, propheticis oraculis, quis tamen, modo ad Gamalielis ſentẽtiam, imo ad ipſa Chriſti verba reſpiceret, dubitare poſſet diuinæ prouidentiæ & ordinationis ea eſſe opera, à quibus dependent totius

C eccleſiaſtici regiminis vigor, ordo & vnitas: nempe vt omnis ciuilis in eccleſia autoritas iam dudum ſubiecta cernatur autoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis? Dixit ille: Si ex hominibus eſt hoc opus, diſſoluetur. Et tu vis vſurpatiõe & fraude Romanos Pontifices ſibi ſubieciſſe autoritatem regum, imperatorum & principum, quam annos octingentos aut mille illis ſubfuiſſe videmus? Tu vis rem tantam, vnde pendet ſalus, vnitas, vigor diſciplinæ totius domus eccleſiaſticæ, & quam tot annorum vſu confirmatam videmus, humana tantum præſumptione factam, ſine diuina ordinatione & prouidentia, ſine qua nec minima fieri Chriſtus pernegat? Et quo tandem pacto verum erit, quod affirmat Apoſtolus, nullam eſſe poteſtatem etiam ciuilem, nec apud ethnicos, niſi à Deo, hoc eſt, vt idem ipſe exponit, diuina ordinatione & prouidentia? Quarum tamen initia plerunque vi, fraude & ſcelere vſurpata, & plane tyrannica fuiſſe, indubitatum eſt: vt autoritatem illam Cæſaream, quæ initium traxit ab illo Iulio, qui credita ſibi vt ciui arma reipublicæ, perfide in eiuſdem conuertit viſcera: in necem & proſcriptionem ſuorum conciuium optime meritorum de republica, ſuper quam tyrannice ſibi vſurpauit dominationem & imperium. Quo de-

D inceps in ſenatu confoſſo vulneribus, Octauianus eadem perfidia ſibi credita arma reipublicæ coniungens cum hoſtibus reipublicæ, crudelitatis in conciues, & vſurpatæ in rempublicam dominationis ſucceſſor factus eſt. Ab his initijs proceſsit autoritas & poteſtas illa Cæſarea. Cui tamen & ipſi, vt à Deo, diuinaq́; ordinatione exiſtenti, quamdiu viguit, obediendum fuit à ſubditis iuxta illam ſententiam apoſtolicam. Quanto magis eccleſiaſticæ autoritati, non vi aut fraude vſurpatæ ab homine, ſed præordinatæ diuinitus, prædictæ propheticis oraculis, deinde ab ipſo Chriſto omnium noſtrũ domino commiſſæ Petro ſucceſſoribusq́; eius ſuper vniuerſum hoc ouile aut regnum ſuum, obediendum eſt omnibus, qui in eodem ouili ſunt, quantumuis imperatores ſint, quãtumuis reges aut principes? Certe nihil ſibi vi vſurpauit in quenquã indebitum, ſed vltro ſe ei ſubmittentes ad proprium ſalutem, reges & principes benigne ſuſcepit. Audiſti equidem, quid ille dixerit eccleſiæ: Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Vides eſſe neceſſarium ad ſalutem omnibus, etiam regibus & principibus, ſeruire eccleſiæ, autoritatique eccleſiaſticæ. Hoc ipſum eſt, quod Chriſtus dixit Petro, vt quodcunq; ipſe

Eccleſiam nihil ſibi vſurpaſſe in quenquã indebitũ, ſed vltro ſe ei ſubmittẽtes ad propriam ſalutẽ benigne ſuſcepiſſe.

C

ipſe obligaret in vniuerſa terra, hoc ipſum obligatum haberi coram deo. Eius vero pręceptis & mandatis cõtumaciter inobedientes, eodem loco habendos à nobis, quo ethnicos & publicanos, qui ad Chriſti ouile non pertinent, nec in illa arca continentur, quæ ſola ſaluat ab inundante diluuio.

Comminuit igitur Chriſti eccleſia, & ſibi ſubiecit iuxta Danielis vaticinium principatus & regna, reges & principes, ſed illorum ſubmiſsione vltronea, atque ita hoc volente & ordinante diuina prouidentia, pro conſeruanda vnitate neceſſaria & concordia in domo eccleſiaſtica, vt non ſolum ſubeſſet, ſed plane dependeret etiam eorum autoritas ab autoritate eccleſiaſtica, abolita paulatim omni illa ſeculari poteſtate, quæ ſe in gentilitatẽ quoquo modo referre poſſe videretur.

Itaq; cum diuina permiſsione ſub Honorio & Archadio principibus, irrumpentibus in Romanas prouincias, primum Viſegothis, à quibus duce Alarico etiam vrbs capta eſt: deinde Alanis, Sueuis, Vandalis, Burgundionibus, Oſtrogothis, Hunnis, poſtremo Longobardis & Francis, omne paulatim Occidentis imperium Romano ſubtractum imperio & in diuerſas diſſectum particulas, in

D

barbarorum poteſtatem conceſſerat, qui & diuina & humana confundebant omnia, Leo tertius Romanus pontifex vtrunque illum Petri gladium perpẽdens neceſſarium in eccleſia, quo eadem haberet, qui etiam alterum illum materialem euaginaret vibraretq; pro Chriſti nominis gloria, tanquam caput hierarchiæ eccleſiaſticę, & cui totius ouilis Chriſti cura gubernatioque commiſſa extitit, Carolum illum cognomento Magnum, Pipini filium, Auguſtum nominat, imperialesque illi titulos, dignitatem, autoritatemque tribuit, & Occidentis imperatorem pronũciat, conſentiente applaudenteque Romano populo. A quo ad hæc tempora, ad Carolum vſq; eius nominis V. qui nunc felicibus auſpicijs eiuſdem tenet gubernacula imperij, ſupra annos ſeptingentos perdurat continua ſerie Chriſtianorum imperatorũ ſucceſsio.

Leo III. tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ præſes, Carolũ Magnũ Occidentis imperatorẽ pronuntiat.

Nec eſt, quod forte criminentur maleuoli & oſores autoritatis eccleſiaſticę, Leonem illum iniuſte ſibi vſurpaſſe illam donationem imperij, tanquam ad Conſtantinopolitanorum imperatorum ius adhuc pertinentis. Quandoquidem apud illos nihil huius iuris erat amplius, ſed vt vi armisq; partum ab initio ſuccedentium temporum confirmatione factum erat legitimum: ita vi armisq; ablatum, tot annorum ſucceſſu, iamdudũ illorũ eſſe deſierat: adeo vt etiam perſequi illud ipſum diu deſtitiſſent, cõtenti cũ illo Orientis qualicunq; adhuc imperio. Vt enim multa, his præſertim in rebus, violenta, iniuſta, armisque vſurpata ſunt ab initio, quæ tractu temporis conualeſcunt & efficiuntur legitima: ita etiam poſtquam acquiſita ſunt, ſimili modo amitti potuerunt. Nihil enim tam iuri conſonum, tamq; naturale eſt, vt habet iuris regula, quàm vt omnis res per quaſcunq; cauſas naſcitur, per eaſdem & diſſoluatur. Quis enim dubitet, in Romanam rempublicam ſingulare ſibi imperium iniuſte & perfide vſurpaſſe illum Iulium? Quod ipſum tamen tempore confirmatum, quis contra dubitet in ſucceſſoribus eius tandem factum fuiſſe legitimum? Iam & Romanos illos quis neſcit nimio imperãdi ſtudio (ne quid peius dicam) pleraſque ſibi ſubiugaſſe prouincias, in quas nihil legitimi iuris habuerunt à principio? tamen tempore vſuq; hęc tandem cõualuerunt & facta ſunt legitima. Quod ſi regnorum, monarchiarumque omnium repetamus origines, ſere inueniemus cœpiſſe à vi, facto & armis, ſed vſu temporeq; confirmata tranſiiſſe in dominationem legitimam. Sed per quas cauſas naſci, per eaſdem & diſſolui potuerunt.

Leonem illũ nihil ſibi vſurpaſſe alienum in illa donatiõe imperij.

C

Certe qui hoc, quod in Magno Carolo cœpit, autoritate eccleſiaſticę hierarchię pręſidis, noſtrorũ imperatorũ imperiũ, non magis legitimũ iudicãt, quàm illud vetus, quod per vim, ſcelus & tyrannidem primus ille occupauit Iulius, non intelligo, quod illi habeant boni æquique iudicium. Vtrunque enim gladium, qui neceſſario eſt in eccleſia, eſſe Petri, aut in eius poteſtate & arbitrio, vt illi totius eccleſia cura regimenq; commiſſum eſt, in ſuperioribus ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Vacantem igitur alterum non potuit ille, aut eius in officio & autoritate ſucceſſor, viro forti, pro CHRISTI nominis gloria, & regni eiuſdem vtilitate committere? Potuiſſe certe, non ſolum demonſtrat ratio, ſed & factum comprobat, tot ſeculorum totius eccleſiæ confirmatum conſenſu. Nihil enim habuit Carolus ille, nihil ſucceſſores eius omnes iuris legitimi ad imperium, niſi quod acceperunt à capite hierarchiæ eccleſiaſticæ. Quibus qui nihil com petiiſſe autoritatis ad dandum, quibus volebant, aut committendum hoc imperium, contendunt, iidem nihil etiam iuris imperialis accepiſſe aut habuiſſe illum Carolum, nihil omnes eius ſucceſſores fateantur neceſſe eſt. Illi enim ſuccedunt omnes, non Iulio, non Conſtantino. Ille vero ſucceſsit nemini: quin potius noui eccleſiaſticiq; imperij prin-

D

A princeps caputque effectus eſt. Nam tunc, & diu poſtea, perdurauit apud Conſtantinopolim illa à Iulio & Conſtantino ſucceſsio, quę poſtmodum attenuata per Sarracenos, per Turcas, tandem funditus extirpata eſt.

Fruſtra circumſpicis, fruſtra quæris noſtri huius imperij aliud initium, alium legiſlatorem humanum (vt tecū ineptiam) à quo ille Carolus imperialem dignitatem acceperit. Romæ enim accepit ab vno Romano pontifice, non expetito conſenſu tui illius legiſlatoris humani, non conuocata vniuerſitate multitudinis ſubiectæ imperio. Quem ſi à ſenatu populoque Romano malis accepiſſe autoritatem eiuſmodi, atque illis referre acceptam, quàm autoritati pontificiæ & eccleſiaſticæ, æque nihil promoues. Certum eſt enim eo tempore, nullum ſuiſſe apud Romanum populum ius eligendi imperatoris, quo ferè quingentis annis, à tempore videlicet tranſlati Conſtantinopolim imperij, nunquam vſi fuerant. Certè ea transferendi & committendi imperij autoritas, non ſolum à noſtris neceſſario recognoſcenda eſt apud Romanum pontificem vt caput & præſidem Chriſtianæ eccleſiæ, cum alioqui fateantur neceſſe eſt, nihil ſibi legitimi iuris competere ad imperium, nihil enim niſi ab

B eo acceptum poſſunt prætendere: ſed etiam à Cōſtantinopolitanis imperatoribus in eodem non ſemel eſt recognita. Siquidem quum Fredericus ille primus cognomento Barbaroſſa Iulium illum magis ſpirans, quàm Carolum, oblitus à quo dignitatem imperialem acceperat, Alexandrum tertium pontificem, & Romanam eccleſiam perſequeretur omnibus imperij viribus, Emanuel Conſtantinopolitanus imperator legatos miſit ad pontificem, qui ei pollicerentur, & magnas in Fredericum copias, & reductionem Græcanicæ eccleſiæ ad Romanæ ſedis obedientiam, Orientaliſque cum Occidentali eccleſia vnionem: ſi Romanum imperium ante diuiſum, ſua autoritate in vnum corpus vellet reducere ac reſtituere. A quo quum remitterentur cum reſponſo non ſatis certo, ſecundo miſit ad eundem ſuum apocryſarium, & magnam legationi pecuniarum vim addidit, quam orator in primis velut liberale munus ab imperatore obtulit: deinde longa accurataque oratione perſuadere conatus eſt, vt pontifex coronam Occidentalis imperij, qua Fredericus perſequendo eccleſiam ſe indignam reddiderat, & iure merito priuari poſſet, imo deberet, Conſtantinopolitano redderet, promittens per hoc Græcorum ſubiectionem

Emanuel Cōſtant. imperator ab Alexandro 3. petit, vt ſua autoritate diuiſum ante Ro. imperium in vnum corpus reſtitueret.

Romanæ faciendam eccleſiæ. Cui Alexander præhabito cum cardinalibus concilio, ita reſpondiſſe legitur: Nolle ſe id in vnum coniungere, quod olim maiores ſui diſiunxiſſent de induſtria. Vides, quid imperator Græcus petat & contendat à Romano pontifice? quid recognoſcat ad eius autoritatem pertinere? Similiter cum Gregorius decimus, ingentis vir animi, & fidei paciſque zelator maximus, omni ſtudio quæreret, & Græcos in vnionem catholicæ eccleſiæ reducere, & laborantibus in Syria Chriſtianis ferre ſuppetias: & vtranque ob cauſam Lugduni indixiſſet generale concilium, perſonaliter eo ſe conferens, Michael quoque Paleologus, Græcorum imperator, vna cum patriarcha Conſtantinopolitano, cum ingenti comitatu etiam illuc occurriſſet ad concilium, & poſt longam diſceptationem, tertiadecima demum vice Græci ad Romanæ & catholicæ eccleſiæ vnionem reuocati eſſent: pro pio illo imperatoris ſtudio, & ſimul, quo eius operam pro terræ ſanctæ, quam maximopere zelabat, recuperatione paratiorem haberet, illi pontifex confirmauit Conſtantinopolitanum imperium. Id quod ſummis ſtudijs expetierat, vt acta eiuſdem teſtantur concilij. Vides rurſus, non ſolum huius noſtri, ſed etiam Conſtantinopolitani imperij autoritatem, ab ipſis etiam Conſtantinopolitanis imperatoribus recognitam fuiſſe Romano pōtifici, tanquam eccleſiaſticę hierarchiæ capiti, cui ſicut totius eccleſiæ curā & regimen: ita quoq; vtriuſque gladij (quorū vſus in eius regimine eſt prorſus neceſſarius) ſummam autoritatem commiſſam, intellexerunt & recognouerunt etiā Conſtantinopolitani principes. Quanto magis noſtris imperatoribus recognoſcēda eſt, qui omnem quam habent autoritatem imperij, acceperunt ab vno Rom. pontifice?

Alexandri reſponſum. A

B

Quod ſi vniuerſam à Carolo primo ad quintum, ſuccedentium ſibi imperatorum & imperij huius noſtri percurreris hiſtoriam, clariſsimè intelliges illum ſemper fuiſſe ſenſum & conſenſum Chriſtianorum principum.

Deſignatus fuerat Carolus imperator à Leone pontifice pro ſe & ſua ſtirpe ac progenie. Deficiente autē eius poſteritate aut ſucceſſione legitima in Ottone tertio, eodem hoc ita fieri petente, Gregorius quintus, Romanus pontifex natione Saxo, & imperatori cōſanguineus, electiuum deinceps fecit imperium. Et quo apud Germanos ſumma illa diutius remaneret autoritas, & is cęteris præeſſet, qui virtute dignitateque præſtaret cæteris,

A teris,& non quem caſus natiuitatis obtruderet, de imperatore deligendo ſanctionem retulit, vt videlicet apud ſeptem deſignatos Germaniæ proceres, in perpetuum ius eſſet eligendi principis. Cuius examinatio & confirmatio pertineret ad Romanũ pontificem, per quam & Romanorum rex & Cæſar appellaretur, tum demum Auguſtus & imperator habendus, quum à Romano pontifice ſolenniter inunctus & conſecratus foret,& imperij diadema acciperet.

Cõfirmationẽ electi pertinere ad Ro. pontificem.

Hanc autoritatem deligendi imperatoris accepiſſe deſignatos illos electores ſeptem, non à ſenatu populoque Romano, non à legiſlatore humano(vt ille nugatur)hoc eſt,ab vniuerſitate multitudinis ſubiectæ imperio, ſed ab vno Romano pontifice, omnium hiſtoriarum fide certum & indubitatum eſt. Nam ex ea ſanctione, & conceſsione à Gregorio facta, conſtat ita exacerbatos fuiſſe Romanos,vt & ipſe eorum furori ſe ſubtrahere,ac clam aufugere ad Ottonem in Germaniam coactus ſit:& hi inſtigante Creſcentio(quem abſente pontifice cum ſumma poteſtate conſulem creauerat) Ioannem quendam,natione Græcum, epiſcopum Placentinum, illi antipapam obtruſerint. De vniuerſitate vero multitudinis ſubiectæ imperio(quem ille humanum legiſlatorem appellat, & apud quam ſolam vult eſſe ius eligendi principis)quod eius ad hoc conſenſus vnquam requiſitus fuerit, nullus vnquam ſcriptor,nulla hiſtoria prodidit. B

Caſus & hiſtor. c. Venerabilem, de electio.

Recte itaque,cum mortuo Henrico ſexto, in duo ſe diuiſiſſent electorum ſuffragia,quibuſdam Philippum Sueuorum ducem, Henrici fratrem: alijs,& maiori ſaniorique parte Ottonem quartum, Henrici Saxoniæ ducis filium,in imperatorem eligentibus. Et à legato ſedis Apoſtolicæ, Guidone Præneſtino cardinali,ad hoc ipſum miſſo ab Innocentio III. vt inter electos,quis cui præferendus foret,decerneret, Philippi reprobata, & Ottonis confirmata eſſet electio. Ipſumque hoc factum legati in hunc modum calumniarentur quidam aduerſæ factionis principes, dicentes, vel electoris perſonam ea in re geſſiſſe illum,vel cognitoris. Si electoris,in meſſem alienam miſiſſe falcem ſuam,& electioni ſe ingerentem, principum electorum derogaſſe dignitati. Sin cognitoris, abſente & non citata altera partium, videri proceſsiſſe perperam. Idem Innocentius ad Bartholdũ ducem de Zeringen ſcribens & ſui legati factum excuſans: Principibus, inquit,illis ius & poteſtatem eligendi regem in imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus,vt debemus, ad quos de iure & antiqua conſuetudine illud noſcitur pertinere. A Præſertim cum ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab apoſtolica ſede peruenerit. Quæ Romanum imperium in perſona magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & principes vice verſa recognoſcere debẽt, & vtique recognoſcunt(ſicut ijdem & in noſtra recognouere præſentia) quod ius & autoritas examinandi perſonam electam in regem,& promouendum ad imperium,ad nos ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus & coronamus. Eſt enim regulariter & generaliter obſeruatum,vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim,ſi principes non ſolũ in diſcordia, ſed etiam in concordia ſacrilegum quemcunque,vel excommunicatum in regem, ſeu etiam hæreticum aut paganũ eligerent, nos inungere aut conſecrare hominẽ eiuſmodi deberemus? abſit omnino. Obiectioni ergo principum reſpondentes, aſſerimus,quod legatus noſter approbando regẽ, & reprobando ducem: nec electoris geſsit perſonam, vtpote, qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit: nec cognitoris, cum neutrius electionem,quo ad factum eligentium, confirmandam duxerit,aut etiam infirmandam. B Exercuit autem denunciatoris officiũ, quia perſonam ducis eiuſdem indignam, & perſonam regis denunciauit idoneam, quo ad imperium obtinendum,nõ tam propter ſtudia eligentium, quàm propter merita perſonarum: quamuis etiam hi numero vincerent & merito, & ducis electio cõtemptis electorum pleriſq; eſſet celebrata. Subiungens deinde multa impedimenta notoria, quæ obſtabant duci quo minus potuiſſet eligi, videlicet,excommunicationem publicam,periurium manifeſtum, & perſequutionem diuulgatam,quam & progenitores eius,& ipſe præſumpſiſſent exercere in ſedem Apoſtolicam, & alias eccleſias. Cum nullum impedimentum legitimũ in Ottonis perſonam potuiſſet obijci. Quare,inquit,& illum,non ducem reputauit & nominauit regem Romanorũ: inſitque illi adhæreri à regni fidelibus, non obſtante iuramento,ſi quod indebite præſtitiſſent Philippo: vt hæc latius eſt legere in c. Venerabilem, de electione:quod excerptum eſt ex hac Innocentij epiſtola. Quæ cum vniuerſa, quam comprehendit, tragœdia, teſtis eſt veritatis ſupra ſcriptæ à nobis hiſtoriæ, quod videlicet electores imperij à ſede apoſtolica ius electionis eiuſmodi acceperint. Et quod vniuerſa imperij noſtri autoritas ab eccleſia, atque eius capite ac rectore Roma-

Electoribus ius & poteſtatẽ eligẽdi cõpetere à ſede apoſtolica

Romano pontifice plane dependeat.

Ex quibus etiam quiuis ille facile poteſt intelligere, iuramenra quæ Ro. pontifici præſtant imperatores electi, tam in ſua confirmatione, quàm ante & poſt coronationẽ ſuam non ſuiſſe extorta ea, quę ille dicit, fraude & calliditate pontificum per ſimpliciratem & ſuperſtitionem principium: quin potius iure & merito præſtari potuiſſe & debere, & præſtita ſuiſſe ab antiquo, etiam priuſquam electiuum factum eſſet imperium. Nam extat in decretis iuramentum, quod Otto eius nominis primus Ioanui XII. ante annos circiter ſexcentos more maiorum præſtitit, LXIII. diſt. c. Tibi domino. Et quanquam forte eorum forma poſtea paulo ſit facta exactior: nihil tamẽ cõtinet, niſi ad quod ex ipſa natura, ex ipſo iure ſui imperij obligati ſunt. Quod cum in perſona Magni Caroli erectũ ſit ab ipſo eccleſiaſticæ hierarchię prȩſide, ne aliter ille Petri gladius etiã neceſſarius ad regimen eccleſiæ, ocioſus iaceret, aut deeſſet eccleſiæ, quis non intelligit bunc illi ſubſeruire debere, & qui hunc accepit ab eccleſia, eidem aſtrictum fidelitatis debito? Quod cum clarius quidam intelligant, atque etiam obſeruent religioſius, quando hoc ipſum, alioqui debitum, etiam iureiurando confirmatum eſt, ſacramenti religione aliquando magis retenti in officio, quam ex ipſo officij debito: hinc introductus eſt mos ille præſtandorum ſuperioribus iuramentorum fidelitatis à ſubditis: ſine quibus tamen æque ſubditi ad obedientiam & fidem adſtricti ſunt ſuis ſuperioribus.

Caſus & hiſtoria, vnde pendet Clementina vnica de iureiurando.

Itaque cum inter Henricum ſeptimum imperatorem, & Robertum Sicilię regem excirata graui diſcordia, Clemens quintus, vt paſtor Chriſtianæ eccleſiæ ſui memor officij, inter eius membra pacẽ componere cuperet, ſcripſiſſetque ea propter ad vtrunque, quod cum eſſent Romanæ eccleſiæ ſpecialiſſimi filij, ſibiq; iuramento fidelitatis & alias multipliciter adſtricti, & propterea ſua arma, non in mutuam perniciem, ſed in communis matris defenſionem deberent connertere. Idem Henricus peſtilentibus quorundam adulationibus ſibi ereptus, velut immemor omnium iuramẽtorum quæ præſtiterat, id indigne admodum tulit, de fidelitatis inramento in literis mentionem fieri. Et quaſi ad magnam hoc derogationem dignitatis ſuæ pertinuiſſet, accitis publicis tabellionibus, nullo ſe iuramento fidelitatis vlli adſtrictum publice proteſtatus eſt. Petens ad futuram rei memoriam, actis & inſtrumẽtis publicis eandem ſuam proteſtationem conteſtatam relinqui poſteris. Cui peſti, ne latius atque etiam ad ſucceſſores ſerperet, in Viennen. vniuerſali conſilio (cui idem Clemens præfuit) conueniens adhibitum eſt antidotum, edita illa Clementina, quæ ſub titulo de Iureiurando legitur. Cuius hoc eſt initium:

Clementina ipſa.

Romani principes, orthodoxæ fidei proſȩſſores, ſacroſanctam Romanam eccleſiam (cuius caput eſt Chriſtus redemptor noſter) ac Romanum pontificem, eiuſdem redemptoris vicarium, ſeruore fidei, & claræ deuotionis promptitudine venerantes, eidem Romano pontifici, à quo approbationem perſonæ ad imperialis celſitudinis apicẽ aſſumendæ, nec non vnctionem, conſecrationem, & imperij coronam accipiunt, ſua ſubmittere capita non reputaruut indignum, ſeque illi, & eidem eccleſiæ (quæ à Græcis imperium tranſtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum principes, ius & poteſtas eligẽdi regem, in imperatorem poſtmodum promouendũ peruenit) adſtringere vinculo iuramenti. Prout, tam mos obſeruationis antiquę temporibus nouiſsimis renouatę, quam forma iuramenti huiuſmodi ſacris inſerta canonibus manifeſtant.

Tria iuramenta, quæ præſtantur ab imperatoribus.

Subiungens deinceps, poſt explicatã continuo de Henrico hiſtoriam, quæ idem iuramenta more maiorum præſtiterat Romano pontifici & eccleſiæ. In primis affirmat eum in confirmatione electionis ſuæ præſtitiſſe eius tenoris iuramentum quod etiam ab illo magno Ottone, ante ſexcentos circiter annos præſtitum in ſacris canonibus legitur. Deinde, cum Romę coronandus eſſet imperiali diademate, aliud non multum abſimile, quod in libro põtificali Romano continetur prȩſtandum pontifici per imperatorem coronationis ſuæ tempore, tenoris huiuſmodi:

Ego N. Romanorum rex, annuẽte domino ſuturus imperator, promitto, ſpondeo, & polliceor atque iuro coram deo & beato Petro, me de cætero protectorem, procnratorem, & defenſorem fore ſummi pontificis, & huius ſanctæ Romanæ eccleſiæ in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus ſuis, cuſtodiẽdo & conſeruando poſſeſſiones, honores & iura eius, quantum

A diuino ſuffultus adiutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide. Sic me Deus adiuuet, &c. Præter hæc, etiam tertium, prius quam ingrederetur Italiam. Quod videlicet Romanam eccleſiam, & fidem catholicam pura fide totiſq; viribus conſeruaret reuerenter ac defenderet. Omnem hæreſim, ſchiſma & hæreticos quoſlibet, fautores & receptatores, & defenſores ipſorum exterminaret pro poſſe, nec vnquam cum Saraceno, pagano, ſchiſmatico, ſeu alio quomodolibet communionem catholicæ eccleſiæ non habente, aut cum alio quouis eccleſiæ inimico aut rebelli, ſeu eidem manifeſtè ſuſpecto, vnionem quamlibet aut confœderationem iniret, affinitatem contraheret. Sed tam Romanorum pontificum perſonas, quàm honorem & ſtatũ manuteneret, & defenderet, & conſeruaret contra omnes homines, cuiuſcunq; exiſterent præeminentiæ, dignitatis vel ſtatus. Vtq; ditionem Ro. eccleſiæ, quam ex legitima imperatorum, regum & principum donatione obtineret, conſeruaret ac tueretur.

Hæc, inquam, ſunt illa iuramenta, quæ dicta Clementina aſſerit ab Henrico more maiorum præſtita fuiſſe Romano pontifici
B & eccleſiæ. Qualia & ante illum annis plus quadringentis, & poſt annis ducentis continuo ab omnibus conſtat præſtita fuiſſe. Quæ ille Marſilius dicit, ne ſine periurio præſtari, nec præſtita poſſe obſeruari. In quibus, quid eſt obſecro, quod nunc quiſquam aut cauillari aut calumniari poſsit? Nam etſi non fuiſſent debita ab initio, quãquam nihil niſi Chriſtiani imperatoris, præſertim quales noſtri ſunt, quorum omnis ab eccleſia dependet autoritas, merum officium contineant, tanti tamen temporis præſcriptione, abſq; vlla cõtrouerſia tranſiſſet in debitum.

Dictam Clementinam fuiſſe aßertionem et ſententiam vniuerſalis concilij Viennen.

Quum autem illam Clementinam audis, nolo imagineris, audire te vnius hominis Romani pontificis in ſuam ipſius cauſam ſententiam: ſed cogita audire te teſtimonium, aſſertionem & ſententiam Vienneñſ. vniuerſalis concilij, in quod ex vniuerſa Chriſti eccleſia conuenerunt plus quàm trecenti epiſcopi. Qui ſuæ ſubſcriptionis chirographo confirmarunt veritatem facti, aut narratæ in eadem hiſtoriæ. Et catholicæ eccleſię de Romana eccleſia, atque eius pontifice, vt is agat in eccleſia Chriſti vicarium, teſtificantur ſententiam.

Innocentium 4 nihil egiſſe præter ſu-

Ex quibus omnibus eſt clariſsimum, nihil præter autoritatem & officium ſuum egiſſe Innocentium quartum. Qui Fredericum ſecundum iam diu inſordeſcentem in eccleſiaſticis cenſuris, quibus à ſuis prædeceſſoribus innodatus fuerat, tam ob crimen manifeſti periurij, quod contra proprium iuramentum & in confirmatione ſua & in coronatione præſtitum, internecíali ſemper odio perſecut⁹ fuerat Chriſti eccleſiam & ſedem apoſtolicam, quam ex debito officij & iuramenti vinculo, honorare, defendere ac tueri debuerat, quàm etiam ob notorium toti orbi crimen ſacrilegij: quod ex venientibus ad vniuerſale concilium per Gregorium IX. apud Lateranum indictum ex vniuerſo orbe Chriſtiano prælatis & epiſcopis, quotquot poterat interceptos plurimos, etiam aliquot Ro. eccleſiæ cardinales, ſine vlla eccleſiaſticæ dignitatis reuerentia, velut viliſsima mancipia annis plus quinque, crudeliſsimis macerarat carceribus, multoſq; extinxerat. Quod, inquam, hunc contemptorem eccleſiaſticarum cenſurarum & ob hoc ipſum graui etiam laborantem ſuſpicione hæreſis, in Lugdunenſi vniuerſali concilio, damnatíonis ſententia perculit, hoc verborum tenore:

um officium, quòd prece-rum 2. dominauit & priuauit imperio.

C

Nos itaq; ſuper præmiſsis & quàm pluribus alijs eius nephandis exceſsibus, cum fratribus noſtris & ſancto concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobiſque in beati Petri perſona ſit dictum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, memoratum principẽ, qui ſe imperio & regnis omniq́ue honore & dignitate reddidit indignũ, quiq́ue propter ſuas iniquitates à Deo, ne regnet vel imperet, eſt abiectus, ſuis ligatum peccatis & abiectum, omniq́ue honore & dignitate priuatum à domino oſtendimus, denunciamus, & nihilo minus ſententiando priuamus. Omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur adſtricti, à iuramento huiuſmodi perpetuo abſoluentes. Autoritate apoſtolica firmiter inhibẽdo, ne quiſquam de cætero ſibi tanquam regi vel imperatori pareat aut intendat. Decernendo quoſlibet, qui ei deinceps velut imperatori vel regi conſilium vel auxilium præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem, ad quos in eodem imperio imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem. Hæc ille Innocentius, non in conclaui, aut priuato ſuorum cardinalium conſiſtorio, ſed in publico totius orbis Chriſtiani vniuerſali cõcilio,

Damnatio ſententia

D

A cilio, cuius conſenſu & ſubſcriptione prædicta in Fredericum & dictata & prolata ſententia eſt.

Electores imperij recognoſcentes autoritatem pontificis Frederico ſucceſſorem delegerunt.

Quin & electores imperij nihil præter autoritatem & officium ſuum egiſſe Romanum pontificem in depoſitione Frederici, re ipſa conteſtantes, conuenientesq́; ad eius mandatum Francfordiæ illi ſucceſſorem elegerunt Henricum Turingiæ Landgrauium in regem Romanorum.

Sic & ſuperius in Henrici quarti hiſtoria audiſti voces aduerſus eum totius imperij, cui iam videbatur intollerabilis: Tametſi, inquiunt, obiecta illi crimina luce clariora ſint, ſe tamen legibus cum eo velle agere, & rem integram Romani pontificis cognitioni reſeruare, vt in totius regni celeberrimo conuentu ipſe cognitor cauſæ ſedeat, ipſe ſuo iudicio vel abſoluat, vel addicat accuſatum. Hæc vna vox fuit, vna ſententia, & electorum & procerum totius imperij omnium, qui iamdudum conuenerant certo firmoq́; conſilio (quemadmodum etiam legatis Henrici reſpondiſſe teſtantur etiam Germani, qui rebus ipſis intererant ſcriptores fideliſsimi: & preſertim Saxo qui dam Haluerſtadienſ. monachus, tametſi nomen ſuum non adſcribat ad declinandam veritatis inuidiam, qui Henrici illam hiſtoriam diligentiſsime ſimul & eleganter exequutus eſt) Hęc inquam vna vox fuit, vnaq́; B ſententia totius imperij procerum, qui ad hoc conuenerant, vt abſque vlla dilatione illi ſucceſſorem eligerent, ſibique virum prouiderent, qui, inquiunt, præcedat nos, & prælietur bellum domini, ad expugnandam & deſtruendam omnem cuiuſcunque hominis altitudinem, eleuantem, & extollentem ſe aduerſus iuſtitiam & veritatem dei, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ autoritatē. Hoc ipſo exprimentes verum Romani imperatoris officiū, à quo ille aberrat bis per omnia. Attamen ad ſaniora conſilia reuerſi, & rem vniuerſam perpendentes maturius, ne inconſultæ & præcipitis ſeditionis ſubditorum aduerſus ſuos principes pernicioſum exemplum tranſmitterēt ad poſteros, ne etiam temere quid egiſſe argui poſſent à Romano pontifice, eccleſiaſticæ hierarchiæ preſide, cuius iudicio ſubeſſe imperatorem, & imperium intellexerunt & confeſsi ſunt, ad eius cognitionem & iudicium rē vniuerſam remiſerūt, vt eo cognitore & iudice vel retineret, vel amitteret imperiū.

Quare cum tempore Gregorij decimi aliquot annis ſub ſchiſmate laboraſſet imperium (nam proximis comitijs in duo ſe ſcindebant electorū ſuffragia, pars Richardum Cornubię comitem, pars Alphonſum C Caſtellæ principem elegerat) atque eam ob rem per duorum contentionem, quorum neuter ante fuerat membrum imperij, in annos fere ſeptendecim prorogatum eſſet interregnum, idem Gregorius mandauit principibus electoribus, eccleſiaſticis quidem ſub pœna priuationis officij, ſecularibus autem ſub pœna excommunicationis, vt ſine cunctatione ſe reſoluerent, & aduocatum ac defenſorem eligerent eccleſiæ: alioqui ipſe eorum ſuppleturus negligentiam, ſua hoc ipſum autoritate facturus eſſet & officio. Ad cuius mandatū & requiſitionē ſtatim conuenientes Francfordiam poſt triduanum tractatum vnanimi conſenſu in regem Romanorum elegerunt Rodolphum comitem de Habſpurg, quamuis abſentem, virū prudentem & ſtrenuū. Cuius electionē idem Gregorius confirmauit in Lugdunenſi vniuerſali cōcilio.

Ad mandatū Gregorij X. denunciantis electoribus, niſi conuenirent ſe prouiſurum imperio, ſtatim conueniſſe eoſdem.

Ad eundem modum, cum poſt mortem & miſerabilem cædem Alberti Romanorū regis, inter electores imperij magna eſſet ſuper deſignando ſucceſſore diſcordia, & Philippus Gallorum rex intolerandæ ſuperbiæ ad eam occaſionem attentus ſperaret à Clemente V. tunc Auinioni agenti extorqueri poſſe, vt ab ipſo nominaretur imperator, communicatoque cum fratre Carolo Valeſio, & paucis inratiſsimis conſiliarijs conſilio, placuiſſet illum tanquam pro D alijs quæ diuulgabantur negocijs comitatū ſtipatumq́; velut honoris cauſa ingenti turba militum proficiſci ad pontificem, quibus vel extorquere potuiſſet quod ambiebat, ſi impetrare non poſſet: aliter dei nutu delato ad pontificem regis conſilio, quamuis ſecretiſsimo, dum ille eſſet in apparatu ad iter, prudenti conſilio celeritateq́; præueniens pontifex, qui regis abominabatur ſuperbiam, inſcijs etiam cardinalibus, niſi vnico Oſtienſi, quo res tecta maneret, diligentiſsime mittit ad electores imperij, vt ſub pœna deuolutionis imperij ad Gallos abſq; vlla mora procedant ad electionem noui imperatoris. Eiſdem ſimul nominans & cōmendans Henricū comitē Lucenburgum, virum magnanimum & induſtriū, cuius per dictum Oſtienſem habuerat noticiam. Nec morati electores, intra dies octo poſtquam applicuiſſet pontificis nuncius, ſumma diligentia congregati, eundē Henricum concordibus elegerūt ſuffragijs, qui ſeptimus fuit eius nominis. Celebrataq́; electione, eadem diligentia & celeritate curabatur publicari per Galliam, & in curia Romani pōtificis, quo ſic Galli apparatum

& ſtudia auerterent. Qui iam magno ſumptu, pręparato ad iter fratre, precioſiſsimiſque muneribus, quibus & pontificem, & patres captare parabat, cum ſe deluſum, & ſpe ſua fruſtratum cerneret, in pontificem vehementer excanduit. At Clemens venientibus pro confirmatione electi duce Bauariæ regis cognato, & Guidone comite Namurcenſi, eundem confirmauit. Quo poſt ingrediente Italiam, ad pontificis mādatum omnes illi obedientiam præſtitere.

Ludouici Bauari tragœdia explicatur.

Libet etiam Ludouici Bauari hic adſcribere tragœdiam, cui & iſte aduerſus quem agimus Patauinus Marſilius, & ille Ockam pſeudotheologus aduerſus eccleſiaſticam autoritatem, in ipſiuſmet perniciem incentores, aſſentatoreſq; fuere.

Ludouici electionem in discordia recuſauit confirmare Ioannes 22.

Itaq; poſt mortem Henrici VII. præfati, cum rurſus electorum non conuenirent ſuffragia, pars Ludouicum Bauarum, pars Fredericum Auſtriæ ducē elegit. Per quos facto in regno ſchiſmate cū Ioannes XXII. Bauarum confirmare recuſaſſet, eò quòd iam ante confirmationem ſibi vſurpaſſet pleraq;, electi nondum legitimè confirmati poteſtatem excedentia, tandem commiſſo inter competitores prælio, Ludouicus armis ſuperior, neglecta autoritate ſedis a-
B poſtolicæ, non ſolum per Germaniam, ſed etiam per Italiam, velut ſuo iure cœpit adminiſtrare imperium contra antiquitus inſtitutum & obſeruatum morem legitimū. Qua de cauſa, inſtantibus præſertim Lupoldo Frederici fratre, & Carolo rege Franciæ, pontifex in Ludouicum citatum ſolēniter, vt vel ſatisfaceret, vel ſe expurgaret de exceſſu notorio commiſſo in contemptum autoritatis eccleſiaſticę, vnde ſua dependebat aut dependere debebat autoritas, præfixo ſibi trium menſium canonicæ monitionis termino, nō comparentem, nec ſatisfactionem offerentem, nec legitimè ſe purgantem, excommunicationis tandem ſententiam protulit. Cuius creſcente animoſitate & contumacia (ſiquidem Romam contendens, & ſine pontificis autoritate ſe illic coronari faciens, etiam minoritā quendam, Petrum de Corbaria, Nicolai V. ſibi indito nomine, antipapam illi conſtituerat & in B. Petri ſede collocauerat) idem Ioannes proceſſus & cenſuras eccleſiaſticas aduerſum illum & ſibi adhærentes aggrauauit. Vnde magna per imperium confuſio ſubſecuta eſt, quibuſdam proceſſus illos & cenſuras diſtrictè obſeruantibus, alijs contra perſuaſis à Ludouici ſectatoribus, eoſdem contemnentibus vt nullos & inualidos. Cuius rei gratia, idem Ludouicus, in generali principum conuentu Francfordię C de conſilio quorundam, qui ſibi loquebantur ad ſua deſideria, pſeudomonachorum & Theologorum, reſponſiones quaſdam aduerſus eoſdem edidit, & ſub bulla imperiali per vniuerſum imperium publicari curauit, quibus illos vniuerſos fuiſſe atque eſſe nullos & inualidos, & proinde negligendos, omnibus perſuadere conatus eſt. Quas poſt ſubijciemus, vt excutiamus quid ſolidæ veritatis intus habeant, ne quis fortè in eas incautus incidens pro vero amplectatur veriſimile. Nam hic hiſtoriæ contextus proſequendus eſt. Quod enim nec ſuæ ipſius conſcientiæ, nec alijs quibus mens erat ſanior, & maior cura offenſæ religionis quàm principis, ſatisfecerint, ipſe idem in primis de ſe teſtatus eſt, qui ſub Benedicto duodecimo, ſucceſſore Ioannis, & ſub eius quoq; ſucceſſore Clemente VI. pro abſolutione à cenſuris iſtiuſmodi laborauit plurimum, ſed cum non offerretur conueniens ſatisfactio, eandem impetrare non potuit. Deinde, quoniam cenſuræ illæ in plurimis locis imperij, vſq; poſt mortem Ludouici, & obtentam relaxationē earundem à ſede apoſtolica, diſtrictiſsimè obſeruatæ ſunt.

Ludouicus à Clemente 6. damnatur vt ſchiſmaticus & hæreticus, ac priuatur imperio.

Clemens vero quàm Benedictus in Lu- D douicum vehementior, publicè in die cœnæ domini eoram infinita hominum multitudine omnes Ioannis in illum proceſſus & cēſuras cōfirmauit & renouauit. Ipſumque & ſchiſmaticum & hæreticum declarauit, omniq; autoritate & honore imperiali priuatum denunciauit, & ſententialiter priuauit. Suæ vero huius declarationis & ſententiæ has præcipuè cauſas adiunxit. Primum, quod affirmaret Ioannis vigeſimi ſecundi definitionem de paupertate Chriſti & apoſtolorum eſſe hæreticam, & iuraſſet ſe credere contrarium. Deinde, quod aſſereret ad Imperatoris autoritatem pertinere, inſtituere papam & deſtituere. Adhuc, quod citatus ſuper hæreſi, & propter contumaciam excommunicatus inſorduerat in cenſuris annis plus decem. Item, quod Ioannem de Landemo hæreſiarcham domi ſuæ fouerit. Quod præſumpſerit conſtituere epiſcopo. Quod eccleſiaſticum interdictum violarit, & eos qui violare noluiſſent, ſuis ſacerdotijs expulerit. Quod diſiunxerit matrimonia ſolennizata in facie eccleſiæ, & cōiunxerit alios in gradibus prohibitis. Poſtremo, quod idolum in eccleſia dei conſtituerit, illum videlicet antipapā, Petrum de Corbaria, & legitimum papam de facto conatus ſit deponere. Hę, inquam,

cauſæ

A cauſę cõdemnationis & depoſitionis Ludouici fuere. Quo tempore etiam Henricum Vremberg, archiepiſcopum Mogũtinũ, priuauit epiſcopatu ſuo, quòd vnà cum Ludouico execrato, execratus & ipſe, longo tempore inſorduerat in cenſuris eccleſiaſticis, & nihilo minus eiſdẽ irretitus miniſtrauerat.

Clemens etiam Moguntinũ archiepiſcopũ exuit dignitate, quod Ludouico adeſſet.

Poſt damnationem autem & priuationis ſententiam prolatam in Ludouicum, Clemens electores imperij monuit & requiſiuit, vt alium imperatorem deligerent, virum orthodoxum, & imperio idoneũ, ne diutius aduocato & defenſore careret eccleſia, alioqui ipſe ſuppleturus eſſet eorum defectum & negligentiam.

Ad mandatũ Clemẽtis electores Ludouico ſucceſſorem deligunt Carolũ IIII.

Ad cuius mandatum conuenientes in Rens quinq; ex electoribus, Mogũtinus, Colonien. & Treuerenſis, archiepiſcopi, dux Saxonię Rudolphus, & Ioannes rex Boœmię (nam reliqui duo Brandenburgen. & Palatinus Ludouico adhæſerant) ſecundũ apoſtolicę ſedis ſententiá decernentes vacare imperium, elegerunt Carolum quartum, Marchionem Morauiæ. Cuius electione confirmata à pontifice, idem obtinuit imperium, imperauitque annis triginta vno. Et hic exitus fuit illi B tragœdiæ.

Audiſti itaque lector Chriſtiane, non ſolùm ex forma hierarchiæ quá Chriſtus in hoc ſuo regno inſtituit, omnes qui in eius ouili continentur, illius autoritati neceſſariò ſubeſſe, cui ipſe oues ſuas vniuerſas paſcendas regendaſque commiſit: ſed etiam ita factum diuina ordinatione & prouidentia, vt iam planè vniuerſum quod nunc eſt imperium, cõſtitutum ſit autoritate eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, & vniuerſa eius autoritas ab illius autoritate prorſus depẽdeat. Idq; recognoſcent tib. & imperio & imperatoribus, à primo Carolo ad præſentem vſq; eius nominis quintum. Et quamuis interciderint non nunquam irreligioſi quidã & impij, qui maluiſſent funeſto illi Iulio, quàm ſancto religioſiſsimoque Carolo ſuccedere; & vi, fraude & parricidio vſurpare dominationem tyrannicam, quàm ab eccleſia recognoſcere legitimum imperium: viciſſe tamen ſemper autoritatem eccleſiaſticam, & ſibi ſubieciſſe omnem aduerſus ſe efferentem altitudinem.

Quanquã autem de imperio, quod ſpecialiùs dependet ab eccleſia, vtpote ab eadẽ erectũ conſtitutumq; in perſona Magni Caroli, hactenus pręcipuè demõſtrauerimus, vt eius autoritas ſubſit autori- C tati eccleſiaſticæ: ęquè tamen de omni ciuili, quę in eccleſia eſt, poteſtate & magiſtratu, quocunq; tandem nomine cenſeatur, verũ eſt vt ſubſit & moderari debeat ab autoritate eccleſiaſtica. Gens enim, inquit ille, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Ad omnes ęquè pertinet, quicunque in Chriſti ouili continentur, reges, principes, magiſtratus, quod Gregorius ille Nazianzenus ad Conſtantinopolitanos imperatores ſcribit: Suſcipitisne, inquit, libertatem verbi? Libenter accipitis, quòd lex Chriſti ſacerdotali vos poteſtati ſubijcit, atq; iſtis tribunalibus ſubdit. Dedit enim & nobis poteſtatem, dedit & principatũ, multo præſtantiorẽ principatibus veſtris. Aut nunquid iniuſtũ vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni? ſi à terrenis cœleſtia ſuperentur? & ſi diuinis præferantur humana? Quod ipſum, illuſtrati lumine fidei, non ſolùm intellexerunt reges & principes, faſceſq; ſuos, ſua ſceptra, & vniuerſam prorſus ſuam autoritatẽ, eccleſiaſticæ autoritati ſubeſſe recognouerũt. Quin potiùs, quò hanc ſubiectionem omnes magis intelligerent debitam & neceſſariam ſecundum illud Eſaiæ vaticiniũ, diuina ordinãte prouidentia, vniuerſi ſuã autoritatẽ recipere ab ec- D cleſia eiuſq; autoritate re ipſa profeſſi ſunt.

Gregorius Nazianzenus.

Sic florentiſsimi Galliarum regni ſceptra & titulos (cùm in Hilderico eatenus rege, ignauo & ſocorde deficeret illa ex gentilitate tracta & deducta ſucceſsio) Pipinus à Zacharia eccleſiaſticæ hierarchiæ capite, pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus accepit, ſacra vnctione, apoſtolica autoritate ſibi impẽſa à ſancto Boniſacio Moguntino Archiepiſcopo & Martyre. A quo in hodiernum vſq; diem, omnes ordine ſibi ſuccedẽtes reges, quo hoc ipſum conteſtentur, & perpetuò in memoria habeant, non ſolùm eccleſiaſticę autoritati ſe ſubijci, ſed etiam ab eadem accepiſſe ſe illam ſuam dignitatem & autoritatem regiam, eccleſiaſtica conſecratione & inunctione eandem velut legitimo ritu ſuſceperunt. Eandem formam, idemq; exemplum (diuinæ nimirũ prouidentię & diſpẽſationis munere) omnes Chriſtiani orbis reges ſecuti, faſces ſuos vltro ſubmiſerũt eccleſiæ, re ipſa hoc cõteſtantes, quod nõ niſi eccleſiaſtica inũctione & cõſecratiõe legitimã autoritatẽ ſe fateantur recipere.

Pipinus à Zacharia Rom. pontifice abrogato Hilderico, Galliae regni ſceptra & titulos, pro ſe & ſucceſſoribus apoſtolica autoritate accepit.

Quod ipſum tamen non ſatis habentes quidã Anglorum reges Chriſtianiſsimi,

Regnum Angliæ vectiga

A insuper & regnum ſuum vectigale & tributarium fecerunt Romanæ eccleſiæ, ac deinceps etiam iura regni ſpecialiter recognouerunt à Romano pontifice. Cuius initium fuit ſub beato Leone eius nominis quarto, ad quem Adeluulphus, quem alij Andulphum aut Adulphum appellant, Egbruti ſucceſſor, poſt deo dicatas totius regni prouentuum integras decimas, cum Alfredo filio Romam profectus, duorum denariorum tributum in ſingulas domos regni ſui, beato Petro & ſedi apoſtolicæ conſtituit. Id, quod annis circiter ſeptingentis apoſtolicæ ſedis quæſtoribus eo miſsis, liberaliter ſemper perſolutum eſt.

Anglia vectigalis & tributarium Romanæ eccleſiæ.

Ad hæc, cum beatiſsimus Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, iuſſu aut ſtudio Henrici regis Angliæ (cum quo grauiſsima illi diſcordia interceſſerat) trucidatus crederetur: illeq; ſui expurgandi cauſa miſiſſet oratores ſuos ad Alexandrum tertium tunc pontificem; qui ob capitales, quas cum eodem exercuiſſet inimicitias, non facilè illum abſoluit à ſuſpicione atrociſsimi criminis, duos de latere ſuo deſtinauit in Angliam, qui rei veritatem perſcrutarentur diligentius, & ſecundum modum culpæ, regi imponerent condignam pœnitentiam. Quibus aduentantibus, idem omiſſo bello Hibernico, quo erat implicitus, honoris cauſa occurrit in Nortmannia. Req; diſcuſſa ad hoc ventum eſt, vt cum de facto ſatis cõſtare nõ poſſet, iureiurando interpoſito ſe rex expurgauerit. Quia tamen etſi in necem viri ſanctiſs. non conuinceretur fuiſſe machinatus, ſua quam cum viuente exercuerat ſimultate & odio, occaſionẽ mortis eius præbuiſſe indubitatum videbatur: pœnitentiæ & ſatisfactionis nomine, vt laborantibus noſtris in Syria certo electorũ militum numero, anno integro ſuccurreret, illi iniunctum eſt. Ad hæc, eccleſiaſticam libertatẽ, cuius occaſione inter ipſum & virum ſanctiſsimum orta fuerat diſſenſio, in regno ſuo tueretur diligenter; & appellationibus ad ſedem apoſtolicam interpoſitis non aduerſaretur. Quibus iureiurando confirmatis, regni Anglici titulum, quo alioqui ob atrociſsimam in epiſcopum & eccleſiam iniuriam iure merito priuandus videbatur, in ſe atq; hæredes ſuos confirmari meruit. Hac tamen ratione compenſata eccleſiæ irrogata iniuria, vt nemo deinceps rex Angliæ haberetur, qui à Romano pontifice non eſſet rex appellatus. A quo tempore omnes Angliæ reges iura regni ſui velut in feudum agnouiſſe leguntur à Romanis pontificibus. Acta autem ſunt illa anno ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum centeſimum, vt teſtantur Blõdus, Pius, Tubingenſ. & ſcriptores alij.

Regnum Angliæ transfuſum in ius eccleſiæ Rom. eccleſiæ.

C Quare, quod commemorant hiſtoriæ, Ioannem Angliæ regem, cum Philippi Gallorum regis reuereretur potentiã, à quo altero bello ſuperatus fuerat, confugiſſe ad gratiã Ro. pontificis Innocentij tertij, deoque & B. Petro & Paulo apoſtolis ſanctæq; Romanæ eccleſiæ, Angliæ pariter & Hiberniæ regnũ libere obtuliſſe & cõceſsiſſe cũ omnibus ſuis iuribus, & pro eiſdem regnis eidem Innocentio homagium feciſſe, vt videlicet reges Angliæ eadem de cætero in feudum tenerent ab eccleſia. Et pro omni ſeruitio eorundem regnorum, centum marcas auri quotannis penderent, idque diu poſtea fuiſſe obſeruatum: hoc inquam intelligendum eſt, non tam primo factum aut inchoatum fuiſſe ab illo Ioanne, quam longe ante factum ab Henrico, nouis tunc conditionibus, & certo canone conſtituto renouatum fuiſſe & confirmatum.

Vides itaque lector Chriſtiane iamdudũ impleri cœpiſſe illud Eſaiæ vaticinium: Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te. Et adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi. Item & illud: Po D nam te ex derelicta, humiliata, & odio habita, in ſuperbiam ſeculorum, & gaudium in generatione & generationem. Et: Surges lac gentium, ac mamilla regum lactaberis. Vides nihil quam meriſsimam & catholicã veritatem continere illam definitionem Bonifacij, cui execrandus iſte, vt notorie, falſæ & hæreticæ adeo petulanter & impotenter inſultat: quæ ponitur inter Extrauagant. ſub tit. de maio. & obed. hoc verborũ tenore. Libet enim cũ ea hunc ſermonem claudere:

Vnam ſanctam eccleſiam catholicam, & ipſam apoſtolicam, vrgente fide credere cogimur & tenere, noſque hanc firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, extra quã nec ſalus eſt, nec remiſsio peccatorũ, ſponſo in canticis proclamante: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ, quæ vnum corpus myſticum repræſentat, cuius caput Chriſtus, Chriſti vero deus. In qua eſt vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vna nempe fuit diluuij tempore arca Noe vnam eccleſiam præfigurans, quæ in vno cubito conſummata, vnum (Noe videlicet) gubernatorem habuit & rectorem, extra quam omnia exiſtentia ſuper terram legimus fuiſſe deleta.

Definitio orthodoxa Bonifacij.

Vna eccleſia, extra quam nulla ſalus.

A leta. Hanc autem veneramur & vnicam, dicente domino in propheta: Erue à framea deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Pro anima enim, id eſt, pro ſeipſo capite ſimul orauit & corpore. Quod corpus vnicam, ſcilicet eccleſiam, nominauit, propter ſponſi fideiq; ſacramentum & charitatis eccleſiæ vnitatem. Hæc eſt tunica illa domini inconſutilis, quæ ſciſſa non fuit, ſed ſorte peruenit. Igitur eccleſiæ vnius & vnicæ, vnum corpus, vnum caput, nõ duo capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti vicarius Petrus, Petriq; ſucceſſor, dicente domino ipſi Petro: Paſce oues meas. Meas, inquit, & generaliter, non ſingulariter, has aut illas. Per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas. Siue ergo Græci, ſiue alij, ſe dicant Petro eiuſq; ſucceſſoribus non eſſe commiſſos, fateantur neceſſe eſt, ſe de ouibus Chriſti non eſſe, dicente domino in Ioanne, vnicum eſſe ouile, & vnicum paſtorem. In hac eiuſq; poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & tẽporalem, euangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus apoſtolis: Ecce duo gladij hic, in eccleſia videlicet, quum ſcilicet loquerentur apoſtoli, non reſpondit dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè, qui in Petri poteſtate temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attẽdit domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam.

Vnius eccleſiæ, vnum caput vnus gubernator.

In eccleſia & rectoris eius poteſtate eſſe vtrunque gladium.

B Vterq; ergo eſt in poteſtate eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro eccleſia, ille vero ab eccleſia exercendus. Ille ſacerdotis, is manu regum & militum, ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem autoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati. Nam quum dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas, niſi à deo: quæ autem à deo ſunt, ordinata ſunt, nõ eſſent ordinata, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquam inferior per alium reduceretur in ſuprema. Nam ſecundum beatum Dionyſiũ, lex diuinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci. Non ergo ſecundum ordinẽ vniuerſi omnia æque immediate, ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem, & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere poteſtatem oportet tanto clarius nos fateri, quanto ſpiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & ſanctificatione, ex ipſius quoq; poteſtatis acceptiõe, ex ipſarum etiam rerum gubernatione, claris oculis intuemur. Nam veritate teſtante, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & iudicare, ſi quid deliquerit. C Sic de eccleſia, & eccleſiaſtica poteſtate verificatur illud Hieremię vaticinium: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, & cætera quæ ſequũtur. Ergo ſi deuiat terrena poteſtas, iudicatur à poteſtate ſpirituali: ſed ſi deuiat ſpiritualis, minor à ſuo ſuperiori, ſi vero ſuprema, à ſolo deo, non ab homine poterit iudicari. Eſt autem hæc autoritas (etſi data ſit homini & exerceatur per hominem) non humana, ſed potius diuina, ore diuino Petro data ſuiſq; ſucceſſoribus, in ipſo Chriſto, quem confeſſus fuit petra firmata, dicente domino ipſi Petro: Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, &c. Quicunque igitur huic poteſtati à deo ſic ordinatæ reſiſtit, dei ordinationi reſiſtit, niſi duo, ſicut Manichæus, fingat eſſe principia: quod falſum & hæreticum iudicamus. Quia teſtante Moyſe, non in principijs, ſed in principio creauit deus cœlum & terram. Concludens deinde: Porro, inquit, ſubeſſe Rom. pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus omnino eſſe de neceſsitate ſalutis.

Omni homini ad ſalutẽ neceſſarium, ſubeſſe Rom. pontifici.

Hactenus Bonifacij definitio, in qua quid eſt, quod tu ter execrande merito calumniari poſsis? D Quid, quur ipſam ab initio, & nunc, & ſemper, dicis eſſe falſam, erroneam, cunctiſque ciuiliter viuentibus, vt tuis verbis loquar, præiudicialiſsimam, omnium excogitabilium falſorum? Quid, quod non verum, orthodoxum, catholicũ, & omni Chriſtiano ab initio, & nũc & ſemper certa fide tenendum? Nunquid extra arcam catholicæ eccleſiæ cuiquam ſalus eſt? Nunquid in eadem exiſtenti & ſaluari volenti, vt eius quoque gubernatori ſubſit, non eſt neceſſarium? Nunquid Petro illius arcæ & ouilis ſui Chriſtus curam gubernationis & regiminis non commiſit? Nunquid poſt Petrum nulla Chriſto cura ſuę fuit eccleſiæ? Sed ſatis, ni fallor, ſuperque omni bene ad veritatem affecto, ſuperioribus duobus libris, & hoc ipſo non ſemel, vniuerſorum quæ in hac Bonifacij definitione continentur, irrefragabilis veritas demonſtrata eſt.

Sed falſam, inquit, demonſtrat Clementis V. qui Bonifacio ſucceſsit, decretalis epiſtola, cuius initiũ eſt: Meruit chariſsimi filij, poſita inter Extrauagãtes cõmunes, ſub

A titulo de priuilegijs. Per quam conteſtatur & exprimit, dictã Bonifacij definitioné in nullo præiudicare regi aut regno Franciæ. Cum ergo, nec rex prædictus, nec illius ſucceſſor aliquis, nec regnicola eius quiſquã, iuxta dicti Clementis conſcientiam, & omnium Chriſtianorum ſcientiam, verum crediderunt, aut credituri ſint, ſed aperte falſum eſſe, quod continet ſupradicta Bonifacij definitio in eo articulo, quo cunctos ſibi ſubijcit principatus & regna. Neceſſario, inquit, ſequitur, quod credere id, non ſit de neceſsitate ſalutis. Nam ſi ſic, præiudiciale foret vtique non credenti. Et veluti hic nos teneret medios, & plane viciſſet, ita inſultat conſequenter dicendo, meras inſanias videri, decretales eiuſmodi, tã Bonifacij, quàm Clementis. Nam ſi vera eſt, inquit, definitio Bonifacij, omnes ad ſui credulitatem obligat. Sin & vera illa Clementis, non omnes. Nam ab ea credulitate Francorum reges cum ſuis regnicolis ſoli eximuntur, atq; ita non tenemur omnes in vnitate fidei Chriſto occurrere, contra apoſtolicam ſententiã. Rurſum, inquit, Clemens interrogandus eſt, ſecundum quem ſanum intellectum ex ſua fide mereri potuit Francorum rex cum ſibi ſubiectis populis, B non obligari credere, quæ credenda ſunt de neceſsitate ſalutis. Aut igitur ex fide meruerunt infideles, aut hæretici fieri, aut Bonifaciana epiſtola continet apertum mendacium. Et hic ſibi valde placet, argutuſq; videtur.

Quin & ita argutari, nugariq; pergit: Quis, inquit, ſcripturæ locus cæteros reges & populos præ rege Gallorum & Gallis, Romano pontifici magis ſubijcit?

Falſificari à Marſilio tam definitionem Bonifacij quam declarationem Clementis circa eandem.

Ego vero hunc dico liuidum detractorem, & manifeſte falſarium, tam Bonifacij illius definitionem, quàm Clementis circa eandem declarationem, corrumpentem & falſificantem, ſeu ſtudio, ſeu cæcitate, quam incurrit ex odio in Chriſti eccleſiam execrabili. Non enim continet dicta Bonifacij definitio (quod hic illi falſiſsimè imponit) eſſe omnibus neceſſarium ad ſalutem, credere omnem humanam creaturam ſubijci Romano pontifici. Hoc enim falſum eſt. Nam qui extra eccleſiam ſunt, eius autoritati ſubiecti non ſunt (Quid enim ad nos, inquit Apoſtolus, de his qui foris ſunt iudicare? Tantum in ouili Chriſti eſt illa Petri & ſucceſſorum eius autoritas. Sed hoc dicit illa definitio Bonifacij (quod ille intelligere diſsimulat, aut forte non intellexit) omni humanæ creaturæ eſſe ad ſalutem neceſſarium, vt ſubſit Romano pontifici. C Cum alioqui nemo ſaluetur, qui illi non ſubfuerit veluti membrum Chriſtianæ eccleſiæ, hoc videlicet ſignificans, ab inundante illo myſtico diluuio omnes neceſſario perire, qui extra arcam illam catholicæ eccleſiæ remanent. Intus vero exiſtentes neceſſario ſubeſſe gubernatori eiuſdé. Quæ equidem veriſsima eſt, & orthodoxa, omni Chriſtiano neceſſario confitenda ſententia.

Aeque falſum imponit Clementi, quaſi ille decreuerit regem Franciæ cum ſibi ſubiectis, non teneri credere ſe eſſe ſubiectum Romano pontifici, contra illam definitionem Bonifacij. Sed hoc tantum dixit, quod noluerit regi atque eius regno per illam definitionem vllum generari præiudicium, nec quod per eandem, aut rex, aut eius regnicolæ, amplius eccleſiæ ſubiecti eſſent Romanæ, quàm fuiſſent antea, aut quicquam innouatum. Quin potius, in eodem prorſus ſtatu habenda omnia poſt præfatam definitionem, quo ante fuerant, tam quantum ad eccleſiam, quàm etiam ad regem, regnum & regnicolas præfatos.

Hæc verba ſunt declarationis præfatæ in dicta decretali, Meruit. Ex quibus clare vides, non dici à Clemente: Regem Fran- D ciæ cum ſuis non ſubeſſe Romano pontifici, aut quod illi definitione Bonifacianæ non teneatur credere. Sed quod per eam definitionem nullum illi voluit generari præiudicium, nec magis ſubijci Romano põtifici, quàm ante ſubiectus fuerat. Quod ipſum, nec volebat, nec intendebat Bonifacius, ſed hoc tantum voluit, vt ſua illa definitione omnes ſine dubitatione certo intelligerent, nulli patere viam ſalutis, niſi ſubdito paſtori ouilis Chriſti, & membro eccleſiaſtici corporis. Non quidem vigore ſuæ illius definitionis, ſed incommutabili diuinæ legis autoritate, cuius ſua illa definitione expreſsit claram, indubiamque ſententiam. Quæ etiam à nobis ſuperius irrefragabiliter demonſtrata eſt.

Quod ſi dicas, nihil ergo ſpecialis fauoris concedi illa Clementis declaratione regibus Franciæ præ cæteris, quod tamen præ ſe ferre videtur illud eius procemium: Meruit chariſsimi filij noſtri Philippi, regis Francorum illuſtris, ſynceræ affectionis ad nos, & eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt, meruit inſuper regnicolarum puritas, ac deuotionis

Cauilli remotio.

A nis ſynceritas, vt tam regem, quàm regnum beneuolo fauore proſequamur. Imo videri illam Clementis declarationem fuiſſe plane fruſtratoriam.

Quid declaratione illa ſua ſpectauerit Clemens.

Hoc in primis verum eſt, eandem nihil magis pertinere ad reges Francorũ, quàm ad alios quoſlibet, quamuis illius importunitate extorta fuerit. Verũ inſuper, quod nihil operetur aliud, aut operata fuerit, quàm vt Philippi illius odium implacabile in Bonifacium (à quo excommunicatus fuerat) querimoniaſq; compeſceret, vt per quam dicitur, illa Bonifacij definitione, nec ſibi, nec regno ſuo (quemadmodum prætendebat) vllum præiudicium fieri, aut factum eſſe, nec per eam magis ſe ſubijci Romanæ eccleſiæ atq; eius pontifici, quàm ante ſubiectus fuerat, quamuis ad hoc declaratione opus non fuiſſet. Non exemit illum cum ſuis regnicolis à ſubiectione pontificis & Romanæ eccleſiæ, quod nec potuiſſet, cum iure diuino illi neceſſario ſubijciatur, quiſquis eſt membrum eccleſiæ, ſed declarat per Bonifacij illam definitionem, non magis ſubiectos, quàm ante fuerant. B Hoc clare ſignificans, non ex vi definitionis, ſed ex vi iuris diuini, etiam ante definitionem fuiſſe ſubiectum.

Ludouici Bauari aduerſus Ioannis viceſimiſecundi contra ſe habitos proceſſus reſponſiones excuſationeſque ſub bulla imperiali publicatas & editas explicare & excutere.

CAP. XV.

Non eſt viſum, tametſi liberet, præterire ſilentio illas imperatoris Ludouici Bauari literas, quas ſub imperiali ſigillo, in generali principum conuentu apud Francfordiam edidit, aduerſus proceſſus Ioannis XXII. (de quibus in capite præcedenti mẽtionem fecimus) contra ſe habitos, & per vniuerſum quantum potuit imperium publicari fecit. Ne quis forte in eas incidens, (extant enim apud quàm plurimos) falſum apparentia aliqua veritatis obnubilatum pro vero recipiat. Orditur autem in hunc modum:

Ludouici literæ aduerſus proceſſus

Ludouicus quartus dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, vniuerſis & ſingulis regibus Chriſtianorum, ac patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, presby- C teris, quocunq; honoris præfulgeant culmine, & cæteris eccleſiarum prælatis, nec non ſecularibus principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, poteſtatibus, rectoribus, iudicibus, prouincialibus, ciuitatum, terrarumq́ue Romano imperio ſubiectarum, & ipſorum cuilibet, incolis & habitatoribus, ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelib⁹, tã eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, gratiam ſuã & omne bonum. Fidem catholicam, quam ſancta mater eccleſia docet & tenet, firmiter credentes, & fideliter confitentes, & ipſius eccleſiæ doctrinam in ſacris canonibus traditam ſequi volentes, quibuſdam allegationibus, impugnationibus & oppoſitionibus, quæ contra nos, & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, & contra imperialem autoritatem & dignitatem opponuntur, ne ſimplicium corda poſſint inficere, duximus in his ſcriptis reſpondendum. Quorum deinceps ſubiungemus ſententiam, & obiectionum, reſponſionumq́; vim & efficaciam. Nam totius diplomatis tenorem perpetuum ſubijcere, & tibi lector foret tędio, D nec operæ precium.

à Ioanne 22. contra ſe habitos.

Inprimis dicit contra ſe, & imperialem autoritatem, dignitatem, poteſtatem, & ius imperij allegari, quod poteſtas & autoritas imperialis ſit à papa, quodq́ue electus in regem Romanorum, ex ſola electione, nec ſit, nec dici poſſit verus Imperator, nec antequam inungatur, conſecretur & coronetur, imperialem poteſtatem, & autoritatem habeat. Quæ omnia vult ſacris canonibus, iuri & rationi obuiare, ſicut dicit patere per c. Cum ad verum, & c. Si Imperator, nonageſima ſexta diſtinctione. Quibus dicitur, quod nec Imperator iura pontificatus, nec pontifex iura imperij ſibi vſurpare debet, Vbi gloſſa dicit, quod iſtæ poteſtates ſunt diſtinctæ, & quod neutra dependeat ab altera. Imperator enim non habet imperium à papa, ſed à ſolo Deo, nonageſima tertia diſtinctio. c. Legimus, vbi dicit textus, quod exercitus facit Imperatorem. Et gloſſa ibi dicit eum verum Imperatorem, antequam à papa confirmetur. Ex quibus vult conſequens eſſe, quod papa non habeat vtrunque gladium. Alinqui, inquit, ſi imperium haberetur à papa, poſſet etiam in temporalibus ad papam appellari. Quod prohibet Alexander papa, dicens: temporalia habere ſuam iuriſdictionem. De appel. c. Si duobus. Et c. Cauſam II. Qui

A II. Qui filij ſint legit. Et ibi gloſſa. facit & textus, in c. Quo iure. VIII. diſtinct. &c. Nouit. De iudicijs. Ex quibus concluditur, quod poteſtas imperialis eſt immediate à Deo. Et imperator antequam inungatur & coronetur, habeat poteſtatem imperialem, nec papa habeat in temporalibus plenitudinem poteſtatis.

Concludit imperialem autoritatem immediate eſſe à deo.

Secundo dicit obijci ſibi, quod electio ſua per Ioannem vigeſimum ſecundum reprobata & caſſata fuerit, & propterea non potuerit adminiſtrare iura imperij: imo quod adminiſtratio eiuſmodi ad ipſum papam de iure ſpectauerit. Addens eundem Ioannem per ſuos proceſſus, bullas aut literas per mundum publicaſſe, quod Italiam vniuerſam ab imperio & regno Alemaniæ ſeparauerit. Inſinuando, quod papa ſit dominus vniuerſalis, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus. At contra dicit ipſe, omnes eiuſmodi proceſſus, aſſertiones, literas & quæcunque circa prędicta geſta ſunt, nullos, nulla, nulliuſq́ue roboris vel momenti, quod papæ nullam autoritatem vult competere ſuper iura imperij per iura præallegata. Et propterea quicquid ab eo in prædictis factum eſt, velut factum à non ſuo iudice, nullius fuiſſe momenti per B iura vulgaria. Addit multa verboſiſsime, aduerſus validitatem cenſurarum contra ſe fulminatarum. Vt quod proceſſum ſit contra abſentem, non citatum legitime. Quod pontifex formam & poteſtatem ſibi à ſacris canonibus traditam exceſſerit. Et nonnulla eiuſmodi, quæ ad propoſitam cauſam nihil faciunt.

Papa nullam vult autoritatem competere ſuper imperatorē aut imperium.

Vnum hoc prætereundum non eſt, quod vult ſententiam eius intolerabilem in ſe continuiſſe errorem, ex eo, quòd ne ipſi obedirent, mandauerit vniuerſis ſubditis & fidelibus imperij, vt quod vult eſſe contra legem dei, quæ, vt inferiores ſuis ſuperioribus obediant, præcipit. Item, quod lata fuerit poſt appellationē legitime ab ipſo ad vniuerſale concilium interpoſitā, pręſertim cū pro defenſione, vt dicit, iuris imperij (quod affirmat pēdere à iure diuino & fide catholica) contra ſibi aduerſantes, & ſe, & imperiū, fideq́; catholicam (quam ſancta Romana tenet eccleſia) impugnātes appellauerit. Proinde declarat omnes proceſſus eiuſmodi, nullius eſſe roboris vel momenti, atque omnibus mandat ſub pœna priuationis omnium, quæ ab imperio obtinent, eoſdem contemnere. Hæc ſumma eſt illarum literarum, quæ prorſus indignæ ſunt imperiali concilio, & vt ſub nomine prodirent imperatoris aut imperij, ſed concinnatæ pſeudotheologorum quorundam, aut fri- C gidorum Canoniſtarum opera, quod ipſa per ſe phraſis earundem indicat. Quibus vt breuiter reſpondeamus:

Quod dicit in primis allegari contra ſe, & imperialem autoritatem, poteſtatem, dignitatem & ius imperij, quod à papa ſit poteſtas imperialis & autoritas, quodq́ue electus, ſolius electionis vigore illam exercere non poſsit: ſuo more obiectionē illā cōgeſſerūt detractores & adulatores peſtilentiſsimi. Nihil enim à pontifice obiectū eſt contra imperialē autoritatē, dignitatē aut ius imperij. Sed hoc vere dictum & allegatum eſt, vniuerſam hanc autoritatem imperij depēdere ab autoritate eccleſiaſtica, quę præcipua eſt apud Romanū pontificē. Ab illo accepiſſe Carolū illum primum in hoc imperio, autoritatem & titulos imperij, nullo iure ſibi competētes antea. Ab illo poſtea deſignatos ſeptem illos Germaniæ proceres, accepiſſe ab initio autoritatem eligēdi principis, quę nullo alioqui iure ad ipſos pertinebat præ cæteris. Sicut autem potuit pontifex ab initio hanc autoritatem dare Magno Carolo pro ſe & ſucceſſoribus. Sicut etiam deficiente illa ſucceſsione Caroli in Ottone III. facere electiuum imperiū, D deſignatis electoribus, & data eiſdem eligendi poteſtate in perpetuum: ita potuit conditionem electo præſcribere, ſub qua in illum transferretur imperij autoritas: pręſertim cum ea per ſe ſancta, & pro dignitate imperij, atq; ſine autoritatis imperialis eſſet prorſus neceſſaria. Quæ eſt, vt relata electione ad diſcuſsionem capitis eccleſiæ, (à quo eſt & eligendi illa poteſtas, vniuerſaq́; imperialis autoritas) eadem ab illo cōfirmetur, electuſq́; eius cōſecratione & coronatiōe dignitatē accipiat imperij. Cuius quia præcipue intereſt, vt & fidelem & fortem aduocatum, propugnatoremq́ue habeat eccleſia, qui eandem cum res & neceſsitas exigit, poſsit armis protegere, hoc officij primum commiſit Megno Carolo, & deinde vniuerſis eius ſucceſſoribus.

Apologia autoritatis Pontificiæ aduerſus prædictas calumnias.

Quod vero dicit, hæc ſacris canonibus, iuri & rationi contraria: ego contra, & diuino iuri, & ſacris canonibus, atq; omni rectæ rationi dico eſſe conſona: quemadmodum ſuperius à nobis luce clarius demonſtratum eſt. Nec quicquam his aduerſantur citati per illum canones, vt c. Cum ad verum, & c. Si imperator. XCVI. diſtinct.

Ad rationes inductas ex ſacris canonibus.

In primis hoc ſcias oportet contextum c. Cum ad verum, partem eſſe epiſtolæ Nicolai pontificis ad Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem: qui

vna

Refpõcatur germana ſen tentia c. Cũ ad verum.

A vna cum ſceleratis quibuſdam ſecum conſentientibus epiſcopis, intereſſe, atque adeo præſidere præſumpſerat iudicio iniuſtiſsimæ damnationis Ignatij, eiectioniſq́; è ſua ſede Conſtantinopolitana, vt Photium promoueret, autorem ſubſequuti grauiſsimi ſchiſmatis. Huius vt præſumptionem redargueret, ita ſcribit: Quod quando ad verum ventum eſt, hoc eſt, iam ſub luce veritatis euangelicæ, nec imperatorem arripere iura pontificatus, nec pontificem vſurpare ſibi nomen debere imperij, innuens ab ethnicis quidem imperatoribus, Chriſtum & veritatem ignorantibus, nomen etiam & dignitatem pontificiam vſurpatam fuiſſe: ſicut cruentus ille Iulius, nec imperatoris, nec perpetui dictatoris contentus fuit nomine & honore, niſi eſſet & pontifex maximus, ſed prophano illo pontificatu, qui erat apud ethnicos. At poſtquam ad verum ventum eſt, ita non decere. Quandoquidem Chriſtus, proprijs actibus, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuiſſet, atque ita diſpoſuiſſet, vt mutua opera indigerent. Quæ vt demus ita vera eſſe, vt Nicolaus ille ſcribit (tametſi B ſano intellectu in quibuſdam opus habeant) nihil prorſus noſtræ aduerſantur ſententiæ. Sint ſanè inſtitutæ à Chriſto dignitates vtræque, habeant officia diſcreta, & actus proprios, nunquid propterea vna alteri non ſuberit? vna regi, gubernarique non debet alterius arbitrio, aut imperio? Nunquid in animantis corpore diſtincta membra non ſunt, manus, pedes & caput? nunquid non habent officia diſcreta & actus proprios? nunquid propterea in ſuo officio, in ſuis actibus, illa non dependent à capite? nunquid non eius mouentur arbitrio? Quanquam quod Chriſtum proprljs actibus & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſq; diſcreuiſſe dicit, ſane intelligendum eſt. Alterum enim, hoc eſt, pontificiam dignitatem, ipſe Chriſtus inſtituit, ipſe ſuam illi ſacroſanctam autoritatem dedit, ſuos actus, ſuum præſcripſit officium.

Alterum vero, hoc eſt, imperatoriam autoritatem, de qua ille loquitur, quæ videlicet à Iulio Cæſare traxit originem (Nam illius, non Caroli ſucceſſori ſcribit) nuſquam Chriſtus inſtituit, ſed ante Chriſti aduentum, ille ſanguinarius Iulius, nulla commiſsione diuina, nulla autoritate ſibi commiſſa deſuper, ſed vi, ſcelere, perfidia, parricidio & crudeli ſuorum conciuium, ſe meliorum, & bene meritorum de republica, proſcriptione ac nece, ſine C Deo, imo contra Deum inuaſerat, & ſibi ſupra conciues ſuos tyrannice vſurpauerat. Cuius nec factum, nec autoritatem vnquam comprobaſſe Chriſtus legitur. Quanquam non ſine ſpeciali Dei permiſsione, (qui ſceleratis aliquando pro flagellis vtitur, & cuius iudicia ſunt abyſſus multa) illa ipſa ita accidiſſe nihil dubitauerim. Tam enim ille bonus eſt, vt etiam hominum peccatis & ſceleribus vti ad bonum, & ex malis ſciat bona elicere, alioqni mala nunquam permiſſurus. Ergo cum aliquis aut ſanctorum patrum, aut pontificum, ad imperatores ſcribens, dicere videtur, imperatoriam autoritatem eſſe à Chriſto, ita intelligendum eſt, non quo ad primam ſui inſtitutionem & originem, hoc enim euidenter falſum eſt. Nam & ante Chriſtum, & contra Chriſtum, qui eſt iuſtitia & veritas, ab impio & cruento Iulio, contra omnem iuſtitiam, vi primo & tyrannicè vſurpata eſt. Sed quod poſt tractu temporis facta legitima, & iam recepta & admiſſa intra Chriſti regnum, illi ſeruire debeat, atq; ita ab ipſis intelligi debere imperatoribus, quaſi iam Chriſtiana, non ethnica ſit illa dignitas & autoritas, & velut nunc inſtituta à Chriſto, ita hæc ordinante ac diſponente, D vt in eccleſia ſua duo eſſent gladij, ad eius regimen & gubernationem neceſſarij, alter tamen ſub altero, & vterq; illius cui huius ſui regni curam commiſit & regimen. Itaque inter eoſdem quos citat canones eadem diſtinctione etiam hic legitur ex Gelaſij pontificis ad Anaſtaſium imperatorem epiſtola:

Quomodo ſane intelligi poſſit imperatoriam autoritatem eſſe à deo, aut Chriſto.

Duo ſunt quippe imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: autoritas ſacra pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto grauius eſt pondus ſacerdotum, quanto pro ipſis regibus & principibus in diuino ſunt reddituri examine rationem, &c. Noſti itaq; inter hæc, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem, ſubijciens exempla pleraq;, quibus oſtendit, ſanctos pontifices etiam in ipſos imperatores exercuiſſe autoritatem iudiciariam, atq; illos ſubieciſſe excommunicationi & anathemati eccleſiaſtico. Quid hunc ille canonem præterijt, qui appellauit ad canones?

Imperatores ex pontificum dependere iudicio non contrà.

Aeque huic noſtræ non aduerſatur ſententiæ, c. Si imperator, cuius verba etiam à nobis citata ſunt ſuperius. Quin potius eandem confirmat per omnia. Dicit enim imperatorem, ſi modo Chri-

c. Si imperator noſtra ſententiæ ſub ſcribere, non aduerſari.

Chriſtianus eſt, nō præſidere, ſed ſubeſſe eccleſiæ, velut eius membrum & filium, poteſtates ſeculi, ſi fideles ſunt, neceſſario ſubeſſe, non præeſſe ſacerdotibus. Quod ipſum nos affirmamus, & ille impie & contumaciter pernegat.

An glossam illorum canonum.

Quod vero pro ſe facere exiſtimat, quod in eodem c, dicitur, imperatorem habere ſuæ poteſtatis priuilegia, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſecutus eſt, quomodo hoc ſane intelligi oporteat, iam indicauimus. Nam certũ eſt, nullo iure diuino, nulla diuinitus illi facta commiſſione primum illum Iulium obtinuiſſe autoritatem imperialem, atq; eius priuilegia: quin potius, contra omne ius diuinum & humanum, ea ſibi vſurpaſſe violenter, iniuſtè, perfide, & tyrannice. Eodem modo Octauianum, ſub quo natus eſt dominus, & qui illius in imperiali authoritate ſucceſſor factus eſt. Sed de magno Carolo, atq; his, qui in eccleſiaſtico hoc noſtro illi ſucceſſerunt imperio, longè poteſt dici verius, quod diuinitus ſuæ poteſtatis priuilegia conſecuti ſint: tamen mediante Chriſti inter nos vicario, cui totius regni ſui curam & gubernationem idem ille credidit, quam de illis, qui ſucceſſerunt Iulio. Quamuis de vtriſque ſuo quodam modo vere poſſit intelligi.

Quod vero gloſſam illorum canonum allegat, vt dicentem, poteſtates has eſſe diſtinctas, imperialem videlicet & pontificiam, & neutram dependere ab altera, pudet ſane literarum imperialium. Cum gloſſæ illæ nihil faciant, quam citare iura pro & contra.

Ita enim dicit in c. Cum ad verum, in verbo vſurpauit. Argumentum cum iſte poteſtates ſunt diuerſæ, quod imperator

A non habet gladium à Papa, allegando ſimul iura quæ hic allegat: deinde ſubijcit argumenta in contrarium, vt ſexageſima tertia diſtinctione c. primo.

Item XXII. diſtin. c. l. in quo dicitur: Omnes quidem toto orbe ſedes epiſcopales, atque earundem diſtinctiones & ordines apoſtolicæ ſedis authoritate conſtitutos. Eam vero ſolam illum fundaſſe, qui beato Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni ſimul & cœleſtis imperij iura cōmiſit. Item, quia papa deponit imperatorem, quod probat allegatis ad hoc iuribus. Vides, quantum ponderis habeat illa gloſſæ in vnam aut alteram partem allegatio. Quanquam hoc ipſum non inficiamur, has poteſtates eſſe diſtinctas. Et quod neutra dependeat ab alia. Hoc enim ſanè intellectum de illo vetuſto imperio, à Iulio ducente origenem, & per Conſtantinopolitanos imperatores (ad quos ille ſcribebantur epiſtolæ, ex quibus decerpti ſunt illi canones) eatenus continuato: etiam verum eſt, quo ad inſtitutionem videlicet, quamuis non quo ad ſubiectionem. Illius enim imperij authoritas iam recepta intra ouile catholicæ eccleſiæ, ſubiecta quidem erat autoritati eccleſiaſticæ, at non inſtituta ab eadem. Noſtri vero, quod in Carolo incepit, imperij autoritatem vtroque modo dependere ab eccleſiaſtica, ſupra indubitatum fecimus.

Quomodo probet per c. Legimus: imperatorem non habere imperium à papa, ſed à ſolo deo.

Quod igitur ſubdit: Imperatorem non habere imperium à papa, ſed à ſolo deo, hoc ipſum probans per c. Legimus, XCIII. diſt. Vbi textus. Quod exercitus facit imperatorem. Et per gloſſam, quæ dicit eum imperatorem, priuſquam per papam confirmetur. Neſcio quo me hic vertam, aut quid potius mirabor in his literis, adeo mihi ſubit ſtupor quidam ſtupiditatis eorum, qui concinnarunt literas eiuſmodi imperatorias. Scilicet imperatorem non habere imperium à papa, ſed à ſolo deo, probatur per c. Legimus quod dicit, exercitum imperatorem facere. O demonſtrationem euidentem, in B qua contradictorium conſequentis infertur ex antecedente, & econtra. Nam ſi verum eſt, exercitùm imperatorem facere, falſum ſit oportet, imperatorem habere imperium à ſolo deo, & vice verſa. Si verum eſt imperatorem habere imperium à ſolo deo, falſum eſt, exercitum imperatorem facere. Audis lector Chriſtiane, quibus ille rationibus cum conſilio omnium ſuorum pſeudomonachorum impugnet, & euertat apoſtolicæ ſedis in ſe ſententiam; adeo vt me plane pudeat literas has legi editas in publico conuenuentu principum imperij, imo de conſilio & conſenſu omnium prælatorum & principum Alemaniæ congregatorum Francfordiæ.

Quomodo non intelligendum ſit illud Hieronymi dictũ quod exercitus imperatorem faciat.

Sed dicis, Si verum eſt exercitum imperatorem facere, ſaltem ex eo conſequi imperatorem non à papa habere imperium. Dico primum Hieronymum (ex cuius ad Euagrium epiſtola illud c. à Gratiano excerptum eſt) illic non loqui de imperatore Romano, ſed de quolibet duce cuiuſlibet exercitus, dicentem ita ſacerdotes à principio in eccleſijs ſingulia vnum

A vnum inter ſe elegiſſe in remedium ſchi-
ſmatis, quem collocatū in excelſiori loco,
epiſcopum nominabant: quomodo ſi ex-
ercitus ſibi imperetorē faciet, hoc eſt ca-
pitaneum ſibi aut ducem eligat. Sibi, in-
quit, non orbi, aut Romeno imperio. Vi-
des illis verbis non affirmari à Hierony-
mo, quòd eutoritas creādi Romanū prin
cipem ſit penes exercitū. Deinde, vt dere-
tur fuiſſe aliquando (quæ tamen magis fa
cto vſurpata extitit, quā legitime ratione
cōueniene) quemed modū etiam nonun-
quam Romani imperij principes militeri
tumultu creatos legimus. Hoc tamē nega
ri non poteſt etiā penas ſenatū & optima-
tes imperij fuiſſe hanc autoritetē retione
magis legitime, ſicut & multo plures, ſe-
natus autoritate & iudicio, quàm milita-
ri impetu factos indubitatum eſt. Magie
etiam æquum & legitimū eſt, vt maturo
ſenatus & optimatū iudicio reipublicę ꝓ-
uideatur de optimo principe, quàm vt mi
litari hoc permittatur temeritati. Quęer
go hæc eſt ergumentatio, etiā vt daretur
de Romano principe loqui Hiaronymū:
Exercitus facit imperatoē, ergo nō pape?
Nam poteſt vtrunq; eſſe, vt & exercitus a-
liquando imperatorē fecerit, vt etiem fe
B cerit ſenatus, fecerit quoque & papa. Hoc
certum eſt, ſi de imperatore Romeno in-
telligi quis velit illud dictum Hierony-
mi, de illis imperetoribus neceſſariò in-
telligendū eſſe, qui ex illa gentilitate atq;
adeò à Iulio Cęſare trehebant originem:
non verò de his noſtris, qui originem du-
cunt à magno Carolo, qui annis circiter
quadringētis ſubſecutus eſt Hieronymū.
In illis aliquando verū fuit factum impe-
ratorem ab axercitu. In his nūquam, ſed
primùm Carolus pro ſe & ſucceſsione ſua
vniuerſa imperator factus eſt à Romano
pontifice. Ea verò deficiente In Ottone
tertio, electione, non exercitus, ſed ſeptē
Germaniæ procerum deinceps facti ſunt.
Idq; autorirare Romani pontificis. Cùm
alioqui illi ſeptem nullam haberent au-
toritatem eligendi præ alijs.

Quàm impudenter & ridiculè arguant ex gloſſ. c. Legimus.

Quòd verò etiam gloſſā illins c. in ver
bo Imperarorem, allaget dicere, eſſe ve-
rum imperatorem, antequam confirme-
tur à papa: iterum pudet, & imperatoris,
& imperij, quòd eiuſmodi pudēdis nugis,
& ridiculis allegarionibus, autoritetē ſuā
tueri debeant. Gloſſa illa ſuo more notet
illinc poſſe trahi argumentū, quòd ex ſo-
la electione principū ſit verus imperator,
etiam antequam confirmetur à papa. Sed
continuò ſubdit, quòd cōtrarium eſt ve- C
rum per c. Venerabilem, & alia iura, quæ
allegat. Quanquam ſatis craſſus fuerit ille
gloſſetor, nec intelligens ea quę exponit,
nec notans notabilia, & quę nihil prorſue
ad rem facinnt annotens.

Aliarum collectionū vaſ dent inefficacia.

Inſuper cū ex prędictis ſuis ellegationi
bus vult manifeſtè conſequi, papam non
habere poteſtatem vtriuſque gladij, alio-
qui poſſe etiem in temporalibus appellari
ad ipſum papā, ſi imperiū haberetur à pa-
pa, contre cen. Si duobus, de appell. & iu
ra concordantia, concludens ex eo quòd
poteſtas imperialie ſit immediatè à Deo,
& ꝙ imperaror antequam inungatur eut
coronetur, habeat poteſtatē imperialem.
Non video, quo pacto, etiam ſtudio quis
poſſet ineptire ineptiùs, & minùs cohęren
tia cōnectcre inuicem. Qua enim lege ar-
gumentationis ſequitur ex ſuperioribus
papam non habere poteſtarē vtriuſq; gla-
dij, niſi ea qua quodlibet ſequitnr ex quo-
libet? Alioqui, inquis, poſſet in tempora-
libus appellari ad papam, ſi imperium ha
beretur à papa. Sed quis vnquam ſomnl-
auit à pape heberi imperium? Hoc dixl-
mus, autoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ
præſidis ſubeſſe etiam omnem ciuilem au D
toritetem, quæ eſt in eccleſia. Eius cura,
regimine & imperio moderari debere v-
trunque gladium, quo conſeruetur vni-
tas domus eccleſieſticæ. Potuiſſe quoque
comittere alterum illum glediū viro for
ti, qui eundam pro eccleliæ neceſsitate di
ſtringeret, ſicut ipſum cōmiſit Megno
Carolo, atq; eius ſucceſſoribus. Quod er-
go in temporalibus poſsit appellari ed pa
pā, vt velet cōſequetia? Eſt alicubi conſti
tutus finis certorū iudiciorum, vnde nec
ad indubitatū eorundem ſuperiorē poſsit
ꝓuocari, ne nunquā ſit finis litiū: vt nec
à ſenatu Mechlinienli, nec à Bruxellenſi,
nec deniq; à Treiectenſi, vlla admittitur
prouocatio, neq; ad ſuum indubitetum,
recognitumq; principē. Ex quibus quan
do concluditur, quòd poteſtas imperialis
ſit immediatè à Deo, & ꝙ imperator ha-
beat poteſtatem imperielem, priuſquam
conſecretur aut coronetur à pontifice: nō
intelligo quid cerebri fuerit illis homini
bus, quòd eos nihil puduerit in re ranta,
& quę tam principis, quàm imperij nomi
ne ederetur in orbem, contra apoſtolicæ
ſedis autoritatem, ita impudenter, ſine
vllo delectu, ſine vlla argumenrarionis le
ge, velut quodlibet inferre ex quolibet.

Quod dicit ſecūdo loco obiectū ſibi, de

Aſſertio ſecũda obiectionis aduerſus ipſum facta. Electum imperatorem, cuius à ſede apoſto reprobata eſt electio, non ſe poſſe adminiſtrationi immiſcere.

A reprobata & caſſata ſua electione per pontificem, quodq́ue ea non obſtante, nihilo minus adminiſtrationem imperij contra ius & fas vſurpauerit. Addens pontificem publicaſſe per mundum, quod Italiam vniuerſam ſeparaſſet à regno Alemaniæ & imperio. Additio quidem hæc notorie falſa eſt, & impudens mendacium. Nunquam enim inuenietur hoc feciſſe aut Ioannes ille XXII. aut quiſquam alius. An poſſet facere, alia quæſtio eſt. Obiectio vero contra ipſum facta, iuſta fuit & legitima, quandoquidem luce clarius demonſtrauimus, omnem huius imperij noſtri autoritatem, dependere ab autoritate eccleſiæ & Romani pontificis, per quam primo ipſi Carolo pro ſe & ſua poſteritate datũ eſt, deinde ea deficiente deſignatis apoſtolicæ ſedis autoritate electoribus electiuũ factũ eſt: ea tamen lege, vt electi confirmatio ad Romanũ pertineret pontificem, cui eadem ante ipſum Ludouicum ab initio vſitatæ electionis eiuſmodi, ab ipſis electis imperatoribus, & imperio, ſemper fuerat recognita. Quod vero dicit illam caſſationem electionis, & electi reprobationem factam à pontifice, eſſe & fuiſſe nullius roboris aut momenti, ob defectum autoritatis & iuriſdictionis in
B eodem ſuper imperatore electo, aut imperio, per iura ſupra allegata ab ipſo, & à nobis diſcuſſa: iam clariſsime demonſtrauimus, hoc ipſum eſſe falſiſsimum.

Quæ dicit contra validitatem latæ aduerſum ſe ſententiæ excommunicationis à pontifice, non libuit adſcribere, quod ea verboſiſsime & confuſiſsime congerit, & fere ad hanc cauſam non pertinent. Tamen qualia ſint, ex his, quæ audiſti ſuperius, cuiuis facile coniectare eſt.

Rom. Pont. licite abſoluere ſubditos à iuramentis fidelitatis.

Vnum illud prætereundum non putaui, quod affirmat latam illam aduerſum ſe excommunicationis ſententiam, ex eo nullam, quod intolerabilem errorem in ſe continuerit, interdicendo omnibus fidelibus imperij, ne reprobato & execrato Ludouico obedirent vt imperatori, abſolutis eiſdẽ à iuramẽtis, ſi quibus eidẽ adſtricti fuerant, quod legi Dei dicit eſſe contrariũ, quæ ſubditos ſuperioribus poteſtatibus obedire præcipit. Quod ipſum velut hæreticũ iſte, aduerſus quem egimus, Marſilius toties deteſtatur in Romanis pontificibus. Et affirmat eſſe manifeſtã hæreſim, vt quis poſſit abſoluere ſubditos à iuramento, quo adſtringũtur fidelibus dominis. Nolim enim ſi fortè in hæc pius quiſquam, ſed incautus incidat, vllo inde aduerſus ea quę hactenus probauit totius Chriſtianæ eccleſiæ con- C ſenſus, moueatur ſcrupulo: ſi impius, vt ſe arma efficacia, quibus pietatem oppugnet, inueniſſe exiſtimet.

Nota eſt omnibus Galliarum hiſtoria, vt eius iura & ſceptra, ad Pipinũ & Carolum, poſteritatemq; ipſorum peruenerint. Cum in Hilderico rege ignauo & ſocordi, qui ex gentilitatis antiqua illa ſucceſsione fuit Francorum rex vltimus, eadem regno inutilis facta eſſet ſucceſsio, ex autoritate Zachariæ ſanctiſsimi pontificis, illo abrogato, abſolutis à iuramento fidelitatis, quo illi adſtricti fuerãt regnicolis, miniſterio S. Bonifacij epiſcopi & martyris, Pipino pro ſe & ſucceſſoribus ſuis cõmiſſa ſunt eius regni gubernacula. Quod ſi hæreticum eſt, ſubditos poſſe abſolui à iuramẽto fidelitatis, quo ſuis principibus adſtricti fuerant, perfidos neceſſe eſt & periuros fuiſſe omnes ſubiectos regno Franciæ, quod deſerto illo Hilderico, cui ante vt regi fidelitatis iuramento adſtricti fuerant, ſequerentur Pipinum & Carolum, perfidos & periuros, etiã hos glorioſiſsimos, Chriſtianiſsimos & ſanctos principes. Quod cum reprobet totius Chriſtianæ eccleſiæ octingentorum circiter annorum conſenſus, apud quam horum ſancta & glorioſa memoria in benedictione D celebrata eſt, neceſſe eſt, vt impia & hæretica ſit illa eius ſententia, qua affirmat eſſe hęreticum, vt poſsint ſubditi abſolui à iuramento fidelitatis, quo ante adſtricti fuerant ſuis ſuperioribus fidelibus.

Zacharias ſanctiſſ. pontifex Francos abſoluit à iuramento fidelitatis, quo Hilderico adſtricti fuerant.

Conſenſus catholicæ eccleſiæ.

Quanquã, quod fecit Ioannes XXII. mandans imperij fidelibus ne Ludouico obedirent vt imperatori, eoſdem abſoluens à iuramento, ſi quod forte illi vt tali præſtiterant, non tam abſolutio fuerit à iuramenti vinculo, quàm declaratio, quod eo non tenerentur adſtricti, vt per errorem præſtito illi, quem cum non eſſet, crediderant legitimum principem. Nunquam enim ille, cuius legitime reprobata fuit electio, legitimam vllam autoritatem in electione eiuſmodi aſſecutus eſt. Quare fidelitatis iuramenta, vt tali ſcienter præſtita, fuerunt illicita: quæ per errorem æque non obligatoria. Eodem modo ſi cui abrogata eſt legitima, quæ ſibi ante competijt autoritas, ab eo ad quem hoc pertinet, ipſo facto à vinculo quoq; iuramenti, quo eidem eatenus obligati fuerãt, abſoluti ſunt ſubditi. Itaq; quoties apoſtolicę ſedis autoritate, imperio priuati ſunt imperatorũ quidam (quod ſæpe factum & legitime factum ſuperius demonſtrauimus) eo ipſo abſoluti fuerunt

omnes

A omnes fideles imperij à iuramento, quo illis eatenus adſtricti fuerant. Ita, vt abſolutio à iuramenti vinculo pro imperij fidelibus, adiuncta in illis ſententijs, nihil aliud fuerit, quàm mera declaratio, quod illo amplius non tenerentur adſtricti. Quin potius ſine abſolutione eiuſmodi, ipſo facto quo illi priuati fuerunt legitimo imperio, iſti illis ſubeſſe deſierunt. Itaque quamuis doceant apoſtolicæ literæ, ſubditos obedire ſuis præpoſitis & ſuperioribus, non tamen docent, præpoſitos & ſuperiores non poſſe in ordinem redigi à ſuis quoque ſuperioribus, aut magiſtratu amoneri: cum hoc euidenter falſum ſit. Amoto autem magiſtratu aliquo, iam amplius exigere non poſſe per Apoſtolicam illam ſententiam, obedientiam ab his, qui antea fuerant ſubditi, indubitatum eſt, cum præpoſitus eſſe deſierit.

Solutio rationis quam afferunt ex Apoſtolo.

Vides itaq; lector Chriſtiane qualia ſint, quàm inania, quàm pudenda, quæ illi tam confidenter, aut potius impudenter, in facie totius orbis obijciunt aduerſus autoritaté ſedis apoſtolicæ, quibus eius ſentẽtijs detrahunt, doctrinã inſectantur vt hæreticã, ipſi hęreticiſsimi, circa fidẽ reprobi, nec intelligentes, quid aut de quo loquantur.

B Quod poſtremo additur in illis literis, ad oſtendendam nullitatem aduerſus Ludouicum latæ excommunicationis ſententiæ, quod lata fuerit poſt appellationem legitime interpoſitam ad vniuerſale concilium: præſertim cum pro defenſione iuris imperij (quod à iure diuino & fide catholica dependere prætenditur) dicit ſe appellaſſe contra aduerſantes ſibi, ipſumq́ue & imperium, fidemq́ue catholicam, quam ſancta Romana tenet eccleſia, impugnantes. Proinde ſua illa, qua fungebatur, autoritate declarare irritã, nec obſeruandam à Chriſti fidelibus. Audis quidẽ hic lector verba ampulloſa & grandia, ſed in quibus diligentius excuſsis nec micã veritatis inuenias. Quod Chriſtus regni ſui hierarchiæ vnum præfecerit, cui paſcendas, regendaſq́; commiſit oues ſuas vniuerſas, his illi obediendi neceſsitate impoſita, irrefragabiliter à nobis ſuperius demonſtratum eſt. Vt autem à paſtoris iudicio ad ipſas oues prouocetur, ab ouibus rebellibus & contumacibus, vt oues ſibi, ſuoq́ue iudicio paſtorem ſuum ſubijciant, non permittit ordo, non leges huius regni Chriſti, imo ipſa rerum natura non patitur. Quare non poteſt eſſe legitima appellatio ab eius autoritate, quã ſupremã & ſummam in eccleſia ſua Chriſtus inſtituit, cuius ſacroſancta & ſine diſcuſsione omnibus ſequenda ſunt iudicia: quemadmodum toto libro ſuperiori euidens fecimus. C Quod autem dicit iura imperij dependere à iure diuino & fide catholica, quid veritatis in ſe contineat, ſupra explicauimus: vt vero dependeat, omnia inde exorta dubia, quæſtiones & controuerſias, ad autoritatem apoſtolicæ ſedis atque eius præſidis pertinere, eiuſq́; definiri iudicio, eodem ſuperiori libro etiam clariſsime demonſtrauimus. Quare quis in prædictis impugnauerit fidem catholicam, quam ſancta Romana tenet eccleſia, ille ne Ludouicus, eidem eccleſiæ rebellis & contumax: an eiuſdem eccleſiæ pontifex, vnacum ſuis conſacerdotibus, ſecum in eadem ſeruientibus domino, ex prædictis ſatis euidens factum eſt.

Ad vltimam rationem Ludouici.

Non poſſe à fidelibus prouocari à iudicio Ro. Pont. ad qualecunque vniuerſale conciliũ.

Itaque vt hic tandem finiamus, hoc vellem ſibi perſuaderent omnes reges, imperatores & principes, quocunque tandem cenſentur nomine, modo Chriſtiani cenſeri voluerint, ſe membra eſſe vnius eccleſiaſtici corporis, vnius regni Chriſti conciues, aut conſerui potius, & quenq; accepiſſe commiſſam ſibi autoritatem, in vtilitatem mutuam, & totius corporis. Quam indubie aſſequerentur, ſi ſe ſuamq́; autoritatem totius eccleſiæ paſtoris & rectoris habenis D regendã fideliter permitterent. Sic enim domi inter nos Chriſtiana, fraternaq́; pace florerent omnia, & nihil eſſet, quod externum vllum hoſtem formidare deberemus. Núc vero, cum membra inter ſe belligerentur, eo quod vnum nõ ſubſit alteri, & recuſant ſubeſſe communi capiti, vnde vna eſſet inter ipſa concordia, vna in mutuam ſalutem procurandam colligatio: neceſſe eſt, vt cõſequantur quæ nunc videmus fieri, vt pluſquam ciuilibus bellis, intra eccleſiaſtici corporis viſcera, in mutuam noſtram & totius graſſemur perniciem: vt contra ſe fœdis, miſerandiſq́; modis tumultuentur, ſtupris, cędibus, incẽdijs, diuina, humana, ſacra, prophanaque miſceantur, confundanturq́ue omnia. Quę aliunde non proueniunt, quàm quod imaginantur omnes, ethnicam potius dominationem, quàm Chriſtianum magiſtratum ſe gerere: quàm ſeruire ſe regno Chriſti, & communi imperatori & domino: Quodq́; eius vicario debitam obedientiam detrectent. Quod indignú putant, ſe regalibus, imperialibuſq́; tumentes, inflatoſq́ue titulis, ſacerdotali ſubmittere imperio, nunc generis humilitatem, nunc vitæ fortaſsis indignitaté in illis reſpicientes.

Exhortatio ad Chriſtianam concordiam.

Vnde inter membra vnius corporis bella plus quam ciuilia.

A Sed quid ſuperbis terra & cinis? quid fra
trem ab eodem conditore Deo ad eãdem
creatum imaginem præ te deſpicis, quem
ipſe tibi Chriſtus præfecit? quid te occæ-
cat aurum, quo obtectus es, & purpura?
Nam & tu terra es, & in cinerem conuer-
teris. Vnius Adæ, vnius Noe omnes ſu-
mus filij. Et hæc lex regni Chriſti eſt, vt
illi te ſubdas humiliter, cui idem ipſe ſui
regni curam cõmiſit & regimen. In Chri
ſtum redundat iniuria & contumelia, ſi
quam irrogas eius vicario, Chriſto es in-
obediens & contumax, ſi illi, quem tibi
præfecit, obedire contemnas. Sicut è con
trà, quicquid honoris, reuerentię & obe-
dientiæ eo nomine illi impenderis, qua-
liſcunque tãdem proprio merito fuerit,
ipſi Chriſto impenditur. Quem certum
eſt habuiſſe præ oculis Chriſtianiſsimos
principes, & religioſiſsimos imperatores,
qui ſupplices adorauerũt veſtigia Roma
norum pontificum, atq; ad eadẽ exoſcu-
landa ſe demiſerunt. Quod ipſum adeò
nihil minuit eorum dignitatem & auto-
ritatem apud ſubditos, vt tanto ſemper e
adem maior fuerit, quanto ſe fidelius hu
B milia uerunt ſub ipſo Chriſti vicario. In
ſumma, hæc vnica & certiſsima ratio eſt
reparandę & perpetuò cõſeruandę Chri-
ſtianæ vnitatis & concordiæ in catholica
Chriſti eccleſia (quã ille ſub nomine de-
fenſoris pacis impugnat plus quàm hoſti
liter) ſi omnes fidem, religionemq́; Chri-
ſti, vt à maioribus eam accepimus, ſanctè
religioseque colamus, nihil admittentes
nouitatis prophanæ, ſi meminerimus o-
mnes membra nos eſſe vnius corporis, ſi
nemo rex, nemo princeps aut imperator
ſibi, ſed vni Chriſto, & ad vtilitatem to-
tius eccleſiaſtici corporis imperare ſe co-
gitet: proinde ab illo, qui vice Chriſti to
ti ſuperintendit eccleſię, ouiliq́; Chriſti-
ano, libenter ſe regi permittat, eius impe
rijs fideliter obſequatur, nec imaginetur
ſuæ dignitati, autoritatiq́; aliquid detra-
hi, quò minus libera, nec vllis obligata ha
benis, ſibi ſit imperandi autoritas, ſed ea
ſuperiori autoritati ſubdita. Quandoqui
dẽ ſubiectione eiuſmodi communicatur
atq; inuicem cõſpirat membrorũ, quam-
uis diuerſiſsimorũ, vtilitas, nec aliter poſ
ſent aut mutuam totius ſalutẽ procurare
omnia: quin potiùs in mutuam & totius
conuerterentur perniciem. Quemadmo-
dum ſi imaginaremur membra humani
corporis (cui aptiſsimè cõparatur corpus
eccleſiaſticũ ab apoſtolo) vnumquodq;,

Vnica ratio reparãda & cõſeruãda in eccleſia Chriſtianæ vnitatis & concordiæ.

ſine reſpectu alterius, nõ expectato capi- C
tis imperio, imò contra eius imperium,
ferri pro arbitrio proprio. Non ſolũ enim
mutuã & totius corporis nõ procurarent
ſalutẽ, hoc quidem in digniori, illud ve-
rò in abiectiori viliorique, tamen neceſſa
rio etiã officio: non laborent manus oci-
oſo (vt ipſę dicerent) ventri, ſed etiam ſe-
quereẽ neceſſariò & ſchiſma & pugna in
corpore: aduerſus ſeſe inſurgerent, & ſeſe
mox vnà cũ toto exterminarent. Quam
rationem & reparandæ & cõſeruandæ in
eccleſia Chriſtianę vnitatis & concordię,
vt Chriſtus miſericordiæ ſuæ oculo ali-
quando nos reſpiciens, amplecti, ſequi-
que faciat, pijs votis precandum eſt. Sed
plurimùm vereor, ne nõ permittant pec
cata noſtra & ſcelera.

*Ditionem ſecularem eccleſia vindicare ab holli-
um eius calumnijs.*

CAP. XVI.

VNam adhuc reſtat diluere ca-
lumniã, quã maligni hi detra-
ctores ſtruunt eccleſiæ, & non
multum abhorrentium ab his
principũ auribus & animis ſedulò inſtil-
lare nõ ceſſant, perſuadentes ipſis iniuſtè D
detracta, quę eccleſiæ poſsident: præſer-
tim verò Rom. eccleſiæ ipſis ditio inui-
dioſa eſt, quã vi, fraude & ſcelere Roma-
norum pontificũ, Romano detractam ca
lumniantur imperio: in grauẽ & intole-
randam iacturam imperij: eiuſmodi pe-
ſtiferis perſuaſionibus harum rerũ igna-
ros principes armantes in eccleſiam, quo-
rũ eſt eandẽ tueri officiũ. Ita Carolus ille
cognomẽto Magnus, etiã teſtamento ob-
ligauit ſuos filios, vt ſuper omnia curam
defenſionemq́; eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſ
ciperẽt, ſicut, inquit, quondã ab auo no-
ſtro Carolo, & beatę memorie Pipino re-
ge, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt, vt eam cũ
Dei adiutorio ab hoſtib. ſuis defẽdere ni
tanẽ, & iuſtitiã ſuã, quantũ ad ipſos perti
net, & ratio poſtulauerit, habere faciãt.
Suprà demõſtrauimus, vt eccleſiaſticã
ſuã domũ Chriſtus ipſe hinc abiens in re-
gionẽ longinquã, velut procuratorio aut
vicario nomine regẽndam, adminiſtran
damq́; Petro cõmiſerit, & qui illi in eo of
ficio ſucceſſerunt Romanis pontificibus.
Itaq; ad eorum pertinere autoritatem &
officium, vt omnibus, qui in eccleſiaſtica
domo continentur, ſua poſsint præſcri-
bere officia: omnes continere in vnitate,
in concor-

Breuis repetitio eorũ, quæ ad eccleſiaſtica hierarchiæ præſidis officiũ & autoritatẽ pertinent.

A in concordia, in officio: ab omnibus poſſint ſuorum officiorum rationem exigere, delinquentes punire, exceſſus corrigere, quin & officio amouere, quos deprehenderunt inutiles. Exortas in eadẽ domo queſtiones & controuerſias, ſua definitione & autoritate terminare atq; componere. Breuiter, omnem altitudinem ſeſe efferentem aduerſus catholicam orthodoxamq; fidem, aduerſus ſanctorum patrum eccleſiaſticos canones deijcere & redigere in ordinem. Hæc neceſſariò ad patremfamilias domus eccleſiaſticæ, aut eum qui ipſius vices gerit, pertinent: ſi modò totius neceſſaria vnitas & concordia, conſenſuſq́; & conſpiratio membrorum eius omnium in mutuam, & totius vtilitatem conſeruari debeat. Hanc ab omnibus autoritatem, qui ad eandem familiam pertinent, ſanctè fideliterque in eodem recognoſci, venerari & reuereri o portere eſt planè neceſſarium.

In primitiua illa Eccleſia haud fuiſſe opus vllo externarum rerũ ſplendore in eccleſiaſtica hierarchia præſide.

In hac domo, quàm diu laborabat ſub preſſuris et afflictionibus penè continuis, ſub poteſtatibus huius ſeculi, quã diu ferè nullos habuit, quàm ſeculo ignobiles, contẽptos & humiles, quàm diu penè certo vitæ & temporalium bonorum periculo Chriſtianum nomen aut accipiendum B aut retinendum fuerat: vt mutuam inter ſe ſeruarent Chriſtianam illam vnionem & concordiam, vt religioſè ſubeſſent autoritati ſui capitis, & velut patrisfamilias, vt eius habenis & imperio diligenter, libenterque obſequerentur, haud erat opus vllo externarum rerum ſplendore in ipſo capite, ſed pauperes & humiles, aut qui ſe, ſuaſq; fortunas omnes contempſerant, & in certum penè periculum vltro coniecerant, quo Chriſti adſcriberentur ouili & familiæ, nõ dedignabantur eius paſtori, & rectori, quantumuis humili, abiecto ſecundum ſeculum, eiuſq; ſacroſanctæ autoritati, propter Chriſtũ ſe humiliter ſubdere.

At cùm placuit Chriſto pacem dare ſuę eccleſię, cùm eius fores pandere, & paſſim in eam introducere vniuerſos, etiam huius ſeculi poteſtates, reges, principes, regnaq; & imperia, non ignorauit idem, conſcius infirmitatis humanæ, conſcius arrogantiæ & ſuperbiæ, ſacroſanctæ illi autoritati, quam Petro ſucceſſoribuſque eius commiſerat, etiam alia ratione prouideri oportere, quò maneret iam nõ ſolis ſanctis & martyribus, non ſolùm humilibus, & abiectis ſecundũ ſeculum, ſed etiam ſecularibus hominibus, ſeculi po- C teſtatibus, & qui auro & purpura ſuperbiunt, regibus, principibus & imperatoribus, venerabilis: etiam metuenda nocentib. ſceleratis & trãſgreſſoribus: quò remaneret & libera & efficax ſuper vniuerſa membra eccleſiaſtici corporis, etiã ſuper ipſos reges & principes.

Itaque vt ratio amplius non ferebat, ſacroſanctę eius autoritatis ſedẽ, quam vrbem illi Romam (quo tandem compleret Danielis à ſe prædictum oraculum) diuina elegerat prouidentia, ſeruire ſecularium principum aut imperatorum imperio: ne fortè, cùm id res exegiſſet & eccleſiæ neceſſitas, non potuiſſet caput eccleſiaſtici corporis ſua membra continere in officio, non potuiſſet in ſupra ſe efferentes ſuperbè imperatores aut principes exercere libertatem diſtrictionis eccleſiaſticæ. Ita eadem ordinante prouidentia factum eſt, vt mox data pace eccleſiæ, apertiſque eius foribus pro admittendis paſsim omnibus, & in primis ingreſſo in eãdem Conſtantino imperatore, idem Romani imperij domicilium, Petri ſucceſſoribus, & ouilis Chriſti rectoribus cederet. Nam idem ipſe iam Chriſtianis dogmatibus imbutus & diuinitus etiam illuminatus facilè intelligebat non cõuenire, D vt vbi ſacerdotij principatũ, & Chriſtianæ religionis caput imperator cœleſtis inſtituit, illic imperator terrenus haberet poteſtatẽ. Quin magis (vt illius Nicolai verbis vtar) ipſa beati Petri ſedes in Romano iam proprio ſolo collocata, libertate plena in ſuis agendis per omnia potiretur: nec vlli ſubeſſet homini, quæ ore diuino cunctis dignoſcitur eſſe prelata. Decet nanq; Ro. pontificis, vt Chriſti vicarij, & cui totius eccleſię ſuæ, mẽbrorumq́; eius omnium curam, regimenque idem ille commiſit, liberam eſſe autoritatem, iudicia libera, vt nullus illum ſecularis poteſtatis metus, nullus terror exterreat, ſupra quam poteſtatẽ ſuam libere exercere debuit. Certè ita factum comprobat mille ducentorum circiter annorũ totius eccleſię conſenſus atq; ipſa rei euidentia. Ita quoq; & decuiſſe, oportuiſſeq; fieri demõſtrat ea, quã audiſti, ratio. Diuina verò ordinatione, nõ humano errore, non vi, fraude, aut ſcelere cuiuſquã factũ, nõ ſolùm illa Gamalielis ſententia comprobat, ſed etiam diuinum oraculũ, quo primùm per Eſaiam futurum prędixit, vt reges terræ & principes ſe humili-

Diuina prouidentia factũ, vt Conſtantinus ſedem Romani imperij Petri ſucceſſoribus cederet.

c. fundamenta de elect. lib. 6.

Diuinæ prouidentiæ teſtimonium.

A arent ſub eccleſia,& eiūs pręſidibus:& curui adorarent veſtigia pedum eorum,addēs æternæ damnationis interminationem his, qui hoc ipſum detrectarent facere. Gens enim,inquit ille,& regnum,quod non ſeruierit tibi,peribit. Deinde & illo, quo per Danielem prędixit,regnum hoc Chriſti,ſibi ſpecialiter ſubiugaturum & comminuturum Romanum imperium, quod ab illo Iulio & Romanis traxit originem. Quod iam plane redactum videmus in fauillas & cineres,ita vt nullæ eius ſuperſint reliquię. Nam quod adhuc durat imperium inchoatum ab illo Carolo, eccleſiaſticum eſt imperium,ab illo vetuſto plane diuerſiſsimū, non ſuccedens veteri,quin potius cum eodem concurrens,donec illud plane extinctum ſit.

Eadem æterna dei ſapientia, humani ingenij,morumq́ue noſtrorum conſcia, cum pateſeciſſet eccleſiam,etiam regibus, principibus & imperatoribus, ſane intelligens carnalibus hominibus, vt eſt pars maxima eccleſiæ,præſertim tumentibus & inflatis regali faſtu,ſceptro & purpura, nō ſatis reuerendam fore & venerabilem ſacroſanctam illam autoritatem, à qua regi voluit vniuerſam eccleſiam, ſi abiecta lateret in paupertatis ſordibus, eidem conceſsit vt ſugeret lac gentiū,& vt lactaretur mamilla B principum. Ad eandē tranſtulit gloriā Libani,& externarū rerū affluentia etiam ſublimauit,& extulit ſuper reges & principes: quemadmodū ſe hoc facturum Eſaiæ oraculo tam diu ante prædixerat: Ita factum videmus, vt nulla vi, nulla fraude, nulla ambitione,ſed legitimæ donationis, & vltroneæ ſubiectionis titulo maxima pars Italiæ paulatim accreuerit ditioni Rom. eccleſię.

Blondus Foroliuienſis poſt Lateranenſem illorum fere temporum ſcriptorē autor eſt,quod poſtquam deficiente in Italia illo Romanorū imperio, Longobardi maximam eius partem ſuæ ditioni ſubieciſſent,longoq́; tempore poſſediſſent, Arithpertus Longobardorū rex, zelo religionis accenſus,donauerit B.Petro, atque eius cathedram tenenti Ioanni VII. præter Hexarchatum Rauennatem,etiam Alpes Cocias, in quibus eſt vrbs Genua,& quicquid ab ea ad Alpes vſq; Galliarū fines continebatur. Cui vno conſenſu ſubſcribunt ſcriptores vniuerſi. Hanc donationem eiſdem illis autoribus Luithprandus eiuſdem gentis rex confirmauit: Inprimis Gregorio III. tametſi adhuc ſibi retineret vrbem Rauennatem,quam expugnauerat. Deinde ad ſe

Arithpertus Longobardorum rex quæ donauerit Romanæ eccleſiæ.

Narniā venienti Zachariæ ſucceſſori Gregorij,vt Italiæ pacem componeret, idem rex octauo miliario honoris cauſa obuiam factus,& ex equo deſcendens pedibus ſanctiſsimum,tametſi reluctantem ne faceret, in ciuitatem comitatus eſt. Quod die inſequenti,inter miſſarum ſolennia publica oratione docente Chriſtiani regis officium ſeu pacem,ſeu bella gereret, ita tradūt permotum regem,vt ſtatim omne pacis componendæ arbitriū illi permiſerit. Cui tunc reddidit etiam oppida ſua in Sabinis capta, reddidit & Narniam, & Anchonam ex Picentibus,& quicquid à Lōgobardis triginta iam annis in Hetruria occupatū fuerat. Sutrini quoq; agri vallem magnam dono dedit pontifici. Quem redeuntem Romā, Hildebrandus dux Cluſinus,regis nepos,& Ramingus dux Tuſciæ,comitati ſunt: atq; oppida donata reddiderunt. A quo tempore,ad quartum deinceps regem Longobardorum Aiſtulphum ſua omnia in pace poſſedit Romana eccleſia. Sed vir ille ſuperbiſsimi & perfidi ingenij,pacis hoſtis, mox inuaſit ditionem eccleſiæ,& Rauennā cum Hexarchatu eidem abſtulit. Qua cauſa Stephanus II. ad Pipinum in Franciam profectus,vt eius imploraret auxilium,nullo non honoris genere ab eodem exceptus eſt. Siquidem ille Carolus Pipini filius,tum adoleſcens mox regni limites ingreſſum excepit,& centum miliaribus comitatus Carſiacum vſq; perduxit. Cui Pipinus occurrens ad tertium lapidem, & equo deſcendens,pontificis pedes venerabundus oſculatus eſt,& pedes incedēs à freno equi quo vehebatur pontifex, nunquam diſcedere ſuſtinuit,donec perductum in vrbem collocaſſet in cubiculo, vbi diuerſurus erat. Ea tunc extitit maximorum & florentiſsimorum regum erga Rom. pontifices reuerentia. Poſt expoſitam deinceps ſui aduentus cauſam, Pipinus ſub iureiurando promiſit pontifici,eccleſiæ ſe cauſam defenſurum pro viribus. Quamuis adeſſent etiam ab Aiſtulpho oratores,qui regis animum in diuerſum ſolicitarent. Quo magnopere id expetente, pontifex apoſtolica autoritate, & ſacra inunctione, in regiæ dignitatis honore confirmauit Carolum & Carolomannum Pipini ipſius filios. Quem deinde ſecundo cum exercitu ingreſſum Italiam (nā prima vice Aiſtulphus perfidia ſua ipſum eluſerat,quamuis vltra iuſiurandum, datis de reſtituendo ablata eccleſiæ omnia obſidibus) oratores Conſtantini imperatoris Conſtantinopolitani, Ioannes Silentiarius, & Gre-

Stephanus II. contra Aiſtulphum ditionem eccleſiæ occupātē, Pipinū Francorum regem implorauit auxilium.

Stephanus petente id Pipino, Carolum & Carolomannum eius filios apoſtolica autoritate in reges conſecrat.

C D

A & Gregorius Protoſecretarius, in agro Papienſi conueniunt, datiſque muneribus orarunt, vt Rauennam & eius Hexarchatum, imperatori Conſtantinopolitano (cuius eſſet iure) non pontifici Romano redderet. Quibus ille: Non ſui commodi cauſa iam ſecundo veniſſe in Italiam, ſed propter animæ ſuæ ſalutem reſpondit, ne videlicet Longobardi eccleſiam laceſſere pergerent. Rauennam vero, atq; eius Hexarchatũ, cæteraq; quę occupaſſent in Italia, ſe velle illis auferre & Rom. pontifici reddere. Quod & ſecit, coacto ad deditionem Aiſtulpho.

Erat autem Hexarchatus in regiones duas diſtributus, Pentapolim & Emiliam. Pentapolis habebat vrbes quinque, Rauennam, Ceſennam, Claſſen. Forumliuij, Forumpompilij. Emilia à foro Cornelio, quam nunc Imolam dicunt, vniuerſa quæcunque eiuſdem oominis via, omnium Italiæ celeberrima, per Bononiam, Mutinam, Rhegium, Parmam & Placentiam, ad Padum vſque complectitur, continebat. Agrorum autem terminos, à ſummis Apennioi iugis ad Padum vſq; (ſicut & nũc) ptẽdebat, Rauennatẽ quoq; agrum, ab ipſo pariter Apennini iugo, per Fauentinos ad Padum, & per Ceſenates Ceruienſeſque, cum ſua itẽ B agri portione, à ſummo Apennino ad Adriaticum mare. Quicquid præterea, aut agri, aut terræ inter Mintium, Padumque interiacet, à Veronenſis, Vincentini, & Patauini agrorum finibus, in Venetorũ ſtagna atque Adriaticum pelagus continebatur. Ita, vt non minus Ceruia, Ceſenna, Fauentina, Comacium & Ferraria, quam aliæ, quas ſub Pentapoli nominauimus, ſub Rauenoati Hexarchatu cenſerentur. Breuiter ipſa Hexarchatus appellatiooe continebatur, quicquid à Placentinis agri Papienſis finibus, Padum inter, Apenninum, Venetorumque paludes & ſtagna, ad Adriaticum mare pertingit, ad Ariminum vſque. Quam etiam ciuitatem, & quicquid inter Hiſaurum fluuium, qui nunc Folia dicitur, Apennino, Adriaticoque hinc ille clauditur, & vltra Ariminum Concham, poſtea mari ſubmerſam, Piſaurum, Faoum, Vrbinum, Colles Luceolis, Narniam, Picentes quoque, & Borbi oppida, oumero viginti à Boijs olim dicta, & caſtella viginti. Hæc, inquam, omnia Pipinus ablata Longobardis, Roma. eccleſiæ, & Stephano eius pontifici reſtituit. Quæ cum poſtea Deſiderius Longobardici nominis rex vltimus, contra iuſiurandum rurſus inuaderet, ab Adriano pontifice anathematis interminatione prohibitus, ceſsit quidem retro & ab incepto deſtitit. Attamen ablata non reſtituit. C Quæ cauſa fuit illi Magno Carolo funditus extirpandi ex Italia regni Longobardici, quo videlicet Romana eccleſia ſuis in pace frueretur ditionibus. Quo peracto, Romam veniens, factas dudum à Longobardorum regibus Romanæ eccleſiæ donationes, per auum & patrem iterum iterũque defenſas ab hoſtili vſurpatione, & reſtitutas eidem, non ſolum etiam ipſe reſtituit, ſed auxit inſuper, addens eidem, quicquid habet Ligura ab vrbe Luna iam pridem euerſa, vſque ad Alpes, fines Italiæ. Adiecit etiam Corſicam inſulam, velut ad eum tractum pertinentẽ, & quicquid inter Lucam & Parmam interiacet. Addidit præterea & Forumiulij Hexarchatui, in quo quid comprehendatur, iam explicatum eſt. Et Spoletinũ, Beneuentanumq; ducatus. Quorum iſte eatenus, & aliquandiu poſtea à Longobardis retentus eſt. Literas Caroli donationis illiuſmodi, quibus prædicta omnia cõtinentur, teſtatur Lateranen. bibliothecarius ſe vidiſſe autographas. In quibus dicit Mutinam non nominari, quod tunc euerſa eſſet, at Mantuam contineri affirmat, & montem Silicis, & Venetam prouiociam, & Hiſtriam. In quibus Foroiulien. ducatus D includitur.

Carolus Magnus funditus extirpauit ex Italia regnum Longobardicum, quo Romana eccleſia in pace perfruatur ſuis ditionibus.

Donatio Caroli Magni facta Rom. eccleſia.

Et hæc annis circiter XXIIII. peracta ſunt à Carolo, priuſquam Auguſtalibus decoraretur titulis, imo priuſquam eſſet hoc noſtrum imperium, quod in illo Carolo cœpiſſe demonſtrauimus. Ita, vt iure ac legitime an ſecus facta, quiſquis diſputare voluerit, in neutram partem ad noſtros imperatores pertinent: vt quæ præceſſerunt vniuerſum hoc, in quod ipſi ſuccedũt, imperium.

Acta hæc annis 24. ante initium huius noſtri imperij.

Acceſsit his Mechtildis comitiſſæ ditio, quæ moriens, ex teſtamento legauit Romanæ eccleſiæ, quicquid à Piſia amne, & S. Quirieo agri Senen. vſq; ad Ceperanũ inter Apenninũ & mare interiacet. Iã & Beneuentanus tandem ducatus. Et poſtremo vtraq; Sicilia, Nortmannorũ fratrũ, Tancredi filiorum virtute vindicata à Saracenis & Græculis, vltro acceſſerunt ad ius Romanæ eccleſiæ, à quo poſt in Rogerio accepit regni titulos, & vſque nunc feudũ eiuſdem recognoſcitur.

Mechtildis comitiſſa donationem legatum, ducatus Beneuentanus.

De Conſtantini igitur donatione facta Romanæ eccleſiæ, qui tã ſerio diſputãt, etiã magnis editis voluminib. nũ ſit cõmẽtitia, nũ donare potuerit cũ diminutiõe imperij ſucceſſorũq; prędiudicio (In quo argumẽto ſibi mirificè placet Laurentius Vallẽ. homo parum

De Conſtantini donatione qui tam ſerio diſputant, quam ſrecant opera præcium, Laurentius Vallen.

A parum eccleſiaſticus) quam faciant operæ precium, quiſquis iudicat pro ſuo & affectu & ingenio. Mihi ſanè perinde facere videntur, ac ſi ab illo Cyro, eorum quæ egerit cum ſuis illis Perſis, rationem exigerét, aut Alexandrum Macedonem, repetundarum poſtularent, quod priuatis quibuſdam obſcuriſq; hominibus, ne parum regulariter munificus liberaliſq; haberetur, integras ciuitates condonauerit, in ſucceſſorum (vt hi quererentur) præiudicium, & damnum ſuæ illius reipub. Nam dederit, non dederit Rom. eccleſiæ Conſtantinus aliquid, valuerit, nec ne donatio eiuſmodi: vſurpauerint, non vſurpauerint aliquid ab illo imperio, ſeu Romani pontifices, ſeu quicunque alij (quemadmodum vſurpaſſe Galliam Francos, Britanniam Anglos, Hiſpaniam Gothos, atque alias nationes alia plurima, regumq́ue & populorũ continua ſucceſsione in hunc vſque diem retinuiſſe certum eſt) breuiter, quicquid eo tempore de Romano illo imperio factũ, infectumúe fuerit, ad noſtros imperatores nihil mihi pertinere videtur. Potuerunt fortaſsis de eo queri Conſtantini in illo imperio ſucceſſores, ſi is ſua profuſione notabiliter læſiſſet rempub. ſtatumq́ue minuiſſet impe-B rij. Sed iamdudum vniuerſa illa (vt ſupra demonſtrauimus) cum ſuo imperio deſecit à Conſtantiuo ſucceſsio & poſteritas. Noſtri enim, non Conſtantino, ſed Magno illi ſuccedunt Carolo qui non à Conſtantinopolitanis imperatoribus (quorum & tunc & diu poſtea ſupererat ſucceſsio) ſed à Romano pontifice ſuum accepit imperium. Quare, quid in illo Conſtantini imperio factum aut non factum fuerit, tantum ad eos pertinere arbitror, quantum, quid olim in illo regno Perſarum aut Macedonum.

Vt itaq; haberemus vniuerſam illam Conſtantini donationem (quemadmodum Vallenſi placet) fabuloſam & commentitiam. Quanquam non eſſe planè fabuloſam, teſtatur beatus Damaſus in actis ſancti Sylueſtri pontificis, cuius, vt cæterorum omnium ante ſe Romanorum pontificum vitas à beatiſsimo Petro exordium faciens, perſtrinxit, & ſuæ fidei teſtimonio commendauit poſteris. Cui vt in omnibus indubia merito fides habenda eſt, ita maximè in actis Sylueſtri, cuius vixit temporibus, & cui poſt XXXVI. tantum annos ſucceſsit in pontificatu Romanæ eccleſiæ. Teſtatur præterea totius orbis ab illo tempore ad præſens vſq; conſenſus, ipſaq; rei euidentia: qua perſpicitur in hiſtorijs omnibus, Romanam vrbem poſt Conſtantini tempora non fuiſſe ſedem imperialis reſiden-C tiæ, vt quam ille ceſſerat ſacerdotio & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi. Quamuis donationis eius fidem obſcurarint poſterorum fabulæ, quibus eandem in immenſum exaugentes, ipſi quoque veritati fidem detraxerunt. Id quod magis dolo quorundam, male eccleſiaſticorum factum crediderim, vt ea arte, admixtis videlicet cum ſyncera veritate impudentibus, ac penè palpabilibus mendacijs, etiam illam ipſam incredibilem facerent, quàm ſtudio aliquorum nimis fauentium dignitati Romanæ eccleſiæ. Cuius cauſa, illorum mendaciorum patrocinio non indiget, vt, inquam, de illa Conſtantini donatione fuerit quicquid volueris, hoc omnium hiſtoriarum certiſſima fide conſtat, Romanam eccleſiam ante Caroli Magni imperium ex Longobardorum Francorumq; regum donatione legitima abſque controuerſia poſſediſſe vniuerſa quæ adhuc hodie aut poſsidet, aut ſui iuris eſſe contendit, præter patrimonium, (quod dicitur beati Petri) ex legato Mechtildis, & ius vtriuſq; regni Siciliæ, quę poſtea acceſſerunt.

Hæc ideo libuit adſcribere aliquanto D diligentius, quo intelligerent omnes quàm peſtilentes hi ſint conſiliarij, qui iſtatum rerum ignaris perſuadent principibus, vi, fraude, & ſcelere Ro. pontificum ipſis detracta, quæcunque Romana eccleſia poſsidet. Cum contra potius conſtet imperatores noſtros omnem ſuam imperialem autoritatem vni debere Romanæ eccleſiæ. Illam vero nihil aut dono recepiſſe, aut vi, fraudeúe vſurpaſſe ab iſtis aut horum maioribus, ſed partim ab illo veteri imperio, (quod, iuxta Danielis vaticinium iam pridem redactum eſt in fauillas & cineres, ita vt iam nullæ eius extent reliquiæ, & ſi extarent, nihil prorſus ad noſtros pertineret) donatione Conſtantini principis, partim vero donatione regum Longobardorum & Francorum, poſſediſſe priuſquam natum eſſet hoc noſtrum imperium. Quod ſi, vt eſt, ita intelligerent noſtri reges & principes, merito cogitarent, non de minuenda, ſed de tuenda, augenda & ornanda potius dignitate eccleſiæ, præſertim quum palam ſit maioribus illis noſtris, glorioſiſsimis videlicet religioſiſsimiſque principibus, domi foriſq́ue vberius, copioſius, feliciuſq́ue proueniſſe omnia, quàm his qui contraria graſſantur viâ. Ita nimirum penſante diuina ſapientia & iuſtitia, vt quantum quiſque ſuis ſuperioribus debitæ obedientiæ detrahit, tantũ ſibi detrahatur à ſubditis: quanto vero

Concluſio. Romanam eccleſiam nihil accepiſſe à noſtris imperatoribus, imo contra hos omnem ſuam imperialem autoritatem vni illi debere.

A vero impendit liberalius & ſyncerius, tanto ſibiquoque impendatur magis & fidelius, vt in quibus quis peccat, in eiſdem & puniatur. Sic vere videmus, hos noſtros rapiendo donata à ſuis maioribus & anteceſſoribus, egere perpetuo: quum illi largiendo eccleſijs abundarent, & diuinam benedictionem ſentirent. Hos in eccleſiam ſuperbè, contumelioſeq́ue inſurgendo, ſibi quoq; rebelles & contumaces ſentire ſubditos, cum illis religioſiſsimè obedientibus, & ſubmiſsiſsimè ſe ſubmittentibus capiti & rectori eccleſiæ, viciſsim deuotè ac fideliter obediretur à ſubditis. Hoc ipſo, ſi ſaperent & intelligerent, noſtros erudiente diuina miſericordia, quanto glorioſius & felicius illorum maiorum ſuorum, æmularentur potius fidem, religionem, pietatem & exemplum, quorum virtus & gloria lucet & coruſcat per eccleſiam, quorum memoria ſancta in benedictione eſt: quàm vt his ſaerilegij nunquam expiandis aur eluendis ſordibus gloriam ſuam, & maiorum imagines commaculent, & impijs impiorum ſuggeſtionibus auſcultando, C
diuina, humana, ſacra, prophanaq́ue confundant omnia.

FINIS LIBRI QVINTI.

HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE LIBER SEXTVS,

Rationem, formam, & autoritatem, eccleſiaſticorum conciliorum explicans ac demonſtrans.

Quæ conciliorum origo, & quid eis in vniuerſum ex propria ſua ratione conueniat.

B *CAPVT I.*

ECCleſiaſticæ hierarchiæ cauſam peregiſſe iam penè mihi videbar, cum derepente me reuocaret ac retineret indictum iamdudum ac inſtans generale concilium, & ſuam quoq; cauſam aliquanto tractare exactius, ſuæq́ue autoritatis modum (quæ illi contra ſuam ipſius conſcientiam à quibuſdam tribuitur immodica) liberius noſtro more diſcutere, & ad ea quæ ſupra conſtituimus, eorum quæ ad fidem religionemq́ue pertinent, indubia certiſsimaq́ue principia, exigere & examinare coegit: ne aut cum vſus poſtularet, eandem in expedito non haberet: aut in eccleſiaſticæ hierarchiæ confuſionem tranſiliret imprudens: quandoquidem de ea adhuc ſub iudice lis eſt. In qua, tametſi annis his proximis centum, hoc eſt, poſt tempus Conſtantien. concilij, tam multa, tam præclara, diuini & humani iuris profeſſorum ſudarint ingenia, vt penè temerarium videatur, poſt tales tantoſq́ue viros, eadem de re ſcribere: viſum tamen eſt illis ipſis vniuerſalibus concilijs, ſuam cauſam nondum pertractatam ad viuum à quoquam, nec pro dignitate ac merito. Ego vero tametſi non ignorem quàm ſit difficile, quàm inuidioſum, quàm calumniæ expoſitum, tractata à tam multis, præſertim eruditione & autoritate præcellentibus, conari retractare. Quæ enim ſpes eſſe poterit, in re toties, tam diligenter diſcuſſa, nouitate placere? At mors eſt, iuxta vetus prouerbium, bis poſita crambe. Deinde vt illam recoctam vitantes, tamen poſt tales tantoſq́ue eadem de re qui ſcribit, temeritatis accuſationem vix poteſt effugere. Qui niſi hoc ſibi perſuadeat, ab illis omnibus haud ſatisfactum argumento ſuſcepto, ſe vero illud ipſum poſſe tractare & explicare rectius, copioſius & luculentius, actum agere, atque operam ludere conuincitur. At hoc ipſum ſibi perſuadere quenquam, inſolentiæ ac temeritatis plenum ſtatim videtur.

Cauſa difficultatis in ſuſcepto argumento. D

Iam vero & ſcriptorum & patronorum autoritas, ipſi fortaſsis veritati contraria, & nata hinc præiudicia eorum, qui ipſa cauſæ merita non exactè intelligunt, quantum illi difficultatis obijciunt, qui poſt omnes & aduerſus omnes, ipſam (quæ ſibi videtur) veritatem conatur aſſerere, & iamdudum altius receptas aduerſus eandem opiniones refellere ex mentibus hominum?

Tamen

A Tamen poſtquam hoc ſaxum voluere cœpimus(Nam & in ſuperiori omni de eccleſiaſtica hierarchia diſputatione eandem ſubiuimus aleam)& tractatio hæc cum illo magnam cognationem, aut potius neceſſariam quandam connexionem habet: inſuper & publica ipſa eccleſiæ neceſsitas, ob tam ingruens tempus celebrandi concilij, vt omnis eius forma, ratio, autoritas, prorſus ac certo nota & clarè demonſtrata habeatur, omnino exigere videtur, ad quæ iam magnus ſuperiori diſputatione gradus factus eſt: quo de taléto mihi credito, Chriſto & eius eccleſię ſeruiam, ſciens prudensque in periculum venio. Conaborque vniuerſam hanc conciliorum cauſam, & autoritatis eorundem, à vertice (quod aiunt) vſq; ad extremum vnguem (quod ab aliorũm nemine factum reperio) explicare pro viribus, vni vbique (quod in me erit) veritati ſeruiens. Quam ſi cui videbor non vbiq; aſſequi, efficiam tamen, vt is ille ipſe intellecturus ſit, mihi ſtudium non defuiſſe. Certè ſciens volenſque in nullius alterius gratiam quicquam dicturus ſum. Cui ſi & tu, Chriſtiane lector, æquè faueas, nec vllo in vllam partem ducaris affectu, nullo tenearis aut præpediaris præiudicio, confido in Chriſto veritatem vna facilè nos inuenturos. Quæ ideo præfari volui, quod nolim, ſi
B cui hæc noſtra non facient ad ſtomachum, quenquam ita ſibi de me perſuadere, quaſi apoſtolicæ ſedis & Romanæ eccleſiæ cauſam, quàm ipſius veritatis, egerim diligentius. Nam ad vnam hanc nos reſpexiſſe perpetuo, & nihil in vllam partem dediſſe affectui, ſed eo me ſubſecutum ſemper, quo pertraxit vis ipſa demonſtrationis, ex certiſsimis illis ante à nobis conſtitutis ſtabilitisque principijs, vt Chriſtum teſtem, ita & periurij vindicem inuoco in animam meã, ſi mentior. Magni beneficij loco acceptu rus, ſi quis noſtris cõfutatis certius aliquid attulerit & verius.

Propoſitio cũ partitione. Conciliorum itaque eccleſiaſticorum formam, autoritatem, & rationem vniuerſam explicaturi, ac originem, paulo altius ordiendum duximus, ab ipſa videlicet ratione nominis, vnde incipere debet omnis rectè inſtituta & ordinata de re quacunque tractatio, & primo inueſtigandum de concilijs in vniuerſum, quid ex propria ipſis ratione conueniat. Deinde ad ipſa, de quibus quæſtio eſt, eccleſiaſtica veniendum concilia. Eaque in ſua membra, ſeu ſpecies ſeu genera dixeris, ritè partienda, & vnũquodque ſigillatim conſiderandum, quæ cuiuſq; forma, quod officium, vnde originem inſtitutionemq; habeant, quę & vnde cuiuſq; autoritas. C

Eſt autem (vt in vniuerſum prius loquamur) conciliorum antiquum omnino inuentum, neque tam diuinæ, quàm humanæ inſtitutionis, recta ratione euidenter dictáte, res dubias à pluribus, iiſque prudentibus, vſuque peritis, in commune conſultantibus, quàm ab vno aliquo, diſcuti tractarique rectius. Quod enim vni non ſuccurrit, alter ſuggerit, & quod dici ſolet, plus vident oculi, quàm oculus. Itaque, vt agendarum rerum autoritátem ſummam, eadem duce magiſtraq; natura vni committendam eſſe: ita de rebus dubijs conſultandum cum pluribus, & recta ratio docuit, & vſus comprobauit. *Concilia recta ratione inuentum.*

Conciliorum igitur quod ſit opus proprium, ipſa nominis indicat ratio, nempe, conſultare, conſiliaque conferre. Proinde, ſi omnes ab initio conuentus hominum, ciuileſque ſocietates mente percurreris, diligenterque conſideraueris, ſeu monarchias, regna, imperia, ſeu reſpublicas, liberaſq; communitates vniuerſas, hoc ſemper inuenies, negociorum publicorum conſultationem fuiſſe penes multos, numero tamen mediocri ac definito, ingenio vſuque rerũ præſtantes: at rei gerendæ autoritatẽ ſummam penes vnum aut paucos, quam ab vno felicius geri, quàm à multis, non ſolum ratio docuit, ſed probauit experientia. Idque eo ſemper efficacius, quo eſt vnitas abſolutior. Quod re ipſa edocti Romani illi quõdam rerum domini, quamuis alioqui populari libertati plus nimio indulgentes, quoties tamen vis aliqua externa vrgeret rempub. & inſigne aliquod minitaretur periculum, ſuæ illius libertatis obliti, & publicę vtilitati neceſſario conſulentes diligentius, ad vnius ſemper confugerunt imperium, vni dictatori ſummam poteſtatem liberam deferentes, etiam in Romanorum ciuium capita: à qua nulla eſſet prouocatio. Id quod perditis, deſperatiſq; rebus ſalutare remedium ſemper experti ſunt. *Conciliorum opus propriũ.* D

Concilijs ita ex propria ſua ratione haud aliud, quàm conſultare, deliberare, & quid melius aut vtilius, inuenire conuenit. At agendi exequendique ea, quæ deliberando, conſultandoque à concilio inuenta ſunt, poteſtas ad ſummam in repub. autoritatem pertinet. Cui adeſſe quidem, non autem præeſſe concilia, in omni monarchia beneque inſtituta repub. certum eſt. Prœeſſe dico cum ſuperiori quadam coactiuaque poteſtate. *Vt ſe habeãt concilia ad ſupremam in rep. autoritate, & ſua cuiuſq; diſtincta officia.*

A ſtate. Quandoquidem pluribus (quod ſupra prolixius demonſtratum eſt) nequaquã rectè committitur ſuprema regiminis autoritas. Quod ſi fit, diſpertita in multos, inefficax redditur, & ſeditionibus locum dat, occaſionemque miniſtrat. Sed vnius imperio (quantũ ex ipſa autoritatis ratione eſt) omnem multitudinem regi facilius, gubernarique felicius, & ratio docuit, & natura monſtrauit. Cuius & in nobis euidens eſt naturę ipſius exemplum cernere, in quibus eſt etiam regni cuiuſdam abſolutam quandam videre imaginem. In quo voluntas, rerum omnium ſummam regiamque & liberam quandam poteſtatem obtinet, cui cæteræ quidem potẽtiæ ſeruiunt: at ratio ſenatus cuiuſdam liberique concilij locum tenens, illi conſultando, monſtrandoque quæ recta ſunt & vtilia, ſalubriterque admonendo, adeſt ſedulo: ſed exequendi ea, quæ ſalubria & vtilia viſa ſunt, nullam poteſtatem habet: ſed ad regiam illam voluntatis autoritatem hoc pertinet: cui ſi placent rationis conſilia, ea exequitur: ſin diſplicent, contemnit ac negligit. Et quamuis ipſam rationis conſilijs obtemperare conueniat, eius tamen eſt libera abſolutaque autoritas: nec rationis ſuper ipſam vlla cogendi poteſtas, ſed contra potius.

Exemplum naturæ in homine.

B Ab hoc rationis naturalis inuento conciliorum vſum tranſlatum conſtat, etiam ad regnum illud inter nos Chriſti, hoc eſt, Chriſtianam eccleſiam, confirmante quidem eundem, atq; eius vtilitatem conteſtante, ſacro illo ſpiritu, attamen quæ nullam alioqui à Chriſto ſpecialem inſtitutionem habeant: quemadmodum poſt erit manifeſtius, quum rationes & motiua eorum diſſoluerimus, qui concilijs autoritatem ac poteſtatem attribuunt immodicam, nec ab vllo priorum & legitimorum ſine controuerſia conciliorũ recognitam. Sed vt dixi, vſu rationeq; docente, à multis, rerumque peritis, & in commune conſultantibus magis inueniri ac diſcerni, quid verum, aut quid vtile in eo, de quo ambigitur.

Itaque ſi formam & occaſionem conſideres primi illius ab apoſtolis celebrati concilij, & in illo ipſo plane videbis, etiam eam originem, eamque conciliorum rationem, quam nunc explicauimus. Nam quum non leuis Antiochiæ ſuborta eſſet dubitatio & quæſtio, quæ vniuerſam illam ad ſeditionem vſq; conturbabat eccleſiam, docentibus quibuſdam etiam gentes conuerſas ad Chriſtum, legem Moyſi vna cum euangelio ſeruare oportere, contradicentibus autem Paulo & Barnaba, cum inuicem concordari non poſſent, miſerunt Hieroſolymam ad apoſtolos & ſeniores conſultatum ſuper hac cõtrouerſia. Quibus conuenientibus in concilium, cum diligens fieret conquiſitio, quibuſdam hanc, quibuſdam illam ac diuerſam partem tuentibus: ſurgens Petrus eccleſiaſticæ hierarchiæ, atq; illi etiam concilio præſidens, protulit veritatis ſententiam, & gentes ab omni illa Moſaicæ legis ſeruitute liberas pronunciat, cui à Iacobo, in fauorem ſibi commiſſæ circuncifionis eccleſiæ, paucula quædam addenda viſa ſunt, quæ & ipſa placuere concilio. Cuius nomine Antiochenis reſponſum eſt ſuper quæſtione propoſita, ſcribentes, & ſibi ea viſa & ſpiritui ſancto. De cuius ſenſu & ſententia ſecurius perhibere poterant teſtimoniũ, vt qui eius primitias acceperant, ipſumq; doctorẽ inſtructorẽq; ſingulari priuilegio ſortiti fuerant, confirmati inſuper illa Chriſti promiſsione: vbicunque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorũ ſum. Hoc primum fuit eccleſiaſticorũ conciliorum omnium. In quo nihil vides ſupra modum rationemque concilij ſupra expoſitam, nempe conſultationem, reſolu- D tionemque quæſtionis propoſitæ. Vides nihil ſpeciale edoctos Antiochenos de ſingulari vlla eccleſiaſticorum conciliorum prærogatiua & autoritate, ratione ipſa naturali duce magiſtraque ad eos retuliſſe quæſtionem ſuam, quos certum erat magis ſcire legem, de qua ambigebatur, voluntatemque Chriſti, nempe ad apoſtolos ſenioreſque qui ab initio cum ipſo conuerſati fuerant.

Forma & occaſio concilij apoſtolici.

C

Quod itaque nullam ſupernaturalem ſpecialemque à Chriſto inſtitutionem eccleſiaſtica concilia habeant, præſertim vniuerſalia, circa quæ præcipuè omnis vertitur quæſtio, & hæc noſtra diſputatio, ſi ad Theologica illa à nobis conſtituta principia reſpexeris, euidens tibi indubitatumq; videbitur. Nam in ſcripturis canonicis, nullum de eis verbum eſt. Nec ex apoſtolorum inſtitutione ſpeciale quicquam de illis accepit illa primitiua Chriſti eccleſia. Primum certum eſt excutienti vniuerſum noui teſtamenti canonem. (Quàm enim nihil ad ea pertineant, quæ à quibuſdam malè ac violentè accommodantur eiſdẽ, poſt euidens faciam, quum ad eum locum peruentum fuerit.) Secundum vero vel ex eo indubitatũ redditur, quod ante Nicenum illud, omnium vna ſententia, primum vniuerſali-

A ponderá,quod importent priuilegium. Eiuſdem inſuper nobis autoritatem commendans: Et facies,inquit,iuxta verbum quod annunciabunt tibi ex loco quem elegerit dominus deus tuus,& cuſtodies valde vt facias iuxta omnia,quæcunq; ſancita fuerint tibi (ita eſt apud LXX.)quod ipſum in Hebraica veritate legitur aliquanto clarius & ſignificantius, hoc pacto ad verbum reddita:Et cuſtodies,vt facias iuxta omne quod te docuerint,iuxta legem quam docuerint, & iuxta iudiciū quod dicent tibi, facies. Non diſcedes à verbo,quod annunciauerint tibi,ad dextram aut ſiniſtram. Ex quibus vtique verbis clariſsimè conſtat, ſacerdotalis concilij in ſynagoga illa veteri,ſingulare diuinæ aſsiſtentiæ priuilegiū, ne labi aut errare ſineretur in ſuis iudicijs, ſententijs ac definitionibus: ſiquidē ſecuros illos reddidit deus de veritate eorum, quæcūq; ab ipſis definita,iudicata, aut ſancita forēt. Cōſtat præterea,quāta,quā ſacroſancta fuerit eiuſmodi concilij autoritas, cui tā indiſcuſſe, tā ſolicitè, tā diſtrictè omnes prorſus obedire præcepit:& cuſtodies,inquit,nō negligēter aut ſecurè, ſed valde. Quod verbū ſignificationis gratia addi tū eſt à LXX. hoc eſt,admodū ſolicitè,vt facias iuxta omne quod te docuerint. Vides B vt nihil exceperit, vt noluerit negligenter attendi & haberi illorum doctrinam,iudicia & præcepta: ſed valde ſollicitè ac diligenter,ne eam transgrederentur vel in minimo. Siue enim quæſtionis aut dubitationis ortæ de lege & cæremonijs prolata fuerit ab eis definitio,ſine ambigui iudicij ſententia: Iuxta legem, inquit, quam docuerint,& iuxta iudicium quod dicent tibi,facies. Non diſcedes à verbo quod annunciauerint tibi,ad dextram aut ſiniſtram. Quod ſi in ſynagoga illa veteri tale fuerit in ſacerdotali concilio diuinæ aſsiſtentiæ tam ſingulare priuilegium,ſi talis,tanta, & tam ſacroſancta eiuſdem autoritas:quid ergo,inquies,naturali ratione, & non potius diuinæ ſpeciali inſtitutioni accepta ferenda contendimus concilia? Quid deniq; Chriſtianæ eccleſiæ, eaque ſacratiſsima atque vniuerſalia concilia,humanum atque adeo prophani hominis imperatoris Conſtantini inuentum facimus,nec vllam ſupernaturalem ac ſpecialem inſtitutionem à deo habere? Nam ſi ab vmbra illa & figura veteri (quod ſupra non ſemel adſtruximus) ad ſolidam noſtræ eccleſiæ veritatem efficax argumentum ducitur, æque apud nos fateamur neceſſe eſt,eccleſiaſticorum conciliorum diuinam, non humanam inſtitu- C tionem,& diuinitus datam ipſis autoritatem ſacroſanctam, & ſingulare priuilegium,quæ in illa veteri ſynagoga,tam inſigni priuilegio,tam eximia autoritate à deo donata demonſtrauimus.

Dicta obiectionis ſolutio.

Sed hic in primis admonitum te volo Chriſtiane lector, non continuo ſequi, ſi diuino præcepto nobis commendetur regum,ducū,magiſtratuumq́; prophanorum autoritas, eidemque obedire doceamur à deo & apoſtolis, quod ergo ſupernaturalem aliquam aut ſpecialem à deo inſtitutionem habeant. Certum eſt enim omnes humanarum ſocietatum & magiſtratuum, quibus neceſſario gubernantur,formas,diuerſitates,ſpecies,humanæ rationis eſſe inuentum,nec vllam ſpecialem aut ſupernaturalem habere inſtitutionem à deo. Attamen æque certum eſt doceri diuinis apoſtolicíſque literis, vnumquenque in ea, in qua eſt,ſocietate præcipientibus magiſtratibus obedientiam debere. Moyſes quum ſolus fruſtra fatigaretur regimine immenſi populi,non diuinitus deſuper illuminatus,ſed ad conſilium Ietro hominis Madianitis,ſoceri ſui,& ſe,& populo vano ſuperfluoque labore liberauit, atque ordinem politiamque inter ipſos conſtituit, D electis ex omni plebe viris ſapientibus, & timentibus deum, qui & veritatem amarent, & odio haberent auaritiam, ex quibus conſtituit tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, iudices populi, ſibi quidem inuicem ſubalternos, vniuerſos vero etiam vni ſubiectos ſibi, ad quem & grauiora quæque referre iubebantur. Attamen hoc Ietro conſilium, executioni mandatum à Moyſe approbatum eſt à domino. Erat quidem etiam illius populi ſtatus vniuerſus inſtitutus diuinitus, vt in eo præluderet & delinearet quodammodo ſtatum noſtræ eccleſiæ: quemadmodum clariſsime atteſtatur vniuerſa illa vetus ſacra hiſtoria. Attamen nihil dubitauit Moyſes, in eo ordinando ſequi etiam exteri hominis conſilium. Quo exemplo clariſsimè nos inſtruxit ſacer ſpiritus, etiam ad res ſacras ornandas atque ordinandas, humanæ rationis inuentis vti nos ſubinde oportere, eademque modo laudabilia comprobari à deo, vt confundatur eorum cæca impietas,qui quicquid non inueniūt præſcriptum in ſacris literis, quantūuis antiquū, quantumuis generaliter obſeruatū,velut humanū inuentū antiquari atq; obliterari volunt.

Humanæ rationis inuentum eſſe ciuiles magiſtratus, tamen à deo præcipi illis obediendum.

A volunt. Itaque etſi comprobata inueniatur à deo, nobiſque commendata ſacerdotalis concilij autoritas: non tamen ex eo conſequens eſt, eiuſmodi concilia non eſſe humanæ rationis inuentum, ſed ſpecialem aliquam à deo ac ſupernaturalem inſtitutionem habere.

Deinde & hoc memineris lector, non dixiſſe nos in vniuerſum, ſacerdotalia concilia, ſed vniuerſalia, de quibus nunc præcipuè agitur, concilia eſſe imperatoris Conſtantini inuentum. Siquidem & ante Conſtantinum certũ eſt celebrata ſacerdotum concilia in eccleſia, atque adeo ab ipſis apoſtolis: ſed vniuerſalia ante Conſtantinũ illis primis annis trecentis prorſus ignorauit Chriſti eccleſia.

Fuit equidem, quemadmodum ex verbis Deuteronomij diligenter annotatum eſt, in illa vmbra & figura noſtræ eccleſiæ, ſynagoga veteri, præceptum controuerſias & quæſtiones habentibus, quæ per ſingularum ciuitatũ ſacerdotes & iudices definiri non poterant, eaſdem referri ad ipſam cathedram Moyſi (qui & ſibi ipſi grauiora quæque iudicia reſeruauerat, vt idem ipſe teſtatur in Exodo) hoc eſt, ad locum quem inter ipſos elegiſſet dominus, in quo videB licet reſideret ſummus pro tempore ſacerdos cum arca fœderis, & ad ſacerdotes Leuitas, qui in eodem pro tempore miniſtrabant domino, facta quoq; eidem illi ſynagogæ veteri à deo ſecuritas, vt illi ipſi ſacerdotes Leuitæ, qui pro tempore miniſtrabant cathedræ, in loco quem elegerat dominus, dubiæ quæſtionis & controuerſiæ veritatem quærentes, inuenturi & indicaturi eſſent. Præceptum denique, illorum definitioni, ſententiæ & iudicio indiſcuſſe & ſimpliciter, diligenterq́; obtemperari ab omnibus. Sed inter illos ipſos ſacerdotes, ipſum præcipue ſacerdotum principem & cathedræ præſidem comprehenſum incluſumque intelligi, eadẽ ipſa legis verba euidenter demonſtrant. Adeo vt eiuſmodi definitiones, ſententiæ & iudicia, ex communi quidem ſacerdotum in illo loco Moſaicæ cathedræ pro tempore domino ſeruientiũ conſilio: ſed vnius præſidis, ſummi videlicet inter eos pontificis, autoritate proferrentur. Nã etſi dicat, quęſtiones eiuſmodi referendas ad ſacerdotes Leuitas, qui in cathedra illa pro tempore miniſtrabant domino, & quod illi exquirentes & conſultantes indicaturi eſſent veritatẽ & iudicium. Quodq́; eorundem iudicio, definitioni & ſententiæ ſimpliciter obſequendum eſſet

Omnes quæſtiones fidei & grauiora iudicia definiri autoritate vnius præſidis, ſed non ſine ſacerdotali concilio.

C ab omnibus. Nihilo minus cuius autoritate eorundem ipſorum ſubſiſteret tale iudicium, talis definitio & ſententia, diligentius explicans, reuertitur ad ſingularem autoritatem vnius præſidis. Qui autem ſuperbierit, inquit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Non iam pluriũ hic ſacerdotum, atq; adeo ſacerdotalis concilij, ſed vnius, videlicet præſidis, meminit, cuius illa cenſeatur ſententia, illud iudicium, aduerſus quem, contumacem omnẽ inobedientiam, mortis vult expiari ſupplicio, vt cæteri timorẽ habeant. Non enim iã dicit ſuperbientem, inobedientemq́; imperio ſacerdotũ, vt prius, ſed ſacerdotis ſtantis, vt ſeruiat ibi domino deo tuo (ſic enim habet Hebraica veritas) ſtantis, inquam, ſuper alios, atque illi cathedræ præſidentis. Hoc enim illi ſignificabant ipſo ſtantis vocabulo, fortaſſis plus energiæ habente illo Hebraico, quod hoc iſto exprimũt: quod ipſum principalem quandam autoritatem importans, arrogauerat ſibi Simõ ille magus, & ſe ſtantem à ſuis vocari exegit, quod LXX. nobis clarius explicantes reddiderunt, ſacerdotis præſidis. Eius videlicet vnius autoritatem his verbis lex illis commendans, ad quam D omnes quæſtiones & controuerſias eiuſmodi referri volebat: ita tamen, vt ille ipſe, etiã quod in ſe eſſet faciens, ad eas definiendas ſacerdotale concilium ſecũ adhibere deberet. Non equidem vniuerſale & vndequaq; congregandũ, ſed ſacerdotũ, qui vna ſecũ ſeruirent domino in ea, cui præſidebat, cathedra. Ex quorũ congregato ſecum concilio ipſe ſua illa principali autoritate ſtatueret, definiret & iudicaret de inductis quæſtionibus & controuerſijs. Cuius imperio ſuperbe inobediens mortis ex lege damnabatur ſententia. In quo nulla iam illi additur ſacerdotalis concilij aut congregationis ſocietas, ſed ſingularis explicatur vnius præſidis autoritas. Vt plane etiã hinc intelligas, in ſacerdotali eiuſmodi concilio nihil fuiſſe ſupra rationem liberi concilij à nobis paulo ſuperius expoſitam, ſummam vero omniũ autoritatem fuiſſe apud vnum præſidem.

Clemens recogn. lib. 2.

Quanquam autem non ſine magna cauſa in definiendis ad cathedram relatis quæſtionibus & controuerſijs, autoritati præſidis adhibitum fuerit à lege ſacerdotũ vna ſecum in eodem loco domino ſeruientium concilium, qui ſacri ſenatus cuiuſdam loco, ipſi perpetuo aderant: non tamẽ neceſ-

Autoritati præſidis neceſſario adhibitum ſacerdotale concilium, ſed quale.

ſe habe-

A ſa habebat aliunde, aut vndequaque conuocare ſacerdotes ex ſuis locis & vrbibus longe diſtantibus. Nam frequens hoc & penè quotidianum erat, vt quæſtiones inciderent, quas ad præſidentis autoritatẽ referri oporteret, atque eius terminari iudicio. Ad quod ſi quotidie ex vniuerſo Iſrael ſacerdotum debuiſſet cõuocare concilium, male prouiſum fuiſſet illi ſynagogæ veteris ſiquidem non ſine maximo labore, impenſa, moleſtia, vniuerſalis eiuſmodi conuocatio potuiſſet fieri: ſed nec factam vnquam legimus, nec vt fieret, lex exigebat: quinimo ſacerdotes vna præſentes cũ præſide cathedræ illi ad concilium ſufficere volebat.

Quod ſi vt ſupra frequenter à nobis factum eſt, etiam hac parte vmbram & figuram illam veterem ad ſuam ſolidam veritatem diligenter accommodauerimus, clariſsime inueniemus, vt ſemper, ita etiam hac in re, inuicem quadrare exactiſsime per omnia.

Erat non minor nobis, quàm illis veteribus, neceſsitas referendi exortas inter nos quæſtiones & controuerſias ad iudicium eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis: imo tanto maior, quanto plures neceſſe erat inter nos, quàm illos veteres, oriri quæſtiones & controuerſias, vtpote de lege, viua tantum
B traditione, & ſine ſcripto, à tam multis, tam diuerſis, tam diſcrepantibus, æque linguis ac inſtitutis & moribus, atque adeo ab infinita toto orbe diffuſa multitudine recepta, quàm de lege diligentiſsime perſcripta, & vni tantum cognatoque populo tradita. Quare, vt ſupra demonſtrauimus, non minus diligenter nobis, quàm fuerit illis veteribus, prouiſum hoc à Chriſto, atque ipſius oratione ad eccleſiæ ædificationem & vtilitatem impetratum eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus indefectibilis fidei priuilegium, quod ipſum æque & multo magis atque efficacius, apoſtolicam nunc cathedram perpetuo ſequitur, & eius præſides ſuſtentat & ſubleuat, ac nuper Moſaicam illam cathedram priuilegium ad proportionem ſimile. Tanto, inquam, magis quanto eius hic maior, quàm illic, erat neceſsitas, quanto inſuper hanc ſuã dilectiſsimã ſponſam præ illa ſynagoga veteri Chriſtus magis honorare voluit, quanto deniq; ipſam ſolidam veritatem ſuam vmbram & figuram par eſt in omnibus excedere.

> *Cathedram apoſtolicam & eius præſides neceſſario fulciri uno indefectibilis fidei priuilegio.*

Et quanquam ſingulariter vni Petro, vt eccleſiaſticæ hierarchiæ principi Chriſti oratione impetratum ſit indefectibilis fidei priuilegium, qui ea in re, velut in ipſa luce euangelica, clarius atque euidentius C multo nobis expreſsit ſingularem prærogatiuam atque autoritatem vnius præſidis, quàm veteri illi ſynagogæ dudum lex fecerat, tametſi eadem eandem ipſam (vt oſtendimus) ſatis inſinuauerit. Decebat tamen relatas ad apoſtolicam ſedem & præſidentis eidem autoritatem quæſtiones, non definiri temere, ſed mature, adhibita pro qualitate negocij, etiam humanitus poſsibili aut conuenienti diligentia ſacerdotalique concilio ad formam, quam in veteri illa figura expreſsimus, ſacerdotum quidem vna tecum in apoſtolica cathedra miniſtrantium domino, hoc eſt, ſenatus ſacri cardinalium, quos nunc dicimus, aut etiã vicinorũ diſtantiúmue epiſcoporum, ſi quando & quemadmodum ipſa negocij qualitas hoc ipſum exigere præſidi videretur, ſicut & ab initio ad hanc vſq; diem factum & perpetuo obſeruatum vniuerſi teſtantur & cõprobant ſcriptores eccleſiaſtici. Non vero conuocatis ex toto orbe vndequaq; ſacerdotibus & epiſcopis. Quandoquidem id raro admodũ poſſet fieri, quemadmodum & primis illis annis trecentis nunquam factum eſt, cum tamen definiendarũ autoritate præſidis incidentium quæſtionum & controuerſiarũ penè quotidie incidat ne- D ceſsitas. Et ſi quando, quod rarum eſt, idipſum poſſet fieri, non tamen ſine magno totius orbis motu, moleſtia, impenſa. Et poſtremo nulla vnquam incidit eius neceſsitas, ſed nec vtilitas, quàm fortaſsis ea ſola, vt ex conuenientibus ex toto orbe epiſcopis, eorumque collatione manifeſtũ omnibus fiat verum ſemper eſſe atque orthodoxum apoſtolicæ ſedis iudicium, vera fides, definitio ac ſententia: proinde ſemper & indiſcuſſe ſequendam omnibus. Tam enim certa eſt apoſtolicæ ſedis ſine vniuerſali cõcilio, quàm cum vniuerſali concilio, definitio ac ſententia, tam ſimpliciter, tam indiſcuſſe, tam diligenter omnibus ſeruandũ, quicquid è cathedra illa nobis annunciatur, etiam ſi tantum de ſacerdotum illic vna domino miniſtrantium id fiat conſilio, quàm ſi idem fiat de conſilio ſacerdotum totius orbis. Imo longe certius eſt vnius apoſtolicæ ſedis cum concilio domeſticorum ſacerdotũ iudiciũ, quàm vniuerſalis cõcilij totius orbis ſacerdotũ, ſecluſa autoritate vnius ſedis apoſtolicæ, vni Petro, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, atque eius cathedræ, non ſacerdotali quantocunq; concilio impetratũ eſt Chriſti oratione illud indefectibilis fidei priuilegiũ.

> *Vnà neceſſitas aut vtilitas vniuerſalis concilij.*

> *Vnius apoſtolicæ ſedis iudicium certius quàm totius orbis concilij illius autoritate ſecluſa.*

A Quare haud ferè aliud factum in concilijs vniuerſalibus vniuerſis,quàm vt conuenientes ex toto orbe epiſcopi, præiudicatam iam apoſtolicę ſedis vnanimi conſenſu amplexarētur & ſequerentur ſententiam, nec in eis definitū aliquid, quod non iam præiudicatum antè definitumque eſſet à ſede apoſtolica, pòſt clariſsimè intelliges.

Vt igitur hic tādem concludamus: Quandoquidem naturalis rationis inuentum iam oſtēdimus cōcilia, probata quidem à Deo, tam in ſynagoga veteri, quàm in noſtra eccleſia, tamen quæ nulla ſpeciali prerogatiua diuinitus inſignita legūtur, ꝙ in ſequentibus erit manifeſtius. Quid eiſdem ex propria ſua ratione conueniat, eadem docet ratio, id videlicet, quod dictum eſt, deliberare, conſultare & inuenire quid verum aut vtile in propoſito negocio. At iuriſdictionis vllā autoritatem aut coactiuā poteſtatem ſupra id, cui conſulit, aut exequendi quę ſibi vtilia agendáque viſa ſunt, eiſdem vt eiuſmodi non conuenire, eadem ęquè ratio oſtendit. Cuius & in nobis exemplum effinxiſſe videmus illum omnis ordinis opificem. Dixi autem, vt eiuſmodi. Nam ſi quæ particu-
B latim conueniat his, ex quibus integratur concilium, iuriſdictionis autoritas, vt ſi rex ipſe aut princeps interſit aut præſideat concilio, eoq; probante decernatur aliquid, iam vtrunq; eſt in concilio, hoc eſt, præter illud cōſulendi, & quę vtilia ſunt inueniendi officium, etiam iuriſdictionis autoritas, & eorum quæ deliberata ſunt exequendi poteſtas: ſed hæc concilio per accidens & ſecundum partem conueniūt. Et hactenus de concilijs in vniuerſuum eorumq; origine, officio & autoritate, & ꝓpria eorundē ratione dixiſſe ſuffecerit.

Eccleſiaſticorum conciliorum ſpecies ſeu differentias inuenire, & Conſtantienſis Baſilienſiſq; conciliorum de autoritate vniuerſalium conciliorum explicare ſententiam.

CAP. II.

COncilijs ex propria ſua ratiōe in vniuerſum quid cōueniat, ſatis iā explicauimus: Eccleſiaſticorum verò conciliorum omnē rationem vt prorſus & enucleatius explicemus, ea primū partiri in ſua genera: deinde ex ipſa rei euidētia eccleſiaſticæq; traditionis obſeruatione, C cuiq; generi quid propriè conueniat, quid quodque egerit, quam autoritatem exercuerit, quid in ipſis probauerit & agnouerit vniuerſa Chriſti eccleſia, demonſtrare conabimur, ita enim magis intelligetur veritas eius, de quo ambigitur.

Perluſtranti itaq; mihi formas notaſq; eccleſiaſticorum conciliorum celebratorum ab initio omnium, tria in primis occurrunt eorum genera, vniuerſale, prouinciale, & inter hęc genus quoddam medium. *Tria genera conciliorū eccleſiaſticorū.*

Vniuerſale quale ſit, indicat ipſa nominis ratio, nempe in quo totius eccleſię tractatur negocium ex omnibus totius orbis prouincijs conuocatis orthodoxis epiſcopis. Quare & œcumenicū Græcis dicitur, quaſi totius orbis, οἰκουμένην enim orbē terratū appellant. Quorum primum autore Conſtantino imperatore Nicenū extitit. *Vniuerſale & œcumenicum.*

Prouinciale & ipſum quale ſit, ęquè indicat & ipſa nominis ratio, nempe in quo ſub vno metropolitano vnius tātùm prouinciæ epiſcopi conuenientes, eiuſdē conſulūt proſpiciuntq; negocijs. Hęc vt quot annis ordinaria autoritate bina per ſingulas prouincias celebrarentur, vt ſi quid forte perperā, inordinatè, iniuſtè ue geſtū ordinatúmue eſſet ab vnoquolibet epiſcoporum in ſua eccleſia, communi id comprouincialiū conſilio & metropolitani autoritate antiſtitis retractaret, in Niceno primùm concilio ſalubriter ordinatū eſt. In quo cùm ꝓ vigore eccleſiaſticæ autoritatis & diſciplinæ ſtatuiſſēt ſancti patres, ne quē clericum aut laicū epiſcopus expuliſſet de ſua eccleſia, ſuſciperet alius. Sed ne, inquiunt, hoc aut iracūdia aliqua, aut contentione, vt fieri ſolet iniuſtè factū remedium non haberet, decernimus per ſingulos annos, in ſingulis quibuſq; prouincijs, ſecūdò ab omnibus epiſcopis comprouincialibus concilia agi debere, & de ſingulis huiuſmodi negocijs iudicari: vt ſi fortè ab vno iniquè aliquid geſtū eſt, à cæteris emendet: ſi rectè, vt ab omnibus confirmetur. Hactenus verba Niceni canonis. Ex quibus, ſi attendas, manifeſtum eſt etiam, quænam ad prouincialis concilij autoritatem pertineant, nempe querelæ ſubditorum aduerſus ſuos epiſcopos, quarum determinandarum componendarumque habebant autoritatem: non quidem ex ſe primò, ſed ob metropolitani autoritatem in eis præſidentis epiſcopi, cuius ex forma ipſa hierarchię eccleſiaſticæ, eſt ſuper ſuffraganeos ſuos, ſuperioris iuriſdictio- *Prouinciale.* D *Quæ ad prouincialis concilij autoritatē pertineāt.*

A dictionis autoritas, à qua quò ęquiora ma
iorisque autoritatis ac ponderis intellige
rentur ac haberētur prolata iudicia, com
prouincialium episcoporum eidem sunt
adiuncta concilia, ex quorum sententia a-
gerentur omnia. Quorum conciliorum
tametsi etiam ante Nicenum, ab ipsis ad-
eò Apostolorum temporibus, atq; eorun
dem institutione, in ecclesia vsus fuerit:
Niceno tamen concilio ordinatum est, vt
bina celebrarentur quotannis, quæ non
ita ordinariè, nec ita frequenter celebra-
ri consueuerant.

Medij generis concilia.

Medij verò generis cōcilia sunt, in qui-
bus causa quidem quæ tractatur vniuer-
salis est, hoc est, fidem aut ecclesiasticam
obseruationem concernens: sed conuoca
tio aut congregatio nequaquā. Cuius ge-
neris sunt ferè vniuersa, quę ante Nicenū
celebrata reperiunt concilia in illa primi
tiua ecclesia, & in primis illud omniū pri
mum, cuius meminimus, apostolorū Hi-
erosolymis habitū. Quod vniuersale di-
ci non potuit, vt in quo ex duodecim tres
tantū interfuisse legant apostoli, Petrus,
Iacobus & Ioannes: nec apparet alicunde
cōuocatos aliquos, sed ab illis tantùm ce-
lebratum fuisse, quos missi ab Antiochia
B consultores Hierosolymæ offenderant.

Concilium apostolorum fuisse huius generis, non œcumenicū.

Eiusdē generis fuere, quę Victoris ius-
su ad abolendum Iudaicū ritum celebran
di Paschatis, eatenus perseuerantē in plu
ribus Asię ecclesijs, per diuersas prouinci
as celebrata suprà retulimus. Quę vniuer-
salia non fuisse certum est, cùm omnium
cōfessione primum vniuersalium Nicenū
fuerit. Sed nec prouincialia, quoniā & cau
sa vniuersalis erat, nempe paschalis obser
uationis legitima ratio, & in eadem toti-
us ecclesiæ consonantia & cōcordia. Con
uocatio etiā conciliorum modū excede-
bat, siquidem & ex pluribus prouincijs in
vnum locū conuenerunt ecclesiarum an-
tistites. Quod de Cesariensi illo precipuè
testatur Cæsariensis Eusebius. Ad idem
genus spectat Antiochenū illud, quod be
ati Dionysij Romani pontificis autorita-
te & iussu aduersus Paulum Samosatenū,
Antiochenum patriarchā celebratū est.
Similiter, quod paulò pòst sub beato Cy-
priano Aphricanum conciliū ex totius A
phricæ episcopis. Et hæc atq; alia pleraq;
ante Nicenum illud, ad quod vsq; annis
illis trecētis nec mentiò quidem facta est
vniuersalis concilij, in primitiua illa ec-
clesia. Post quod & alia pleraq; eiusdē no-
tę cōcilia celebrata leguntur: & Sardicen-

Concilium Aphricanū sub B. Cypriano.

se, Gangren. Laodicen. Neocęsarien. A- C
gathen. Carthaginense, & Mileuitanum
sub beato Innocentio. Illa quoq; Roma-
na Martini papæ & Symmachi. Et quę in
Gallia, Hispania, alijsq́; partibus plurimis
celebrata fuerunt, quorū adhuc extant ca
nones plurimi. Ad idē genus pertinet sa-
cri illius senatus cōcilium, quod ecclesia-
sticæ hierarchiæ præsidi adest perpetuò,
hoc est, sacerdotum, qui vnà secum mini-
strant domino in cathedra apostolica at-
que ipsi adsunt concilio in definiendis,
quæ quotidie ex toto orbe ad eandem se-
dē, & presidis autoritatem referūtur, con
trouersijs & quęstionibus, ad formā antè
deliniatam in vmbra & figura illa syna-
gogę veteris, & quam deinde expressam
videmus in ipsa Christi ecclesia. In qua vs
que ad nunc perdurat ab initio.

Postquam antē suis notis distinximus
cōciliorum ecclesiasticorum tria, quę di-
ximus, genera, quò clariùs pateat, quid e-
orum cuique, aut conueniat, aut nō con-
ueniat, aliorū primùm de vniuersalium
conciliorū autoritate, explicāda est & ex
plodenda sentētia, magno quidē autorita
tis pōdere, tantisq́; subnixa pręiudicijs, vt
vel dissentire ab ea, magni cuiusdā piacu-
li instar videatur: tamen quæ expensa in D
rationis trutina, ad examen eorum, quæ
antè constituimus, certissimę autoritatis
& fidei principiorum, clarissimè videbi-
tur nullo pondere subsistere, nulla veri-
tatis soliditate, sed solis fumis, solis pręiu
dicijs, sola vmbra vanę autoritatis fulciri.

Vniuersaliū conciliorum fructus & vtilitates.

Negare nō possumus, quin ad extirpan
das nōnullas pestilentissimas hęreses, sar-
cienda schismata, componenda dissidia,
reformādum toto orbe collapsum ecclesi
asticæ disciplinę vigorem, vtile nonnun-
quā ecclesię & salutare fuerit, vniuersaliū
cōciliorum inuentum, quorū, vt suprà di-
ximus, ob Arrij impia dogmata rectiùs di
iudicanda Constantinus imperator pri-
mùs inuentor autorq́; extitit. Quanquam
enim inter tempestates eiusmodi, quibus
confundebātur omnia, diuina, humana,
sacra, prophanaq́; habebantur promiscua,
vt præcipuè erat necessaria, ita & semper
enituerit illa cathedræ Petri principalis
autoritas, quā suprà demonstrauimus, &
omnem altitudinem sese extollentem ad-
uersus orthodoxā fidem, aduersus pater-
nos apostolicosq́; canones deiecerit, & suo
illo apostolico gladio vlta & psecuta fue-
rit. Attamen vt illorū ipsorum efficacior
esset in aduersarios sententia, vtque bi eo

A minus haberent diuerticuli & ſubterfugij, quo eſſet notior, & dicta ... prá pluribus, & comprobata totius orbis ...atentia, ex vniuerſo orbe conuocari epiſcopos, primum Conſtantino, vt diximus, imperatori vtile viſum eſt, ad tuendam orthodoxæ fidei vnitatem, aduerſus prophanas impiaſque nouitates inductas per Arrium. Deinde & ſucceſſoribus eius quibuſdam, pium quoque zelum eiuſdem æmulantibus, ad ſimiles morbos ſuis graſſantes temporibus ſimile remedium vtile viſum eſt, & neceſſarium. Quorum ferè inſtantia apoſtolicæ ſedis autoritate conuocata & celebrata certum eſt concilia ſubſequentia. In quibus omnibus (quæ tamen in eccleſia autoritatem obtinuerunt) nihil aliud actum poſt clariſsime intelliges, quam quod dictam à Rom. pontificibus, in orthodoxæ fidei aduerſarios, aut eccleſiaſticæ hierarchiæ perturbatores, ſententiam reuerentiſsime exceperit vniuerſa Chriſti eccleſia, eoſdem illos cum ſuis anathematizans erroribus, quos apoſtolico mucrone iamdudum confoderat huius ſedis autoritas.

Sed vt nihil tam ſalubriter ac vtiliter eſt inuentum ab hominibus, quod non ſubinde in ſui perniciem conuertat hominum B improbitas: ita etiam hoc quantumuis ab initio ſalutare, atque vtile congregandorum conciliorum eiuſmodi inſtitutum, qui bus tot hæreticorum exterminatæ peſtes, tot tempeſtates ſedatæ, tot in eccleſia Chriſti reſarcita ſchiſmata, tot compoſita diſsidia, iamdudum à ſeditioſis quibuſdam, & nouitatũ ſtudioſis, verti cœpit ad noxam, & quod pro eccleſiarum pace concordiaq; ſtabilienda ſalubriter excogitatum fuerat, factum videtur magnæ diſsidionis & confuſionis ſeminarium: adeo vt nunc etiam ſi curandorum eccleſiæ vulnerum vt generale concilium conuocetur, exigere videatur neceſsitas merito dubites, num grauius aliquod ipſo malo cui paras remedium, illo ipſo concilio concitaturus ſis dei eccleſiæ. Adeo nuper in Conſtantienſi Baſilienſique concilijs nouo more, pernicioſoque (vt mihi quidem videtur) exemplo, eccleſiaſticam hierarchiam, vt ad illius cœleſtis exemplar decentiſsime ordinatam, conſtitutamque à Chriſto ſupra demonſtrauimus, euertere, & pro ea popularem quandam promiſcuæ & confuſæ multitudinis dominationem inducere, hoc eſt, Babylonem ipſam reſuſcitare conati ſunt. Sibi ipſis, aut communitati eccleſiaſticæ (quam ſe repræſentare, quamuis falſo, prætende-

Pernicioſum exemplum Conſtantienſ. & Baſilienſ. conciliorum, quo ſibi ſubijciebant eccleſ. hierar. præſidem.

bant) ipſum totius eccleſiæ caput & princi- C pem, & qui ipſius Chriſti in hoc eius regno inter nos agit vicarium, ſubijcientes, aduerſus rerum ordinem & naturam, contra clariſsimam euangelicæ veritatis lucem, contra omnem antiquitatis autoritatem, atque adeo ipſius orthodoxæ eccleſiæ (quod poſt intelliges) indubitatam fidem & ſententiam.

Hic ſcio multos cœlum terramq; inclamaturos, quod conciliorum illorum autoritatem auſim conuellere: quod vnius hominis (qui peccare poteſt, & errare ac fallere) autoritatem ſtatuere & efferre ſupra vniuerſum concilium, quod catholicam repræſentat eccleſiam: cui Paulus apoſtolus, quod columna ſit firmamentumque veritatis, teſtimonium perhibet. Sed oro te Chriſtiane lector, vt omni affectu vacuus vni veritati faueas, & ante perlegas attente, quæ dicturus ſum. Nam hoc ego Deum teſtor, vni me veritati fauere. Cuius ex ipſius eccleſiæ clariſsima confeſsione euidentiq; teſtimonio, etiam tibi me fidem facturum confido.

Excuſatio autoris & quod neceſſario dictorum autoritates impugnet.

Itaque cum aduerſus Conſtantienſis Baſilienſisq; conciliorum autoritatem nobis ſit facta neceſsitas eccleſiaſticæ hierarchiæ cauſam, quam mihi peregiſſe penè videbar, repetendi ex integro, atq; iterum tanquam à principio demonſtrandi eandem eſſe apoſtolicæ ſedis, & præſidentium in ea pontificum autoritatem ſuper omne concilium, imo ſuper eccleſiam Chriſti in vnum, vni- D uerſam, quæ eſt ſuper vnumquemlibet epiſcopum, aut vnum deniq; Chriſtianum: quo clarior illuſtriorq; oculis ſubiecta videatur & appareat veritas, præmittenda primum ſunt illorum ipſorum conciliorum decreta, quibus principalem illam Petri & ſucceſſorum eius eccleſiaſticæ hierarchiæ principum autoritatem cogunt in ordinem, ac ſibi ſubijciunt. Explicandæ quoq; quàm maxime probabiliter fieri poteſt, rationes, quibus tantum ſibi autoritatis in illam principalem autoritatem præſumpſerunt & arrogauerunt. Deinde ipſam veritatem tam euidentibus ſcripturarum teſtimonijs, quàm illius ipſius catholicæ & orthodoxæ eccleſię (quam illi ſe repræſentare falſo iactitabãt) conſenſu & confeſsione, hoc eſt, rectæ ſcripturarum intelligentiæ certiſsima illa, inflexibiliq; amuſsi rurſus adſtruere conabimur. Quæ quàm nihil recognoſcat omniũ, quæ Baſilienſis, Conſtantienſiſque illi conuentus eidem tribuere conati ſunt, luce (vt ſpero) meridiana faciemus clarius. Et poſtremo illorũ rationibus reſpondendũ eſt.

In Con-

A In Conſtantienſi itaque ſynodo, quæ ſchiſmatis illius occaſione, quod ſub Vrbano VI. inchoatum annis plurimis confundebat & perturbabat Chriſti eccleſiã, anno noſtræ ſalutis M.CCCC.XV. ſub Ioanne XXIII. vno ex tribus, qui ſe gerebãt ꝑ ſummis pontificibus, celebrari cœptum eſt, actione V. definitum & decretum fuit in hæc verba: Hæc ſancta ſynodus declarat, quod ipſa in ſpiritu ſancto legitime cõgregata, concilium generale faciens, & eccleſiam catholicam repræſentans poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet cuiuſcunq; ſtatus aut dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quę pertinent ad fidem, & dicti ſchiſmatis extirpationem, & reformationem dictę eccleſiæ in capite & membris.

Decreta Conſtan. concilij. Quod papa ſubeſt autoritati generalis concilij.

Item declarat, quod quicunque cuiuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiam ſi papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis huius ſacræ ſynodi, vel alterius cuiuſcunque concilij generalis legitime congregati, ſuper præmiſsis aut ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia recurrendo.

B Eadem hæc ad verbum decreta, repetitaque ſunt in Baſilienſi concilio, anno noſtræ ſalutis M.CCCC.XXXI. quod ſub Eugenio quarto celebrari cœpit, actionibus eius II. & XVIII. In quibus decretis audis, quòd concilium vniuerſale habeat autoritatem immediatam à Chriſto, cui etiã ipſi eccleſiaſticæ hierarchiæ principes ſunt obnoxij, & quòd in eoſdem inobedientes ſibi contumaceſque etiam coactiuam poteſtatem exerceat, quandoquidem & punit & cogit.

Eadem decreta repetitaq; in Baſilienſi concilio.

Rurſus actione VIII. Cõſtantienſis concilij, in damnatione erratorum Ioannis Vuicleff, in hunc eius articulum (Non eſt de neceſsitate ſalutis, credere Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias) hæc legitur cenſura concilij: Erroneus eſt, inquit, ſi per Romanam eccleſiam intelligatur vniuerſalis eccleſia, aut generale concilium, aut pro quanto negaret primatum ſummi pontificis ſuper particulares eccleſias. Hactenus verba cõcilij. Ex cuius cenſura facile intelligis, voluiſſe & ſenſiſſe illic patres, ſummi pontificis primatum eſſe quidem ſuper particulares eccleſias, ſed non ſuper vniuerſalem, nec ſupra œcumenicum concilium.

Fundabant autem illi hanc tantã, quam ſibi arrogabant, vniuerſalium conciliorum autoritatem præcipue in verbo domini, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic eccleſiæ. Quod ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Quibus verbis volunt eccleſiam accepiſſe à Chriſto autoritatem ligandi & ſoluendi, quemadmodum & nos libri tertij capite IX. demonſtrauimus. Videtur autem, quod & hanc acceperit immediate à Chriſto, & quod ſupra vnumquemlibet Chriſtianum. Dicit enim: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Quo nomine omnis Chriſtianus intelligi videtur, vnus enim eſt pater noſter, qui eſt in cœlis. Nos autem fratres omnes, quibus & Chriſtus ipſe ſe cõnumerare nõ dedignatus eſt, poſt reſurrectionem ſuam dicens illis, quibus apparebat mulieribus: Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Deinde addit vniuerſitatis ſignũ, qua omnia eccleſiaſticæ poteſtati ſubieciſſe videtur, dicens: Quæcunque alligaueritis ſuper terram. Nullam cauſam excepit, nullam perſonam, ſed quæcunque alligata ab eccleſia, modo ſuper terram, ligata habentur in cœlo. Quod ipſum diuus Hieronymus de hac autoritate eccleſiaſticæ D domus loquens, indefinita oratione expreſſit dicens: Hanc domum ſi quis corrigentem contempſerit, ſit tibi, inquit, tanquam ethnicus & publicanus. Si quis, inquit, neminem excipiens, quiſquis tandem ille fuerit. Si autem omnis Chriſtianus iudicio ſit eccleſiæ obnoxius, adeo vt ei nõ obſequentes, habendi nobis ſint tanquam ethnici & publicani, conſtat ſanè eccleſiam ſuper vnumquemlibet Chriſtianum iudiciariam autoritatem obtinere. Poſſe itaque, & præcipere, & prohibere, & leges præſcribere, quibus obedire teneantur omnes.

C *Rationes, quibus concilia ſuper autoritatem eccleſ. hierar. præſidis efferunt.*

Idem etiam ex eo manifeſtum videtur: Quoniam conſtat legis ferendæ autoritatem, in vnaquaq; cõmunitate ad eum, ſeu eos præcipue pertinere, penes quem, ſeu quos eſt ſumma, qua gubernatur, & in finem ſuum dirigitur, autoritas: vt in libera populariq; communitate, penes populum. In republica quæ optimatum gubernatur imperio, penes ſummos magiſtratus & optimates. In regno aut monarchia, penes regẽ aut principem. In eccleſiaſtica autem communitate, ſi penes eccleſiam eſt illa, quam

A diximus,iuriſdictionis autoritas ſuper v-
numquemlibet Chriſtianum ,ſupremam e-
am eſſe neceſſe eſt, quandoquidem omnes
ſibi ſubijcit. Quare penes eandem legum
eccleſiaſticarum debuit eſſe poteſtas: cui,
qui membra ſunt eccleſiæ,omnes obedire
teneantur.

Itaque etiam diuo Auguſtino, cum Pe-
trus claues acciperet regni cœlorũ à Chri-
ſto(quas nos ipſam eccleſiaſticæ poteſtatis
plenitudinem ſignificare ſupra demonſtra
uimus)illum eccleſiam ipſam repræſentaſ-
ſe,eiuſque perſonam geſsiſſe videtur. Ita e-
nim iu Ioannem ſcribens,iterum iterumq́;
ſe ſentire teſtatus eſt. Ita rurſus in ſermone
apoſtolorum Petri & Pauli : Geſtabat, in-
quit,Petrus totius eccleſiæ perſonam. Et
propterea audire meruit: Tibi dabo claues
regni cœlorum. Has enim claues ,non ipſe,
vt vnus homo,ſed vnitas accepit eccleſiæ.
Iterum libro de agone Chriſtiano : Non ſi-
ne cauſa inter apoſtolos,eccleſiæ catholicę
perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim ec-
cleſiæ claues datæ ſunt, cum Petro datæ
ſunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur,
paſce oues meas. Hæc Auguſtinus. In qui-
bus audis catholicam eccleſiam accepiſſe
claues in Petro. Quas & alibi non Petri,
B ſed eccleſiæ claues appellat, vt ſermone C.
XXIIII. de tempore : Credendæ, inquit, e-
rant Petro claues eccleſiæ,&c. Si ergo eccle
ſiæ hæ claues ſunt, penes eccleſiam conſtat
eſſe earundem autoritatem præcipuam, &
velut dominium. Prælatos autem eſſe,qua-
ſi miniſtros eccleſiæ, & diſpenſatores eo-
rum,quæ à Chriſto eccleſiæ elargita ſunt.
Quemadmodũ eſſe conſtat de bonis tem-
poralibus,quæ eccleſiæ contulit Chriſti fi-
delium deuotio,quorum proprietatem cer
tum eſt eſſe penes eccleſiam, diſpenſatio-
nem autem penes prælatos,velut miniſtros
eccleſiæ. Vnde & Apoſtolus: Sic nos, iuquit,
exiſtimet homo,quaſi miniſtros Chriſti, &
diſpenſatores myſteriorum Dei.

Præterea ſaltem hoc negari non poſſe
certum eſt,omnem autoritatem ac poteſta-
tem,quæ data eſt Petro & eccleſiæ rectori-
bus,ſi quæ tamen illis,& non potius eccle-
ſiæ data eſt, in vtilitatem & profectum ec-
cleſiæ datam eſſe : quemadmodum idem
teſtatur Apoſtolus, datam ſibi poteſtatem
in ædificationem, non deſtructionem ec-
cleſiæ. Inſuper & euidens ratio comprobat.
Quare propter eccleſiam ſunt & claues illæ
datæ ſeu Petro ſeu eccleſiæ, & illa ſuprema
eccleſiaſtica autoritas. Certum eſt autem à
fine dirigi,regularique oportere quæ ad fi-
nem ſunt. Omnem ergo poteſtatem, auto- C
ritatemque eccleſiaſticam datam Petro &
eccleſiæ principibus, ab ipſa eccleſia diri-
gi,regularique debere , videtur neceſſario
conſequi.

Quod ipſum etiam hac ratione conuin-
ci videtur. Nam cum pontifices ſummi cæ-
teriq́ue eccleſiarum præſules,commiſſa ſi-
bi autoritate abutantur frequenter in de-
ſtructionem, non ædificationem eccleſiæ,
aut etiam aberrent in vſu clauium,oportu-
it à legiſlatore optimo Chriſto, relictam
eccleſiæ regulam certam, inflexibilem,in-
obliquabilem,per quam & illa poteſtas in
ſuum finem dirigi,& abuſus eius poſsint re
primi. Eiuſmodi autem ,eccleſiam catho-
licam eſſe certum eſt : & quæ eandem re-
præſentat, vniuerſalem ſynodum , cum ec-
cleſiam Dei viui columnam & firmamen-
tum veritatis appellet Apoſtolus. Eſt ergo
in catholica eccleſia autoritas & poteſtas,
(vt dicũt)regulatiua, omnis autoritatis ec-
cleſiaſticæ. Omnem proinde etiam papa-
lem autoritatem illi ſubdi oportere vide-
tur,eiuſque iudicio eſſe obnoxiam , ſi eam
moderari,& in finem ſuum dirigere, aber-
rantemq́; à ſcopo reuocare & poſsit & de-
beat. Eiuſdem quoque eſſe,& leges illis,ca- D
noneſque præſcribere,quos in vſu poteſta-
tis ſuæ præuaricari non poſsit , æquè mani-
feſtè conſequi videtur.

Coufirmant hæc etiam ex actis Apoſto-
licis. Siquidem Iacobus, non Petrus, illic
legitur definiuiſſe in illo apoſtolorum &
presbyterorum concilio. Neque ex Pe-
tri,ſed totius concilij autoritate & nomine
inde ſcriptum eſt ad Antiochenam eccla-
ſiam.

Rurſus, miſſum Petrum vna cum Ioanne
ab eccleſia,quæ erat Hieroſolymis , in Sa-
mariam. Coactum etiam Ptrum reddere
rationem eccleſiæ de ingreſſu ſuo ad Cor-
nelium centurionem. Quæ omnia pro-
bare videntur,Petrum autoritati & iudicio
eccleſiæ fuiſſe ſubditum.

Hæc fere ſunt, quæ in defenſionem illo-
rum tam Conſtantienſis,quam Baſilienſis
concilij decretorum,quibus ſibi,vniuerſa-
libuſque concilijs omnibus, Romanorum
pontificum autoritatem ſubijcere conati
ſunt, dici,quamuis (vt poſt intelliges) pro-
babilius,quam verius,mihi poſſe videntur.
Quorum autoritatem & ſequens & aſſe-
rens Ioannes ille Gerſonus, Cancellarius
Pariſienſis(quem in hodiernum vſque di-
em vniuerſa illa ſchola ſequitur)in tracta-
tu de poteſtate eccleſiaſtica , & in altero,
quem

A quem inſcribit de auferibilitate ſpnnſi, hanc poſitionem, ſuo illo ſcholaſtico more, diſtinctius, prnbabiliuſque & explicare & defendere nititur. Cuius in hæc ferme capita colligitur vniuerſæ reſolutionis ſumma.

Primum, non diffitetur cœleſtem hierarchiam inſtitutam à Chriſto, velut regnum quoddam monarchicum, quod niſi à deo immutari non pnſsit, & in eo principem monarchamque papam. Quod Conſtantienſe concilium concedere non videtur, quemadmodum apparet ex illa eius, quam audiſti, cenſura in hunc articulum Vuiclefi: Non eſt de neceſsitate ſalutis credere, Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias, qua erroneum hunc dicit, ſi neget ſummi pontificis primatum ſuper particulares eccleſias. Itaque non videtur ſummis pontificibus primatum concedere in vniuerſali eccleſia. Quem tamen Gerſonus iſte ipſa rei euidentia & veritate conuictus, diffiteri auſus non eſt.

Deinde imaginatur & intelligit eccleſiaſticam poteſtatem, velut quoddam totum integrale (quod vocant) partiri in hæc ſua veluti membra papalē, cardinalitiam, patriarchalem, epiſcopalem, ſacerdotalem.

B Et qunniam ſine eccleſiaſtica poteſtate ſubſiſtere non poteſt vniuerſalis eccleſia, nec membris illis, ex quibus integratur & componitur poteſtas eccleſiaſtica, carere poſſe, æque illi videtur neceſſarium. Ex quo conſeqnens eſt, etiam mortuo papa, nihilo minus manere papalem autoritatem in eccleſia. Quam ſupremam non diffitetur inter poteſtates eccleſiaſticas, & tntius veluti ſontalem quandam plenitudinem, reliqnas poteſtatiuè (vt verbis quoque eius loquar) & originaliter continentem: perinde ac in animante animalis illa vis ſenſifica & mntiua, moratur quidem & ſedem habet in cerebro, at fons eſt ac origo ſenſus, motuſque in vniuerſo corpore, & particulares omnes ſenſus poteſtate continet, & quicqnid in toto corpore vſquam eſt animalis, ſeu motus, ſeu ſenſatinnis, ab illo prodit veluti fonte ac principio. Itaque cum eccleſia immenſi cuiuſdam animalis corpori haud incongrue comparetur ab Apoſtolo, etiam papalem illam autoritatem à Ieſu Chriſto donatam Petro, eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti, ſubiectiuè & formaliter eſſe ſatetur in ſolo Romano pontifice, vt capite eccleſiaſtici corporis: quemadmodum & particulares illas poteſtates eccleſiaſticas, cardinalitiam, patriarchalem, epiſcopalem, & cætera inſtar particularinm ſenſuum corporis, in his, quę denominant membris eccleſiæ, eaſque in papali illa virtute, pnteſtateque contineri, & ab ea deriuari velut fonte ac principio: quemadmodum particulares ſenſus, & quæ per vniuerſum corpus diffuſa eſt, vis motiua & ſenſifica, ab illo animali principin, quod eſt in capite. C

At cum mnrtuo Romano pnntifice, pereat ſubiectum papalis illius autoritatis, quę illius erat, & non totius eccleſiæ, velut forma quædam propria: vt tamen inueniat, quo pacto, quamuis alio qundā modo, adhuc dici poſsit remanere in eccleſia, præmittit aut ſupponit, triſariam conſiderari poſſe poteſtatem eccleſiaſticam. Primo, ſecundum ſe ſuámue eſſentiam, aut rationem propriam, hnc eſt, papalem, patriarchalem, & c. Secundo, vt in ſubiecto, Petro videlicet aut Paulo. Tertio, vt operantē aut exequentem opus proprium. Quamuis itaque vnaquælibet eccleſiaſticarum poteſtatū ſit ſubiectiue & fnrmaliter (vt ſcholaſtice cū illo loquar) in eo quod denominat, vt papalis in papa, epiſcopalis in epiſcopos quadrifariam tamen intelligi poſſe vult, eaſdem eſſe in vniuerſali eccleſia, aut qund illam repræſentat, œcumenico concilio. Primo, velut in fine, ſiquidē data eſt vniuerſa ad ædificationē cnrpnris Chriſti myſtici. D
Secūdo, tanquā in eo quod poteſtatē habet applicandi eaſdem ſuis ſubiectis, ſine quibus nulla eſt earū operatio. Sicut enim particularis quælibet eccleſia, mortuo ſuo epiſcopo, poteſtatem habet in locū eius eligendi alium: ita mortuo Romano pontifice, epiſcopo catholicæ eccleſiæ, penes eandem ius eſſe eligendi alterius, æque certum eſt. Tertio, tanquam in regulante vſum, operationemq́; eius, quem modum ex primo illo cnnſequi vult, vt pauln ante deductum eſt: Ex quo etiā illud neceſſarin conſequi exiſtimat, omnem poteſtatem eccleſiaſticam, etiam papalem, eccleſiæ iudicio eſſe obnoxiam. Quartn, ſuppletiue (vt ipſe loquitur) hoc eſt, quod eccleſia, ſede vacante, autoritatem habeat ſupplendi & faciendi omnia, quicquid poſſet fieri à papa, ſi quis eſſet, vt decreta, actaq́; teſtantur Cnnſtantienſis concilij.

Ex his conſtare exiſtimat, vniuerſale concilium eſſe ſupra papam, habereque in illum vim coactiuam, poſſe illi leges præſcribere circa vſum poteſtatis ſuæ. Poſſe quoq; eundē in totū ab eius executione ſuſpendere. Pnſſe & deponere à dignitate papali,

A pali,ſiue ita exigant eius demeritа, ſiue etiam abſque vlla eius culpa aut demerito ita requirat neceſsitas eccleſiæ.

Cum autem inficiari nemo poſsit, Romanorum pontificum illam ſemper fuiſſe autoritatem ab ipſa etiam vniuerſa Chriſti eccleſia recognitam, in ſtatutis conciliorum vniuerſalium diſpenſandi pro occurrentibus negocijs: ne ex hoc omnibus confeſſo & notorio conuincerentur, ſupra conciliorum vniuerſalium autoritatem eſſe autoritatem Romanorum pontificum, cum notorij, indubitatiq́ue iuris ſit, inferiorem in leges ſuperioris ſui nullum ius, nullamúe autoritatem obtinere: diſtinguit triplici iure quędam pertinere ad autoritatẽ ſummorum pontificum, videlicet diuino ſupernaturali, naturali & poſitiuo. Iure ſupernaturali, datam confitetur à Chriſto Romanis pontificibus in Petro, tanquam ſuis vicarijs, & in eccleſiaſtica hierarchia monarchis, tam poteſtatem ordinis quam iuriſdictionis in vtroque foro, hoc eſt, coactiuo & voluntario. Iure naturali vero pleraque etiam ipſis conueniret cum dictet recta ratio, vt communitatis aut politiæ alicuius gubernator & princeps, multis præ alijs priuilegijs, prærogatiuis honoribuſq́ue gau-
B deat. Poſitiuo autem iure, ſeu vniuerſalis eccleſię, ſeu œcumenicorum conciliorum, eandem repræſentantium, vult etiam illis quædam competere, quæ eccleſia ipſa tanquam communitas perfecta ſuo capiti & dare potuit, & dedit. Cuius notæ affirmat eſſe hanc autoritatem interpretandi, diſpenſandiq́ue in ſtatutis conciliorum vniuerſalium, prout occurrens neceſsitas, aut euidens hoc requirit vtilitas, quandoquidem ad concilia non ita patet quotidianus recurſus. Quam equidem autoritatem non vult habere eccleſiaſticæ hierarchiæ principem ex poteſtate ſibi attributa à Chriſto, ſed ab ipſa eccleſia. Qua quidem non incauta, ſed parum fundata diſtinctione eliſiſſe exiſtimat vim obiectionis illius efficaciſsimæ. Conferens deinde papalem autoritatem ad autoritatem vniuerſalis concilij, hanc illam in ſex prærogatiuis dicit excedere. Primo in amplitudine (vt ipſe loquitur) aut extenſione. Secundo, in infallibili vſus eius directione. Tertio, in morum reformatione, tam in capite, quam in membris. Quarto, in coactiua poteſtate. Quinto, in cauſarum fidei vltimata deciſione. Sexto, quoniam concilium in ſe complectitur ſaltem virtute omnem poteſtatem, omneq́ue politicum regimen, papale, imperiale, regale, optimatum, populare. Proinde, qui C
comparat, inquit, eccleſiaſticam autoritatem papali, comparat totum parti, & quærit quid ſit maius. Peſtilentem inſuper dicit, pernicioſamq́ue doctrinam eorum, qui Romanorum pontificum autoritatem ſupra concilia ſtatuunt. quibus ex Theologicis (vt exiſtimat) principijs luce clarius demonſtrantur eſſe ſubiecti.

Hæc fermè ſunt, quæ Gerſonus ille, vir alioqui & pius & doctus, ſed hac in re aut affectu ſtudioq́ue partium, aut autoritate illorum patrum deceptus, magis confidenter, quàm rationabiliter aut verè, in illorũ defenſionem excogitauit. Quæ ſi diligenter expendantur ad illa, quæ magis iactat, quàm profert, Theologica principia, quantumuis prima facie probabilitatis quandam ſpeciem habere videantur, inuenientur talia, qualem ipſe dicit doctrinam noſtram, quam nos eſſe dicimus orthodoxorum omnium, quos Romanorum Pontificum autoritatem ſupra concilia vniuerſa recognouiſſe ſemper ab initio, paulo poſt faciemus euidentiſsimum.

Hic ſatis fuerit eorum rationes, qui vniuerſalium conciliorum autoritatem ſupra autoritatẽ Petri, & eccleſiaſticę hierarchiæ præſidentium efferunt, breuiter, & D
quam fieri potuit, probabiliter hactenus explicauiſſe. Nunc ipſam veritatis demonſtrationem omnibus viribus aggrediemur.

Euidenter conſequi ex his, quæ ſuperius demonſtrata ſunt, eccleſia nullam autoritatem competere ſupra ſuum caput, eccleſiaſticæ hierarchiæ principem.

CAP. III.

QVandoquidem mere Theologica eſt cauſa hæc vniuerſa, nempe quantam ipſe Chriſtus in ſuo illo regno eccleſiæ autoritatem dederit Petro atque eius ſucceſſoribus, ſuis vicarijs, quantam communitati eccleſiaſticæ, quantam denique vniuerſalibus concilijs, & quæ cui præponderet: atque ita res ipſa requirit (quo pondus illud, quod nos prægrauat autoritatis Conſtantien. & Baſilienſ. conciliorum, & hinc natorum præiudiciorum efficacius diſcutiamus) vt exactiſsimam rationem ineamus demonſtrandæ veritatis: ad illa ipſa Theologica principia (quibus illi, ſed nouo more, ſeipſos victores pronunciant) cauſam hanc reuocemus, expendamuſq́ue oportet. Duo

autem

A autem nos habere in vniuerſum principia Theologica, ex quibus ſciri poſſit, quid conſtitutum à Chriſto, nempe ipſam canonicam ſcripturam, & ſine ſcripto traditionem eccleſiaſticam, quam ab ipſis apoſtolis edocti, ſacro illo ſpiritu, viua doctrina, præceptioneq; ab initio accepit catholica eccleſia, & continua epiſcoporum ſucceſsione ad nos propagauit, ſupra libro I. clariſsimè demonſtrauimus. Neque enim ſcripto legem ſuã nobis commendaſſe Chriſtum, ſed apoſtolorum, vt diximus, viua traditione certum eſt. Et quanquam poſtea nonnulli aggreſſi ſint explicare Chriſti actam in terris hiſtoriam, ex quibus quatuor reiectis reliquis probauit Chriſti eccleſia, & canonicam eis (quam ex ſuis illis autoritatibus non habebant) autoritatem impartita eſt: illi tamẽ ipſi nec vniuerſa eius acta, dictaq; potuerunt comprehendere: quę, inquit ille, ſi ſcribãtur per ſingula, nec ipſum arbitror mundũ capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Sed vniuerſa noſtræ fidei ſacramenta, myſteriaq; cõplexi ſunt: quorũ pleraq;, nec ipſum Chriſtũ ſuos docuiſſe apoſtolos, vt eorum incapaces, quàmdiu in mortali carne cum eis viueret, ſed reſeruaſſe vnctioni ſpiritus, idem ille euangeliſtarum præci-
B puus teſtis eſt. Quorum omnium euangeliſtas nullum omnino verbum attigiſſe, certum eſt: vt qui non niſi ad Chriſti aſcenſionem perducunt eius hiſtoriã. Sed nec apoſtolos illa ipſa, quæ acceperunt ab illo ſacro ſpiritu, ſcripto tradidiſſe eccleſijs, ſed viua tantum doctrina ac traditione, æque certum eſt. Quam vt ab initio accepit illa Chriſti eccleſia: ita & conſeruauit, & ad nos vſque perduxit, non minori certitudine & autoritate, quàm quæ Chriſtũ per ſeipſum nobiſcum agentem in terris inſtituiſſe, atque proprio ore commendaſſe apoſtolis, euangeliſtæ commemorant, & literis commendarunt poſteris. Cuius equidem eccleſiaſticæ traditionis adeo non minorem eſſe, quàm euangelicarum ſcripturarum autoritatem, etiam demonſtrauimus, vt hanc ab illa prorſus dependere omnino indubitatum fecerimus. Et ſi quando (quod frequẽter vſu venit) de ſcripturarum germano ſenſu addubitari contingat, haud aliam veræ earundem intelligentię certam, inobliquabilemq; regulam nos habere, quàm cõmunem ſenſum & conſenſum catholicę eccleſiæ. Eam ſiquidem eſſe illam columnam, illud robur, firmamentumque veritatis omnis catholicę, teſte Apoſtolo, quæ & eundem ſacrum illum ſpiritum, quo ſcripturæ dictatæ ſunt, doctorem, illuminatoremque C
ſortita eſt, ſecum permanentem in æternum: hoc illud corpus, ad quod congregantur aquilæ: extra quod qui quærit Chriſtum, Chriſto teſte, ſeipſum decipit. Sed hæc libro primo clariſsimè demonſtrata, ne nos hic remorentur, lector inuenies.

Vt itaque pergamus, quo cœpimus, bina hæc in vniuerſum ſtabiliuimus ac initio omnis huius noſtræ diſputationis Theologica certaque principia, ex quibus ſciri poſſit, in eccleſia ſua Chriſtus quid conſtituerit, nempe ipſam ſcripturam canonicam, & eccleſiaſticam traditionem atque autoritatem, quam demonſtrauimus in cõmuni ſenſu conſenſuque orthodoxorum fidelium perſpici. Quem, quia nihil dubium eſt, ſanctos orthodoxoſque patres expreſſiſſe, quoties concordi aliquid ſententia adſtruunt ac definiunt: ideo & ſcriptis ſanctorum patrum, pręſertim his, in quibus ſibijpſis concordant omnes, & conſonant inuicem, eſt indubia apud nos fides & autoritas, vbi enim congregantur illæ aquilæ, ibi corpus eſt, ibi Chriſtus & veritas. Addidimus his autoritatem cathedræ apoſtolicæ, & eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſidis: ad quem quoniam referri oportuit omnem inter nos exortam de fide & religione quæſtionem & controuerſiam, eiuſque terminari definitione & iudicio, quod omnes indiſcuſſe abſque contradictione ſequi oporteat: ipſum donatum à Chriſto indefectibilis fidei priuilegio, atq; eius ſententiã, definitionem & doctrinam, ſemper eſſe ſententiam, definitionem ac doctrinam catholicæ eccleſiæ, lib. IIII. prolixè demonſtrauimus. Quanquam tertio hoc, (ne velut in cauſa propria minus ponderis, autoritatiſq; habeat) hic non admodũ vtemur principio. Age nũc ad hęc Theologica principia, quę magis iactitãt, quã proferunt aduerſarij, cauſam vniuerſam diligẽter expendamus, vt appareat quid ex canonicis ſcripturis, quid ex euãgelica traditiõe, quid ex catholicæ eccleſiæ ſenſu & conſenſu, quid ex concordi ſanctorum patrum teſtimonio, Petro atq; eius ſucceſſoribus, eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, conſtet attributum à Chriſto, quid vniuerſali eccleſiæ, quid denique œcumenicis concilijs. Ita enim quando conſtabit, quid per ſe horum trium vnumquodq; acceperit, haud erit difficile eadem conferre inuicem.

In quo ſit perſpicere eccleſiaſticæ traditionis ſententiam.

D

Cathedræ apoſtolicæ & præſidis eius indefectibilis fidei priuilegio ſuffulta autoritas.

Petri, vniuerſalis eccleſiæ, & œcumenicorum conciliorum autoritas.

Quid autem ex his principijs conſtet Petrũ & ſucceſſores eius eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſides accepiſſe à Chriſto, duobus

A bus ſuperioribus libris, tertio & quarto, euidentiſsimè demonſtratum eſt. Quorú vt ſummatim hic repetamus capita.

Petrus caput & petra ſuperædificandæ eccleſiæ, ad quam non pertinet, qui ab illo diuiſus eſt.

Principio, Petrum inſtitutum à Chriſto eccleſię ſuę caput, tam neceſſaria ad ipſum connexione corporis, vt quiſquis illi non vniretur, non ſubeſſet, non obtemperaret, ad eccleſiam Chriſti non magis pertineret, quàm quæ à fundamento ſuo auulſa, ſeparataq; iaceret quondam pars ædificij, ad ipſam domum aut ędificium, quæ eo ipſo pars eius eſſe deſijt, quòd fundamento ampliùs non cohæret, tã ex clariſsimis verbis Chriſti, quàm ex infallibili illa rectæ ſcripturarum intelligentię amuſsi, communi, inquam, orthodoxæ eccleſiæ conſenſu & confeſsione indubitatum fecimus. Cui vno velut ore teſtimonium perhibere patres orthodoxos tã Græcos, quàm Latinos abinitio vniuerſos, ęquè demonſtrauimus. Et in primis, Clementem, Anacletumque Petri diſcipulos, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides & martyres glorioſos. Illum item ſacrum Irenæum Polycarpi diſcipulum. Illum quoq; eruditiſsimum Tertullianum, nec minùs mirabilem, doctiſsimumq; Originem, Cyprianũ inſuper glorioſum Chri-
B ſti martyrem & pontificẽ, præterea Magnum illum Baſilium, Euſebium Cæſarienſem, Cyrillum Alexandrinum, Ioannem cognomento Chryſoſtomum Conſtãtinopolitanum. Et qui vnus plurimorum inſtar eſt, illum Athanaſiũ, vnà cum vniuerſis Aegypti, Thebaidis, & Lybiarum epiſcopis, vnà ſecum congregatis in Alexandrina ſynodo. Vniuerſam quoq; Orientis eccleſiam in ſupplici libello ad Iuſtinianũ principem. Sed & noſtros quoque eodem conſenſu æquè vniuerſos, Hieronymum, Ambroſium, Hilarium, Auguſtinum, Leonem, Gregorium, breuiter, quotquot aut ſunt, aut fuerunt orthodoxos.

Petrum itaq; eccleſiæ caput, paſtorem, principemque conſtitutum à Chriſto, ex illis principijs certum, indubitatumque fecimus. Cui & oues ſuas paſcendas idem ille tertiò commendauit, & quàm indiſſolubilis, quàm neceſſaria eſſet totius eccleſiæ ſuæ ad illum vnitas & connexio, æquè clarè ſignificauit, cùm ipſum fundamentum fore diceret à ſe conſtruendi totius eccleſiaſtici ædificij. Ex quo quis nõ intelligat, non pertinere ad Chriſti eccleſiã, quiſquis ab hoc capite ſe diuidit? cùm ędificij ad ſuum fundamẽtum tam ſit neceſſaria connexio, vt quicquid eius ab illo auulſum, ſeparatumq; fuerit, dici ampliùs nõ poſsit pars ędificij, ſed ruina eſt. C

Petrum vniuerſalis eccleſiæ caput conſtitutum à Chriſto.

Nec eſt quòd cauilletur hic quiſquam, Petrum particularium quidem eccleſiarum omnium, non autem vniuerſalis eccleſiæ caput conſtitutũ à Chriſto: quemadmodum Conſtantienſes illi ſenſiſſe videntur in cenſura illa, quam ſuprà citauimus, articuli cuiuſdam Ioannis Vvicleſi, de cathedra Petri Romana eccleſia. Quos euidenter redarguit Chriſtus, dicens ſuper ipſum Petrum ſe ædificaturũ eccleſiam ſuam, quę vnica eſt, non plures: niſi quatenus plures vnam integrant & conſtituunt. Vna eſt, inquit ille, columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, vnam catholicam eccleſiam credimus ac profitemur omnes in ſymbolo Nicenæ fidei. Hanc vnam, hanc totam, hanc vniuerſam, quanta quanta erat, ædificaturũ ſe dixit Chriſtus ſuper illum cepham, illud ſaxum, illam petram apoſtolorum & totius eccleſiæ principem. Quẽ iam aſcenſurus ad patrem & abiturus in regionem longinguam, ſuprà audiſti vt conſtituerit ſuper vniuerſam ſuam familiam, vt & oues ſuas & agnos ſuos paſcendos, gubernandoſque, & vniuerſum illi commiſerit ouile ſuum. Illi dixit omnipotens Dei verbum: Tu paſce, regeq; nues meas, cuius pater antè dixerat ad Dauid: Tu paſces populum meum Iſrael. Cui, inquit ille Bernardus, non planum eſt, omnes oues deſignaſſe Chriſtum? nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Nunquid nõ ſunt omnes Chriſtiani, ſeu ſeparatim, ſeu coniunctim eos intelligas, oues agnìue Chriſti? Et abſque exceptione, abſque diſtinctione commiſsi ſunt omnes curę, regimi niq́ue Petri, ſuper quem ędificata eſt, non plures, non particulares, ſed vnica, tota, vniuerſaq́ue Chriſti eccleſia. Quem non vni Rnmæ, ſed (vt B. Chryſoſtomi verbis dicam) vniuerſo orbi terrarum prępoſuit Chriſtus. Et (vt ille ter ſanctus Leo) vniuerſarum gentium vocationl, omnibus quoq; apoſtolis & cunctis eccleſiæ patribus, vt quamuis multi ſint in populo Dei ſacerdotes, multiq; paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter ipſe regit & Chriſtus. Adeò vt ille D. Gregorius affirmare non dubitet, cunctis euangelium ſcientibus eſſe notorium, voce diuina totius eccleſię curam commiſſam principi apoſtolorum Petro. Sed hæc libro III. & IIII. tam ex canonicis & euangelicis

Impugnatur cenſura Conſtãtienſis concilij de cathedra Petri.

D

A gelicis ſcripturis, quam ex catholicæ ab initio eccleſiæ communi ſenſu, fide & confeſſione, clariſsimè & irreſragabiliter demonſtrata ſunt. Cuius vt nullũ aliud haberemus teſtimoniũ, certè vnius Chalcedonen. concilij nobis ſufficere deberet autoritas. In quo DC XXX. ex toto orbe cõgregati epiſcopi, ad beatiſſ. Leonem referentes acta illius concilij, eundẽ apoſtolicæ ſedis & vniuerſalis eccleſiæ cõpellarunt epiſcopum: quod eadẽ illa atteſtatur ſynodalis epiſtola, & B. Gregorius ſuo hoc ipſum luculentiſsimo teſtimonio confirmat. Siquidem in epiſtola ad imperatorem Mauritium aduerſus illicitã ambitionẽ Ioannis Conſtantinopolitani epiſcopi, itẽ & in altera ad Eulogiũ Alexandrinũ patriarchã, præterea etiam in alia ad Anaſtaſiũ Antiochenũ, affirmat præſatũ Leonẽ à frequẽtiſsima illa Chalcedonenſi ſynodo recognitum & appellatum fuiſſe patriarcham œcumenicum, hoc eſt, totius orbis terrarũ, aut vniuerſalis eccleſiæ. Si itaq; vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus Leo, idq́ue tanti concilij, atq; adeo ipſius vniuerſalis eccleſiæ teſtimonio, conſtat ſanè vniuerſalẽ eccleſiã Petri ſucceſſorũq; eius commiſſam regimini: quemadmodũ particulares eccleſiæ gubernationi epiſcoporum ſuo-

B rum. Et ſicut particularis eccleſiæ caput eſt diœceſanus epiſcopus: ita vniuerſalis eccleſiæ Petrus ſucceſſoreſq; eius.

Teſtimonium Chalcedonenſis ſynodi.

Quare conſtat parum concinnã, parumq́ue fundatam (ne quid dicam grauius) eſſe diſtinctionem Conſtantienſis concilij, qua vtitur in damnatione illius articuli Vuiclefi, ſub his verbis: Erroneus eſt, ſi per Romanam eccleſiam intelligatur vniuerſalis eccleſia, aut generale concilium, aut pro quanto negaret primatum pontificis ſuper alias particulares eccleſias. Quis enim per Romanam eccleſiam vnquam intellexit, aut vniuerſalem eccleſiam, aut generale concilium? Mihi ſanè videtur, Romanam eccleſiam haud obſcuram, neque ambiguam habere ſignificationem, quum pro ſua inter omnes eccleſias autoritate, & primatus dignitate, toti ſemper orbi, Chriſtianiſq́ue omnibus notiſsima fuerit. Quam primam quidem illam totius orbis ſedem Petri & apoſtolicam cœleſti inter nos beneficio exaltatam, & ſingulari illo, quod ſupra adſtruximus priuilegio decoratam, & cuius epiſcopus, ſimul eſſet eccleſiaſticæ hierarchiæ princeps, atque adeo vniuerſalis eccleſiæ archiepiſcopus, vt reuera eſt, ita ſemper intellexerunt omnes. At vniuerſalem eccleſiam nemo intellexit vnquam, niſi forte Latini ſermonis ignarus. Nam addita determinatio particularis (Romana videlicet) vetat, quo minus vniuerſalem eccleſiam poſsis intelligere. Multo minus autem vniuerſale concilium: quod quis, obſecro, aut Romanæ, aut cuiuſuis alterius nomine deſignauit eccleſiæ? Tertiam vero illam diſiunctionis particulam, qua tribuentes Romanis pontificibus primatum ſuper particulares eccleſias, eundem ſuper vniuerſalem eiſdem negant eccleſiam, addiderunt quidem neceſſario, ne ſibijpſis ſtatim inuenirentur contrarij, ſed æque inconſiderate, aduerſus Chriſti ipſius verba clariſsima, totius quoque orthodoxæ eccleſiæ confeſsionem & ſententiam. Intelligebant ſane gregi & ouibus (quas paſtoribus ſuis ſubeſſe præcepit Chriſtus) non eſſe attributam ab eodem, contra rerum naturam & ordinem, autoritatem ac poteſtatem ſuperiorem, ſupra ſuum paſtorem, ducem ac principem, quem idem ipſe pro ſe illis conſtituiſſet vicarium. Quare ſi Petrum, ſucceſſoreſq́ue eius cum orthodoxa eccleſia recognouiſſent catholicæ eccleſiæ paſtores, primates aut epiſcopos: ſtatim conſequens erat, non eſſe eccleſiæ in ipſos, ſed contra potius, ipſorum in eccleſiam regiminis autoritatem ſuperiorem, atque ita corruiſſent continuo magnifica illa eorum decreta, quibus & Petrum & ſucceſſores ipſius ſibi ſubijciebant ac reddebant obnoxios. Nunc vero pulchro, acutoque (vt ſibi viſi ſunt) commento, non ſuper vniuerſalem eccleſiam, quam ſeſe repræſentare iactitabant: ſed ſuper eccleſias particulares vniuerſas eorum eſſe poteſtatem, confeſsi ſunt. Quaſi aliud eſſet vniuerſalis eccleſia, aliud vero particulares vniuerſæ, aut quaſi, ſi omnes ſimul Chriſtianos intelligas, non cõprehendantur ſub appellatione ouium Chriſti, quas abſq; diſtinctione, abſque exceptione, idem ille Petri commiſit curæ & regimini. Quaſi deniq; particulares eccleſias dixiſſet Chriſtus, & non potius vnicam ſuam nempe catholicam, ſe ædificaturum ſuper Petrum. Quanto rectius, ſynceriuſq́ue ſacroſancta illa Chalcedonenſis ſynodus omnium, quæ vnquam celebratæ ſunt, celeberrima: & ſi qua alia maxime repræſentans vniuerſalem eccleſiam, in epiſtola de actis ſuis ſynodalibus ad beatiſsimum Leonem, qua non ſolum illum vniuerſalis eccleſiæ recognoſcunt & fatentur epiſcopum, ſed & Dioſcori patriarchæ Alexandrini deteſtantes inſaniam, iuſtæque

Parum concinna, nec ſolida Cõſtantienſis cenſuræ diſtinctio.

C

D

Chalcedonenſis ſynodus qualem recognouerit Leonem Romanũ pontificem.

A eius depoſitionis cauſas reddentes, hanc
præcipue commemorant,quod ab eodem
beato Leone, ob contemptam aut negle-
ctam apoſtolicæ ſedis autoritatem,in impia
illa Epheſina ſynodo,In qua reliquis præ-
uaricationis autor extiterat, damnatus at-
que excõmunicationi ſubiectus, in ipſum
reſurgere, & autoritate fretus generalis
concilij, viciſsim ipſum excommunicare
non eſt reueritus. Vbi inducta de vinea do-
mini ſabaoth & cuſtode eius parabola, per
vineam vniuerſalem Chriſti eccleſiam,per
cuſtodem eius Romanum pontificem, ec-
cleſiaſticæ hierarchiæ principem intelli-
gentes. Inſuper,inqniunt,contra ipſum vi-
neæ cuſtodem, qui à ſaluatore deputatus
eſt cuſtos,inſaniam ſuam oſtendit,dicimus
ſcilicet ſanctitatem tuam, & incommuta-
bilem eum,qui corpus eccleſiæ vnire ſoli-
tus eſt,meditatus eſt facere. Hæc illa Chal-
cedonenſis ſynodus. Vides hic vineæ toti-
us cnſtodem,vides vnde pendeat vnitas to-
tius eccleſiaſtici corporis.

Itaq; hic vt reuertamur ad inſtitutum,
nempe ad breuiter commemorandũ,quam
autoritatem ex theologicis illis principijs
conſtet Petrum atq; eius ſucceſſores, eccle-
ſiaſticæ hierarchiæ præſides, accepiſſe à
B Chriſto. Cùm iã illũ conſtet ab ipſo conſti-
tutũ Chriſtianæ eccleſiæ caput & princi-
pem, eamq; vniuerſam ipſius commiſſam
curæ & regimini,non deſtituiſſe eundẽ ne-
ceſſaria ad hoc autoritate æque certum eſt,
ſed talẽ ad proportionẽ autoritatẽ ipſi cõ-
tribuiſſe ſuper vniuerſam domum eccleſi-
aſticam, qualem in domo priuata neceſſa-
rio habet quilibet paterfamilias,hoc eſt,vt
eius præceptis obnoxij eſſent omnes,qui ad
eccleſiaſticam familiam pertinenr, in ſuo
quiq; gradu & ordine: quibus ipſe poſſet
normam & leges præſcribere, quæ ſibi vi-
derétur ad finẽ eccleſiaſticę ſocietatis con
ducere. Et ab vnoquoq; ſui officij rationẽ
exigere. Inſuper & exortas in eadem eccle-
ſiaſtica domo de fide,religiõe,& alijs eccle-
ſiaſticis negocijs quæſtiones & controuer-
ſias ſua definitione ac iudicio componere:
cũ priuilegio quodã ſingulari indefectibi-
lis fidei & infallibilis definitionis ac iudi-
cij in his,quę ad fidẽ religionẽq; pertinent,
pro neceſſaria vtilitate & ſecuritate totius
familiæ eccleſiaſticæ. Quare & vni illi di-
ctum à Chriſto,vt quodcunq; alligaret ſu-
per terram, alligatum haberetur in cœlis,
hoc eſt,quodcunq; ille obligaret, præcipe-
ret,ordinaret in vniuerſa eccleſiaſtica do-
mo,hoc ipſum obligare omnes in eadem
exiſtentes, etiam coram deo: nullis alijs C
autoritatẽ eius circumſcribens limitibus,
quàm ipſam domum catholicæ eccleſiæ,
nempe vniuerſo orbe terrarum.

Et quanquam etiam in vnaqualibet alia
cõmunitate,cuius pars ſumus, ſuperiorum
in eiſdem noſtrorũ præceptis obedire te-
neamur, etiam coram Deo, quando ad fi-
nem faciunt ſocietatis, in qua præſident, à
quo ſi prorſus aberrarent, non teneremur
obſequi: Eccleſiaſticæ tamen hierarchiæ
pręſidis (cui in his,quæ ſui officij ſunt, ipſe
Chriſtus ſemper adeſt ſpeciali priuilegio)
nõ vult à nobis diſcuti pręcepta, ſed ſim-
pliciter & indiſcuſſe obſequi. Itaq; quem-
admodũ in veteri illa ſynagoga pręceptum
ſupra demõſtrauimus,vt facerent quicquid
dicerent,aut iuberent præſidentes illi Mo-
ſaicæ cathedræ, atq; ſine vlla diſcuſsione
obedirẽt ſummi ſacerdotis imperio,in nul
lam ab eo partẽ declinantes: Ita & apoſtoli-
cæ cathedræ & totius eccleſiæ præſidi Pe-
tro atq; eius ſucceſſoribus dixit Chriſtus:
Quodcunq; ligaueris in vniuerſo orbe ter
rarum,ligatum erit in cœlo. Nihil excipit,
nihil noſtro reſeruat aut arbitrio aut iudi-
cio,ſed ſimpliciter & indiſcuſſe iubet ſer-
uare & facere,quicquid nobis dicunt,hoc
eſt,præcipiũt,qui cathedrę præſident: tam- D
etſi prohibeat eorũ opera,vt ſequaris,atten
dere. Quare & vni Petro vt eccleſiaſticæ
hierarchiæ pręſidi ſua oratione impetrauit
Chriſtus, non quidẽ impeccabilitatis, ſed
indefectibilis fidei priuilegiũ: vni in apoſto
lorũ omniũ pręſentia dixit: Ego rogaui pro
te Petre,ne deficiat fides tua,ad confirman
dos fratres in fide. Petri hoc eſt,non eccle-
ſiæ,priuilegium: niſi ex conſequenti, &
velut ex Petri priuilegio,& tanquam eidem
adhærenti vt capiti ac fundamento totius
eccleſiaſtici ædificij. De qua quum Petro
diceret Chriſtus,quod eandẽ ſuper ipſum
ędificaturus eſſet,addidit: Et portæ infero-
rum non præualebunt aduerſus eam,ſuper
te videlicet ædificatam: clare indicans ec-
cleſiæ hoc ipſum ex fundamenti ac illius
petræ priuilegio competere.

Sed hæc tam ex canonicis & euangelicis
ſcripturis,quã ex earundẽ rectæ intelligen-
tiæ certa regula catholicæ per orbẽ eccle-
ſiæ ab initio recognitione,fide & confeſsio
ne,& orthodoxorum patrum omniũ con-
cordi teſtimonio,duobus prioribus libris,
tertio & quarto, copioſe & luculenter de-
monſtrauimus. Vtq́ue in omni hæreticæ
perſecutionis turbine ac tempeſtate ſub-
orta, velut ad certum,indubiumq́ue veri-
tatis

tatis

A tatis ſignum, ad fidem Romanæ eccleſiæ, toto orbe reſpexerint Chriſti fideles: ad eam confugerint, velut ad ſacram quandam ancoram: eius traditionem, tanquam certam & infallibilem veræ fidei regulam, amplexi fuerint: vt in qua ſpeciali illo Petro impetrato à Chriſto priuilegio, orthodoxã fidem, & apoſtolicam illã quã ab initio acceperit traditionem ſyncere conſeruatam agnoſcerent, conſeruarique, in finem.

Vt itaque breuiter in ſumma dicam, ex Theologicis illis quæ memorauimus principijs, ſuperius irrefragabiliter demonſtratum eſt, Petrum, conſtitutum à Chriſto totius, quantum quantùm eſt, ouilis ſui, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ paſtorem, gubernatorem & principem. Cuius tam neceſſaria eſt ad illud ſuum caput vnitas & connexio, quam ædificij ad ſuum fundamentũ, ſupra quod ædificatum eſt. Inſuper, obtinuiſſe illum à Chriſto talem, tantamque autoritatem, qualis, quantaq́; ad tã immenſam multitudinem gubernandam, & in ſolidam vnitatem, concordiamque cogendam & continendam, & in finem illum ſuum dirigendam, illi fuerat neceſſaria. Cuius ſummam plenitudinemq́; in clauium regni cœleſtis metaphora expreſſam diximus. Quas vni

B ſingulariter Petro, nõ cæteris apoſtolis, non etiam ipſi datas eccleſiæ, tam ex clariſsimis Chriſti verbis, quã ex concordi ſanctorum patrum teſtimonio, atque adeo communi catholicæ eccleſiæ conſenſu, confeſsione & ſententia, etiam demonſtrauimus. Præterea & iuriſdictionis, illam autoritatem terribilem, cuius poteſtas etiam cœlos penetrat: cui quicquid continetur in latiſsime patente eccleſiaſtica domo, cuiuſcunque ſit dignitatis, gradus & officij, quicquid in terris eſt, ſubiectum eſt. Definiendarum quoque dubitationum circa fidem, religionem, legemq́; Chriſti inter nos ſuborientium. Cuius definitionem & ſententiam vt omnes ſequi neceſſe eſt: ſecuritatem rectitudinis, veritatiſque earundem nos accepiſſe. Præter hæc quæ Petri ſunt, & ſucceſſorum eius eccleſiaſticę hierarchię præſidum, etiam aliud cathedrę apoſtolicæ demonſtrauimus priuilegium, totius ab initio eccleſiæ catholicæ confeſsione recognitum: & ipſa rei comprobatum euidentia. Nempe vt in ea nunquam deficiens orthodoxorum epiſcoporum ſucceſsio, apoſtolicam illam traditionem, fideique orthodoxæ ſynceritatem, vt eam ſine ſcripto viua illa traditione, doctrinaque accepit ab apoſtolorum principibus, ad finem vſque

C ſeculorum incorruptam, intemeratamque propagaret, quam aliter conſeruari non erat poſsibile. Cuius traditionem fidemque multo confidentius hæreticis obijciebant ſancti illi primitiuæ eccleſiæ patres & proceres, quam ipſas ſcripturas euangelicas, vt quas conſtat parum efficaces ad conuincendos hęreticos, quod inſtar plumbeæ cuiuſdam (vt ſæpe diximus) regulæ facile ſe flecti patiantur, & accommodari ad ſenſum, quem quiſque ſecum attulerit.

Ex his tametſi etiam de vniuerſali eccleſia lege correlatiuorum euidenter conſequens ſit, eam non accepiſſe autoritatem ſupra Petrum & ſucceſſores eius eccleſiaſticæ hierarchiæ principes. Nam ſi paſtor, rector & caput vniuerſalis eccleſiæ Petrus, paſci hæc gubernariq́; debuit à Petro: eique ſubeſſe, & non vice verſa, fuitq́; & eſt Petro in eã regiminis iuriſdictioniſq; autoritas, huic vero ſubiectionis, obedientiæq́; impoſita neceſsitas. Si illius autoritati commiſſum, ſubortas inter nos quęſtiones controuerſiaſq; definire, conſequens eſt, vt huic iunctum ſit illius ſententiam ſequi, illique ſemper inniti, tanquam ſuo fundamento ædificium. Hæc enim ex ipſa correlatiuorũ ratione, naturaq́; per ſe ſunt euidẽtia: adeoq́; ſi aliter non probaremus, vniuerſali D eccleſiæ in Petrum, & ſucceſſores eius nullam iuriſdictionis autoritatem competere, nemo non ſatis demonſtratũ hoc intelligeret. Quoniam tamen Conſtantienſes Baſilienſeſq́; illi definierunt, vniuerſalem eccleſiam (in cuius ſe ius, neſcio quo iure ſubrogabant) poteſtatem immediate accepiſſe ab ipſo Chriſto, cui quilibet cuiuſcũq; ſtatus aut dignitatis, etiam ipſi eccleſiaſticæ hierarchiæ principes, obedire tenerentur: coactiuam etiam poteſtatem ſibi vſurpantes in eoſdem: operę precium videtur paulo diligentius hoc ipſum inueſtigare, num quæ ex certiſsimis illis, quæ conſtituimus, principijs conſtare videatur vniuerſali eccleſiæ à Chriſto data autoritas huiuſmodi. Quod ſi erit, falſum ſit neceſſe eſt, quicquid ſuperioribus libris Petro ſuper eccleſiam datum demonſtrauimus: falſa proinde, imo impoſsibilia illa ipſa noſtræ fidei indubitata, certaq́; principia, ex quibus conſequerentur, non ſolum falſa, ſed etiam pugnantia. Nam ipſa rerum natura nõ patitur, vt ſi Petro ſit in eccleſiam (quemadmodum demonſtrauimus) data regiminis, iuriſdictioniſq́; autoritas, quod ea viciſsim ſit eccleſiæ in Petrum: ſed ſimpliciter aut præeſſe aut ſubeſſe alterum alteri eſt neceſſarium.

A *Vniuerſali eccleſiæ nullam à Chriſto iuriſdictionis datam autoritatem, non ſolum ſupra ſuum caput, & qui ipſius Chriſti inter nos agit vicarium: ſed nec ſuper vnumquemlibet etiam infimi gradus Chriſtianum: & ſi quam maxime accepiſſet, eam nullo iure ſibi vendicare poſſe vniuerſalia concilia.*

CAP. IIII.

EXpectare te video lector, vt intelligas quid hæc ſibi paradoxa velint. Nam paradoxa vt videantur pleraque, quæ ex Theologicis illis principijs alioqui ſunt euidentiſsima, fecit ſacrarum ſcripturarum, & eccleſiaſticæ illius antiquitatis, orthodoxorumq́ue patrum, qui iam diu regnauit, neglectus, & recepta pro illis prophana quædam quiduis ex ſuo ſtatuendi, definiendiq́ue iudicio, impiaq́ue temeritas, nuper quorundam, qui ſophiſticis magis ratiunculis, quam ad certiſsima illa quæ oſtendimus principia, expendebant omnia: nunc vero nonnullorum, qui faſtu ſecularium literarum inflati, de ſingulis pro ſuo iudicio pronunciant, & ſe diuinorũ, humanorumq́ue omnium Ariſtarchos conſtituunt. Da-
B bo itaque operam, vt etiam tibi, non ſolum credibile, ſed verum quod dicimus videatur. Rurſus igitur, quid dicam, accipe. Bifariam intelligere contingit vniuerſalem eccleſiam, videlicet aut ipſam totam, integram, perfectamq́ue vna cum ſuo capite, aut velut cogitatione contra ſuum caput diſtinctam, quo pacto accipi certum eſt, quando fit aliqua eius ad ſuum caput relatio, vt cum dicimus, Petrum ſucceſſoreſq; eius eſſe paſtores, rectoreſq́ue vniuerſalis eccleſiæ. Item in illis verbis Chriſti: Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Vtrouis autem modo intelligatur, dico vniuerſalem eccleſiam, vt huiuſmodi eſt, nullam prorſus iuriſdictionis poteſtatem, autoritatemq́ue accepiſſe à Chriſto, cuius omnino nullus vſus, nulla vtilitas, nulla prorſus potuiſſet eſſe operatio. Dico autem, vt eiuſmodi eſt, hoc eſt, quæ primo conueniat toti, vniuerſaliq́ue eccleſiæ, & non ſecundum accidens, aut ſecundum partem eius aliquam. Hoc enim pacto quicquid ſeu Petro, eccleſiaſticæq́ue hierarchiæ principibus, ſeu reliquis eius ordinibus primo datum eſt, etiam vniuerſali eccleſiæ datum eſſe vere intelligi, diciq́ue poſſet. Itaque ne indiſtinctus ſermo ambiguitatem pareret, & veritatis inquiſitioni impedimento foret, addidimus, in quantum C eiuſmodi.

Principio hoc te ſcire volo, quamuis illis verbis Chriſti, in quibus vniuerſum eſt aduerſariorum fundamentum: Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic eccleſiæ. Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quęcunq; alligaueritis ſuper terrã, erũt ligata & in cœlo: & quęcũq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Quamuis, inquam, his Chriſti verbis, eccleſiam ligandi, ſoluendiq́; poteſtatem, & D. Hieronymus confirmet, & nos etiam ſupra demonſtrauerimus: nihil tamen hæc pertinere ad vniuerſalem eccleſiam, vtrouis prędictorum modorum ipſam intellexeris, mihi omnino videtur certiſsimum. Nam quũ præceperit peccantem in nos fratrẽ corripere: deinde vnum aut duos adhibere teſtes: tertio denunciare eccleſiæ, nõ intellexiſſe illũ eccleſiæ nomine ipſam vniuerſalẽ eccleſiã, ipſa de qua loquebatur & quam præcepit, rei natura mihi euidentiſsimè demonſtrare videtur. Quis enim peccantẽ in ſe fratrem vniuerſali denunciare poſſet eccleſiæ, hoc eſt, vniuerſitati omniũ in vniuerſum orbẽ diſparſę Chriſti fideliũ? Nũquid hęc vniuerſitas in vnũ aliquẽ locũ, aut cõuenit vnquã, aut D cõueniet, vt adiri poſsit à nobis? vt illi peccãtis in nos fratris denũciatio fieri? vt is ab illa corrigi aut corripi? Aut eccleſia ad quã quenq; in hac cauſa remittit Chriſtus, ſemper aditu eſt facilis, ſemp parata omnibus. Cũ illius pręcepti vſus occurrat in dies ſingulos. Sed vniuerſali, inq̃s, cõcilio repręſentãti vniuerſalẽ eccleſiã, poteſt illa denũciatio fieri. Poſsit ſanè cõcilio fieri: attamẽ eccleſię nomine vniuerſale cõciliũ nõ intelligi, ęque certũ eſt, cũ ei dicere pręcepit Chriſtus, ſi peccans in nos frater, noſtra correptione emendatus non fuerit. Alioqui quo pacto erit credibile illis trecentis & amplius annis ante Nicenum concilium, primum vniuerſalium omnium, neminem vnquam ſatisfeciſſe illi Chriſti præcepto? Deinde, vt dixi, eccleſia ad quã quenq; remittit Chriſtus, in cauſa fraternæ correptionis, ſemper patet, aditu facilis omnibus. At vniuerſalis concilij rariſsimè cuiquam poteſt fieri copia. Quod ſi dixeris, tam vniuerſalem quam particularem eccleſiam indifferenter à Chriſto intelligi, quum præcepit dicere eccleſiæ, ſi quando nos monentes, corripienteſq́ue contemnit frater. Tunc quidem particulari eccleſiæ denunciandum fore, quando tali ſubeſt alicui,

Cauilli remotio.

A alicui. Si vero nulli ſubſit particulari eccleſiæ (quemadmodum ſummi pontifices eccleſiaſticæ hierarchiæ primates) hunc talem denúciari oportere vniuerſali eccleſię.

Sed vide, quam non quadrent iſta. Neceſſe eſt denunciandum eccleſię fratrē, ſubiectum eſſe eccleſiæ, cui denunciabitur. Quare Chriſti præcepto non ſatisfecerit, qui peccantē in ſe fratrē, qui pars eſt & ſubditus Traiecten. eccleſię, denunciauerit eccleſiæ Leodienſi, nec rurſus, ſi Traiectenſis eccleſiæ epiſcopú, ipſi Traiectēſi, cui præſicitur, nó ſubijcitur, eccleſiæ denúciare voluerit. Sed Traiecten. eccleſiæ ſubditú, denunciare oportet Traiectenſi eccleſię. Epiſcopú vero, nó ſuæ, cui pręficitur, ſed ſuperiori, cui ſubijcitur, denunciari neceſſe eſt, hoc eſt, Traiectenſ. epiſcopum Colonienſi eccleſiæ, aut certè Romanæ, cui ſubijciuntur omnes. Demonſtratú eſt autē Petrum & ſucceſſores eius Romanos pontifices, vniuerſalis eccleſiæ eſſe paſtores, rectores & epiſcopos. Illos ergo in nos peccantes nó vniuerſali eccleſiæ, cui præſunt, non ſubijciuntur, ſed Chriſto potius ac deo, cui ſubiectæ ſunt, orationibus, gemitibuſq́; noſtris denunciare debemus, vt aut eos emendet, aut aliter ſuæ prouideat eccleſiæ. Qui cito

Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides in nos peccantes, cui denunciandi ſint.

B ſaciet vindictam ſeruorú ſuorum ad ſe clamantium. Itaq; illa Chriſti verba: Dic eccleſiæ, nullo vnquam caſu de vniuerſali eccleſia intelligenda ſunt. Nã Romanus pontifex illi pręeſt, non ſubijcitur, quare illi denunciari non poteſt. Cæteri autem omnes ſubſunt particularibus eccleſijs. Quare nulla eſt eos ad vniuerſalē eccleſiam deferendi neceſsitas, vt nec poſsibilitas. Sed denunciandus quiſq; eſt particulari, cui ſubiectus eſt, eccleſiæ. Qui ſi nulli alteri, ſaltē Romanæ ſubijcitur, & ipſi quidem particulari: ſed quæ (vt ſuperius demonſtratum eſt) dēi beneficio, ſingulariq́; priuilegio, primatú obtinuit. Cui facilè denunciari poteſt omnis Chriſtianus in nos peccans frater. Deinde vt daremus illa Chriſti verba loqui indifferenter, tam de vniuerſali eccleſia, quantum ad fratrē nulli particulari ſubiectú eccleſię, quã de accleſia particulari, & ſua vniuſcuiuſq;, quantú ad fratres alios. Certú tamen eſt ex his verbis, haud maiorem vniuerſalis eccleſiæ autoritatē adſtrui poſſe, quam ſit vniuſcuiuſq; particularis: vt Traiecten. aut Leodien. dico, quantú ad ipſam in ſe autoritatis, poteſtatiſq; eſſentiam, energiã, vim & efficaciã, quãuis forte in plura ſuppoſita pateret eius iuriſdictio. Nihil enim vel fingere quiſquã poſsit hic dictú vniuerſali eccleſię, quod non certiſsimo dictum conſtet vnicuilibet particulari eccleſiæ. Certú eſt autem & ab ipſo etiam, cuius ſententiã impugnamus, Conſtantienſi concilio conceſſum, vt audiſti, maiorem, efficacioremque eſſe autoritatem, poteſtatemq; Petri, & ſucceſſorum eius, eccleſiaſticæ hierarchię principum, quàm vniuſcuiuſlibet particularis eccleſiæ, Leodienſis dico aut Traiectenſis. Maiorem ergo eorundem eſſe autoritatem præ autoritate vniuerſalis eccleſiæ confiteri planè eſt neceſſarium. A

Rurſus, huius autoritatis iuriſdictionis (ſi qua eſſet) vniuerſalis eccleſię, nulla prorſus foret vtilitas, nullus vſus, nulla operatio aut exequutio, quum ſit impoſsibile in vnú conuenire infinitam illam vniuerſitatis Chriſtianorú in vniuerſum orbē diffuſam multitudinē. At niſi in vnú conueniat, impoſsibile eſt illius totius, vt tota, vniuerſaq́; eſt, vnum eſſe aliquem actum, vnam operationē. Impoſsibile igitur autoritatis, poteſtatiſq; illius, quæ toti, vniuerſæq́; in quantú eiuſmodi conueniret, aliquod eſſe exercitium, ꝙ ſine aliquo actu totius, in quantum totum huiuſmodi, nó poſſet intelligi.

Quod nullus vſus foret iuriſdictionis, ſi qua eſſet, vniuerſalis eccleſiæ.

Si hic ad vniuerſale concilium iterum refugias, dicaſq́; ipſum repræſentare vniuerſalem eccleſiam, eiuſq́; in ſe poteſtatem habere. pſum autē haud difficile in vnum congregari poſſe, & quæcunq; volueris exercere & exequi. Audio quidem nudis verbis hæc affirmari: minimè tamen demonſtrari ex principijs illis (ad quæ prouocati ſumus) theologicis. D

Cauilli remotio.

Nam quú certum ſit œcumenicum concilium adeo non eſſe vniuerſalem eccleſiam, quæ millies fortaſsis millena milia toto orbe complectitur hominum: vt vix ſit aliquanta eius particula. (Nã in ſecúdo vniuerſali concilio, Conſtantinopolitano primo, centú quinquaginta tantum interfuiſſe traduntur epiſcopi) quæro, vnde habeat quod repręſentet vniuerſalē eccleſiam, eiuſq́; autoritatem, poteſtatemq́; (quam tamen nullam demóſtrarunt) exerceat. Aut enim obtinet hoc à Chriſto, aut ab ipſa vniuerſali eccleſia. A Chriſto hoc ſibi datum eſſe, vt centum aut ducenti epiſcopi totius, quanta eſt, eccleſiæ autoritatem habeant, nec iota vllum proferent. Ab ipſa ergo vniuerſali ecleſia hanc in ſe transfuſam autoritatē & velut delegatã ſibi, neceſſe habent dicere. Sed dicere haud quaquam ſatis eſt, factum demonſtraſſe oportuit, & iure riteque factum. Nam de vtroque illis moueri poſſet quæſtio & controuerſia. Quin nos contra

Vniuerſale concilium an repræſentet vniuerſalem eccleſiam.

A demonſtrauimus. Primum vniuerſalem eccleſiam, nec de facto potuiſſe delegare autoritatem ſuam vniuerſall concilio. Deinde vt potuiſſet, non tamē conſtare, quod vnquam fecerit. Tertio, ſi feciſſet, merito dubitari, an potuiſſet iure facere.

In prImis, ſi ex vniuerſalis eccleſiæ delegatione quadam, ſeu commiſsione, concilium repræſentet vniuerſalem eccleſiam, eiuſq́ue autoritatem exerceat: neceſſe eſt igitur, vt hanc conciliorū autoritatem delegatam præceſſerit actus aliquis vniuerſalis eccleſiæ, vt eiuſmodi eſt, eam autoritatem ſibi delegantis. Sed certum eſt, vniuerſalis eccleſiæ per vniuerſum orbem diffuſæ, vt eiuſmodi, nullum actum aut fuiſſe vnquam, aut eſſe potuiſſe. Deinde vt eſſe poſſet, potuiſſetq́ue vnus aliquis actus vniuerſalis eccleſiæ, potuiſſetq́ue facto commiſiſſe ſuam autoritatē vniuerſalibus concilijs: nunquam tamen id factum aliquando probabitur. Neque enim in ipſis concilijs id factum fingi poteſt, quum certum ſit concilia non eſſe vniuerſalem eccleſiam. An vero ex eius delegatione repręſentent vniuerſalem eccleſiam, hoc ipſum eſt, quod nunc ambigitur. Quod qui factum affirmant, oſtendere deberent, vbi aut quando

B factum fuerit. Certè quoniam ante delegationem eiuſmodi non fuiſſet iſta conciliorum autoritas, neceſſe eſt, aut eam præceſſiſſe concilia vniuerſalia, aut primum ſaltem vniuerſalium conciliorum, nec repræſentaſſe vniuerſalem eccleſiā, nec eius obtinuiſſe autoritatem. Atque ita Nicenum illud, omnium maximę in eccleſia autoritatis, hanc vniuerſalis eccleſiæ autoritatem, quam hæc nouiſsima ſibi vendicant, non habuiſſe neceſſe eſt.

Quod ſi ad conniuentiam aut tolerantiam hic confugiant vniuerſalis eccleſiæ, primum nec eam ipſam vnquam proferent, etiam ſi ea ſufficeret. Nam in nullo vniuerſalium conciliorum omnium hoc ſibi pręſumpſiſſe patres inuenient, vt dicerent catholicam ſe repræſentare eccleſiam, eiuſq́; autoritatem exercere, niſi in quantum ipſis i· tereſſet, aut etiā præſideret illa eccleſiaſticæ hierarchiæ principum Petri ſucceſſorumq́ue eius autoritas: pręterquam in his, quæ nunc impugnamus, Conſtantienſi & Baſilienſi nouiſsimis. Deinde quid quæſo ex hac adſtrul poſſet tolerantia & conniuentia? Quandoquidem ſimpliciorū vulgus (quæ eſt pars maxima) quonam pacto huic conciliorum temeritati, & iniuſtiſsimæ vſurpationi ſe potuiſſet obijcere? præſertim quum eorum non ſit dijudicare eiuſmodi. C Docti autem plerique prudenteſq́ue viri, quibus ſeditiones illæ haud mediocriter diſplicuere, quid obſecro facerent ſub illis tumultibus, in quibus & reges & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius? Sed Gamalielis illa ſententia dijudicauit, probauitq́ue, num ex deo eſſent illa conſilia. Depoſuit Eugenium IIII. Indubitatum pontificem Baſilien. concilium, & in locum eius Amadeum quendam ſubſtituit. Attamen Eugenium illum, ſucceſſoreſq́ue eius pro indubitatis Rom. pontificibus eccleſiaſticæ hierarchiæ primatibus in hunc vſque diem recognouit vniuerſa Chriſti eccleſia. Illius autem Amadei poſt diſſolutum illud concilium quis vnquam meminit? Nunquid ergo, ex vniuerſalis eccleſiæ ſententia conſenſuq́ue quiſquam credere poteſt acta hæc à Baſilien. concilio, quæ acta nunquam probauit Chriſti vniuerſalis eccleſia? Poſtremo, quum hic de autoritate ſupernaturali agatur, quæ ipſe Chriſtus in ſuo illo eccleſiaſtico regno ad finem illum ſupernaturalem conſequendum, quibus ſibi viſum eſt, diſpartitus eſt, nondum ex illis ad quæ prouocati ſumus, theologicis principijs ſatis demonſtratum eſt, vniuer- D ſalem eccleſiam, ſi quam propriè & primo accepiſſet à Chriſto autoritatem, eam potuiſſe pro ſuo arbitrio transferre in alios, niſi & eius transferendæ ſibi datam poteſtatem demonſtrarent à Chriſto.

Concluſio de autoritate vniuerſalis eccleſiæ.

Vniuerſali igitur eccleſiæ nullam prorſus iuriſdictionis autoritatē datam à Chriſto, ex his mihi ſatis demonſtratum videtur, vt cuius vſus nullus, nulla vtilitas, nulla futura erat operatio. Certa eſt enim indubitataq́; philoſophorum illa ſententia, deum & naturam nihil fruſtra facere.

Subruitur præcipuum aduerſariorum fundamentum.

Illa vero Chriſti verba, in quibus vniuerſum illius quam impugnamus autoritatis fundamentum eſt Matth. XVIII. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic ècclesiæ, & quæ ſequuntur, ad vniuerſalem eccleſiam nihil pertinere, ſed de particulàri loqui eccleſia, tam rei ipſius, de qua agitur, natura, quam ipſius vniuerſalis eccleſiæ ab initio docet obſeruatio. Quibus tametſi vnamquamlibet particularem eccleſiam, iuriſdictionis autoritatem in ſubditos ſibi accepiſſe à Chriſto non dubitauerim, multo tamen minorem, limitatioremq́ue illa Petri & ſucceſſorum eius eccleſiaſticæ hierarchiæ principum. Eccleſiarum ſiquidem iuriſdictio, certis limitibus diœceſibuſq́ue

arctatur

A arctatur & circunſcribitur. At illorum autoritas eſt in ipſas etiã eccleſias vniuerſas. Quamuis autem de eccleſiaſticæ domus autoritate loquens, etiam vniuerſitatis verbis vſus fuiſſe videatur Chriſtus, dicens: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: intelligi tamen hæc oportere, vt diſtributionem faciant accommodam, quemadmodũ dialectici loquuntur, indubitatum eſt, & ipſe verborũ Chriſti ſeries & contextus euidenter indicat. Nam poſtquam præcepiſſet vnicuilibet Chriſtiano, peccantem in ſe fratrem corripere, noſtramque admonitionem negligentem aut contemnentem eccleſiæ denunciare, non vtique vni vniuerſos qui toto orbe futuri erant fratres, ſed vnumquenque ſuæ, autoritatem deinde nobis commendans eccleſiaſtici iudicij, ſubdidit: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis in terra, &c. Id eſt, quæ vnaquælibet eccleſiarum alligauerit in ſubiectos ſibi. Ita enim intelligi oportere, & ipſa rei de qua agitur natura, & ipſa explicat elocutionis forma. Quis enim dubitet irritum fore, ſi Bononienſ. eccleſia in diœceſanum Mediolanenſ. aut Rauẽnatem ſuam autoritatem iuriſdictionemq́; exercere præſumpſerit? At in illis verbis dictis ad Petrum nihil eſt eiuſmodi, B quod cogat intelligere talem diſtributionem accommodam, ſed ſimplex vniuerſos ſimpliciter comprehendens diſtributio, vni ſiquidem ſingulariter dicitur: Quodcunque alligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cœlis, vnius ſingulari autoritati omnes ſine exceptione ſubiecti ſunt. Quod ſi inſuper hic diligenter attenderis, & ordinem & viam energiamq́; verborũ Chriſti, vt videlicet prius docuerit vniuerſam ſuam eccleſiam ædificaturum ſe ſuper Petrum, vt vni deinde promiſerit claues regni, quibus plenitudinem maieſtatemq́ue eccleſiaſticæ poteſtatis velut metaphora expreſsit, vt præterea vni ſingulariter dederit poteſtatem obligandi omnes qui ſuper terram ſunt, tamen in domo eccleſiaſtica, dicens: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cœlis, velut omnibus. Eccleſijs vero deinceps, præſente tamen, incluſoque Petro vnum illud: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, ligata erunt & in cœlo, tanquam vno ex multis: clariſsimè intelliges, non ſolùm maiorem magnificentioremq́ue quandam iuriſdictionis autoritatem attributam Petro & ſucceſſoribus eius, eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, præ illa data congregationi eccleſiaſticæ, aut multis (vt Origenes loquitur) ligatoribus. Quinimo à baſi, à fundamento hoc ſtructuræ eccleſiaſticæ, à capite & vertice myſtici corporis, huius ipſius vim efficaciamq́ue ſecundum ordinatiſsimum rerum naturę ordinem profluere in membra vniuerſa, quam diu illi ſuæ baſi & capiti indiſſolubili illo connexionis vnitatiſq́ue vinculo cohærerent, à quo quicquid ſeparatur C protinus ruina eſt, protinus mortuum & iners truncus: vt hoc libri tertij & quarti pleriſque locis diligentius explicauimus.

Maior Petri, quàm eccleſiaſticæ congregationis autoritas.

Dices itaq; mihi: Ergo vniuerſali negas eccleſiæ iuriſdictionis autoritatẽ in membra propria, quam concedis particularibus? Quid ni negauerim? Quando in vniuerſali eccleſia (vt iam demonſtrauimus) nullus eius vſus futurus erat, nulla operatio: particularibus autem eccleſijs eius erat, & eſt, non ſolum vtilitas præcipua, ſed & ſumma neceſsitas. Iam vero etſi quam omnino iuriſdictionem vniuerſali eccleſiæ competere contenderis, certè aliam aut maiorem ne affingere poſſes illi ex dictis Chriſti verbis, quàm in ſibi ſubditos competat ex eiſdem vnicuilibet eccleſiarũ particularium, quam non ſolum inferiorẽ autoritate Petri, ſed ei ſubditam ſubordinatamq́ue eſſe, indubitatum eſt. Poſtremo, vt D particularem quamlibet eccleſiam (cui data eſt à Chriſto in ſua mẽbra ligandi ſoluendiq́; poteſtas) non excludere, quin potius includere ſuum caput & epiſcopum, ſupra indicauimus: ſine quo reliquam multitudinẽ nullam ligandi ſoluendiq́; autoritatem habere certum eſt: ita & vniuerſalem eccleſiam, ſi quam omnino iuriſdictionis autoritatem accepiſſe velis à Chriſto, intelligere tamen ipſam oporteret integram: non ſolum ex reliquis membris, ſed etiam ex capite. At ita, qui ſubijcere illi conantur autoritatem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidentium, hoc faciunt, vt contra rerum naturam idem ſibijpſi ſubijciant. Quanquam ſi ad animale etiam corpus reſpexeris, cui ad rationem correſpondere corpus myſticum eccleſiæ certum eſt ex Apoſtolo, ęque nihil dubitabis toti, vt eiuſmodi & primo, nullam iuriſdictionis autoritatem competere. Hoc enim eſt ſtatuendi, imperandi, præceptionumq́ue ſuarum vinculis alios obligandi iuriſdictionis autoritas in corpore Chriſtianæ eccleſiæ: quod in animante vis illa motiua gubernatiuaq́ue totius corporis & membrorum omnium. Hæc autem non eſt primo totius, ſed partis hegemonicæ, cuius in animali perfecto eſt in

Similitudo aptiſſima.

A capite domiciſium. In homine verò mentis aut partis rationalis, quę ex capite mẽbris vniuerſis eidẽ cohęrentibus, per neruos, veluti habenas quaſdam, moderatur pro ſuo arbitrio, cuius & imperia, etiam extrema quęque & à capite diſtantiſsima, momentò exaudiunt & ſequuntur, niſi vel ipſa parum firma ſint, vel in habenis ipſis, hoc eſt, neruis, quibus velut à ſeſſore ex capite gubernantur, defectus aliquis fuerit. Quare & in corpore illo myſtico Chriſtianæ eccleſiæ, iuriſdictionis illa regendi imperandiq́; autoritas, non eſt primò totius corporis, quod regi debuit, nõ regere, obſequi non imperare: ſed in parte eius hegemonica, illa videlicet cui pręceptum eſt à Chriſto paſcere & regere ouile ſuum, & cui dictum, vt quodcunque ipſe hic obligaret in terra, hoc ipſum ſic obligatum haberetur in cœlis.

Claues regni cœlorũ primò datas Petro, non eccleſiæ.

Sed claues ſaltem, inquies, regni cœlorum datas eccleſiæ non diffiteberis, cùm eas Auguſtinus etiam claues appellet eccleſiæ, Petrumq́ue eccleſię perſonam geſſiſſe velit, cùm eaſdem à Chriſto acciperet. Imò verò & nego & pernego, niſi ſanè hoc ipſum intelligatur.

B

Ad obiectionẽ ex Auguſtino.

Quòd antem Auguſtinum hic proſerunt, putabam ego ad Theologica illa me prouocatum principia, nempe ad ſcripturam canonicam, & orthodoxæ eccleſiæ communem ſententiam obſeruationemq́ue, atque adeò ad autoritatem traditionis eccleſiaſticæ. Ex quihus euidentiſsimum fecimus, claues illas datas vni propriè Petro. Nam cùm eccleſiam ſuam ſuper Petrum ſe ædificaturum polliceretur Chriſtus, addidiſſetq; magnificam illam promiſsionem ad eandem pertinentem, Quòd portæ inferorum non eſſent pręualituræ aduerſus eam, non continuauit de ea ſermonem dicendo: Et ipſi dabo claues regni cœlorum, ſed reuerſus ad petram illam, ſuperædificandæ eccleſiæ ſuæ fundamentum: Et tibi, inquit, dabo claues regni. In qua tam clara luce euangelicæ veritatis, verborumq́ue Chriſti, non video quid quiſquam hæſitare poſsit, quos angulos, quę ſubterfugia quęrere, quas figuras fingere. Sed fingant, per me licet, quas figuras voluerint: modò ne vmbras & imagines in veritate quærentes, ipſam nobis conentur veritatem auertere. Quã etiã ipſam, certiſsima illa rectè intelligendarum ſcripturarum amuſsi, communi orthodoxæ eccleſiæ ſenſu euidenter confirmauimus. De Auguſtino verò poſſem dicere, ꝙ vnus homo fuerit hac in rẽ nec C ſecum firmiter nec cum alijs conſentiens. At patrum ſententiæ tunc apud nos eſt præcipua autoritas, quando & ſecum, & cum alijs conſentientes, ipſam nobis explicant communem orthodoxæ eccleſiæ ſententiam. Quo tamen pacto ſanè intelligi poſsit illa Auguſtini ſententia, ſuprà à nobis indicatum eſt. Nam eccleſiæ hæc ſunt, diciq́ue poſſunt, quæcunque diuerſis eius membris, ad ipſius præcipuè vtilitatem data ſunt: ſed non primò, neque ſecundum ipſãm totam, ſed ſecundũ partem. Et hactenus quidem de vniuerſali eccleſia, quæ attributa illi à Chriſto ex Theologicis illis principijs demonſtrari poſsit iuriſdictionis autoritas, nempe prorſus nulla: vt quę ſine vſu & fructu exercitioq́ue fruſtra futura erat, cùm vniuerſalis eccleſiæ ſecundũ totam, & primò nullus omnino poſsit eſſe actus.

Vniuerſalis eccleſiæ præconia.

Sunt quidem & alia nonnulla ad vniuerſitatem orthodoxæ eccleſię pertinentia pręconia, videlicet, quòd ſit columna firmamentumq́ue veritatis: quemadmodum de ea prædicat Apoſtolus, quam viuificet ſacer ille ſpiritus, & intima quadam perfuſione doceat omnem veritatem neceſſariam: nec in fide labi errareq́; permittat. Hæc, inquam, eccleſiæ prærogatiua eſt, hoc priuilegium: ſed eius, quæ Petro ipſiuſq́ue cathedræ vnitur, & quæ illi haud ſecus, ac fundamento ſuo ædificium, inhęret & innititur. Illi nẽpe promiſſum eſt, quòd inferorum portæ aduerſus ipſam nunquam præualituræ ſunt. Ab hoc fundamento ſi quid auulſum ſeparatumq́; fuerit, ruina eſt, nec pertinet ad Chriſti eccleſiam, à promiſsiſq́ue eius alienum eſt.

1. Timoth 3.

D

Concilijs vniuerſalibus nullã propriè & primò iuriſdictionis autoritatem ex lege Chriſti competere. Et rationum eorum, qui tuentur autoritatem Conſtantienſis & Baſilienſis conciliorum, in contrarium inefficaciam demonſtrare.

C A P. V.

POſtulat nunc ordo, vt de tertio eorum, quorum hic autoritatem inuicem cõparare cœpimus, de vniuerſali, inquam, concilio inquiramus, quidnam etiam illi attributum à Chriſto ex Theologicis illis demõſtrari poſsit principijs. Sed cùm

nec ver-

Nullum eſſe verbũ in ſcripturis quod proprie loquatur de concilijs vniuerſalibus.

A nec verbum quidem ſit in ſcripturis canonicis, quod proprie loquatur de concilijs vniuerſalibus, aut autoritate eorundem. Niſi fortè quis illud eis accommodare voluerit, quod dicit Chriſtus: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Quæ tamen quid proprie ad generale concilium? Quid, inquã, magis quam ad particulare quodcũq;, imo quàm ad duorum aut trium Chriſti fidelium in nomine eius conuentum? Cũ inſup primis illis annis trecentis planè ignota fuerint primitiuæ illi eccleſiæ, nec diuinam vllam, vt paulo ſuperius indicauimus, inſtitutionem inueniantur habere, ſed Conſtãtini potius imperatoris ſint inuentũ, cuius pio zelo ad extinguendas gliſcentes tũc per eccleſiam hæreſes, præcipue autem Arrianam impietatem, primo omnium Nicenum concilium celebratum eſt, euocatis ex toto orbe epiſcopis: de eorundẽ autoritate, quæ eis aut vnde conueniat (quandoquidem ex ipſis Chriſti verbis nihil eſt, quod ſibi proprie arrogare poſsint) in ſequẽtibus accuratius agendum eſt. Hic vero illorum, qui Conſtantien. & Baſilien. conciliorũ autoritatem tuentur & aſſerunt, rationes demonſtrandũ eſt eſſe prorſus inualidas. Nec per illas vni-

Rationũ quibus Conſtã. Baſilienſiſq; conciliorum autoritatem tuentur, demonſtratur inefficacia. Ad primam ex verbis Chriſti, Matth 18.

B uerſalibus concilijs vllam iuriſdictionis autoritatem, ex lege dei, naturæ aut euangelica aſſeri. Sed cum illarum præcipua innitatur illis verbis Chriſti: Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic eccleſiæ. Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c. in eiſdẽ irrefragabiliter fundari affirmant, quod plenitudo poteſtatis gladij ſpiritualis primo ſit in vniuerſali eccleſia ſuper vnumquemlibet Chriſtianum, etiam ſuper ipſum eccleſiaſticæ hierarchiæ caput & principẽ, cui, vt & cæteris membris omnibus, ex eadem poteſtatis plenitudine poſſit leges præſcribere, quas præuaricari non liceat, in eandem neſcioquo iure, ſurrogare ſe conantibus vniuerſalibus concilijs, ſuperiore capite ea funditus euerſa eſt. Vbi demonſtrauimus, nullam prorſus eſſe autoritatẽ eiuſmodi vniuerſalis eccleſiæ, quam exercere nunquam poſſet. Et ſi qua maxime eſſet, eã nullo iure ſibi vendicare poſſe concilia, quamuis vniuerſalia. Nec ad vniuerſalem eccleſiam quicquam pertinere dicta Chriſti verba quæ iactant (dic eccleſiæ & quæ ſequuntur) ſed de particulari vnaqualibet eccleſia neceſſario debere intelligi. Aut ſi omnino etiam de vniuerſali ſicut de particulari qualibet, quiſquam contendat indifferenter poſſe intelligi, iam non maiorem vniuerſali eccleſiæ, quàm particularium cuilibet ex illis verbis autoritatem aſſeret. Quæ vniuerſa ſubordinata & ſubiecta eſt autoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis. Et poſtremo, nec illã ipſam poſſe intelligi, niſi incluſo ſuo capite. C

Quod itaque dicitur, eccleſiæ datam iuriſdictionis autoritatem ſuper vnumquemlibet fratrem noſtrũ, hoc eſt, Chriſtianum quemcunque. Reſpondemus, indefinitam illam eſſe loquutionem Chriſti de eccleſia, per eamque intelligi particularem, non vniuerſalem eccleſiam, cum determinatione quadam reciproca, inſuper & diſtributione eiuſmodi (vt dictum eſt) accommoda, perinde ac ſi dixiſſet: Si te admonentem corripientemque frater contempſerit, &c. dic ſuæ eccleſiæ. Quam ſi non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Neque eſt quod dicas ſimpliciter dicta Chriſti verba ſimpliciter quoq; oportere intelligi. Nam ipſa te res hanc docet neceſſariam expoſitionem & intelligentiã, quemadmodum & ea quæ præmittuntur: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, &c. Quæ etiam verba ſimpliciter dicta, neceſſariam tamen reſtrictionem accipiunt. Quid enim ſi eiuſmodi ſit natura peccati in me fratris, vt teſtes alios non recipiat? Eſſe enim peccata quædam, quæ deduci non poſſe in humanũ iudicium, certum eſt. Itaq; & illud quod ſequitur: Si eos non audierit, dic eccleſię, ipſa res docet neceſſario intelligendum de ſua eccleſia. Si enim peccat in me frater, pars & ſubditus Rauẽnatis eccleſię, Chriſti pręcepto neutiquam ſatisfecero, ſi eundẽ nõ ſuæ, ſed Bononien. eccleſiæ denunciauero; nec vice verſa, ſed ſuæ quiſq; eccleſiæ denunciãdus eſt. Quare verba illa Chriſti cum eiuſmodi reciprocationis ſpecificatione neceſſario intelligenda ſunt. Quę eadẽ facit, vt diſtributionem ſequentem, quæ ad cõmendationẽ ſpectat iudicij eccleſiaſtici, videlicet: Quæcunque alligaueritis ſuper terrã, &c. intelligere oporteat accommodam, perinde ac ſi dixiſſet: Quæcunq; alligauerit vnaquælibet eccleſia, in ſuos videlicet, & ſibi ſubditos, de quibus iã ſermo præceſſerat, ligata erunt & in cœlo. Quod enim hoc pacto neceſſario hæc intelligi oporteat, re ipſa euidẽter conuincimur. Certum eſt enim, tam Bononienſem, quam Rauennatem eccleſias, dictis

Verus intellectus eorundem verborũ Chriſti.

Cauilli remotio.

D

Chriſti

A Chriſti verbis accepiſſe illam, quam important ligandi ſoluendiq́; autoritatem: ſed quamq; in ſibi, non alienos, ſubditos: quam ſi in alios non ſuę iuriſdictioni ſubiectos exercere præſumerent, quis dubitet irritum fore earum iudicium, nec ligata ab eis, ligata fore in cœlo?

Ad rationem à fine potestatis ecclesiasticæ.

Quòd verò adijciunt, omnem autoritatem ac poteſtatem, quę data eſt Petro & eccleſiarum principibus, datam eſſe in vtilitatem & profectum eccleſiæ. A fine autem dirigi regularique oportere, quæ ad finem ſunt. Omnem ergo poteſtatem autoritatemq́; eccleſiaſticam datam Petro & eccleſiarum rectoribus, dirigi regulariq́ue ab eccleſia eſſe neceſſarium. Ita reſpondemus: Omnis eccleſiaſticæ autoritatis finem eſſe, non quidem ipſam eccleſiam: ſed finem congregationis eccleſiaſticæ, ob quem in vnum conciliata eſt. Oportet autem, quæ ad finē ſunt, in ipſum, veluti in ſcopum perpetuò reſpicere, ad ipſum tendere atq; hoc quidem pacto ab ipſo regulari & dirigi. Nō tamen ita, quaſi fini data eſſet coactiua aliqua, quam in ea, quę ad finem ſunt, exercere deberet, poteſtas & autoritas. Quę ſi qua eſſet, non tamen eam haberet vniuerſitas multitudi-B nis eccleſiaſticæ, quæ ipſa nequaquam finis eſt, ſed ad eundem illum finem tendens, nempe ad ſupernam illam hęreditatem (vnde protoplaſti preuaricatione exciderамus) aſſequendam. Qui finis eſt, tā eccleſiæ, quàm omnis autoritatis poteſtatiſque eccleſiaſticæ.

Ad rationem ex defectibili vſu autoritatis præſidum.

Quòd rurſum dicitur, eccleſiaſticæ hierarchiæ principes Romanos pontifices, cęteroſque eccleſiarum rectores abuti frequenter ſibi commiſſa autoritate, non in ædificationem, ſed in deſtructionem eccleſiæ, aberrare etiā aliquando in vſu clauium. Oportuiſſe igitur ab optimo legiſlatore Chriſto, relictam eccleſię ſuæ regulam rectam, inflexibilē, inobliquabilem, per quam & illa poteſtas in finē ſuum dirigi, & eius abuſus poſſent reprimi. Eiuſmodi autem regulam, vniuerſalem eſſe eccleſiam, quam columnam firmamētumque veritatis prędicat Apoſtolus, & quod eandem repræſentat vniuerſale conciliū. Eſſe ergo in vniuerſali eccleſia, œcumenicoque concilio autoritatem ac poteſtatem (vt dicunt) regulatiuam omnis autoritatis eccleſiaſticæ. Dicimus Chriſtum vt legiſlatorem optimum, ſufficienter de omnibus neceſſarijs ſuæ prouidiſſe eccleſiæ: quemadmodum prioribus libris ſatis ſuperq́; demonſtratum eſt. Quamuis autem noſtris peccatis ita exigentibus, aliquando regnare faciat principes hypocritas, aliquando etiam ſuos ſanctos contaminet, mandetque nubibus ne pluant ſuper nos imbrem, quia nos ſumus domus exaſperans, quanuis aliquando ſuper cathedram, vt quondam Moyſi, ita nunc Petri, ſedeant Annas & Caiphas: ſui tamen promiſsi Chriſtus nō obliuiſcitur. Quin ſi pro fidei veritate, de qua fortè ambiguitas ſuborta eſt, aut cuiuſcunq; iudicij rectitudine, de quo vriāt in portis noſtris iudices, ad ipſam cathedram Petri, locum videlicet quem inter nos elegit dominus, recurramus humiliter, qui præſunt illi, nobis indicaturi ſunt iudicij ipſius veritatem. Quemadmodum certò nobis affirmauit ille, qui tam non poteſt falli, quàm fallere. Indicabunt, inquam, etiam ſi ex vitæ ſuæ demerito, quæ tibi annunciauerint, ipſi non intelligant. Non enim (quē admodum libro quarto clariùs demonſtrauimus) loquūtur à ſemetipſo, ſed quoniam ſuper illam cathedram ſedent, fit quoque lingua eorum calamus illius mirabilis ſcribæ velociter ſcribentis. Ordinata itaque prouiſaque ſunt à Chriſto diligenter omnia. Relicta eccleſiæ fidei in-D obliquabilis regula, cuius habenda erat pcipua ratio, integritatique eius in primis proſpiciendum. Ipſa nempe Petri cathedra, Romana eccleſia, in qua totius orthodoxæ eccleſiæ confeſsione recognitioneq́; ab initio, ſynceram fidem, apoſtolicamq́; illam traditionem, integrā conſeruatam fuiſſe, & cōtinua catholicorum epiſcoporum ſucceſsione ad nos vſq; perueniſſe, & in finem ſeculorum propagatā iri, fecimus euidentiſsimū. Relicta quoque regiminis illa autoritas Petro & eius ſucceſſorib. eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, qua ſibi commiſſum ouile Chriſti vniuerſum poſsint regere, & omnes q in eodem ſunt, continere in ſuo officio. Quibus nihilominùs præfixit regulā rectam, infallibilem, inobliquabilem, qua eādem illam autoritatem ſibi traditam, in finem ſuum dirigerent, vt rectè ea vterentur. Ipſam videlicet canonicam ſcripturam, & apoſtolicam eccleſiaſticamq́; traditionem. At ſupra illam eccleſiæ dari ſuperiorē coactiuamq́; aliquā autoritatem, ipſa rerū non ferebat natura, nō ordo, nō vigor neceſſarius diſciplinæ eccleſiaſticæ. Regi enim debebat eccleſia à Petro ſucceſſoribuſq́; eius, eiſdem ſubeſſe & obſequi,

A obſequi, non vlciſsim imperare & regere. Nunquam enim multitudini bene cōmittitur regiminis autoritas: præſertim immenſæ. Quin potiùs, niſi vnius autoritate, imperioque regatur & contineatur in vnum, omnino ſubſiſtere nō poſſe, ſuprà demonſtratum eſt. Deinde, vt iam docuimus, fruſtra omnino fuiſſet in vniuerſali eccleſia, illa regulatiua autoritas. Cùm nihil omnino potuiſſet exequi eorū, quæ ad illā pertinerent. Quo enim pacto multitudo tam immenſa ſparſa in orbem vniuerſum poſſet aliquando conuenire in vnum, vt conſtitueret aliquid? vt conſultaret? vt decerneret? vt quid vtile proſpiceret? vt legem conderet? denique vt vllam iuriſdictionis autoritatem exerceret aut exequeretur? Nihil eſt quod ad vniuerſalia concilia loco vniuerſalis eccleſiæ hic refugiant. Certum eſt enim, concilia non eſſe vniuerſalem eccleſiam, neq; eius autotitatem (ſi quam haberet) aut diuino iure, aut ex delegatione eccleſiæ ſibi vendicare poſſe: quemadmodum capite præcedenti ſatis demonſtratum eſt. Certum præterea, ea non ſolùm non eſſe regulam rectam, inobliquabilem, indeuiabilem, ſi ſecludas ab eis autoritatem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis: quin potiùs alia eiſ-

Concilia vniuerſalia non eſſe ex ſe regulam inobliquabilē, imò alia tali opus habere.

B dem huiuſmodi regula præcipuè opus eſſe. Quæ ſemper illis fuit (quod pòſt demonſtrabimus) cathedræ Petri, & Romanorum pontificum fides & autoritas. Neque enim hæc ſola (quæ nunc impugnamus) concilia turpiter grauiterq; erraſſe certum eſt: ſed & alia plurima, quæ vniuerſa vnius huius ſedis deiecit autoritas. Nam vt de multis, quæ perperā iniuſtiſſimeque, & impiè ab illis, primùm in Tyro, paulò pòſt Antiochiæ celebratis concilijs, aduerſus beatum Athanaſium, & alios pletoſque orthodoxos epiſcopos perpetrata machinataque fuere (quæ ſua autoritate deiecit Iulius) de quibus nonnihil audiſti ſuperiùs, nunc taceamus, quoniam fortaſsis non ad fidem, ſed ad iudiciorum iniquitatē illa pertinere contenderent: nunquid in Ariminenſi frequentiſsimo concilio, orthodoxæ Nicenæque fidei prodita nō fuit confeſsio? nunquid in illo Epheſino ſecundo, etiā apoſtolica autoritate, ritè legitimeq; indicto, etiam præſentibus, quāuis repugnātibus apoſtolicæ ſedis legatis, inſtante verſanteq; omnia, & pro arbitrio ſuo agente illo Alexandrino Dioſcoro nō ſolū oppreſſa, ſed etiā damnata fuit orthodoxa veritas de incarnationis verbi myſterio, & in locū C eius recepta Euticetis perfidia? vt taceam varijs calumnijs damnatios in eadem tam multos orthodoxos & ſanctiſsimos epiſcopos, & in locum eorundem ſubſtitutos & intruſos hereticos: nunquid ergo vniuerſalibus concilijs non eſt opus certiori aliqua regula? Certè vniuerſalia hæc concilia omnino negare non poſſumus, ſi modò concilia vniuerſalia ſuprà rectè deſcripſerimus, illa nempe, quæ ob vniuerſalis eccleſiæ cauſam ex vniuerſali eccleſia, vniuerſali autoritate, eccleſiaſticæ videlicet hierarchię pręſidis, conuocata ſunt, & conuenerunt in vnum. Nihil enim pręter hæc includit ipſa ratio nominis, conciliorum inquam, vniuerſalium. Quod ſane vniuerſa nihil dubiū eſt, fuiſſe in illo Epheſino concilio, qd inſtāte imperatore Theodoſio ſecundo ob cauſam orthodoxæ & catholicę fidei, apoſtolicę ſedis & B. Leonis autoritate (qui per ſuos legatos eidē af fuerat) ex vniuerſali eccleſia cōuocatum, in vnum conuenerat. Cuius notæ, ſi errare poſſe, & in iudiciorum eccleſiaſticorū rectitudine, & in doctrina orthodoxę atque catholicæ fidei ipſa conuincit rei euidentia, alia certè, & certiori regula, tam rectitudinis iudiciorū ſuorum, quàm do D ctrinæ & definitionis orthodoxę fidei opus habuerunt. Et quænam obſecro fuit his omnibus alia regula, quàm cathedræ Petri & fides & autoritas? Quæ omnem ſemper altitudinem ſeſe extollentem aduerſus orthodoxam fidem, aduerſus apoſtolicam eccleſiaſticamq; traditionē, magna vi deiecit. Quæ (vt veriſimè inquit Gelaſius) vnamquanque ſynodum ſua autoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit. Et ille beatus Agatho ad imperatorē Conſtantinum & ſextam ſynodum, regulam illis rectæ fidei præſcribens, quā aduerſus Monotheliticam hæreſim ſequi amplectiq; deberent, in facie totius illius concilij affirmat, Apoſtolicā Euangelicamq; traditionem, & Chriſtianæ fidei veram immaculatamq; profeſsionem, ſingulari priuilegio in vna Apoſtolica ſede perpetuò conſeruari. Quæ, inquit, à via veritatis in quamlibet erroris partē nunquam deflexa eſt. Cuius autoritatē, vtpote Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis catholica Chriſti eccleſia, vniuerſaleſque ſynodi fideliter amplectentes, in cunctis ſequutę ſunt, omneſq; venerabiles patres apoſtolicam eius doctrinam amplexi, &c. Hæc enim, inquit,

Cathedra Petri autoritas vnamquamq; ſynodum ſua autoritate confirmat.

Notãda B. Agathonis ſententia de ſede apoſtolica, catholica Chriſti eccleſia, et vniuerſalib. ſynodis, probata ab ipſa vniuerſali ſynodo.

A inquit, apoſtolica Chriſti eccleſia, per o-
mnipotentis Dei gratiam, à tramite apo-
ſtolicæ traditionis nunquã aberraſſe pro-
batur, nec hæreticorum nouitatibus de-
prauata ſuccubuit: ſed vt in exordio nor-
mam fidei Chriſtianæ percepit, ab auto-
ribus ſuis apoſtolorum Chriſti principi-
bus, illibata fine tenus manet, ſecundum
ipſius domini diuinam pollicitationem:
qui diſcipulorũ principi in ſuis fatus eſt
euangelijs: Petre, inquiens, ecce ſatanas
expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum:
ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides
tua. Et tu aliquando conuerſus, confirma
fratres tuos. Hęc ille Agatho, de Apoſto
lica ſede, de catholica Chriſti eccleſia, de
vniuerſalibus ſynodis, ꝓfert in ipſa vni-
uerſali ſynodi. Quę ab eadẽ ita reuerẽter
recepta ſunt, vt inſpirante ſpiritu ſancto,
velut per os principis apoſtolorum Petri
prolatam confiterentur illam eius epiſto
lam, & velut regulam orthodoxæ fidei ſe-
querentur omnes. Sed pòſt ſuo loco faci-
emus euidẽtiſsimum, in œcumenicis con-
cilijs omnibus, nihil aut actum aut defi-
nitum vnquam, quod firmitatem obtine
ret, niſi huius ſedis autoritate. Imò vni-
B uerſa nihil ferè feciſſe aliud, quàm ꝙ apo
ſtolicæ ſedis definitionem fidemque am-
plecterentur, eiuſdẽ in aduerſarios & hę-
reticos cenſuram exequerentur. Hic erat
ſatis, obiter hæc perſtrinxiſſe, quo intel-
ligeres lector vniuerſalia concilia, non ſo
lùm non habere poteſtatem illam (quam
imaginãtur) regulatiuam autoritatis Pe-
tri, ſucceſſorumque eius, eccleſiaſticę hi-
erarchiæ principũ: ſed contrà potiùs. Id
quod ex his, quæ pòſt dicentur, luce cla-
riùs intelliges.

Quamuis autem etiam vniuerſalis ec-
cleſiæ ſit præconium, columnam eſſe fir-
mamentumque veritatis: attamen in illis
hęreticę perſequutionis turbinibus ac ꝓ-
cellis, quibus totum aliquando orbem pe
nè à fundamentis concuſſũ, ſuprà demon
ſtrauimus, inter lacus contritos (vt Hi-
eronymi verbis loquar) qui aquam non
habent, vbi fons ſignatus ſit, & hortus il
Neceſſitas ſingularis il-lius prerogatiue ſedis apoſtolica. le concluſus, difficilè poteſt intelligi: ne-
ceſſe erat inter tẽpeſtates eiuſmodi, pro-
poſitum eſſe orthodoxis fidelibus ſignũ,
ex eminenti aliqua ſpecula, atque arce ca-
tholicæ eccleſiæ, conſpicua omnibus, ad
quod reſpicientes non errarent: eſſe ali-
quam rectæ fidei magiſtram & regulam,
ad quam poſſent facilè confugere: quam
de ſubortis conſulere dubitationibus, quã
idem ille orthodoxus non ignorabat Hi- C
eronymus: ſed ex medio Oriente prope
Antiochiã habitans, vltra tam vaſta ter-
rarum mariumq; interiacentia ſpacia cen
ſuit conſulendam ſuper his, quas tracta-
bar, ſcripturarũ quæſtionibus. In vniuer
ſo illo Oriente non ſatis clarè potens per-
ſpicere, quis eſſet ſenſus, quæ ſententia ca
tholicæ eccleſiæ, quam in cathedra Petri
perpetuò incorruptam ſeruari non igno-
rabat. Cui, inquit, ego communione con
ſocior: ſuper hanc enim Petram ędifica-
tã eccleſiam ſcio. Sed hęc ad rationẽ, qua
in vniuerſali eccleſia primò, eſſe regulati
uam poteſtatem omnis autoritatis eccleſi
aſticæ, demonſtratũ volunt, ſatis ſuperq;
dicta ſint. Quæ verò ex apoſtolicis actis
in eorundem confirmationem afferunt,
frigidiora ſunt, quàm vt diligenti reſpon
ſione indigeant. Quibus alioqui libri ter-
tij capite decimo ſuprà à nobis ſatis reſpõ-
ſum eſt.

Ex his manifeſtum eſt, Gerſonis illud *Concluſio.*
commentum in defenſionem autoritatis
conciliorum vniuerſalium ſupra autori-
tatem Romanorũ pontificum, non qui-
dẽ ingenio, ſed ſolido fundamẽto carere.
Satis enim ingenioſè ſcholaſticas quaſdã
diſtinctiones, quibus quaqua parte elaba- D
tur, commentus eſt. Sed quandoquidẽ ex
Theologicis illis indubitatiſq; principijs
euidenter demonſtratum eſt, Petro datã
à Chriſto ſupremam illam regiminis au-
toritatem, ſuper vniuerſam ſuam eccleſi-
am, cõſtetq; ex eo hanc regi obſequique,
non regere aut imperare debere; inſuper
nullius omnino autoritatis iuriſdictio-
nis capacem fuiſſe, vt ad quam exercendã
prorſus eſt inidonea: proinde nec illam
ipſam accepiſſe à Chriſto, quam vnam-
quamlibet eccleſiarũ particulariũ accepiſ
ſe certum eſt. Et ſi quam accepiſſet, eã nul
lo iure arrogare ſibi poſſe quæcunq; con-
cilia, euerſo iam illo eorum fundamento,
vniuerſum derepente corruit ædificium.
Sed hæc in progreſſu, quando conciliorũ
autoritatem hiſtoriamq; explicabimus,
illuſtriora erunt omnia.

Apoſtolicæ ſedis autoritati, ex ipſa Chriſti inſtitu-
tione ſpecialiter reſeruari, tam epiſcoporum iudi-
cia, quàm omnes grauiores cauſas eccleſia-
ſticas, ex primitiua eccleſia teſti-
monio, quæ Nicenum præ-
ceſſit cõcilium de-
monſtratur

CAP.

A

CAP. VI.

QVid nam in ecclesia ſua inſtituerit Chriſtus, ex duobus conſtare principijs libro primo demonſtrauimus. Ex canonica videlicet ſcriptura,& ſine ſcripto,autoritate traditionis eccleſiaſticæ. Non enim ſola illa ad Chriſti inſtitutionem referenda oſtendimus,quæ ipſe in mortali carne conuerſatus cum diſcipulis, illa ſenſibilis externæque vocis inſtructione, eoſdem adhuc rudes & carnales docuit. Quin potius præcipua quæque,quorum eatenus incapaces auditores fuerant, docenda illos reſeruauit per vnctionem ſpiritus. Quemadmodum idem ipſe vicina iam morte apud Ioannem teſtificatus eſt: Adhuc,inquit, multa habeo vobis dicere,ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet loquetur. Ille me clarificabit,quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Itaque vides,quem præcipue doctorem nacti ſint apoſtoli, doctrinæ Chriſti & euangelicæ: nempe vnctionem ſpiritus. Vides etiam à Chriſto accepiſſe ſacrum illum ſpiritum, quod doceret apoſtolos.

B Qui ita ſibi ſine ſcripto & voce tradita,ſine ſcripto etiam,ſed viua traditione & doctrina,ab initio commendarunt eccleſijs. Vnde continua illa orthodoxorum patrum & epiſcoporum ſucceſsione (quam ſingulari inter omnes priuilegio,in vna apoſtolica ſede conſeruatam demonſtrauimus) velut per manus ad nos deducta eſt germana illa doctrina traditioque apoſtolica, vt hęc libro primo latius explicata ſunt.

Omnes grauiores cauſas eccleſiaſticas ab initio venisse ex Chriſti inſtitutione relatas ad iudicium ſedis apoſtolicæ teſtes ſunt Anacletus B. Petri diſcipulus & ſucceſſor.

Itaq; ſi nunc demonſtrauerimus ab initio,ab ipſis continuo apoſtolorum temporibus,velut ex apoſtolica traditione recognitum obſeruatumque in vniuerſa Chriſti eccleſia,vt epiſcoporum vltimata iudicia, & maiores omnes cauſæ eccleſiaſticæ, ſpecialiter reſeruarentur autoritati ſedis apoſtolicæ,ex Chriſti vtiq; inſtitutione,quamuis per apoſtolorum traditionem & miniſterium, accepiſſe hoc ab initio eccleſias: ſatis,ni fallor,demonſtratum confiteberis. In quo tamen demonſtrando minus nobis foret negocij, ſi maiori fide ac diligentia perſcriptæ eſſent res eccleſiaſticæ & commendatæ poſteris. Vtcunque ex his ipſis quæ habemus,hoc ipſum demonſtrare conandum eſt.

Cuius in primis occurrit teſtis irrefragabilis B. Anacletus, illius Clementis ſucceſſor in cathedra apoſtolica, etiam B. Petri diſcipulus, & ab eodem ordinatus presbyter, in epiſtola, quam ſcribit vniuerſæ Chriſti eccleſiæ, vniuerſos conſolans,& ſacerdotalis epiſcopaliſq; dignitatis reuerentiam & honorem omnibus ſingulariter commendans, & velut aſylum proponens calũnioſe oppreſsis omnibus autoritatem ſedis apoſtolicæ,ad quam omnibus appellare liceat: Si,inquit,difficiliores ortæ fuerint quæſtiones,aut epiſcoporũ, vel maiorũ iudicia,aut maiores cauſæ fuerint,ad ſedem apoſtolicã, ſi appellatum fuerit, deferantur. Quoniam apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſsione ſaluatoris, vt maiores & difficiles quæſtiones ſemper ad ſedem deferantur apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam ſtruxit eccleſiam,dicente ipſo ad beatum principem apoſtolorum Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meã. Hæc ille apoſtolorum diſcipulus,ex apoſtolica (cui præſidebat) cathedra,de apoſtolorũ traditione atq; ordinatione ex iuſſu ſaluatoris noſtri eo tempore, cum adhuc ſupereſſent quidam ex apoſtolis, vniuerſæ prædicat Chriſti eccleſiæ. De cuius epiſtolæ fide nihil eſt quod nũc quiſquam dubitet, cum ex Iſidori teſtimonio conſtet certiſsimo,ante annos mille pro Anacleti germana epiſtola lectam, & recognitam ab vniuerſa Chriſti eccleſia.

C

Hic vide, quid ſtatuerint apoſtoli iuſsione domini.

D

Euariſtus Anacleti ſucceſſor ſub Traiano.

Eiuſdem apoſtolicæ ſedis prærogatiuæ æque idoneus teſtis eſt Euariſtus, qui Anacleto ſucceſsit in cathedra, in epiſtola ad Aegyptiorum epſcopos, quos velut tranſgreſſores arguit apoſtolicorum,& eccleſiaſticorum canonum, quod ſine ſpeciali huius ſedis autoritate præſumpſiſſent iudicare,& gradu ſuo amouere epiſcopos, & in locum eorundem ſubſtituere alios. Præcepitque eiectis his quos ſuperordinauerant, priores ſuis ſedibus reſtitui. Quod ſi, inquit,aduerſus eos aliquam querelam habuerit,poſt reſtitutionem de ea inquirendum erit, & huius ſanctæ ſedis autoritate terminandum. Qui & in altera epiſtola ad vniuerſos Aphricanæ reginnis epiſcopos, eoſdem commendat,quod ſuborta in fide & religione dubia, iuxta patrum & apoſtolorum regulas,retulerint ad definitionem & iudicium ſedis apoſtolicæ: Conſulentibus, inquit, vobis fratres chariſsimi, quid ſuper his, quæ in veſtris continebantur ſcriptis, nobis viſum eſſet, aut quid docibilis ratio perſuaderet, quidúe à beatis apoſtolis nobis traditum & cuſtoditũ maneret: optantes (vt retuliſtis) noſtris

Norma patrum illo tempore.

A inſtrui documentis, ita quidem dilectio veſtra, normam patrum ſecuta, ad ſedem apoſtolicam referre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de rebus dubijs cuſtodire potius, quam vſurpatione propria præſumere. Hæc ille Euariſtus, qui ſub Traiano præſedit Chriſti eccleſiæ, quo tempore adhuc beatiſsimus Ioannes euangeliſta ſupererat. Ex cuius epiſtolis cõſtat clariſsime, & quod etiam illo tempore epiſcoporum vltimata iudicia pertinerent ad autoritatem ſedis apoſtolicæ, & quod omnes circa fidem & religionem ſubortæ quæſtiones, dubia & controuerſiæ referri deberent ad eiuſdem ſedis iudicium, idq́; iuxta patrũ, nimirum apoſtolorum, normam, canones & regulam. Atq; adeo referrentur vltra vaſta terrarum mariumq́ue interiacentia ſpacia. Nam Aphricanæ regionis ex vrbe Roma ille ſcribebat epiſcopis.

Alexander etiam ſub Traiano.

Idem liquet ex B. Alexandri teſtimonio, qui Euariſto ſuccedens, & ipſe ſub Traiano eccleſiæ Chriſti præſuit. Qui in epiſtola, quam ſcribit orthodoxis omnibus per diuerſas prouincias Chriſto famulãtibus, affirmat apoſtolicæ ſedis autoritati, ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omniũ grauiora negocia eccleſiarũ ab ipſo domino B commiſſa, ipſo dicente principi apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam. Vides horum concordi teſtimonio, ab ipſo eccleſiæ exordio ita prædicatũ in vniuerſa eccleſia, ita receptũ & creditũ, ita quoq; obſeruatum, vt maiores grauioreſq; cauſæ eccleſiaſticæ reſeruatæ eſſent diſpoſitioni autoritatis ſedis apoſtolicæ. Quod ipſum confirmat iſtorũ omnis beatiſsimorũ ſucceſsio, vt intelligas apoſtolicã eſſe traditionem & doctrinam, quæ continua catholicorum ab initio epiſcoporum ſucceſsione, præſertim in cathedra Petri & apoſtolica (vbi ea ſingulari, vt ſupra demonſtrauimus, priuilegio conſeruata eſt ſyncera & integra) velut per manus tradita peruenit ad nos. Nam & Sixtus ille primus, qui continuo poſt Alexandrum ſub Hadriano Chriſti eccleſiæ præfuit, in epiſtola, qua totius eccleſiæ inſtruit epiſcopos, ſic habet inter cætera:

Sixtus 1. ſub Hadriano imperatore.

Si quis, inquit, veſtrum pulſatus fuerit aliqua aduerſitate, licenter hanc ſanctam & apoſtolicam appellet ſedẽ, & ad eam, quaſi ad caput perfugium habeat: ne aut innocens damnetur, aut eccleſia ſua detrimentum patiatur. Si autem ei quidem neceſſe fuerit, eam tamen appellare minime auſus fuerit, & vocatus ab hac ſede fuerit, non renuat venire: ſed confeſtim vt ei nunciatum C fuerit, venire feſtinet, & cauſas pro quibus vocatus eſt, prudenter diſponat, atq; ſi neceſſe aliquid corrigere fuerit, cũ his, quos hic primos inuenerit, corrigat. Ad eccleſiam tamen ſuam non prius reuertatur, quam literis apoſtolicis vel formatis pleniter inſtructus: vt ſi purgatus fuerit, poſtquam domum reuerſus fuerit, cognoſcant vicini ſui qualiter hic ſua aliorumq́; cauſa diſcuſſa fuerit, &c. Ab hac enim ſancta ſede à ſanctis apoſtolis tueri, defendi & liberari epiſcopi iuſsi ſunt: vt ſicut eorũ diſpoſitione ordinante domino primitus ſunt conſtituti: ſic huius ſanctæ ſedis (cuius diſpoſitioni eorũ cauſas, & iudicia ſeruauerũt) protectione ſint ab omnibus peruerſitatibus ſemper liberi. Hæc ille Sixtus.

Anicetus ſub Vero & Commodo principibus.

Anicetus etiam ille, ſub quo beatus Polycarpus Ioannis euangeliſtæ diſcipulus & auditor Romam venit conſors glorioſi martyrij, quo vterque ſub Vero & Commodo conſummatus eſt, ad Gallicanas eccleſias inter cætera ſcribit in hæc verba: Si aliquis, inquit, metropolitanorum inflatus fuerit, & ſine omnium comprouincialium epiſcoporum præſentia vel concilio eorum, aut alias cauſas, niſi eas tantum, quæ ad propriam ſuam parochiam D pertinent, agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus diſtricte corrigatur, ne talia deinceps præſumere audeat. Sin vero incorrigibilis, eiſq́ue inobediens fuerit, ad hanc apoſtolicam ſedem (cui omnia epiſcoporum iudicia terminare præceptum eſt) eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cęteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris aſperitatem graue ad hanc ſedem eius cauſam deferre fuerit: tunc ad eius primatem cauſa deferatur, & penes ipſum huius ſanctæ ſedis autoritate iudicetur. Hæc Anicetus ille.

Eleutherius ſub Antonino.

Eleutherius quoque, qui ſub M. Antonino præfuit Chriſti eccleſiæ, ad eaſdem Gallicanas eccleſias ſcribens: De accuſationibus, inquit, clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad ſedem Apoſtolicam deferre, finitiua tantum epiſcoporum iudicia huc deferantur, & huius ſanctæ ſedis autoritate finiantur. Sicut ab apoſtolis eorumq́ue ſucceſſoribus, multorum conſenſu epiſcoporum iam definitum eſt. Nec in eorum eccleſijs alij aut præponantur aut ordinentur, antequam hic eorum iuſte ter-

A ſte terminentur negocia. Quoniam quanuis liceat apud prouinciales, aut metropolitanos atque primates eorum ventilare accuſationes vel criminationes: non tamen licet definire ſecus, quàm prædictum eſt. Hæc ille Eleutherius.

Victor. Victor autem huius proximus ſucceſſor & ipſe glorioſus Chriſti martyr, ſub prędictis An. Vero, & L. Commodo, Chriſtum ſua morte glorificans, ad Theophilum Alexandrinum Aegyptiorumq́; epiſcopos ſcribens, atq; ipſos arguens quòd ſibi præſumerent ea, quæ ad ſolam huius ſedis autoritatem pertinerent, nempe epiſcoporum cauſas ſimpliciter definire, quo redargueret efficacius, etiam ipſum citat eccleſiaſticum canonem, qui ab apoſtolis conſtitutus & obſeruatus eſſet deinceps continuo, dicens: Vnde ſtatutum liquet à tempore apoſtolorum, & obſeruatum deinceps.

Placuit, vt accuſatus vel iudicatus à comprouincialibus, in aliqua cauſa epiſcopis, licenter appellet & adeat Apoſtolicæ ſedis pontificem, qui aut per ſe, aut per vicarios ſuos, eius retractari negocium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex illius cauſam tractat, nullus alius in eius locum ponatur aut ordinetur epiſcopus. Quoniã quanquã B comprouincialibus epiſcopis accuſati cauſam epiſcopi ſcrutari liceat, non tamen abſolute definire inconſulto Romano pontifice permiſſum eſt. Quum vni beato Petro, non ab alio, quã ab ipſo dictum ſit domino: Quæcunq; ligaueris ſuper terram, erũt ligata & in cœlis, &c. Quare, inquit, nihil aliud eſt fratres, talis veſtra præſumptio, niſi apoſtolorum ſucceſſorumq́; ipſorum terminos tranſgredi eorumq́ue decreta violare. Hæc ille Victor.

Sixtus II. Eadem penè ad verbum Sixtus ille ſecundus, glorioſus Chriſti martyr & pontifex, etiam fidentiſsime prędicat, atq; iterũ iterumq́; repetit, tum in epiſtola ad Hiſpaniæ epiſcopos, tum etiam in altera ad Gratum epiſcopum. In qua inculcans, vt omnibus epiſcopis in quibuſcunque appetantur aut opprimantur calumnijs, & quoties opus habuerint, licite & libere appellare poſsint ad iudicium ſedis apoſtolicæ, atque ad eam quaſi ad matrem confugere. Cuius, inquit, diſpoſitioni omnes maiores cauſas eccleſiaſticas, & epiſcoporum iudicia, antiqua apoſtolorum, eorumq́ue ſucceſſorum, atq; canonum autoritas reſeruauit. Subiungens etiam illum, quem Victor citauit, apoſtolicum canonem.

Zepherinus. Zepherinus item ad Siciliæ epiſcopos, docens quomodo peragenda eſſent epiſcoporum iudicia: C Finis vero, inquit, eius cauſæ ad ſedem apoſtolicam deferatur, vt ibidẽ terminetur, nec antea finiatur (ſicut ab apoſtolis & ſucceſſoribus eorum olim ſtatutum eſt) quam eius autoritate fulciatur, &c. Iudicia enim epiſcoporum, maioreſq́; eccleſiæ cauſæ, à ſede apoſtolica, non ab alia, (ſicut apoſtoli & ſancti ſucceſſores eorum ſtatuerũt) cũ alijs epiſcopis ſunt terminandæ. Quia licet & in alios transferatur epiſcopos iudicandi autoritas, vni tamen apoſtolo Petro dictum eſt: Quæcunq; alligaueris in terra, erunt ligata & in cœlis, &c. Hactenus ille.

Marcellus quoq; & ipſe glorioſus martyrio, *Marcellus.* ad vniuerſos per Antiochenam prouinciam conſtitutos epiſcopos, inter cætera de Apoſtolicæ etiam ſedis autoritate ſcribit in hæc verba:

Ab eius, inquit, diſpoſitione deuiare non oportet, ad quam cuncta maiora negocia, diuina diſponente gratia, iuſſa ſunt referri, vt ab ea regulariter diſponantur, &c. ad quam omnes quaſi ad caput iuxta apoſtolorum eorumq́ue ſucceſſorum ſanctiones, epiſcopi qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, confugere, eamq́ue appellare debẽt, &c. Quia epiſcoporum iudicia, & summa- D rum cauſarum negocia, cunctaq́ue dubia, apoſtolicæ ſedis autoritate agenda ſunt & finienda. Et omnĩa prouincialia negocia huius ſanctæ & apoſtolicæ ſedis eccleſiæ ſunt retractanda iudicio, ſi huius eccleſiæ pontifex præceperit. Hæc Marcellus ille.

Melchiades etiam in hæc verba ſcribit ad *Melchiades.* Marinum, Benedictum, Leontium, cæteroſq́ue Hiſpaniarum epiſcopos. Epiſcopos, inquit, nolite iudicare, nolite condemnare abſque huius ſedis autoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuilegium, huic ſanctæ ſedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſeruare: quod illæſum manet vſque in hodiernum diem. Hæc ille.

Audis ni fallor Chriſtiane lector, in his tam multis, tam ſanctis, & tantæ autoritatis patribus, ab initio in apoſtolica cathedra, (in qua vna orthodoxæ fidei & apoſtolicæ traditionis ſynceritatem ſingulari priuilegio conſeruatam demonſtrauimus) continua penè ſerie ſibi ſuccedentibus, illius primitiuæ eccleſiæ recognitionem & communẽ ſententiam de autoritate illa (quam adſtruimus) ſedis apoſtolicæ. Nam fuerunt hi omnes non ſolum ante Nicenum concilium, ſed ante vniuerſa penè concilia, ſub

A ipſis continuo apoſtolorum temporibus. Quos vt à mentiendi fingendiq; aliquid voluntate defendit autoritas, vita ſanctiſſima, & à pleriſq; eorum pro orthodoxæ veritatis & fidei aſſertione glorioſum ſuſceptum martyrium: ita recens apoſtolorum & initij memoria, atq; adeo apoſtolorum quorundam adhuc præſentia, nec libertatem admittebat vllius fictionis aut mendacij. Quare fuiſſe hos apoſtolicos eccleſiaſticoſque canones, obſeruatoſque ab initio, quos tot tantique pontifices tanto cõſenſu proferunt, & vniuerſo orbi confidentiſsime obiectant, dubitari omnino nõ poteſt: eo minùs, cum hoc ipſum, non ſolum ordinem eccleſiaſticæ hierarchiæ neceſſario requireret, vt omnis inferiorum autoritas prorſus ſubſit autoritati capitis, ſed etiã in vmbra illa & figura noſtræ eccleſiæ, ſynagoga veteri, hoc ipſum fuiſſe expreſſum, ſuperius demõſtrauerimus. In qua omne arduum negocium & quicquid grauius erat, referri oportebat ad Moſaicam cathedram.

Idem demonſtrare autoritate Niceni concilij, & catholica eccleſia conſenſu & recognitione poſt tempus Niceni concilij.

B

CAP. VIII.

QVandoquidem principij loco prædicta vtemur ſententia ad demonſtrandũ, quęnam ſit, & vnde pendeat conciliorum omnis generis vniuerſa autoritas, accuratius aliquanto eidem inſiſtere libuit, & diligentius demõſtrare eiuſdem veritatẽ indubiam. Quæ vt iam ſatis enituit tantorum patrum, qui apoſtolos continua ſerie ſubſequuti ſunt, ad ipſa vſque Niceni concilij tempora, concordi teſtimonio. Per quos facile intelligitẽ catholicæ eccleſię conſenſus, & cõmunis ſententia, quam falſam eſſe eſt impoſsibile: Ita eadem clariſsime cõfirmatẽ autoritate Niceni concilij. In quod ex toto orbe conuenientes CCCVIII. orthodoxi ſanctiq; epiſcopi, poſt Arrianã condemnatam blaſphemiã, pro conſeruando ordine & vigore hierarchiæ eccleſiaſticæ obliterari antiquariq; incipientes antiquos illos apoſtolicos eccleſiaſticoſq; canones renouarunt. Et inter cæteros illũ, quem toties audiſtis citatum, de epiſcoporũ iudicijs. Quemadmodum euidenter conſtat ex pleriſque Iulij primi epiſtolis ad illam Antiochenã ſynodum. In qua ſub Euſebio illo Nicomedienſi, Arrianæ factionis ſignifero, aduerſus beatũ Athanaſium orthodoxæ Nicenæq; fidei propugnatorẽ, & alios pleroſq; orthodoxos epiſcopos ſupra XC. epiſcopi cõuenerant. C Nã fecit (quod poſt intelliges) Arriana illa fax, vniuerſum penè conflagrãs Orientẽ, atq; adeo orbem terrarũ, continuo poſt celebratum Nicenum conciliũ, vt ex illorum temporũ ſcriptoribus, & authenticis epiſtolis, ſparſim citatos Nicenos canones, colligere, & velut emendicare cogamur. Scribit autem ille Iulius epiſtola prima ad illos Antiochiæ congregatos in hæc verba:

Audite, inquit, iam factã in Nicena ciuitate ſynodũ, cui & ego ipſe conſcientię meæ cultũ decenter exhibui, quæ nihil aliud voluit, quàm concordiã omnibus fabricare, & pręcunctis arguere ac remouere hanc inſidiantiũ altercationẽ. Quorũ pręuidẽtes ſancti patres inſidias illicitaſq; altercationes, vnanimiter in prædicta ſtatuerũt ſynodo, vt nullus epiſcopus, niſi in legitima ſynodo, & ſuo tẽpore apoſtolica autoritate cõuocata, ſuper quibuſuis criminib. pulſatus iudicetẽ vel damnetur: ſinaliter pręſumptũ à quibuſuis fuerit, in vanũ deducatur, quod egerint, nec eccleſiaſtica vllo modo reputabuntẽ. D Ipſi vero primæ ſedis eccleſiæ, conuocandarũ generalium ſynodorum iura, & iudicia epiſcoporũ, ſingulari priuilegio euangelicis & apoſtolicis, atq; canonicis cõceſſa ſunt inſtitutis. Quia ſemper maiores cauſæ ad apoſtolicã ſedem multis autoritatibus referri præcepta ſunt, &c. Et rurſus: Dudũ ſiquidẽ à ſanctis apoſtolis, eorũq; ſucceſſorib. in antiquis decretis ſtatutũ fuerat (quę hactenus ſancta & vniuerſalis tenuit & tenet eccleſia) non oportere pręter ſententiã Rom. pontificis cõcilia celebrari, nec epiſcopos damnari. Quoniam ſanctã Rom. eccleſiã, primatẽ omnium eccleſiarũ eſſe voluerunt. Et ſicut B. Petrus apoſtolus primus fuit apoſtolorum omniũ: ita & hęc eccleſia ſuo nomine cõſecrata, domino inſtituẽte, prima & caput ſit cæterarũ, vt ad eam quaſi ad matrem & apicẽ omniũ, maiores eccleſiæ cauſæ, & iudicia epiſcoporũ, & iuxta eius ſententiã ſumant terminũ. Hactenus ille. Audis itaq; quid dicat Iulius, quos apoſtolicos, antiquos & obſeruatos ab initio canones proferat. Quẽ etiã Niceni cõcilij, vt videlicet nullus epiſcopus, etiã in quacunq; ſynodo, niſi apoſtolica autoritate conuocata, ſuper quibuſuis

Iulius ad congregatos in Antiocheno ſynodo.

Decretũ Niceni concilij.

Conuocandarũ vniuerſalium conciliorum autoritas.

Statutũ apoſtolicum.

buſuis

A buſuis intentatis criminibus iudicetur, aut condemnetur.

Quod ſi mihi hic quiſquã occurrat, apud Ruffinum non legi prædictũ canonem inter eos, quos ipſe enarrat Niceni cõcilij. Reſpondebo vni Iulio, quàm decẽ Ruffinis, vt in omnibus, ita hac maximè in re plus eſſe autoritatis & fidei. Nã vt cætera pręteream omnia, cũ ille viginti tantũ annis poſt celebratũ Nicenũ concilium, dictam epiſtolam ſcriberet aduerſus totius penè Orientis epiſcopos, qui contra Athanaſiũ & alios Nicenæ fidei zelatores (quam etſi non aperto Marte, occultis tamẽ machinationibus impugnabant) apud Antiochiam conuenerũt, quorũ pleriq; Niceno interſuerant concilio: quis credet illũ, prædictum quem citat canonem Niceni concilij, de ſuo capite auſum confingere? Quod ſi ad euentum ſpectes, quem ſupra explicauimus, illius tragœdiæ, facile intelliges Iulium non territaſſe illos fumis & mendacijs: ſed ipſa rei veritate conuiciſſe, qua coacti ſunt eius autoritati cedere, eius ſe ſubmittere iudicio. Quod orbis vniuerſus, tanquam eius quod in cœlo ratum firmumq; eſſe non dubita-

B ret, abſq; vlla hæſitatione ſequutus eſt.

Ruffinus quã parum integre enarret Nicenos canones.

Fuiſſe ſeptuaginta canones Niceni cõcilij.

Quam autẽ Ruffinus parum integre, aut ex fide enarret Niceni concilij canones ex eo perſpicuũ eſt, quod cum ex iuratiſsimis teſtibus, irrefragabiliq; eorum teſtimonio, qui ipſi non interfuerunt ſolum, ſed etiam pręfuerunt condendis eiſdẽ, conſtet ſeptuaginta fuiſſe canones eius concilij: ipſe tamen non niſi viginti enumerat. Qua quidẽ in re non tam Ruffini fidem, quàm Arrianorum accuſo perfidiã. Quorum impietate & fraude, adiuta impij imperatoris Conſtantij autoritate & potentia, effectũ eſt, vt de canonibus ſtatutiſq; Niceni concilij dubitaretur continuo poſt celebratum Nicenum concilium, exuſtis per vniuerſas Orientis eccleſias authenticis eius exemplaribus: adeo vt ſolũ illud quod tum adhuc Romæ ſeruabatur, reſtaret integrũ. Quod ipſum etiã iamdudũ iratis nobis ſuperis perijt, & eccleſiæ Chriſti ſubtractum eſt, ſeu dolo & fraude hæreticorum, ſeu per hoſtiles barbaricoſque incurſus, quos deinceps haud infrequentes vrbs paſſa eſt. Quæ vt vera intelligas, audi quid ad Marcum beati Sylueſtri in cathedra apoſtolica ſucceſſorem, ſcribat glorioſus ille Chriſti confeſſor, & Alexandrinus pontifex Athanaſius cum vniuerſis Aegyptiorum orthodoxis epiſcopis.

Arrianorum perfidia toto Oriente exuſta exemplaria authentica Niceni concilij.

Ad vos, inquiunt, perueniſſe non dubitamus, quanta & qualia ab hæreticis, & maximè ab Arrianis quotidie patiamur: quo- C niam in tantum ab eis perſequimur, vt etiam viuere iã nos tædeat. Nam inſtanti tempore ſubito & inſperato in nos irruentes, noſq; iuxta præceptum domini (qui ait, ſi vos perſequuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam) fugiendo, propter populi cladem, declinantes, nos comprehendere non potuerunt, ſed omnia noſtra depopulati ſunt. In tantum enim noſtra vaſtauerũt, vt nec libros nec veſtimenta eccleſiaſtica, &c. nobis dimitterẽt. Libros quoq; noſtros ad minimũ incendentes, nec iota vnum nobis reliquerunt. Nicenam ſynodum propter veritatis fidem, qua clerus & populus imbuebantur, & maxima parte iam imbuti erant, in contumeliam noſtram, & omnium Chriſtianorũ incẽderunt. Quapropter precamur pater beatiſsime, quia non dubitamus apud vos plenaria eſſe Niceni concilij exemplaria, vt nobis illa quæ ſanctæ recordationis prædeceſſoris veſtri Sylueſtri fuerunt, ſub tuta mittatis ſtipulatione. Nã quãdo prædictæ ſynodo, cũ beatæ memoriæ Alexandro, digno deo põtifice noſtro, id eſt, Alexandrinæ magnæ ciuitatis epiſcopo, in diaconatus interfuimus officio, ſub noſtræ pręſentię teſtimonio, per beatos viros, Victorem & Vincentium presbyteros, apo- D ſtolicæ ſedis apocryſarios, miſſa ſunt prædicto papæ Sylueſtro cũ adſtipulatione ſubnixa capitula ſeptuaginta. Sane præſentib⁹ nobis, octuaginta in memorata ſynodo capitula tractata ſunt, ſcilicet quadraginta à Græcis, Græca lingua, & quadraginta à Latinis, ſimiliter Latina edita lingua. Sed viſum eſt CCXVIII. patribus ſpiritu ſancto repletis, in prædicto concilio congregatis, & maxime iam dicto Alexandro, & etiam apoſtolicæ ſedis apocryſarijs, vt decem capitula adunirentur alijs, atque in congruis locis insererentur, & ad formam LXX. diſcipulorum, vel totius orbis terræ linguarum LXX. tanti & tam excellentis concilij fierent capitula, quæ omnem Chriſtianorum orbem in vnitate fidei confirmarent, & omnes ſub ſacerdotali & Chriſtiano nomine degentes, vna fides, vna ſacerdotalis atq; clericalis regeret norma, nec quiſquã à ſuo diſsideret capite. Nunc ergo, quoniam ab inimicis ſanctæ dei eccleſiæ præfata ſeptuaginta Niceni concilij capitula, quæ iubente domino meo Alexandro, decreto omniũ epiſcoporũ attuli, quæ etiam coram omnibus recitaui atq; tranſcripſi, ſunt igne cõbuſta: optamus, vt à veſtræ ſanctæ ſedis eccleſiæ autoritate, quæ eſt mater & caput

Nota teſtimonium.

Nota recognitionem.

A omnium eccleſiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur. Hactenus Athanaſius cum ſuis Aepyptiorum orthodoxis epiſcopis. Quibus in hæc verba à Marco reſcriptum eſt:

Marci ad illos reſpõſum.

Dominis venerabilibus fratribus Athanaſio, & vniuerſis Aegyptiorum epiſcopis, Marcus ſanctæ Romanæ apoſtolicæq; ſedis, & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus, &c. Primũ conſolatus eos ſuper afflictionibus, quas pro orthodoxæ fidei veritate ſuſtinerent: De capitulorum, inquit, numero Niceni concilij, quibus vos interſuiſſe literis veſtræ fraternitatis ſignificaſtis, à noſtris qui vna vobiſcũ interfuerunt, diligentioribus requiſiuimus collationibus. Qui ita vt veſtræ teſtatæ ſunt literæ, omnẽ nobis ordinẽ expoſuerunt, & veſtram epiſtolam veram eſſe per omnia teſtificati ſunt. Non ꝙ nos ſiniſtrum aliquid veſtra ex parte arbitraremur: ſed quoniã, & nos & vos, alioſq; abſq; vlla in poſterum titubatione idem ſentire optaremus, & ſancta Romana eccleſia, quæ ſemper immaculata permãſit, & domino ꝓuidente, beatoq; Petro opẽ ferente, in futurũ permanebit, ſine vlla hęreticorum inſultatione, etiam hac in re firma, immobiliſq; omni tempore perſiſteret.

Et hanc atteſtationem pondera.

Orthodoxæ fidei perpetua ſoliditas in Rom. eccleſia.

B His itaq; ſic peractis, diligenter perquirentes in ſancto noſtræ & apoſtolicæ ſedis ſcrinio, ea quæ ſanctæ recordationis prędeceſſori meo Syl ueſtro ſunt directa, LXX. vt ſignificaſtis capitula illæſa inuenimus. Ipſa autem vobis propter autoritatem, & ſubſcriptionẽ tantorum patrum & eius magni concilij minime miſimus: ſed per eadem coram apocryſarijs veſtris, alia ſimilia, eundem numerũ, eademq; verba, & ipſam ſubſcriptionem continentia, vobis reſcribere, & ſub certa ſtipulatione & confirmatione mittere curauimus, &c. Hæc ille Marcus Athanaſio cum Aegypti orthodoxis epiſcopis.

Audis ergo hic non XX. tantũ, quot memorat Ruffinus, ſed LXX. fuiſſe canones Niceni concilij. Idq; à teſtibus iuratiſsimis & plane irrefragabilibus.

Sed & Iulius ille in ſecunda ſua aduerſus illam Antiochenam ſynodum epiſtola, poſt grauiter inſectatas in eadem congregatorum in viros innocentes & ſanctos calumnias: Tales, inquit, inſidiatores ſpiritu præuenientes ſancti patres in Nicea congregati leges ſtatuerunt, quas nos canones appellamus, ne facile probi ab improbis damnarentur. Ex quibus non nullas ſententias his inſeri iudicauimus, vt tantorum patrum autoritate noſtra roboraretur epiſtola, &c. C Subiungit autem ex LXX. illis Nicenis canonibus XXIIII. quorum omnium illos tranſgreſſores arguit. Ex quibus quem pro XVIII. citat, quoniam euidenter confirmat ac renouat illum quem ſupra toties, tantorum pontificum teſtimonio audiſtis eccleſiaſticum apoſtolicumque canonem, hic adſcribere viſum eſt. Eſt autem in hæc verba:

Placuit vt omnes epiſcopi, qui in quibuſdam grauioribus pulſantur vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, libere apoſtolicam ſedem appellent, atq; ad eam, quaſi ad matrẽ confugiãt, vt ab ea, ſicut ſemper fuit, piè fulciãtur, defendãtur ac liberẽtur. Cuius diſpoſitioni omnes maiores eccleſiaſticas cauſas, & epiſcoporũ iudicia, antiqua apoſtoloru, eorũq; ſucceſſorũ, atq; canonũ autoritas reſeruauit. Hactenus verba 18. Niceni canonis. Ad quẽ modum citat ad numerum 24. ex quibus ſingularis huius ſedis euidentiſsime cõprobatur autoritas, eoſq; in totius orbis conſpectu, aduerſus illos ipſos, qui Niceno concilio interfuere, magna autoritate confidentiſsime obijcit. At illorum omnium nec vnus quidem apud Ruffinum legitur. Subiungit autem poſt recitatos illos in hæc verba: Si quis autem D de his abundantiora & ampliora ſcire voluerit, in ſacro noſtræ ſedis eccleſię ſcrinio ea, quæ prædiximus, inueniet. Verum me dixiſſe teſtis eſt diuinitas. Hactenus ille. Itaque hic audis teſtem, audis teſtimonium, audis iuſiurandum.

Canon ille 18. Niceni cõcilij ſtatuens à [illegible] de appellationibus ac [illegible] ad ſedem apoſtolicam.

Sed & huius ſucceſſor Liberius in epiſtola ad beatiſsimum Athanaſium & ſecum congregatos in Alexandrina ſynodo epiſcopos, etiam hoc citat decretum Niceni concilij, quod apud Ruffinum non legitur.

Liberius ad Athanaſium & Alexandrinam ſynodum.

Igitur, inquit, prędictum ſanctum Nicenum concilium definiuit, aliam fidem nulli licere proferre, aut ſcribere vel componere, aut ſapere vel docere aliter, nec quicquam in fide ſentire aut proferre, ꝙ his patrum regulis poſsit obuiare. Qui autẽ præſumpſerit cõponere aliã fidem, aut ꝓferre, docere vel tradere aliud ſymbolũ ad viam veritatis conuerti deſiderantibus de quacunque hæreſi, vel ex Iudæis, vel paganis Chriſtianos ſe fieri volẽtibus: hi ſi epiſcopi fuerint aut clerici, alienari quidẽ epiſcopos ab epiſcopatu, clericos à clero: ſi vero monachi aut laici fuerint, anathemate feriri. Hactenus ſentẽtia Niceni illius canonis referẽte Liberio. Quo ſuã pertinaciã tuebatur

Canon Niceni cõcilij quo ſe tuebatur Neſtorius.

A batur Neſtorius, dicens: ſacratiſsimam virginem Mariã, hominis tantũ, non etiã dei fuiſſe genitricẽ. Ad ꝙ confitendũ cũ vrgeretur ab orthodoxis, ſufficere ſibi reſpondebat ꝓfiteri ſymbolũ Niceni concilij, in quo patres de dei genitrice nullã feciſſent mentionẽ, addidiſſent inſuper prædictum canonẽ, per quẽ etiã interdictum eſſet, illi ſymbolo quicquam addere aut detrahere. Quẽadmodũ cõſtat ex beati Cyrilli aduerſus eundẽ Neſtorium epiſtola, qua dictæ eius cauillationi reſpõdit in hæc verba: Nõ tibi ſufficiet confiteri ſymbolum fidei noſtræ ſolum, editum à magna ſynodo in ſpiritu ſancto pro tẽpore congregata Niceæ. Intellexiſti enim non recte, interpretatus es non recte, ſed peruerſe. Contra hæreticorum importunitates interdictum eſt plus vel minus, aut aliam fidem affirmare, conſcribere, componere, docere vel ſapere, quæ aliquid ſuperinducere aut ſubtrahere moliatur ſacræ mentis intellectui eorum, qui in Nicea ſymbolum conſcripſerunt, &c.

B. Innocentius.

Rurſus B. Innocentius inter regulas ſuæ diſciplinæ eccleſiaſticæ ad Victoritium Rothomagenſem, capite tertio. Si quæ autem, inquit, cauſæ vel contentiones B inter clericos, vel inter laicos, tam ſuperioris gradus, quàm etiam inferioris exortæ fuerint, placuit vt ſecundum ſynodum Nicenam, congregatis omnibus eiuſdem prouinciæ epiſcopis terminentur. Nec alicui liceat (ſine tamen præiudicio Romanæ eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri) relictis his ſacerdotibus, qui in eadem prouincia dei eccleſias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, aut aliarum prouinciarum prius epiſcoporum iudicium expeteſ. Quod ſi quis fortè præſumpſerit, & ab officio cleri ſubmotus, & iniurarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores cauſæ fuerint in medium deuolutæ, ad ſedem apoſtolicam (ſicut Nicena ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo exegit) poſt iudicium epiſcopale referantur. Hactenus ille. Audis itaque etiam hoc teſte Niceni concilij canonibus conſtitutum, & antiqua conſuetudine obtentum, quæ ab ipſis apoſtolorum canonibus atque inſtitutione, vt ſupra audiuiſti, habuit originem, vt maiores omnes cauſę ad apoſtolicę ſedis autoritatem ſpecialiter pertinerent, vtq́ue eius in omnibus cauſis iudicijſq́ue excepta ſit autoritas, ad quam omnes liceat confugere. At horum apud Ruffinum nulla mentio. Quemadmodum nec C eius, cuius meminit beatiſsimus Leo ad Theodoſium Auguſtum de Epheſina illa ſecunda ſynodo. Qui poſt enarrata impiè pleraque ac tyrannicè in ea geſta à Dioſcoro Alexandrino epiſcopo, in oppreſſionem orthodoxæ veritatis, & appellationem à legatis apoſtolicæ ſedis pro inique damnatis interpoſitam aduerſus ſynodalem ſententiam, petentibus eandem retractari autoritate ſedis apoſtolicæ vnà cum ſynodali iudicio, ſubdit: Quam autem poſt appellationem interpoſitam, hoc neceſſario poſtuletur, canonum Niceæ habitorum decreta teſtantur, quæ à totius mundi ſacerdotalibus ſunt conſtituta. Hęc ille Leo. Tu autem profer, quiſquis es, qui non alios Nicenos canones, quã qui apud Ruffinum leguntur, fuiſſe contendis, profer, inquam, ex illis vllum verbum, quod de retractandis epiſcoporum ſynodalibus iudicijs poſt interpoſitam appellationem loquatur.

Singularis autoritas Roman. eccleſiæ.

B. Leo ad Theodoſium imperatorem.

Iam vero vbi & ille eſt inter Ruffinos canones, quem de paſchate æditum tradit Alexandrinus Theophilus, ſtatutum ſcribens in Niceno concilio, vt ab VIII. Idus Martij, vſque in diem nonarum Aprilium, diebus videlicet XXVIII. qualiſcunque luna nata fuerit medio ſpatio, menſis primi initium faceret. Quartamdecimam vero D à XII. Calend. Apriles, vſque ad XVIII. Calend. Maij, ſolerter inquiri debere. Et ſi die ſabbatorum inciderit, conſequenti die dominico, id eſt, luna XV. paſcha celebrandum fore. Et ſi die dominico XIIII. eiuſdem menſis primi euenerit, ipſa hebdomada tranſmiſſa in alterum diem dominicum celebrari paſcha debere. Hæc ille ſtatuta affirmat in Niceno concilio. Cuius decreti mentionem fecit Antiochena ſynodus, etiam anathema addens in eius tranſgreſſores in hæc verba: Omnes, qui audent diſſoluere regulam ſancti & magni concilij Niceni, quod celebratum eſt in præſentia dei amantiſsimi Conſtantini imperatoris, de ſancta ac ſalutari feſtiuitate paſchæ, excommunicatos & abiectos eſſe debere ab eccleſia.

Theophilus Alexandrinus.

Canon paſchalis Niceni concilij.

Sed vt reuertamur ad illum canonem tam apoſtolicum quàm Niceni concilij, de epiſcoporum iudicijs, & maioribus omnibus cauſis eccleſiaſticis ſpecialiter reſeruatis huius ſedis autoritati & iudicio, ne forte cauilleris ex Romanorum tantum pontificũ te audiſſe teſtimonio: audi quid de eo ſcribat & affirmet ille orthodoxæ

Recognitio & teſtimoniũ B. Athanaſij & Alexandrinæ ſynodi.

A veritatis ſtrenuiſsimus aſſertor Athanaſius, cum vniuerſis Aegyptiorum, Libyæ, Thebaidis, orthodoxis epiſcopis ex Alexandrina ſynodo, ad Felicem ſubſtitutũ Liberio.

Primum conquerentes intendi ſibi vim ab aduerſarijs, vt in profeſsionem fidei eorum etiam ipſi ſubſcriberent, aut ſaltem ne eorundem communionem vitarent: Sed nequaquam, inquiunt, vobis inconſultis hoc agere præſumimus. Canonibus quippe iubentibus, abſq; Romano nos nihil de maioribus cauſis decernere debere pontifice. Ideoq; & veſtræ apoſtolicæ ſedis imploramus auxilium, &c. Cui omne epiſcoporum iudicium commiſſum eſt. Nam ſcimus In Nicena ſynodo CCCXVIII. epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſq; Romani pontificis ſententia concilia celebrari, nec damnari epiſcopos. Licer hæc & alia plurima neceſſaria ab hæreticis, qui nos quotidie infeſtant & perdere nituntur, vt facilius nos capere poſsint, ſint ſynodica capitula incenſa nobiſq; ſublata. Et poſt aliquanta.

Vide, quid dicant iubere canones.

Decretum Nicenum circa epiſcoporum accuſationes.

Nouimus namque in præfata ſynodo generaliter eſſe decretum, vt nullus paſsim vageq; epiſcopos, aut præſumptiue lacera-B re, aut accuſare, & qui non ſunt rectæ fidei, aut bonæ aut claræ cõuerſationis, infamare præſumant: ſed prius, ſi erga epiſcopos, aut rectores eccleſiæ quiſquam cauſam habuerit, eos cum charitate manſuete conueniat: aut ipſe, ſi ſecus egerit, accuſator excommunicetur. Quod ſi ab eis nihil valuerit recte percipere, tũc primo metropolitanos, deinde ſummos adeat primates, & ipſi tẽpore cõgruo canonice eos conuocare debebunt. Qui ſi aut ſuis rebus ſpoliati, aut ꝓprijs ſedibus eiecti, aut exulantes, vel oppreſsi, aut inique tractati fuerint, primo eruantur, & canonice reſtituantur, atq; omnia ſibi ablata integerrime eis legibus reddantur. Quoniã prius, quã hæc fiant (vt in prædicto cõſtitutũ eſt cõcilio) nec canonice cõuocari, nec diſtringi à quoquam poſsint.

Similiter à prædictis patribus eſt definitũ conſonanter, vt ſi quiſquã epiſcoporum, aut metropolitanum, aut comprouinciales iudices ſuſpectos habuerit, vt ſanctam Romanam appellent ſedẽ. Cui ab ipſo domino poteſtas ligandi & ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa, &c.

Nota antiquas regulas eccleſiaſticas.

Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid, quamuis in remotis & in lõginquo poſitis prouincijs, ſuper epiſcoporum querelis aut accuſationibus ageretur, non prius ratum, aut accipiendum eſſet, quàm ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet pro- C lata pronunciatio, quæ aut firmaret, aut infirmaret, ne paſsim ab accuſatoribus columnæ conuellerentur eccleſiæ, &c. Hæc ille Athanaſius cum tot orthodoxis epiſcopis in Alexandrina congregatis ſynodo. Quibus dubitari non poteſt medium interfuiſſe Chriſtum, ſed nec eos minime ignoraſſe eccleſiaſticos canones, maxime autem Niceni concilij, æque autem nõ confinxiſſe illos, quos memorabant eius concilij canones, quamuis nullum eorum omnium apud Ruffinum ſit legere. †

† De eodem rurſus audi totius Africanæ eccleſiæ confeſsionem & teſtimonium, ex B. Stephani archiepiſcopi in cõcilio Mauritaniæ præſidentis, & trium conciliorum Africanæ prouinciæ quam ex communi decreto ad beatum Damaſum ſcripſerunt, epiſtola in hæc verba:

Beatiſsimo domino, & apoſtolico culmine ſublimatò, ſancto patri patrum, & ſummo omnium præſulum pontifici Damaſo, Stephanus archiepiſcopus, cum concilio Mauritaniæ, & vniuerſis epiſcopis de tribus concilijs Africanæ prouinciæ.

Notum facimus veſtrę beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros, venerabiles videlicet epiſcopos, vobis inconſultis à proprio deijciunt gradu & deijcere moliuntur. Cum veſtræ ſedi, epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem eccleſiaſticorum negociorum, in honorem beatiſsimi Petri, patrum decreta omniũ, cunctam reſeruauere ſententiam de dei rebus, quę omni ſollicitudine obſeruare debemus. Maxime enim debent illa ab ipſo pręſulũ examinari vertice D apoſtolico, cuiꝰ vetuſta ſollicitudo eſt, tam mala dãnare, q̃ ꝓbare ꝓbãda. Antiquis enim regulis ſancitũ eſt, vt qcquid horũ, quãuis in remotis & lõ ginquo poſitis ageretur ꝓuincijs, nõ prius tenẽdũ vel accipiẽdũ ſit, niſi ad notitiã almę ſedis veſtræ fuiſſet deductũ, vt eius autoritate, qcquid fuiſſet pronũciatũ, firmaretur. Atq; alia multa talia & ſimilia ſuper his cõſtituta ſunt. Itaq; ſi in prędictis illicitè pręſumptũ eſt, vt ſemper veſtræ ſedis cõſuetudo fuit, feſtinãter occurrite, & pro veritate, paterniſq; canonib. viriliter certãtes his reſiſtite, &c. Et deus creator omniũ, lõgæuũ cõſeruet apoſtolatũ veſtrum, ad ſtabilitatem eccleſiarum ſanctarũ & orthodoxę fidei, voſq; paſtorem bonum, qui pro ſpiritualibus ouibus ponitis animam, atque baculo paſtorali lupos rapaces expellitis, & omnibus oppreſsis auxilium fertis. Quod & iſtis, & omnibus ſemper vos facere optamus, ſanctiſsime papa. Hactenus illi.

Nota antiquas regulas.

Audis itaq; horum tot epiſcoporum, atq; adeo totius Africanæ eccleſiæ confeſsionem, claramq; ſentẽtiam, conſonã cum ea, quam ſupra audiuiſti, beatiſsimi Athanaſij

& tot

A & tot ſecum congregatorum totius Aegypti, Libyæ & Thebaidis, orthodoxorum epiſcoporum confeſsione & teſtimonio. Quem eſſe, fuiſſeque communem orthodoxæ eccleſiæ ſenſum, nunquid dubitandum eſt? Quibus in hæc verba reſcripſit ille Damaſus:

Reſcriptum Damaſi epiſcopi catholicæ eccleſiæ.

Damaſus ſeruus ſeruorum dei, atque per gratiam eius epiſcopus ſanctæ catholicæ eccleſiæ & vrbis Romæ, Stephano archiepiſcopo præſidenti in concilio Mauritaniæ, & vniuerſis Africanæ prouinciæ epiſcopis:

Lectis fraternitatis veſtræ literis, primo gratias ago, quod tantorum patrum mereor benedictione frui: deinde, quod circa fratres ſollicitos vos reperi, & cum eis crucem domini deferre, quia ait: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetiſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, &c. Igitur quando in præſenti opportunè geſtorum conſultatione, apoſtolicis veſtra beatitudo viſceribus commota nos hortata eſt, tuitionem fratrum apoſtolica impendere autoritate, & eorum iniurijs ſubuenire, dum conſtet eadem vos cum Apoſtolo compaſsibiliter dicere: Quis infirmatur, & ego non infirmor? B Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Satagentes, ne aliquis de his, qui vobis crediti ſunt, à ſæuis beſtijs laceretur, aut capiatur. Pro qua re oportet, iuxta veſtram prudentem commonitionem, magis autem ſecundum domini diuinam præceptionem, nos qui ſupra domum eius, hoc eſt, vniuerſalem aut catholicam eccleſiam epiſcopale ſuſcepimus miniſterium, ſollicitè vigilare, ne quid de ſacris eius muneribus, id eſt, apoſtolicis viris, apoſtolorumque ſucceſſoribus, & miniſtris quiſquam nobis inconſultis damnetur. Scitis fratres chariſsimi, firmamentum à deo fixum & immobile, atque titulum lucidiſsimum ſuorum ſacerdotum, id eſt, epiſcoporum omnium, apoſtolicam ſedem eſſe conſtitutam, & verticem eccleſiarum. Sicut enim diuinum verbum veraciter pronunciat, tu es Petrus, & ſuper hoc firmamentum tuum eccleſiæ columnæ, qui epiſcopi intelliguntur, confirmatæ ſunt. Et tibi claues regni cœlorum commiſi, atque ligare & ſoluere poteſtatem, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, dedi, &c. Cuius vice hodie gratia dei legatione pro Chriſto fungimur, & omnes huius ſanctæ ſedis præſules eius vicem geſſerunt, gerunt & gerent. Ideo omnia quæ innotuiſtis non licere, accuratius C demonſtrarem, niſi vos tam pleniter inſtructos eſſe ſcirem, vt cuncta ſuper quibus conſulitis, illicita eſſe non dubitetis. Diſcutere nanque epiſcopos, & ſummorum eccleſiaſticorum negociorum cauſas, metropolitanis vna cum omnibus ſuis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis deſit, & omnes in ſingulorum concordent negocijs, licet: ſed definire eccleſiaſticarum ſummas querelas cauſarum, vel damnare epiſcopos abſque huius ſanctæ ſedis autoritate minime licet, quam omnes appellare, ſi neceſſe fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam vt noſtis, ſynodum ſine eius autoritate fieri, non eſt catholicum. Neque vlla concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta apoſtolica autoritate. Hactenus Damaſus.

Firmamentũ à deo fixum & immobile ſedes apoſtolica.

Reſeruata autoritas ſedis apoſtol.

Ex quibus omnibus ſatis, ſuperque demonſtratum exiſtimo, non adulterinum, non ſubdititium, ſed verum, germanumque fuiſſe Niceni concilij canonem, quando epiſcoporum cauſis & appellationibus ad apoſtolicam ſedem deferendis, in VI. Carthaginenſi concilio, Fauſtinus, Philippus & Aſellus apoſtolicæ ſedis legati ex literis & commonitorio beati Zozimi pontificis recitarunt in hæc verba: Ita, inquit, dixerunt, dilectiſsimi fratres in concilio Niceno, cum de D epiſcoporum appellatione decernerent: Placuit autem, vt ſi epiſcopus accuſatus fuerit, & eum iudicauerint congregati epiſcopi regionis illius, & de gradu ſuo deiecerint illum, & appellaſſe epiſcopus videatur, & confugerit ad beatiſsimum Romanum epiſcopum, & voluerit audiri, & iuſtum putauerit ille vt renouetur, ſcribere his epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia ſunt. Et ipſi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate epiſcopi Romani, quid velit, & quid exiſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum epiſcopis iudicent habentes autoritatem eius à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit ſufficere epiſcopos, vt negocio terminũ imponant, faciat quod ſapientiſsimo concilio ſuo iudicauerit. Hactenus verba canonis, quẽ aduerſus Aureliũ Carthaginenſem epiſcopũ illius cõcilij caput, & cũ eodẽ cõgregatos epiſco-

Vere germanum canonẽ Niceni concilij, quem de appellationibus ad ſedem apoſto. canon in VI. Carthaginen. ſynodo, eiuſdem legati prom lerunt.

Tenor canonis.

A epiſcopos (quos vna ſecum ad hoc inclinauerat, vt abolere cuperent ac niterētur obſeruatam eatenus conſuetudinem de referendis epiſcoporum iudicijs ad examen, iudiciumque ſedis apoſtolicæ) tanquam ex autoritate Niceni concilij, pro eiuſdem ſedis autoritate & priuilegio proferebāt prædicti eius legati, imo ipſe obiectabat Zozimus beatiſs. pontifex, & cuius commonitorijs literis ijdem eius legati recitarūt ipſum concilio.

Quanquam autem illi, non ſolum grauam eſſe tranſmarinis illis & tam longe poſitis prouincijs morē illum referendorum iudiciorum epiſcopalium ad iudicium & examen ſedis apoſtolicæ: ſed etiam tendere eundem in diſſolutionem vigoris diſciplinæ eccleſiaſticæ prętenderent (Cum ſæpe retractaretur comprouincialium epiſcoporum & iudicum ſententia, abſolutis, reſtitutiſque à ſede apoſtolica damnatis ab eiſdem) & ob id nequaquam acquieſcerent autoritati Rom. pontificis, autoritatem tamen Niceni, quæ eis obijciebatur, concilij non audentes contemnere, negabant canonem illum haberi in his, quæ apud eos extabant, Niceni concilij exemplaribus. Super quibus ea occaſione ingens mota eſt quæſtio & controuerſia, non ſatisfaciente illis fide Rom. exemplaris canonum Niceni concilij: ſed Conſtantinopolim vſq; mittentibus, & Antiochiam & Alexandriam, inde petitum eius exemplaria. A quibus ſimilia ſuis, æque trunca, æque imperfe ta receperunt, nihil dignnm tanto c cili continentia, nihil, inquam, præter mutila illa XX. quæ apud Ruffinum leguntur decreta, frigida ſane, ſi per ſe conſiderentur, ac pro eccleſiaſticæ totius diſciplinæ conſtitutione ac ordinatione prorſus inefficacia. Quam tamen vniuerſam, diligentiſsime ordinatam, conſtitutamque fuiſſe conſtat in illo concilio. Certè niſi improbe, impudenterque mentitos dixeris tot tantoſque, quos ſupra audiuiſti, ſanctiſsimos patres & pontifices, dubitari omnino non poteſt, alia fuiſſe illius decreta concilij. Sed neque illud dubium eſſe poterit, ſi eorum temporum perpendas hiſtoriam, Romæ ſeruata fuiſſe veriora, integrioraque exemplaria Nicenæ ſynodi, quam in illis Orientis eccleſijs, quas iam annis plurimis deuaſtauerat ille aper de ſylua, illa fera ſingularis, illi, inquam, Nicenæ, orthodoxæque fidei perſecutores Arriani hæretici. Qui (quod ſupra demonſtrauimus) abolentes incendio vbicunque extabant authentica eius ſynodi exemplaria,

Ingens quæſtio orta ſuper fidem exemplarium Niceni concilij.

B

C hoc effecerunt, vt continuo poſt Nicenum concilium ambigeretur de canonibus Niceni concilij.

His adde, quod & Atticus Conſtantinopolitanus, & Alexander Antiochenus, & Theophilus Alexandrinus epiſcopi, à quibus illi Nicena petebant exemplaria, eodem illo tempore, ob impiam ſuam coniurationem aduerſus beatum Ioannem Chryſoſt. quem inique oppreſſum ſuis calumnijs ſede Conſtantinopolitana eiecerant, anathemati ſubiecti erant à ſede apoſtolica. Nihil ergo mirum adulterata ſe recepiſſe ab eis Niceni concilij exemplaria, apud quos nihil erat ſyncernm aut integrum. Quemadmodum & V. ſynodum adulteratam, corruptamque ab hæreticis aliquot Conſtantinopolitanis & Antiochenis epiſcopis, apoſtolicæ ſedis legati in VI. vniuerſali ſynodo conuicerunt, vt in actione eius XIIII. videre eſt. Et idem paſſam VI. ſynodum in pleriſque, vt iam circumfertur & legitur, libro IIII. annotauimus. Quod ipſum de Niceni concilij canonibus factum minus mirabitur, quiſquis conſiderauerit, quàm pertinaciter, & quàm diu aduerſus illos Oriens penè vniuerſus repugnauerit, conſpirauerit & coniurauerit.

D Quod ſi intelligere volueris, illius Aurelij & conſentientium ſecum epiſcoporum conatus, quibus apoſtolicæ ſedi debitæ obedientiæ iugum nitebantur excutere, num ex deo fuerint iuxta Gamalielis illius ſapientiſsimum conirlium, ſubſequentium temporum expende hiſtoriam. Si enim, inquit ille, ex hominibus eſt conſilium & opus hoc, diſſoluetur: ſin ex deo, non poteſtis diſſoluere, ne quando & deo repugnare videamini.

Itaque cum poſt Aurelium illum ſucceſſores eius nonnulli in Carthaginenſi eccleſia, exempli quoque imitatores facti, debitam & conſuetam obedientiam detrectarent Rom. pontificibus, & ob id paſsim in multos varioſq; errores & exceſſus (vt fit ſemper in ſchiſmate) prolapſa eſſet Africana eccleſia: tandem pœnitentia ducti, & re ipſa experti, quam eſſet neceſſarium catholicæ eccleſiæ illud cathedræ Petri priuilegium, illa quoque ipſius præſidentis in eccleſiaſtica hierarchia autoritas: ad matris eccleſiæ gremium, & apoſtolicæ ſedis obedientiam ſub Bonifacio II. ſupplices recurrerunt, atque eius communionem humiliter expetiuerunt, qui ſub Bonifacio primo ſuas aduerſus eandem ceruices erigere cœperant.

Pœnitentia Carthaginenſ. eccleſiæ de inobedientia erga ſedem apoſtolicam.

Quo

Tenor profeſſionis orthodoxæ fides, ſub qua reconciliata eſt.

A Quo autem confeſsionis orthodoxæ fidei tenore, catholicæ Chriſti eccleſiæ reconciliari meruerunt, eiuſdem illius Bonifacij ſecundi, quam lib. quarto citauimus, ad Eulalium Alexandrinum epiſcopum teſtatur epiſtola. Confeſsi enim ſunt infallibilem illam domini noſtri Ieſu Chriſti ſententiam, qua Petrum petram ac ſundamentum pronunciauit ſuperædificandę ſuæ eccleſiæ, ipſa rei comprobari euidentia, ſubſecutiſque effectibus.

In vna ſiquidem apoſtolica ſede, extra maculam conſeruatã ſemper religionem, fidemq́; Chriſtianam. Dicto etiam in omnes anathemate, qui aduerſus Romanam eccleſiam & apoſtolicam ſedem ſuperbiendo ſuas ceruices erigerent. Promittentes quoq; in omnibus ſequi ſedẽ apoſtolicam, & omnia eius decreta obſeruare, ad quorũ nihilo minus obſeruationẽ etiam ſub pœna anathematis ſeſe obligarunt. Damnantes pręterea & prædeceſſores & ſucceſſores ſuos, & quotquot Romanæ eccleſiæ priuilegia conarentur infringere: Vt clarius eſt videre in prædicta epiſtola.

Epilogus.

Ex quibus clariſsimum etiam eſt intelligere, non ſolum quanti illud ſuerit, quod Aurelius ille Carthaginenſis epiſcopus, cũ B ſuis complicibus occaſionem quærens, vt ab amico diſcederet, illum Niceni concilij canonem reuocarit in dubium, quem prædicti apoſtolicæ ſedis legati recitarunt ex B. Zozimi literis: ſed etiam, vt inter illos ipſos rerum turbines ac tumultus ſemper præualuerit ac triumphauerit huius ſedis priuilegium & autoritas. Nam illum etiam ſuijpſius ſucceſſores cum orthodoxa damnauerunt eccleſia, quod illicitis ſuis conatibus, auſuque temerario aduerſus apoſtolicæ ſedis autoritatem repugnando, inconſutilem domini tunicam in fruſta diſcerpſerit. Illud vero apoſtolicæ ſedis priuilegium, quod ab apoſtolorum vſque temporibus obſeruatum, ac deinde in Niceno concilio inter cæteras, quas conſtituerunt regulas eccleſiaſticas, renouatum demonſtrauimus, vides vt totus ſemper recognouerit orbis, confeſſusque fuerit. In quo aſſerendo, demonſtrandoque quod prolixiores fuerimus, non fuit abſque operæ precio. Nam totius fere cauſæ de autoritate eccleſiaſticorum conciliorum, tum aliorum, tum vniuerſalium (quorum præcipuè gratia diſputationem hanc aggreſsi ſumus) hoc erit fundamentum, hoc principium, quod firmum, ſtabileque iecíſſe oportuit.

Vt ſemper præualuerit apoſtolicæ ſedis autoritas.

Omnium eccleſiaſticorum conciliorum autoritatem ſubeſſe autoritati ſedis apoſtolicæ & Romanorum pontificum. Vniuerſalium vero, & medij generis conciliorum, etiam prorſus ab eadem dependere. C

CAP. VIII.

ECCleſiaſticorum conciliorum tria omnino genera ſupra diſtinximus: Prouincialia, Vniuerſalia, & quæ inter hæc ſunt generis medij: & quodque ſuis notis deliniauimus. Nunc demonſtrandum eſt, quæ ſit, & vnde pendeat ſingulorum autoritas. Quod ex ſtabilito à nobis ſuperioribus duobus capitibus principio euadet clariſſimum.

Ad prouincialium conciliorum autoritatem quæ pertineant.

De prouincialibus itaq; (vt ab illis inchoemus, quorum & inſtitutio eſt antiquior, & vſus frequentior, cum vniuerſalia tarde agnouerit eccleſia, & raro admodũ ſui copiam faciant) non eſt magna dubitandi occaſio. Quandoquidẽ bina quotannis, ordinaria autoritate, per ſingulas quaſq; prouincias celebrari debere, antiqui eccleſiæ, Nicenią; decreuerunt canones. Secundũ quorum ſententiam de omnibus querelis, quæ inter diuerſos eccleſiaſticos ordines naſci D aſſolent, in eiſdem iudicandum eſt. Si vero inter ipſos eccleſiarum præſules de grauioribus peccatis cauſa enata fuerit aliqua, eorundẽ ſtatũ concernens. aut ſi maiorum, grauiorumq́; eccleſiæ cauſarũ aliquid incidat, hæc poſt epiſcopalẽ diſquiſitionem, ad apoſtolicæ ſedis definitionẽ, iudiciumq́ue referenda ſunt. Cuius autoritati, vt omnes maiores eccleſiaſticas cauſas (quemadmodũ iã demonſtratũ eſt) referuauit apoſtolicorum canonum, totius ab initio eccleſiæ obſeruatione corroborata autoritas: ita & epiſcoporũ vltimata, definitiuaq; iudicia. De quibus nihil anteratum, firmumq́; eſt, quam huius ſedis autoritate corroboratum fuerit. Quod tamẽ reſtrictionẽ nonnullam accipere certum eſt, atq; ita intelligendum niſi iudicati ipſi dãnatiq́; epiſcopi, aut propria ſua confeſsione & conſcientia, aut ipſa rei euidentia conuicti, cõprouincialium epiſcoporũ iudicio, ſuæq; dãnationi cõſenſerint. Nã iudicare poſſe congregatã legitimẽ epiſcopalem ſynodum cõprouincialiũ epiſcoporum qualeſcunq; cauſas, & Niceni concilij ille canon, quem ex beati Zozimi literis in VI. Carthaginenſi ſynodo ſupra audiuiſti recitatum à legatis ſedis apoſtolicæ, & alia pleraque, quæ ſupra indu-

Quæ eorum autoritatem excedant.

A induximus, probāt teſtimonia. Quorum iudicio ſi damnati conſentiant, ſi ab eo ad apoſtolicæ ſedis autoritatem non prouocent, nihil impedit ratum ipſum manere, quod prolatum canonicè, tacitè confitente nec prouocāte damnato, in rem tranſiuit iudicatam.

Prouincialium itaque conciliorum autoritatem omnino ſubeſſe autoritati ſedis apoſtolicæ & Romani pōtificis, planè indubitatum eſt. Cùm ab eorū iudicio ſententiaq;, tam ſecundū apoſtolicos, quàm Niceni concilij canones, ad apoſtolicę ſedis iudicium libera ſit prouocatio. A qua omnia prouincialia iudicia & negocia (vt

Canon apoſtolicus.

ex apoſtolicis canonibus citat S. Marcellus glorioſus Chriſti martyr & pontifex) retractanda ſunt, ſi huius eccleſiæ pontifex præceperit. Et canone 58. Niceni concilij, quem citat ille Iulius in ſecunda ſua

Canon Niceni concilij.

aduerſus Antiochenam ſynodum, epiſtola, in hæc verba conſtitutum eſt: Et prouincialis ſynodus retractetur per vicarios vrbis Romę epiſcopi, ſi ipſe decreuerit.

De vniuerſalibus & medij generis concilijs.

Vniuerſalium verò, & quæ medij generis ſunt, conciliorū, quæ ſit, & vnde pendeat autoritas, & à quo, & ex quibus conuocari debeant, qui conuenire in eiſdem, B vt ſuam autoritatem habeant, nihil minùs ex his, quę iam demonſtrauimus, euidens eſſe poterit.

Eadē non niſi apoſtolicæ ſedis autoritate conuocari, celebrarique debere.

Nam cùm prouincialia concilia, ordinaria quidē autoritate conuocari poſſint & debeant, ſed eorum autoritatem ſuperent, tam epiſcoporum vltimata iudicia, quàm maiores omnes cauſæ eccleſiaſticæ, quæ apoſtolicæ ſedis, & in eadē prę ſidentium eccleſiaſticæ hierarchiæ principum autoritati reſeruata ab initio, ab ipſis vſq; apoſtolorum temporibus clariſſimè demonſtrauimus: euidenter cōſequens eſt, tam vniuerſalia, quàm illa medij generis concilia, in quibus tractari debent maiores cauſæ eccleſiaſticæ, apoſtolicę ſedis autoritate, & conuocari, & celebrari, & omnia in eis agi, deſiniriq; oportere.

Ex Chriſti euāgelio diuinarumque ſcripturarū teſtimonijs.

Nihil eſt quod hic contrà vel comminiſci quiſquam poſſit. Demonſtratū eſt, & irrefragabiliter demonſtratum, Petro & ſucceſſoribus eius commiſſam à Chriſto curam, gubernationemque vniuerſalis eccleſiæ, datas illi claues regni cœlorum, & terrificam illam ligandi, ſoluendiq; poteſtatem, quam vnus ipſe apoſtolorum omnium ſingulari priuilegio accepit (Nam quæ apud Matthæum cap. 18. dicuntur, ad nullum omnino ſingulariter apoſtolorum, ſed ad vnamquanque C eccleſiam pertinere certum eſt) Cæteris verò eccleſiarum rectoribus tantum eius conuenit, quantum ab illo velut capite in reliqua eccleſiaſtici corporis mēbra præcipua deriuatur. Quicquid enim cum illo commune, inquit ille beatiſſimus Leo, cæteris voluit eſſe eccleſiarum principibus, non niſi per iſtum dedit, quicquid cęteris nō negauit. Vni illi ſingulariter iuſſum eſt à domino, confirmare fratres hęſitantes in fide, promiſsionem vnus accipiens ſuam fidem non defecturam. Itaq; quāuis ex his Chriſti euangelicisq; teſtimonijs clarè cōſtet, omnem fidei cauſam & quęſtionem, & quicquid in eccleſiaſticis negocijs difficile magnique momenti oritur, aut quęcunque grauis inter eccleſiarum principes, rectoresq; controuerſia, ad cathedrę Petri iudicium autoritatemq; referri oportere: quemadmodum dudum in ſynagoga veteri (quæ noſtram exprimebat & deliniabat eccleſiam) quicquid arduum erat & maioris momēti, & omne ambiguum ac difficile iudiciū, vnde prouocabatur à ſubalternis per vrbes iudicibus, ad cathedram Moyſi, & ſacerdotum in eadem domino ſeruientium iudicium, autoritatemque præſidis. Nihilo D minùs apoſtolica ab initio traditione, eccleſiaſticiſque regulis diligentiſsimè, vt audiſti, conſtitutum, vſu confirmatum, Niceni quoque concilij canonibus corroboratum extitit: vt tam epiſcoporum iudicia, quàm maiores omnes cauſę eccleſiaſticæ ad huius ſedis autoritatem ſingulariter proprieque pertinerent.

Quare ſi magis ardua quęq; negocia, & maiores cauſę eccleſiaſticę tractāde ſunt in vniuerſalibus concilijs, neceſſe eſt apoſtolicæ ſedis autoritatem in eiſdem vigere & pręſidere. Nam quæ ad apoſtolicę cathedræ & pręſidis in eadem autoritatem, ex figura veteri noſtræ eccleſiæ, ex ſpeciali quoque inſtitutione Chriſti, ex apoſtolica ordinatione, totius inſuper catholicę eccleſiæ confeſsione & teſtimonio ꝓpriè pertinere demonſtrantur, qua autoritate ſine ea ſibi vſurpabit quotquot epiſcoporum conuentus aut conciliū? Quos æquè omnes in vnum ac ſingulos, ſubiectos eſſe illius autoritati, cui totius ouilis Chriſti commiſſa eſt cura & regimen, planè indubitatum eſt, ſi modò oues paſtori ſuo ſubiectas eſſe conuenit. Neque enim concilijs vniuerſalibus, primò & ſecundū ſe, datam à Chriſto vllā iuriſdictionis aut deſinitionis

A finitionis autoritatem, clariſsimè demonſtratum eſt, vt quæ nec à Chriſto, nec ab apoſtolis, ſpecialem vllam inſtitutionem inueniuntur habere: ſed annos circiter treceotos nata poſt apoſtolorum tempora, æque certum & indubitatum eſt.

Conciliorum vniuerſaliũ, quæ, qualis, & quanta autoritas.

Conciliorum itaq; vniuerſalium autoritatem, quæ ſit, qualis aut quaota, ſi quis exactè pręſioiri ſibi exegerit, eandẽ vtiq; eſſe, & vniuerſam dicemus, quã cathedrę apoſtolicæ, atq; eius præſidis ſuperius demonſtrauimus, eandẽ pręrogatiuã, idẽ priuilegium, nempe vt ſuper quoſcunq;, qui mẽbra ſunt eccleſiaſtici corporis, ſacroſanctum ſit, & in cœlo ratum eorum iudicium, certa ſententia, & indubię veritatis definitio. Sed hęc eorum tantum eſt prærogatiua & autoritas, quæ legitima ſunt, hoc eſt, apoſtolicæ ſedis & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis autoritate celebrata. Nam ad eius ſolius autoritatem pertinent grauiora quæq; atq; ardua negocia eccleſiaſtica, omnis de Chriſti fide & religione quæſtio, omoe difficile & ambiguũ iudicium. Qui tametſi ad eorundem definitionem & iudicium ſecum adhibere debeat ſacerdotale concilinm ſecundum formam expreſſam in illa figura veteri, & ab initio obſeruatam in eccleſia, regu-
B lariter quidem ſacerdotom vna ſecũ miniſtraotiũ domino in cathedra apoſtolica, nõnunquã vero & aliorũ, ſeu pluriũ, ſeu paucio rũ, ſeu viciniorũ, ſeu diſtãtiorum, ſecundũ ꝙ negocij qualitatem exigere iudicauerit, quo ad eccleſiaſtica iudicia adhibeatur ſaltẽ ꝓ qualitate & exigẽtia negocij debita diligẽtia. Omne tamẽ cõciliorũ iudiciũ, omnis ſententia & definitio, ꝓcedere cenſetur ex autoritate vnius præſidis: quẽadmodum id ex verbis legis ſuperius ſubinde annotauimus. Nã quãuis iuſſerit lex, omne difficile & ambiguũ iudiciũ referri ad cathedrã Moſaicã, & cõciliũ ſacerdotũ Leuitarũ in eadẽ miniſtrãtium domino, affirmans illos poſt diſqſitionẽ cauſæ & negocij annũciaturos quęrẽtibus veritatẽ iudicij: ꝓinde præcipiens eiſdẽ definientibus aut iudicãtib⁹ ſimpliciter & indiſcuſſe obſequi: Statuens tamen conſequẽter pœnã aduerſus inobedientes ſacerdotali iudicio, non iſ coouentus aut cõcilij ſacerdotalis meminit, neq; adeo ſacerdotũ pluraliter, ſed vnius & ſolius præſidis. Si quis, inquit, ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, ſtantis vt ſeruiat ibi domino deo tuo, ſic enim habet Hebraica veritas, ſtãtis inquã, hoc eſt, pręſidentis illi cathedræ, vt hoc clariſsimè expreſſeuat LXX. interpretes, qui eundem locum ſic verterunt: Si quis ſuperbierit nolens obedire imperio ſacerdotis præſidis, &c. morietur homo ille. Vides itaq;, vt ſacerdotalis cõcilij, vnde vltimata ꝓficiſcuntur iudicia negociorũ eccleſiaſticorũ, & defioitiones quæſtionũ, dubitationumq́; ſubortarũ in eccleſia, haud ſit alia, quàm voius præſidis autoritas. C

Ex his igitur quãuis ſit euidentiſsimum, ad apoſtolicæ ſedis autoritatem pertinere, conuocare tam vniuerſalia, quã medij generis coocilia. Cũ ſioe ea congregata prorſus forent inefficacia, ſed & rebellionis, cõſpirationiſq́; quandã ſpeciẽ habere videretur: ſicut & in quacũq; ſeu monarchia (qualis eſt hierarchia eccleſiaſtica) ſeu alia republica, aut ciuili quacunq; communitate, extraordinaria conuenticula agere abſq; monarchæ, principis, aut ſummi magiſtratus autoritate ac ſententia. Tameo etiam hoc ipſum ab apoſtolis, ab ipſo ſtatim initio eccleſiæ ꝓuideotiſsimè ordinatum conſtitutumq́; extitit, & renouatum deinde, corroboratũq́; à Niceno concilio: Ne liceret abſque huius ſedis autoritate celebrare concilia, præter ordinaria illa, hoc eſt, prouincialia. Cuius apoſtolorũ decreti Marcellus ille glorioſus Chriſti martyr & põtifex in ſua ad Antiochenos epiſtola meminit. In qua D quum præmiſiſſet epiſcoporum iudicia & ſumma eccleſiaſticarum cauſarum negocia ſecundum apoſtolorum decreta, apoſtolicæ ſedis peragenda, terminandaq́; autoritate & iudicio: Simul, inquit, ijdẽ ioſpiraote domino cõſtituerunt, vt nulla ſynodos fieret præter eiuſdem ſedis autoritatẽ. Hunc autem eundem canonem renouatum fuiſſe à ſanctiſsimis illis patribus in Niceno concilio, mirabilis ille Athanaſius, qui eidem interfuit, com vnioerſis orthodoxis totius Aegypti, Libyæ & Thebaidis epiſcopis, ob Nicenæ fidei defenſionem voa ſecum congregatis in Alexandrina ſynodo, teſtes ſunt io hæc verba inter cætera ſcribentes ad Felicẽ ſubſtitutum Liberio: Scimus io Nicena ſynodo trecentorum & octodecim epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum: Non debere abſq; Rom. pontificis ſententia celebrari concilia, nec damnari epiſcopos. Hic nota verba, & ſigna myſteria. Roboratum dicunt, non ordinatum, aut conſtitutum: Non debere abſque Ro. pontificis ſententia ac volũtate celebrari concilia. Quandoquidem & ex ipſa eccleſiaſticę hierarchię forma, atq; ipſa Petri & in ea præſidentium ſucceſſorũ eius, quam à Chriſto acceperunt, autoritate, ipſis quo-

Confirmatio ex canone apoſtolico.

Ex decreto Niceni concilij citato ab Athanaſio in Alexandrina ſynodo.

A que apoſtolorum,vt audiſti, canonibus id non licere certum eſt. Itaq; quod hoc non liceat, ex illo Niceno concilio non habet originem, ſed corroborarunt illi patres, & euangelica ea de re & apoſtolica dogmata.

Quare & Iulius ille primus aduerſus Antiochenam ſynodum,quę aduerſus damnationem Athanaſij Alexandrini, & aliorum quorũdã orthodoxorũ epiſcoporũ ꝓcurãte illo Euſebio Nicomedien.abſq; apoſtolicæ ſedis autoritate illicitè cõuenerat, poſt cõmemoratũ Niceni cõcilij canonẽ de epiſcoporũ iudicijs abſq; huius ſedis autoritate nõ peragẽdis,ſubiũgit in hæc verba: Ipſi vero primæ ſedis eccleſiæ, cõuocandarum generaliũ ſynodorũ iura,& iudicia epiſcoporũ ſingulari priuilegio,euãgelicis & apoſtolicis atq; canonicis cõceſſa ſunt inſtitutis. Quia ſemper maiores cauſæ ad apoſtolicã ſedẽ multis autoritatibus referri præcepta ſunt. Et iterum: Dudum ſiquidẽ à ſanctis apoſtolis,eorũq; ſucceſſoribus in antiquis ſtatutis decretum fuerat, nõ oportere prętcr ſententiam Ro. põtificis concilia celebrari,&c. Hæc ille Iulius. In quibus audis, quid dicat ab apoſtolis, in antiquis ſtatutis decretum fuiſſe,& quibus dicat,nempe totius pene Orientis epiſcopis,quos eccleſia-

Ex totius orbis recognitioni ſub controverſia illa Iulij Ro. pontificis & Antiochena ſynodi.

B ſticarum regularum præuaricationis arguit. Cuius tragœdię ſi conſideres exitum,facilè intelliges non egiſſe eum aduerſus illos figmentis aut mẽdacijs,ſed ipſiſsima rei veritate toti orbi confeſſa & notiſsima conuiciſſe eoſdẽ. Cuius etiã teſtis eſt Socrates eorundẽ temporum rerum eccleſiaſticarum ſcriptor diligentiſsimus, Antiochenæ illius ſynodi tragœdiam explicans, de qua ſcribit in hæc verba:

Socrates.

Conuenerunt, inquit, ad eam ſynodum ex ciuitatibus diuerſis epiſcopi nonaginta. Maximus autem Hieroſolymitanus Macharij ſucceſſor non adfuit, cogitans quoniam ei poſſet ſubrepi,vt in damnationẽ ſubſcriberet Athanaſij. Sed neque Iulius interfuit maximæ Romę præſul, neq; in locũ ſuum aliquem deſtinauit. Cũ vtiq; eccleſiaſtica regula iubeat,non oportere præter ſententiã Romani pontificis concilia celebrari. Hæc ille Socrates,nõ Romanus,ſed Gręcus ſcriptor. Quem vides non ignoraſſe eccleſiaſticas regulas iactatas ab illo Iulio,ſecundum quas non licet præter voluntatem aut ſententiã Rom. pontificis concilia celebrari. Quas nunquid ille in cõſpectu totius eccleſiæ de ſuo capite confinxiſſe credendus eſt Gręcus homo,quo Romani efferret autoritatem pontificis? Quod ſi quàm maxime ſtuduiſſet, nunquid adeo ignotæ erant eccleſiaſticæ regulæ,vt hæc de eis auderet fingere? C

Nota quam dicat eccleſiaſticam regulam.

Quod ſi inſuper perpendas, quid Stephano archiepiſcopo,in concilio Mauritaniæ præſidenti, & totius Aphricæ epiſcopis reſcripſerit B. Damaſus, nihil vtique dubitabis eccleſiaſticam illam regulam, cuius Socrates meminit, toti orbi fuiſſe notiſsimam. Ita enim ad illos omnes tertiæ partis totius orbis terrarum epiſcopos ſcribit tãtus pontifex,vt non alios eius regulæ teſtes citet, quàm & ipſorum omniũ, publicamq; totius eccleſiæ confeſsionem & ſententiam,atque ipſam rei euidentiam. Nam vt noſtis, inquit, ſynodum abſque huius ſedis autoritate facere,non eſt catholicum. Neque vnquam rata leguntur concilia, quæ non ſunt fulta apoſtolica autoritate. Hæc ille Damaſus totius Aphricæ epiſcopis. B. Auguſtinus epiſtola ad Optatum,quę numero eſt CLVII. teſtatur ex autoritate & mandato B. Zozimi Ro. põtificis, in Mauritan. Cęſarien. conueniſſe totius Aphricæ epiſcopos ad celebrandum concilium, cui ipſe interfuit. Quamuis, inquit, tuæ ſanctitatis nullas ad meipſum datas acceperim literas,tamen quia illæ,quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente venerunt,quo nos iniuncta nobis à venerabili papa Zozimo apoſtolicæ ſedis epiſcopo eccleſiaſtica neceſsitas traxerat,&c. D

Damaſus totius Aphricæ epiſcopis ſcribens, in autoritatis prædictæ teſtimonium eorundem, & totius orbis conſcientiam citat.

Sed quid verbis,teſtibuſq; opus eſt, vbi ipſa loquitur rei euidentia, ipſe totius orthodoxæ eccleſiæ conſenſus? In qua niſi impudenter mentiatur ille, nulla vnquam rata leguntur concilia, quæ non ſunt fulta autoritate ſedis apoſtolicę. Aut tu ſi potes, profer vllum ab initio concilium autoritatis legitimæ,& ab ab eccleſia recognitę, nõ ſolũ, cui huius ſedis reſtiterit autoritas: ſed etiam,quod abſque ea celebratum fuerit.

Ipſa rei euidentia, in cõcilijs loquitur autoritatis omnibus.

Nam quæ Nicenum præceſſere, non multa neq; vniuerſalia,ſed medij illius generis concilia, huius ſedis autoritate celebrata fuiſſe vniuerſa certũ eſt. Vt quę primo omniũ poſt illud apoſtolorũ cõciliũ beatiſsimi Victoris mãdato & iuſſu per diuerſas prouincias celebrata fuiſſe, ſupra memorauimus. Quo ex tot tãtorũq; epiſcoporũ diuerſiſsimis locis & prouincijs congregatorum collatione (qui literis ad ſe inuicẽ ſuã ꝓrogabant ſententiã) euidens fieret vniuerſis apoſtolicę legitimęq; inſtitutionis fuiſſe decretũ, ꝙ ſuper paſchali celebratione ediderat, cui ex antiqua,& quorundã apud ſe apoſtolorũ obſeruatione pertinaciſsime repugna-

In his quæ præceſſerunt Nicenum concilium.

A pugnabant pleræque per Aſiam eccleſiæ.
Inter quæ equidem concilia Cæſarienſe il-
lud celebratur præcipue, vt quod plurimis
maximeque inſignibus eccleſiarum enitu-
it antiſtitibus. Pręterea illud Antiochenum
aduerſus Paulum Samoſatenum, quod ex
huius ſedis autoritate peractum, celebra-
tumq́ue docet Aureliani imperatoris re-
ſcriptum, cuius Euſebius meminit. Nam
cum idem Paulus poſt ſynodale iudicium,
& prolatam in ſe damnationis ſententiam,
atque ordinatum in eius locum Dominum
epiſcopũ, vi manuq́;, tam eccleſiam, quàm
eccleſiaſticam, epiſcopalemq́ue domum re-
tinere conaretur, nec tantorum epiſcopo-
rum autoritati cederet, interpellatus ea de
re à ſuis Aurelianus imperator, quanuis eth
nicus, religioſe ſatis, ſapienterq́ue reſpon-
dit, eccleſię domum illi tradi debere, quem
probarent Italiæ ſacerdotes, maxime au-
tem Romanus epiſcopus. Ita, inquit, præ-
dictus Paulus ad cætera mala etiam hoc
dedecoris acquiſiuit, vt manu publica de
eccleſia pelleretur.

In vniuerſalibus à Niceno facto initio.

Vniuerſalia autem concilia omnia, non
ſolum huius ſedis autoritate congregata &
peracta, ſed etiam eiuſdem ſedis, aut ponti-
B fices, aut legatos eidem pręfuiſſe inuenies,
qui primi cauſas proponerent, primi profer
rent ſententiã: breuiter, primi principaleſ-
q́ue eſſent in omnibus. Itaque in primo illo
omnium ſacratiſsimo Niceno concilio ad-
uerſus Arriũ conſubſtantialem patri negan
tem filiũ, ſed indigna deo blaſphemantem,
Victor & Vincentius Romanę eccleſię pre-
sbyteri, & Oſius Cordubenſis epiſcopus,
apoſtolicæ ſedis legati pro B. Sylueſtro in-
terſuerunt, vt vniuerſa teſtatur antiquitas,

Conſtantinopolitano 1.

Ita quoque Conſtantinopolitani primi ad-
uerſus Macedonium ſpiritus ſancti deita-
tem negantem, ſed dominantẽ conſeruum
blaſphemantem, B. Damaſus autor extitit,
orthodoxæ fidei adamans, vt de eo veriſsi-
me aſfirmauit VI. ſynodus, etiam Conſtan-
tinopoli B. Agathonis autoritate congrega
ta, in ſermone proſphonetico ad Conſtan-
tinum imperatorem. Cuius, inquiunt, ſoli-
diſsimam mentem aggreſsiones & confli-
ctus alienarum ſectarum nullatenus ſaucia-
runt. Eodem tenore aduerſus Neſtorium
impie bipartientem Chriſtum in duas per-
ſonas, nec dei etiam, ſed hominis tantum ge
nitricem, ſacratiſsimam virginem affirman

Epheſino.

tem B. Celeſtini in Epheſino concilio vi-
guit autoritas. In quo B. Cyrillum Alexan-
drinum epiſcopum ſuum conſtituiſſe vica-
rium, & ligandi ſoluendiq́; autoritatem per
vniuerſum Orientem ei demãdaſſe B. Pro- C
ſper Reginen. epiſcopus, eorundem tempo
rum ſcriptor teſtis eſt. Sanctus item Libera-
tus Carthaginen. eccleſiæ regionis VII. ar-
chidiaconus in Breuiario, quo vniuerſam
Neſtorianorum, Eutichianorumq́; cauſam
actioneſq́; Chalcedonenſis concilij breui-
ter complexus eſt. Nec minus ipſius Cyril-
li & totius ſynodi epiſtola: Per hũc (de Ce-
leſtino loquens inquit ille Proſper) etiam
Orientales eccleſiæ gemina peſte purgatæ
ſunt, quando Cyrillo Alexandrino antiſti-
ti, glorioſiſs. fidei defenſori, apoſtolico per
Orientem auxiliatus eſt gladio.

Proſper de B. Celeſtino.

De eodem ita ſcribit Liberatus ille in
dicto ſuo Breuiario: Cum ob Neſtorij noua
impiaque dogmata, tumultuaretur non ſo-
lum Conſtantinopolitana, cui præſidebat
eccleſia, ſed Oriens penè vniuerſus, beatus
Cyrillus Alexandrinus antiſtes, qui præci-
pue illius ſe impietati obiecit, per Poſsido-
nium diaconum ſuum de eo retulit papæ
Celeſtino, & quid Conſtantinopoli agere-
tur, illi per epiſtolã ſignificauit. Cuius con-
ſenſu atq; autoritate, Theodoſij imperato-
ris inſtantia & opera, quum deinceps ean-
dem ob cauſam congregaretur ſacerdotale
concilium apud Epheſum, idem inquit, Ce
leſtinus papa miſit increpationis epiſtolam D
ad Neſtorium cum exhortatione & vitupe-
ratione, quoniam aberrare non debuerat à
ſua & apoſtolicæ ſedis ordinatione. Cuius
epiſtolæ eſt initium. (Aliquantis diebus vi-
tæ noſtræ.) Tribuens ac præfigens eidem
decem dierum ſpacium computandum à
prima die acceptionis epiſtolæ, vt ſi idem
minime emendaret interim ſuas prauas ex-
poſitiones, prauamq́; ſententiam, & reuoca
ret ad eccleſiam Conſtantinopolitanã, qui
ob defenſionem orthodoxę fidei ab eo ex-
pulſi fuerant, cognoſceret ſe ab eius colle-
gio, & omnium ſanctorum epiſcoporũ con-
ſortio eſſe ſeparatum. Inſinuans quoq; illi,
commiſiſſe ſe vices ſuas in cõcilio Cyrillo
per epiſtolam ſuam, cuius eſt initium: Tri-
ſtitiæ noſtræ ſanctitatis veſtræ literæ. Qua
equidem epiſtola Cyrillum, & de priori à ſe
ſcripta ad Neſtoriũ eiuſq́; ſentẽtia certiorẽ
reddidit, & eundem admonuit, vt ſi per
illos decem dies, quos pro canonicæ moni-
tionis & peremptorio termino illi aſsigna-
uerat, doctrinã ſuam non emendaſſet, diſpo
neret eum à communi corpore remouen-
dum, & de alio epiſcopo prouidendũ Con
ſtantinopolitanæ eccleſiæ. Eadem de re pa-
riter ſcripſit Ioanni Antiocheno, Ruſo
Theſſalonicẽſi, Iuuenali Hieroſolymitano,

Celeſtinus Cyrillo ſuas vices commiſit in cõcilio.

& Fla-

A & Flauiano Philippenſi archiepiſcopis. Scripſit ad clerum Conſtantinopolitanum, admonens eos, contra doctrinam Neſtorij fortiter ſtare, eiuſque perſequutiones patienter ferre, vt quæ fructus afferrent coronarum: ſcientes ab eo excommunicatos vel deiectos manere in communione ſedis apoſtolicæ. Hæc fere ille Liberatus in dicto ſuo Breuiario de Celeſtino atq; illo Epheſino concilio, vt in eo ſuas vices Cyrillo cõmiſerit, vtque concilij ſententiam præceſſerit ſedis apoſtolicæ in prædictum Neſtorium damnationis ſententia.

In Chalcedonenſi concilio eandem rei euidentiam demonſtrari.

Eodem tenore, cum mortuo Theodoſio iuniore Archadij filio & illius maioris nepote, ſub quo ſcandalum illud ſecundi Epheſini concilij, Dioſcori Alexandrini ſtudio & opera acciderat, cui etiã patrocinabatur omnibus viribus, ad idem abolendum Martiani Chriſtianiſsimi principis, mox vt inauguratus fuerat imperio, vna cum beatiſsimi Leonis papæ aduigilante diligentia, in Nicea ſecundo conuocatum eſſet vniuerſale concilium, in quo congregati erant D.C.XXX. epiſcopi, beati Leonis papæ & apoſtolicæ ſedis legati Paſchaſinus & Lucentius epiſcopi, Bonifacius & Baſilius presbyteri, recuſarunt intereſſe concilio, niſi B in eodem princeps ipſe Martianus ſui præſentiam exhiberet, verentes videlicet, ne quid (vt in illo Epheſino factum fuerat) per ſeditionem & tumultum ageretur à Dioſcoro & eius complicibus. Quod cum rogaretur religioſiſsimus princeps ab eiſdem legatis & concilio, quo eorum petitioni ſatisfaceret, & ſibi rebuſque ſuis & imperij minus incommodaret, ſynodũ Chalcedonam transferri curauit: quo ſic ad cõcilium commodius, & minore rerum nouarum periculo è proxima Conſtantinopoli poſſet venire, & eidem intereſſe: vbi deinceps celeberrima illa Chalcedonenſis ſynodus, præſidentibus in eadem prædictis apoſtolicæ ſedis legatis, peracta eſt. Ita & in alijs omnibus receptę autoritatis concilijs factum, eorundem tibi acta teſtificabũtur. Quemadmodum etiam omnia abſque huius ſedis autoritate, neq; tunc, neq; in poſterum vllam autoritatem inueniſſe in catholica Chriſti eccleſia, ſed ſedis eiuſdem in ſe accepiſſe cenſuram, abſolutis, reſtitutiſque damnatis à temerarijs concilijs, & vice verſa in præſumptionis autores cõuerſa damnationis ſententia: vt de illis quę in Tyro & Antiochia, autore Euſebio Nicomedienſi aduerſus Athanaſium Alexandrinum, & alios pleroſque celebrata ſuperius

commemorauimus. Quę quanuis frequen- C tiſsima ac celeberrima, vnius Iulij Romani pontificis deiecit autoritas, & Athanaſium, cæteroſque ab eis damnatos reſtituit, & in ipſos damnatores damnationis ꝓtulit ſententiam. Approbante, recognoſcenteq; legitimum & iuſtum eius iudicium, vniuerſa Chriſti eccleſia. Ita & Ariminenſe à Damaſo, Epheſinum illud ſecundum à B. Leone deiecta fuere, reſtituto Flauiano, quem damnauerat impia ſynodus, & contra, damnato Dioſcoro, qui illi concilio præuaricationis autor extiterat. Eodem quoque tenore irritam reddidit beatus Innocentius Orientalium epiſcoporum ſynodum aduerſus B. Ioannem Conſtantinopolitanũ epiſcopum, cognomento Chryſoſtomum, & eius autores excommunicationi ſubiecit omnium fermè principalium totius Orientis ſedium epiſcopos. Quos non niſi poſt condignam ſatisfactionem, eccleſiaſticæ communioni reſtituit: Quemadmodum de Alexandro Antiocheno, & Attico Conſtantinopolitano epiſcopis, ex eiuſdem literis ſupra audiuiſti ad Bonifacium presbyterum & Maximianum.

D

Conſtantinopolitanum ſub Ioanne qui ſe ſaciebat œcumenicum.

In eundem modum, altero Ioanne Conſtantinopolitano epiſcopo œcumenicum ſe iactante & ſcribente, & vniuerſalem (vt prætendebat) ſynodum ex totius Orientis epiſcopis congregante Conſtantinopolim, quos præcipue attraxerat imperialis fauor & autoritas, illicitis Ioannis ſtudijs fauens & conſentiens, Pelagius ſecundus, Romanus pontifex, magni illius Gregorij prædeceſſor, directis epiſtolis, ex autoritate beati Petri, eiuſdem acta deduxit in irritum, & illorum, qui conuenerant, temeritatem redarguit, quod abſque apoſtolicæ ſedis ſententia & cõſenſu tentaſſent celebrare concilia, ad eoſdem ſcribens in hæc verba: Dilectiſsimis fratribus, vniuerſis epiſcopis, qui illicita vocatione Ioannis epiſcopi Conſtantinopolitani ad ſynodum Conſtantinopolim conuenerunt, Pelagius:

Pelagij ad episcopos, qui illo conuenerant epiſtola.

Manifeſto, ſicut optauimus, per gratiam dei lumine euangelicæ veritatis ab vniuerſali eccleſia perniciosiſsimi erroris nocte depulſa, ineffabiliter gaudemus in domino. Non modico tamen contriſtamur mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata ita, vt nunquam fieri deberent, rediuiuis radicibus germinant ac pullulant. Sed quoniam multa, quæ pœnitudinem generare poſſunt, ſubinde proueniunt, neceſſe eſt accuſare, quæ contra ordinem & omnem autoritatem facta noſcuntur.

A ſcũtur. Vnde fratres, relicta penit⁹ audacia, quæ cõtra apoſtolicam ſedẽ, contra ipſam domini ſaluatoris vocem, qua dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiam meam, ſumpta eſt diſputandi cõtra domini præcepta, vana errantium corda conquieſcant, nec liceat defendi, quod non liceat agere. Relatũ eſt ergo ad ſedem apoſtolicam, Ioannem Conſtantinopolitanum epiſcopum, vniuerſalem ſe ſubſcribere, voſque ex hac præſumptione ad ſynodum conuocaſſe generalem. Cum generalium ſynodorum conuocandarum autoritas, apoſtolicæ ſedi, beati Petri ſingulari priuilegio ſit tradita. Et nulla vnquam ſynodus rata legatur, quæ apoſtolica autoritate fulta non fuerit. Quapropter quicquid in prædicto veſtro conuenticulo (quia ſynodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis, ex autoritate ſancti Petri Apoſtolorũ principis, & domini ſaluatoris voce, qua beato Petro poteſtatem ligandi atq; ſoluendi ipſe ſaluator dedit (quæ etiam poteſtas in ſucceſſores eius indubitanter tranſiuit) præcipio omnia quæ ibi ſtatuiſtis, & caſſa & vana eſſe, ita vt deinceps nunquam appareant, aut ventilentur. Ait enim ipſe ſaluator

D beato Petro: Quæcunq; ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Multis deniq; apoſtolicis, & canonicis, atq; eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſq; ſententia Romani pontificis concilia celebrari. Quapropter, vt iam dictũ eſt recte, non concilium, ſed veſtrum conuenticulum, ſeu conciliabulum caſſatur, ita vt quicquid in eo actum eſt, irritũ habeatur & vacuum. Vos quoq; deinceps videte, vt nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ ſedis communione carere non vultis. Modo vero ideo ſuſpenditur vltio, vt locum poſsit habere correctio. Prædeceſſores vero Ioannis, & ipſe Ioannes, non ſemel, ſed ſæpiſsime epiſtolas atq; libellos propria manu ſubſcriptos ſanctis anteceſſoribus noſtris miſerunt, quibus coram domino proteſtati ſunt, nihil vnquam proterue contra apoſtolicam ſedem agere, nec de illius aut aliorũ priuilegijs quicquam vſurpare. Qui hactenus in Archiuijs Romanæ eccleſiæ ſub ſigillis & chirographis eorũ habentur integri. In ipſis autem libellis vel epiſtolis anathematis vinculo ſe & ſucceſſores ſuos cõſtrinxerunt, ſi vnquam aliquid contra eos præſumpſiſſent, aut contra apoſtolicã, aut vllius alterius epiſcopi ſedem quicquam aduerſi quoquo modo eſſent moliti. Idcirco eos non eſt neceſſe excommunicare aut anathematizare, quia ipſi anathematis vinculo proprijs manibus profeſsiones ſuas, ſuaque ſcripta roboranda conſtrinxerunt. Hæc ille Pelagius.

Audis itaque & clariſsime intelligis ex his omnibus, ad cuius autoritatem pertineat generalium conciliorum conuocatio. Audis, vt quicquid præter huius ſedis conſenſum, autoritatemque præſumptum extitit, eiuſdem autoritate deiectum fuerit.

Nihil eſt, quod facto vſurpata, non autem iure facta hæc quiſquam calumnietur à ſede apoſtolica. Ius enim etiam diuinum & euangelicum clariſsime demonſtrauimus. Ad orthodoxæ autem & catholicę per orbem eccleſiæ ſententiam ſi reſpexeris, certo cognoſces (quamuis pro iure nihil afferremus aliud) indubitato ſuo, optimoque iure, apoſtolicam ſedem hanc autoritatem exercuiſſe ſuper concilia vniuerſa. Nam certum eſt catholicam Chriſti eccleſiam nullum prædictorum conciliorum recognoſcere pro legitimo, quibus apoſtolicæ ſedis reſtitit autoritas, quin execrari potius tanquam Satanæ concilia.

D *Non ſolum conuocationem conciliorum extraordinariorum, hoc eſt, vniuerſalium & medij generis: ſed etiam omnia acta ſynodalia autoritati apoſtolicæ ſedis penitus ſubeſſe, & ab eadem prorſus dependere, ex actis, recognitioneque quatuor primorum conciliorum vniuerſalium demonſtrare.*

CAP. IX.

NON eſt quod quiſquam fortè aut dicat aut exiſtimet, vniuerſalia medijque generis concilia, quo ad conuocationem tantum ſubeſſe autoritati ſedis apoſtolicæ: non autem, quo ad actiones, decreta, definitioneſque eorundẽ, poſtquã ſemel legitime congregata ſunt. Quin potius, ſi ad illa, quę pręmiſimus certiſsima, irrefragabiliterq; demonſtrata principia reſpexeris, cõtra magis inuenies. Quanuis enim conciliorũ eiuſmodi conuocatio ad præſidentiũ in eccleſiaſtica hierarchia (vt ſuperiori capite audiuiſti) autoritatem pertineat, atteſtantibus hoc, non ſolum apoſtolicis, ſed & Niceni concilij canonibus, & totius orthodoxæ eccleſiæ confeſsione & conſenſu: magis tamen hoc ad actiones conciliares pertinere, eaſq; in primis huius ſedis autoritate

Multo magis omnem conciliorum actionem quam conuocationẽ dependere ab autoritate ſedis apoſtolicæ.

A ſultas eſſe oportere, indubitatum eſt. Propter illas enim eſt conciliorum congregatio: propter illas quoq;, aut ſolum, aut præcipue, quod concilijs eiuſmodi adeſſe debeat apoſtolicæ ſedis autoritas. Nam fieri poteſt, & facta fortaſsis eſt nonnunquam, epiſcoporum congregatio zelo Chriſtianorum principum, etiam præueniente iuſsionem autoritatemq́; ſedis apoſtolicæ, quanuis non ſecundū ſcientiam, quanuis non ita oporteat. Quemadmodū teſtati ſunt ſancti patres, quos Romam euocauerat Theodorici regis autoritas, vt in venerabili concilio iudicarent de his, quæ Symmacho papæ obijciebantur à ſuis aduerſarijs. Regi enim reſponderunt ipſum, qui dicebatur impetitus, ſynodum cōuocare oportere. Quippe quòd eius ſedi primum beati Petri meritum, deinde ſequuta iuſsionem domini venerandorum conciliorum autoritas, ſingularem illam in eccleſijs tradidiſſet poteſtatem. Ad quę cum princeps ipſum quoque papam in ſynodo colligenda voluntatem ſuam literis demonſtraſſe ſignificaret, non ante conuenire conſenſerunt, quā de literis eiuſdē pōtificis redderentur certiores. Vtcunq; tamē & qualitercunq; cōgregatis ex

B vniuerſali eccleſia epiſcopis, accedente huius ſedis autoritate, poteſt legitimum fieri concilium. Vt autē quomodocunq; & quacunq; autoritate congregatū, quicquam agat legitime, quicquā decernat, quicquam definiat præter huius ſedis autoritatē, planè fieri non poteſt. Petro enim ſucceſſoribuſq́; eius (vt ſupra demonſtrauimus) commiſſa eſt cura gubernatioq́; vniuerſalis eccleſiæ. Vni illi impetratū oratione Chriſti indefectibilis fidei priuilegiū. Ad eius autoritatem confirmationemq́; miſsi a Chriſto fratres, quoties oborta eſſet circa fidem inter nos hæſitatio. Vni apoſtolorum omnium data magnifica illa poteſtas alligandi & ſoluendi, ipſæ denique claues regni cœlorum. Quare & vnius illius ſucceſſorumq́ue autoritati, & epiſcoporum iudicia, & omnes maiores grauioreſq́ue eccleſiæ cauſas ſingulariter reſeruatas, tam apoſtolicis ab initio, quàm Niceni concilij canonibus euidentiſsime demonſtratum eſt. Non ſunt autem niſi maiores eccleſiæ cauſæ agendæ tractandæq́; in concilijs vniuerſalibus. Manifeſtum igitur, ſine Romani pontificis autoritate nihil agi, decerni, definirique poſſe ab vniuerſalibus concilijs.

Ad Petri autoritatem pertinentia.

Quorum omnium ſi percurras acta & hiſtoriam, ipſa rei euidentia effectibuſq́ue, & totius eccleſię confeſsione recognitioneq́; hæc cōprobari inuenies, videlicet nō ſolū peracta huius ſedis autoritate omnia in cōcilijs vniuerſalibus omnibus, ſed etiā, quanuis per legatos ſuos ipſis interfuiſſent ac præfuiſſent Romani pontifices, relata nihilo minus ad ipſam proprie cathedram Petri, ab ea robur & autoritatem ſuam prorſus expectando. Quod in primis illis quatuor primæ notæ concilijs, quibus haud ſecus quàm quatuor euangelijs beatus ille Gregorius ſe credere profeſſus eſt, explicare conabimur, à Niceno omnium primo facientes exordium. C

In Niceno concilio.

Quanuis autem actorum Niceni concilij extent quàm paucíſsima, cuius cauſam ſupra cap. VII. explicauimus: extat tamen adhuc eius ad beatum Syluestrum epiſtola, quam vna cum actis decretiſq; ſynodalibus vniuerſis miſerunt, vt eius autoritate proprie confirmarentur, quanuis eius legati etiam præfuiſſent concilio. Eſt autem ſcripta in hæc verba: Beatiſsimo papæ vrbis Romę Syluestro Oſius Corduben. epiſcopus prouinciæ Hiſpaniæ, Victor & Vincentius presbyteri vrbis Romæ, & cæteri epiſcopi CCCXVIII. ſalutē in domino. Quoniam omnis corroborata eſt diuinis miniſterijs eccleſiaſtica vtilitas, & ea quæ ad robur pertinent ſanctæ eccleſiæ catholicæ, ad ſedem tuam Romanam explanata de Græco in Latinum geſta ſancti concilij ſcribimus. Itaq; cenſeat veſtra gloria, in veſtræ apoſtolicæ vrbis ſinu epiſcoporum vobiſcum habere concilium, ſicut decet, vt firmet veſtra ſanctimonia gradus pręfixos, vel textus ordinationis noſtræ. Quoniam quicquid conſtituimus in hoc Niceno concilio, precamur vt veſtri oris cōſortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro concilio vniuerſo. Datum VIII. Calendas Sep. Paulino & Iuliano conſſ. Audis itaq; tantum concilium retuliſſe acta ſua ad autoritatem ſedis apoſtolicæ, ab ea adhuc corroborari illa poſtulantes, quanuis præſentes ſecum conſentienteſq́; habuiſſet eiuſdē ſedis legatos. Hoc nimirum eſt illud, quod innuit & ſignificat Iſidorus in præfatione Niceni concilij, dicens nonnullos in eodem concilio editos canones aut regulas, quas inquit, Romana ſuſcipiens confirmauit eccleſia: volens nos intelligere omne eorum robur, omnem efficaciam obligandi inde pendere. De autoritate eiuſdem, quam in beato Petro accepit, ſubijciens ea, quæ libro ſuperiore prolixius citauimus.

Epiſtola Niceni concilij ad B. Syluestrū.

D

Confirmationem petunt actorum ſuorum à Rom. pontifice.

Conſtantinopolitana autem prima ſynodus, quæ Nicenam ſubſequitur, quidnam

In Conſtantinopolitana prima.

A nſm egit alind, quàm quod ex vniuerſa Chriſti eccleſia cõuenientes epiſcopi probarent, ſequerenturq́; ſententiam Damaſi in Macedoninm, Sabellinm & Eunomium? Siquidem iam dudum ante celebratum illud conciliũ illos cum ſacerdotali concilio, qnod ſecum Romæ habnerat, anathemizauerat cum impijs ſuis adinuentionibus: quemadmodum teſtatur eiuſdem ad Paulinum Theſſalonicenſem epiſcopũ, apoſtolicę ſedis in partibus Orientis legatum epiſtola, qua illi præcepit ſuam in illos cenſuram & ſententiam publicari per Orientis eccleſias. Quam vt iuſtam orthodoxamque omnes intelligerent, iurauit Conſtantinopoli celebrari vniuerſale concilium.

Damaſi in eo dẽ autoritas.

Idem autoritate ſua Nicenam fidẽ tutatus eſt, aduerſus eam cõfeſsionem fidei, quę in Ariminenſi etiam vniuerſali & frequentiſsimo concilio, Orientalium fraude circumuentis Occidẽtalium partium orthodoxæ alioqui fidei epiſcopis, dicta ta & promnlgata fuerat, ſi modo hoc vniuerſale dicendum eſt, quod imperatoris inſtantia, conuocatis ex vniuerſa eccleſia, connenientibuſque epiſcopis, ob vniuerſalis eccleſiæ cauſam celebratum eſt. Qua
B de re ſcribens epiſcopis per Illyricum, oſtendenſque nullius autoritatis fuiſſe definitionem illius concilij, hanc maxime cauſam adfert, quòd Romanus pontifex illi nequaquam præbuit conſenſum. Neq; enim, inquit, præiudicium aliqnod fieri potuit per numerum in Arimino congregatum, quando conſtat neq; Romanum epiſcopum, cuius ante omnia decebat eos expectare decretũ, talibus præbuiſſe conſenſum.

Vnius eiuſdẽ autoritas Ariminenſi vniuerſali concilio reſtitit.

Damnatam à B. Celeſtino Neſtorij im pietatem, prius quàm Epheſinũ celebraretur concilium, pręfixum illi ab eodem decem dierum terminum à die receptionis literarum ſuarum, intra quem niſi ſe expurgaſſet ab omni hæreticæ prauitatis ſuſpicione, partem eſſet accepturus cum hæreticis, teſtantur eiuſdem Celeſtini, tã ad Neſtorinm, quàm ad Cyrillum Alexandrinum, alioſq́; huius etiam ad eundem Neſtoriũ epiſtolæ, acta quoq; Chalcedonenſis ſynodi, in qnibus vniuerſa ea repetita eſt tragœdia. Præterea ſupplicationis libellus (quem poſt audies) cleri totius Orientis Iuſtiniano imperatori porrectus aduerſus Anthemium, Petrum & Seuerũ hæreticos, quem idem imperator remiſit ad diſcuſsionem quintæ vniuerſalis ſynodi. Poſtremo & beati illius Liberati Carthaginenſis Breuiarium, cuius ea de re teſtimonium capite ſuperioi adſcipſimus. C Cum autem præſatus Neſtorius intra præſtitutum ſibi terminum non occurriſſet obedire mãdatis ſedis apoſtolicę, nec ſe expurgaſſet à prauitate dogmatis, quod aſſerere illum docereq́; conſtabat, cõfirmauit in illum anathematis ſententiam. Tametſi imperat. Theodoſio & Valentiniano, exiſtimantibus ad ſedandos ea de re exortos per Orientem tumultus, opus eſſe vniuerſali ſacerdotnm ſynodo, conſenſerit, vt Epheſinum conuocaretur & celebraretur concilium, commiſsis ſuæ in eodem autoritatis vicibus præfato Cyrillo Alexãdrino. Non equidem, vt in eo in quęſtionem & dubium reuocaretur apoſtolicę ſedis in ſæpe dictum Neſtorium, impiaque eius dogmata, iudicium & damnationis ſententia: ſed magis quo clare conſtaret vniuerſæ Chriſti eccleſiæ, iuſtam ſe in illum ꝓtuliſſe damnationis ſententiam, & dogmatis eius impietatem abſq; vlla hæſitatione ſecum execraretur.

In Epheſino I aduerſus Neſtoriũ B. Celeſtini autoritas.

Euticetis blaſphemiam Chriſti humanitatem negantem, beatiſsimus Leo apoſtolico mucrone confoderat, ſcripta aduerſus eandem pulcherrima illa Chriſtianiſsimaque ad B. Flauianum Conſtantinopolitanum epiſtola, qua incarnationis D verbi myſterium doctiſsime, atque ad viuum explicat, ſimul miſsis Iuliano epiſcopo & Renato presbytero tituli ſancti Clementis, nec non Hilario diacono apoſtolicæ ſedis legatis, qui exortos ex ea cauſa per Oriẽtem tumultus, apoſtolicę moderationis autoritate componerent. Sed cum iam longius latiuſque ſparſum eſſet venenũ, & altius receptum à multis, quã vt facile poſſet extirpari, magna Orientis parte ea labe infecta, Theodoſio imperatori viſum eſt adhuc adhibere concilij vniuerſalis remedium. Cui conſenſum ſuum præbens, & autoritatem adiungens idem beatiſsimus pontifex, eiſdem illis ſuis, quos Conſtantinopolim miſerat, legatis mandauit vice ſua præeſſe cõcilio. Cui etiam formam eorum, quæ agere & definire deberet, tam circa Euticetis errorẽ, quàm erga errantem ipſum corrigẽdum præſcripſit, vt eiuſdem teſtatur epiſtola, quam ad idem concilium ſcripſit in hæc verba:

In Epheſino II. B. Leonis autoritas.

Leo epiſcopus ſanctæ ſynodo qnæ apud Epheſum conuenit. Religioſa excellen-

Epiſtola Leonis ad Epheſinam II. ſynodum.

A tiſsimi principis fides, ſciens ad ſuam gloriam maximè pertinere, ſi intra catholicam eccleſiam nullius erroris germē exurgeret, hanc reuerentiam diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis effectum, autoritatem Apoſtolicæ ſedis adhiberet, tanquam ab ipſo beatiſsimo Petro cuperet declarari, quid in eius confeſſione laudatum ſit, quando dicente domino, quem me eſſe dicunt homines filium hominis: varias quidem diuerſorum opiniones diſcipuli memorarunt, ſed cum ab eis quid ipſi crederent quæreretur, princeps Apoſtolorum plenitudinē fidei breui ſermone cōplexus: Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei viui: hoc eſt, tu qui es vere filius hominis, idem vere es filius Dei viui: Tu, inquam, verus in deitate, verus in carne, & ſalua geminæ proprietate naturæ, vtrunque vnus. Quod ſi Eutices intelligeret & veraciter crederet, nequaquam ab huius ſidei tramite deuiaret, propter quam ei reſpondetur à domino: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Nimis autem à

B compage huius ædificationis alienus eſt, qui beati Petri confeſsionem non capit, & Chriſti euangelio contradicit, &c. Præſcribens deinde formam agendorum in ſynodo, ita fieri decreuit. Vt primitus peſtifero errore damnato, etiam de ipſius, qui imprudenter errauit, reſtitutione tractetur, ſi tamen doctrinam veritatis amplectens, ſenſus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plane, aperteq́; propria voce & ſubſcriptione damnauerit. Quod etiam in libello, quem ad nos miſerat, eſt profeſſus, ſpondens per omnia noſtram ſe eſſe ſequuturum ſententiam, &c. At præuaricāte illo concilio autore Dioſcoro Alexandrino, & apoſtolicę ſedis ſententię mandatiſq́; tam de Euticete, quàm eius perfidia non obtemperante, ſed contra è diametro agente omnia, damnata videlicet vna cum beato Flauiano Conſtantinopolitano antiſtite, orthodoxa veritate, abſoluto autem Euticete hæretico. Idē beatus Leo impiam ſynodum ſua autoritate deiecit, & vna cum Euticete Dioſcorum anathematis mucrone confodit, & quotquot illi conſenſerunt, excommunicationi ſubiecit, damnatumq́; ab illis B. Flauianum abſoluit ac reſtituit. Cuius tragœdiæ hiſtoriam, variæ eiuſdem Leonis

epiſtolæ comprobant. C

Clero itaq́;, honoratis, & plebi Conſtantinopolitanæ ſcribens, præcipit ne quem alium quàm Flauianum pro epiſcopo agnoſcant aut recipiant. Quiſquis enim, inquit, incolumi & ſuperſtite Flauiano epiſcopo veſtro, eius ſacerdotium fuerit auſus inuadere, nunquam in communione noſtra habebitur.

Quoniam autem poſt prædictam Rom. pontificis aduerſus impium illud concilium cenſuram, multi qui Dioſcoro conſenſerant epiſcopi, vna cum illo ab eccleſiaſtica communione ſeparati, ad cor reuertentes, & ſuam culpā humiliter agnoſcentes ad matris eccleſię gremium recurrerunt, & apoſtolicæ ſedi, eccleſiaſticæq́; hierarchiæ capiti reconciliari petierunt, errati ſui veniam poſtulantes. Super reconciliandis eiuſmodi, Lucentio epiſcopo, & Baſilio presbytero, ſuis per Orientem legatis, vna cum Anatholio in locum demortui iamdudum B. Flauiani epiſcopi, ſuffecto Conſtantinopolitano epiſcopo ſuas vices commiſit. Qua de re ad Martianum Auguſtum, qui ſucceſsit Theodoſio, ſcribit in hæc verba inter cætera. D

Pœnitentia multorum qui in dicto concilio præuaricati fuerant.

Nam cum fratris mei Anatholij ſcriptis & noſtrorum ſermone cognouerim, multos de his qui apud Epheſum Dioſcori factione cōpulſi, deteſtabilibus ſtatutis pœnitendum præbuere conſenſum, inconſtantiæ veniam poſtulare, & communionem catholicam per ſatisfactionem correctionis expetere, non fuit talium negligenda conuerſio, qui non proprio ſenſu, ſed impij præſumptoris impulſu in hæc incidiſſe noſcuntur, in quibus liberum nō habuerunt iudicium. Ne itaq; reſipiſcentium deſideria mora longior fatigaret, vel incurioſa facilitas temere aliquos, & ſine diſcretione ſuſciperet, iniunctum eſt ab apoſtolica ſede directis, vt in conſortium ſuæ deliberationis accito Conſtantinopolitanæ vrbis antiſtite, & peſtilentiæ contagia nō admittantur, & ſanitatis remedia non negentur. Hęc ille ad Martianum. Illis autem, quibus ſuæ autoritatis hac in re vices commiſerat, hanc quoque præſcripſit regulam (quod reſtatur eius ad Anatholium quędam epiſtola) vt quicunq; in illa ſynodo (quæ nomen ſynodi nec habere potuit, nec meretur, & in qua vt eiuſdem verbis dicam, maleuolēriam ſuam Dioſcorus, imperitiam autem Iuuenalis oſtendit) dolerent ſe metu victos, & terrore ſuperatos ad conſenſum ſceleſtiſſimi

Leo ad Martianum.

Quam legatis ſuis ſuper reconciliandis regulam præſcripſerit.

A ſimi iudicij potuiſſe compelli, & communionem catholicam obtinere deſiderant, ſatisfactioni eorum pax fraterna præſtetur, ita vt non dubijs profeſsionibus Euticetem cum ſuo dogmate, cumque conſortibus ſuis, anathematis execratione condemnēt. De his autem, qui in hac cauſa grauius peccauere, & ob hoc ſuperiorem locum in eadem infelici ſynodo vendicarũt, vt humiliorum fratrum ſimplicitatem arrogantiæ ſuæ præiudicijs aggrauarent, ſi forte reſipiſcant, & à facti ſui defenſione ceſſantes, in cõdemnationem proprij conuertantur erroris, horùm ſi ſatisſactio talis accedat, quæ non refutanda videatur, maturioribus apoſtolicæ ſedis conſilijs reſeruetur, vt ęſtimatis omnibus atq; perpenſis, de ipſis eorum agnitionibus quid conſtitui debeat, æſtimetur. Nec prius in eccleſia cui te dominus voluit præſidere (Conſtantinopolitano epiſcopo loquitur) cuiuſquam talium nomen ad altare recitetur, quàm quid de eis conſtitui debeat, rerum proceſſus oſtendat, &c. Hæc ille Leo ad Anatholium.

Nota hoſtis autoritatis ſedis apoſtolicæ.

Rurſus, cum pro Orientalis eccleſię pace Chriſtianiſsimo principi Martiano placeret apud Niceam ſecundo vniuerſale B ſacerdotum concilium celebrari, quod poſtea ad maiorem commoditatem imperialis præſentiæ quæ expetebatur ab apoſtolicæ ſedis legatis Chalcedonam tranſlatum extitit, apud eundem beatiſsimum Leonem, idem Chriſtianiſsimus princeps inſtitit vt congregando concilio, ſuo conſenſu & autoritate adeſſe dignaretur. Qui pio & religioſo eius zelo obſequens, miſsis legatis ſuis ad concilium, etiam normam orthodoxę fidei & regulam agendorum omnium eidem præſcripſit, hanc videlicet: Ne de Euticetis iamdudum apoſtolicæ ſedis autoritate damnatis erroribus diſputaretur amplius: ſed eam quæ tã in ſuis ad beatũ Flauianum, quàm in beati Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis plenius explicata erat, fidem abſque vlteriori diſcuſsione ſimpliciter amplecterentur. Nimis enim iniquum eſt (inquit in quadam ad Martianum Auguſtum epiſtola) vt per paucorum inſipientiam ad coniecturas opinionum & bella reuocemur, tanquam reparata diſceptatione tractandum ſit, vtrum Eutices impie ſenſerit, & vtrum impie Dioſcorus iudicauerit, qui in S. memoriæ Flauiani condemnatione ſe perculit, & ſimpliciores quoſque, vt in eandem impellerentur ruinam, impegit. Quorum multis iam ad ſatisfactionis remedia conuerſis, & veniam de incon C ſtanti trepidatione poſcentibus, non cuiuſmodi ſit fides tractandum eſt, ſed eorum precibus qualiter annuendum. Et hęc quidem ille ea de re ad Martianum. De eadem quoque ad Pulcheriam Auguſtam ſcribens: Binos, inquit, de coepiſcopis meis & compresbyteris ordinaui, qui vicem meam implere ſufficerent, datis ad venerabilem ſynodum congruentibus ſcriptis, quibus fraternitas aduocata cognoſceret, quam formam ſeruare in hac iudicatione deberet, nec vlla temeritas, aut fidei aut canonum ſtatutis aut benignitatis remedijs obniaret. Hæc ad Auguſtam. Ad ſynodum vero ipſam ſcribit in hæc verba: Leo ſanctæ ſynodo apud Chalcedonam conſtitutæ. Optaueram quidem dilectiſsimi pro noſtri charitate collegij, omnes domini ſacerdotes in vna catholicæ fidei deuotione perſiſtere, nec quenquam gratia aut formidine poteſtatum ſecularium deprauari, vt à via veritatis abſcederet. Sed quia multa ſæpe quæ pœnitudinem poſsint generare, proueniunt: & ſuperat culpas delinquentium miſericordia dei: itaq; ideo ſuſpenditur vltro, vt locum habere poſsit correctio: amplectendum eſt clementiſsimi D principis plenum religione conſilium, quo ſanctam fraternitatem veſtram, ad deſtruendas inſidias diaboli, & reformandam eccleſiaſticam pacē voluit conuenire, beatiſſimi Petri iure atq; honore ſeruato. Nos ſuis literis inuitans, vt venerabili cõcilio noſtrã præſentiam præberemus. Quod quidem nec neceſsitas temporis, nec vlla conſuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paſchaſino & Lucentio epiſcopis, Bonifacio & Baſilio presbyteris, qui ab apoſtolica ſede directi ſunt, me ſynodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere. Neque enim abiuncta eſt à vobis mea præſentia, qui nunc in vicarijs meis adſum, & iamdudum fidei catholicæ prædicatione non deſum, vt qui non poteſtis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non poſsitis dubitare quid cupiam. Vnde fratres chariſsimi reiecta penitus audacia diſputandi contra fidem diuinitus inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat: cum non liceat defendi, quod non liceat credi, cum ſecundum euangelicas autoritates, ſecundum propheticas voces, apoſtolicamque doctrinã, pleniſsime & lucidiſsime per literas, quas ad Beatæ memoriæ Flauianum epiſcopum miſimus, fuerit declaratũ, quæ ſit de Sacramento domini noſtri Ieſu Chriſti

Leo quam normam præſcripſerit tãto concilio.

Nota hæc & diligenter pondera.

Idẽ ad ipſam ſynodum.

A Chriſti pia & ſyncera confeſsio. Quia vero non ignoramus, per prauas æmulationes, multarum eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, pluriмosq́; epiſcopos, qui hæreſim non reciperent, ſedibus ſuis pulſos, & in exilia deportatos, atque in locum ſuperſtitū alios ſubſtitutos: vulneribus his primitus adhibeatur medicina iuſtitiæ, nec quiſquam ita careat proprijs, vt alter vtatur alienis. Cum ſi (vt cupimus) errorem omnem relinquunt, nemini quidem perire honor debeat: ſed illis qui pro fide laborarunt, cum omni priuilegio oporte at ius proprium reformari. Prioris autem Epheſinę ſynodi, cui ſanctę memorię Cyrillus epiſcopus runc præſedit, in Neſtorium ſtatuta permaneant, nec tū damnata impietas in aliquo ſibi blandiatur, quia Eutices iuſta damnatione percellitur. Puritas enim fidei atq; doctrinæ, quam eodem quo ſancti parres noſtri ſpiritu prædicamus, & Neſtorianam & Euticianam cum ſuis autoribus condemnat pariter & perſequitur prauitatem. Hæc ille tanto concilio.

Ex his audis vtique & intelligis, qualē ſe geſſerit ille beatiſsimus Leo erga ſanctam illam, & fere omnium, quę celebra-
B tæ leguntur, celeberrimā Chalcedonenſem ſynodum: videlicet tanquam autoritatem & poteſtatem ſuper ipſam habēs atque exercens. Ita illi præcipit, ita leges præſcribit, nec fidem ſuam, neque in Euticetem & Dioſcorū apoſtolicæ ſedis ſententiam ſynodali diſcuſsioni ſubmittit: ſed præmittit, ac veluti normam certam præfigit, quam ſequi amplectique deberent. Quā nunquid contempſit, nunquid neglexit, nunquid vel latum digitū prætergreſſa eſt illa tot tanrorumq́; patrum ex toto orbe conuenientium DCXXX. epiſcoporum ſynodus? Sed hęc paulo poſt clariſsime intelliges. Interim exactis einſdē audi in confeſsione fidei, quàm exacte ſecuti ſint ſibi præſcriptam à B. Leone regulam.

Recognita Rom. pontifi cis illa autoritas à tanto concilio.

Ex communi, inquiunt, decreto peregrinas erroris quidem ſectas abijcientes, patrum autem rectam fidem renouantes, trecentorum decem & octo ſymbolū præ omnibus prædicamus. Et velut horum, centum quoq; & quinquaginta patrum, qui Conſtantinopolim conuenerunt, huic pijſsimo titulo adſcribimus, qui & ipſi eandem fidem ſubſignarunt. Sed & ordinem, & omnes fidei formulas cuſtodientes, etiam ſanctam ſynodum Epheſi factā, cuius autores fuerūt venerabilis me C moriæ Celeſtinus Ro. vrbis, & Cyrillus Alexandrinæ eccleſiæ ſacerdotes, recipimus, &c. Et eiuſdem beatiſsimi quódam Cyrilli ſynodicas epiſtolas, tam ad Neſtorium, quàm ad cæteros per Orientē, congruas ſibi & conſentientes. Quibus & epiſtolam ſancti & beatiſsimi primæ ſedis archiepiſcopi Leonis ſcriptam ad Flauianū ſanctę recordationis epiſcopum, ad perimendam Euricetis malignitatem, magni Petri confeſsioni concordanrem, &c. ad cōfirmationem catholicæ religionis ſubiunximus. Hæc in confeſsione fidei dictę ſynodi.

Confitentur primatum ſedis apoſtolicæ.

Quanta autem reuerentia ac veneratione dicta B. Leonis ad Flauianum epiſtola recitata in cōcilio, poſt Acgyptiorum & Illiricorum nonnullam diſceptationem, qui Dioſcori partium ante fuerant (in quam tamen, quod nō ita apte & proprie ex Latino in Græcum ſermonē verſa ab illis legeretur, inciderant, vt reſtar eiuſdem Beati Leonis ad illos ea de re epiſtola) acceptamq́; eius rectam intelligentiam, à Theodoreto Cyri epiſcopo, & Aetio archidiacono Conſtantinopolitano, ab vniuerſo tandem concilio excepta fuerit, reſtantur ſubſecutæ acclamationes, D quę in actis eiuſdem leguntur. Siquidem tota ſynodus vno veluti ore, ter beatiſsimum acclamauit Leonem, ranquam qui orthodoxę ſynceræque fidei cuſtos & aſſertor, eam veluti aureum quoddam flumen ad ipſos perduxiſſet.

Quanta reuerentia B. Leonis epiſtolā exceperint.

De his vero, qui in Epheſino illo concilio pręuaricati fuerant, & apoſtolicę ſedis autoritati repugnauerant, ex præſcripto, quod audiſti, eiuſdem Leonis peragentes omnia & pœnitentes ad miſericordiā ſuſcipientes, in ipſum præcipue Dioſcorū confirmāt irreparabilis damnationis ſententiam. De quo in epiſtola ſynodali ad eundem Leonem ſcribentes: Super cætera, inquiunt, ſcelera ſua etiam hoc adiecit, quòd contra ipſum vineæ domini Sabaoth cuſtodem, qui ab ipſo ſaluatore noſtro deputatus eſt cuſtos, inſaniam ſuam oſtendit. Dicimus ſcilicet, ſanctitatem tuam, & incōmuntabilem eum qui corpus eccleſiæ vnire ſolitus eſt, meditatus eſt facere. Hactenus illi. Eo enim ſuperbiæ inſolentięque euaſerat execrandus ille Dioſcorus, vt beatiſsimi Leonis in ſe cēſuram ſimilis in eundem cenſuræ prolatione retaliare auderet, atque ita eius autoritatem, quaſi deridere & contemnere.

Quam

A Quam eius impietatem rebellionemque tantopere deteſtati ſunt, vt illum vnum ſine vlla ſpe veniæ irreparabiliter deiecerint, atque omni ſacerdotali dignitate exutum, ex illo deportandum, ſeculari poteſtati tradiderint. Quam concilij in illum ſeueritatem ex ea maximè cauſa proceſsiſſe, teſtatur etiam Anatholius ille Conſtantinopolitanus antiſtes quadam ſua epiſtola: Propter fidem, inquit, non fuit damnatus Dioſcorus, ſed quia in beatiſsimum Leonem auſus eſt dictare excommunicationis ſententiam.

Vides ita, quàm diligenter in omnibus obtemperarint tot tantique patres ſedis apoſtolicæ mandatis, & ſibi ab eadem præſcriptis legibus. Nec tamen illud ipſum feciſſe ſatis illis fuerat, neq; etiam ſecum præſentes conſentientes, imò ſibi præſidentes & principaliter omnia ſecum agentes apoſtolicæ ſedis habuiſſe legatos, ſed ad ipſum proprie caput eccleſiaſticæ hierarchiæ, ad ipſum Leonē acta ſynodalia remiſerūt, eius autoritate & iudicio eadem confirmari expectantes, & autoritatis robur eiſdem impartiri, cum huiuſmodi & inſcriptione & D epiſtola.

Concilium remiſit acta ſynodalia ad B. Leonis iudicium.

Synodalis epiſtola ad B. Leonem.

Beatiſsimo & ſanctiſsimo apoſtolicæ ſedis & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopo Leoni, fratres in Chalcedonen. ſynodo congregati: Repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione, canimus cum propheta. Et poſt aliquanta: Reſpiciat (conſeruando apoſtolatum veſtrum) miſericors dominus eccleſiam ſuam toto orbe diffuſam. Vobis enim ita aduigilantibus, & hi qui curam animæ ſuæ gerunt, ſolidiores in fide redduntur, & hi qui paulum deſides ſunt, tanto ad ſollicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos ſemper habentes, non deſinimus domino deo noſtro gratias agere & pariter ſupplicare, gratulantes quod tantæ ſanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apoſtolicæ ſedi (vnde religionis noſtræ fons & origo emanat) antiſtitem dederit: petentes, vt datum conceſſumque munus pontificium, in noſtri longiſsima ad ædificationem eccleſiarum ſuarum ætate cuſtodiat. Nos autem, etſi impares meritis, pari tamen fide, ſi quid (quod abſit tamen) eccleſiam catholicam impia infeſtatione tentauerit, paratiſsimi ſumus confortante domino, cum beatitudine veſtra, pro veritate fidei animas noſtras ponere, & vitam hanc autori ſalutis noſtræ, & largitori æternitatis impendere, &c. Quam fidem tu, velut aureum quoddam flumen, ad nos per te deductum cuſtodiſti. Omni- C bus beati Petri interpres, & expoſitor conſtitutus, vnde nos te tanquam autore boni ad communem vtilitatem vtentes, ſortem veritatis, eccleſiæ filijs demonſtramus, &c.

Quis loquatur ex B. Petri cathedra.

Ad acta deinde ſynodalia venientes: Ea igitur, inquiūt, quæ definiuimus ad remotionem totius erroris, ad robur vero eccleſiaſticæ ordinationis propicia & amicabilia, & ad decorem congrua ſtatuimus, ſtabilire digneris ſanctiſsime ac beatiſsime pater. Nam hi qui locum tuum obtinent ſanctiſsimi epiſcopi Paſchaſinus & Lucentius, & hi qui cum eis dilecti presbyteri Bonifacius & Baſilius, dictis definitionibus fortiter adſtiterunt, volentes prorſus, vt hoc bonum veſtra prouidentia perficiatur, &c. Vt autem ſciatis quia non ad gratiam aut odium fecerimus alicuius, ſed tanquam diuino nutu gubernati & directi egerimus cuncta, vobis geſtorum omnium veram notitiam facimus, vt à vobis quæ geſta ſunt ſtatuantur, roborentur & concedantur, &c. Huic epiſtolæ XLIIII. epiſcopi ſinguli proprias ſalutationes proprijs manibus ſubſcripſerunt, hac & ſimili forma: Ruſticus epiſcopus, apoſtolatum veſtrum in domino venerans, & vt digneris pro me orare ſup- D plex oro: Salutat Venerius te domine in Chriſto reuerendiſsime: Salutat Conſtantius epiſcopus beatitudinem tuam: Salutat Horus epiſcopus beatitudinem veſtram in domino venerandam: Salutat Samius epiſcopus, beatitudini veſtræ me repræſento, & adorationibus apoſtolatus veſtri. Eius formæ ſunt & reliquæ eidem epiſtolæ ſubſcriptæ diuerſorum ſalutationes.

Ex his nunquid obſcurum eſt, quid tot, tantorumque pontificum ſynodus ſupra ſe autoritatis recognouerit in vno Rom. pontifice? Re ipſa videlicet & ſcripto atteſtata confeſſaque ab eius autoritate, tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ principis, & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopi, ſtatui, corroborari, concedique debere acta ſtatutaque ſynodalia omnia (id quod paulo poſt adhuc clarius intelliges) Nunquid autem dubitari poterit, illud ipſum, quod tot tantique ex toto orbe conuenientes epiſcopi confeſsi, & re, facto, ſcriptoque atteſtati ſunt, eſſe fuiſſeque communem orthodoxæ per orbem eccleſiæ confeſsionem, ſenſum ac ſententiam? Sed quod fuerit, etiam ſequentia demonſtrant adhuc euidentius. Ipſum vero communem catholicæ orthodoxæque eccleſiæ ſenſum nunquid falſum menda-

Concluſio ex præmiſsis.

A mendacemq́; dicemus? nunquid non columnam firmamentumque veritatis eam prædicat Apoſtolus? nunquid certiorem eius autoritatem omni ſcriptura male demonſtrauimus? nunquid illum eius ſenſum conſenſumq́ue, non eſſe recte intelligendarum ſcripturarum certiſsimam amuſsim & regulam? Breuiter ex actis, recognitioneque quatuor primorum & primæ notæ conciliorum vniuerſalium (quæ velut quatuor ſancti euangelij libros ſuſcipere ſe & venerari confitetur ille apoſtolicæ & catholicæ eccleſiæ pontifex ſanctiſsimus Gregorius) clariſsime demonſtratum eſt, vniuerſalium conciliorum, non ſolum conuocationem, ſed etiam acta omnia ſynodalia, omnem definitionem, omne iudicium, autoritati apoſtolicæ ſedis ſubeſſe penitus, & ab eadem prorſus dependere.

Idem ſpecialiter confirmare ex priuilegio ſecundæ ſedis dato Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, primum in Conſtantinopolitano primo, deinde in Chalcedonen. vniuerſalibus concilijs.

CAP. X.

B *Ambitus epiſcoporum Cōſtantinopolitanorum.*

POſt tranſlatam imperialis reſidentiæ ſedem Conſtantinopolim, vt eiuſdem epiſcopi, noua loci nobilitate & familiaritate, fauoreque principum ſuper cæteros efferre ſe cœperant, & in vulgo ac numero epiſcoporum latere indignum putabant: Ita & principes ipſi ad ſuam dignitatem pertinere arbitrabantur, ſi ſedes imperij, etiam in eccleſiaſtico ordine præcelleret, ac præemineret. Itaq; cum ante Conſtantinopolitana eccleſia inter ſedes præcipuas nullum locum haberet, in ſecunda vniuerſali ſynodo, quæ Damaſi autoritate aduerſus Macedonium & alios nonnullos ab eo damnatos hæreticos Conſtantinopoli celebrata eſt, Theodoſij principis inſtantia, extimulata ambitione tunc Conſtantinopolitani epiſcopi, nouus ille honor delatus eſt Conſtantinopolitanæ eccleſiæ à patribus, vt ſecundæ ſedis dignitatem acciperet poſt Romanam eccleſiam, eo quod noua Roma eſſet, & imperialis maieſtatis ſedes ac reſidentia. Ita enim legitur pro canone quinto eius concilij: Conſtantinopolitanum epiſcopum habere prærogatiuam honoris poſt Ro. epiſcopum decernimus, eo quod ſit noua Roma. *Canon V. Conſtanti. concilij.* Sed quia hoc non probauit apoſtolicæ ſedis autoritas, eccleſiarū priuilegia, prout ab apoſtolis & ſucceſſoribus eorum inſtituta fuerant, & in Niceno confirmata concilio, immutari non conſentiens, nullam hoc autoritatem obtinuit, ſed irritum habitum eſt & abſq; effectu. Quare Anatholij Conſtantinopolitani antiſtitis ambitione ac importunitate idem rurſus extortum eſt à Chalcedonenſi ſynodo, vndecima eius ſeſſione, & obtentum Martiani imperatoris fauore & patrocinio, tametſi contradicerent legati ſedis apoſtolicæ. Ita ſtatuentes pro canone nouiſsimo, & XXVIII.

C *Irritum fuiſſe ſynodi decretum quod ipſum non probaſſet apoſtolica ſedis autoritas.*

Vbiq; ſanctorum patrum definitiones ſequentes, & canonem qui eſt electorū CL. dei amantiſsimorum epiſcoporum, qui ſub piæ memoriæ Theodoſio magno conuenerunt de regali Conſtantinopoli vrbe, noua Roma recognoſcentes, eundem & nos definimus & eligimus de prærogatiuis ſanctiſsimæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, nouæ Romæ, &c. vt ſimiliter recipiat honorem antiquioris & regalis Romæ, & in eccleſiaſticis rebus ſecundum ipſam magnificetur, & ſecunda poſt ipſam exiſtat. Hunc quidem canonem dicti patres, quantum in ipſis erat, conſtituerunt, tametſi contradicerent legati ſedis apoſtolicæ, ſperantes beatum Leonem Romanum pontificem (ad cuius D autoritatem, vniuerſam à ſe actorum ſeriem remiſerunt) hac in re condeſcenſurum deſiderio, optimi alioqui & Chriſtianiſsimi principis.

De huius itaq; canonis confirmatione præcipue ſolliciti & imperator, & Anatholius etiam ſingulares, proprioſq́; cum illis ſynodalibus & actis & literis, ad B. Leonem miſerunt & nuncios, & epiſtolas, eundē inſtantiſsime confirmari poſtulantes, & eiuſdem reſponſum anxiè expectantes. Scripſit autem Anatholius Leoni in hæc verba:

Sanctiſs. & beatiſs. patri apoſtolicæ & vniuerſalis eccleſiæ archiepiſcopo Leoni Anatholius, &c. Incipiens aūt de vniuerſa ſynodali actiōe, & de ea multa cōmemorans: Oportuit, inquit, hæc omnia ad notitiā ſanctitatis tuæ perferri, quæ neceſſario mittimus ad eandē per Lucianum epiſcopum, & Baſilium diaconē, &c. De ſuæ vero ſedis illo priuilegio, de quo ſingularē cōmmiſsionē oratoribus dederat, ſubiungēs. Ea vero quæ per illos manifeſta fecimus S. T. optamus, vt per proſperā reſponſionē quæ vos deceat, ad nos redeāt, quo laudemus in omnibus charitatem & prouidentiā veſtræ beatitudinis, quam erga ſedem huius regiæ vrbis paterna ſemper conſueuiſti ſollicitudine habere, &c. Etenim ſedes Conſtantinopolita-

Confirmare acta definitionesq; ſynodales ad quẽ pertinere recognoſcatur.

A politana patrẽ habet apoſtolicũ thronum
veſtrũ. Vnde ea quæ in ſancta ſynodo con-
ſecutiue geſta ſunt, cõfirmare dignemini,
nec nõ definitionẽ de qua dictũ eſt de hac
ſede Cõſtantinopolitana. Hęc atq; einſmo
di Anatholius per literas. Oratoribus aũt
quàm diligentem & ipſe & imperator hac
de re commiſsionem dederit, ex beatiſsi-
mi Leonis reſponſo mox intelliges.

Leonis ſuper conciliũ Chalcedonen. quã libera autoritas,

Sed nunc audi quanta cum autoritate li-
bertateque, tanti concilij definitioni, tam
vrgenti imperatoris deſiderio, vnus reſti-
terit Leo, exitumq; rei diligenter conſide
ra, & clariſsimè intelliges oẽs ſynodales a-
ctiones, definitionesq; eſſe, & ſemper fuiſ-
ſe in vnius apoſtolicæ ſedis poteſtate: ita
vt quicquid eadem cõfirmarit in ſynodo,
hoc robur obtinuerit firmitatis: quicquid
refutarit, habere nõ potuerit firmitatem,
ſolaq; reſciderit, quicquid ſynodica con-
gregatio præter ordinem ſibi vſquã puta-
uit vſurpãdũ, vt Gelaſij hic verbis loquar.
Quẽ veriſsimè hæc dixiſſe, tã ex B. Leonis
epiſtolis, quã ex ipſo rei exitu intelliges.

Leo ad Anatholium,

Anatholij itaq; ambitum, & conatus im
probos retundens ſcripta ad eũ epiſtola,
cõmemorat primo pleraq; in eũ merito a-
nimaduertẽda, ad quæ ſtudio fidei & con
B cordiæ amore cõniuerat. Quoniã, inquit,
mens potentiæ auida, nec abſtinere nouit
à vetitis, nec gaudere conceſsis, dum inor-
dinato prauoq; proceſſu impunitarũ trãſ-
greſsionũ augentur exceſſus, & crebre-
ſcũt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio fidei
reparandæ, & amore cõcordiæ. Poſt illa i-
taq; ordinationis tuæ nõ inculpata princi-
pia, poſt conſecrationem Antiocheni epi-
ſcopi, quam tibimet contra canonicã regu
lam vendicaſti: doleo etiã in hoc dilectio-
nem tuam eſſe prolapſam, vt ſacratiſsimas
Nicenorũ canonũ conſtitutiones conare-
ris infringere. Tanq̃ opportunè ſe tibi hoc
tẽpus obtulerit, quo ſecundi honoris pri-
uilegiũ Alexandrina ſedes perdiderit, &
Antiochena eccleſia ꝓprietatẽ tertiæ di-
gnitatis amiſerit, vt his locis iuri tuo ſub-
ditis oẽs metropolitani epiſcopi ꝓprio ho
nore priuentur. Quib. inauditis & nunquã
ante tentatis ita grauaris exceſsibus, vt ſan
ctam ſynodũ ad extinguendam ſolum hę-
reſim, & confirmationẽ fidei Catholicæ,
ſtudio Chriſtianiſsimorum principũ con-
gregatã, in occaſionem ambitus trahas, &
vt conniuentiã ſuã tibi det, impellas, tan-
quã refutari nequeat, ꝙ illicitè voluerit
multitudo, & illa Nicenorũ canonũ per ſan
ctũ verè ſpiritũ ordinata conditio aliqua
cuiquã ſit parte ſolubilis, &c. Nimis ergo
hæc improba, nimis ſunt praua, quæ ſacra- C
tiſsimis canonib. inueniuntur eſſe contra-
ria. In totius eccleſiæ perturbationem ſu-
perba hæc tendit elatio, quæ ita abuti vo-
luit concilio ſynodali, vt fratres in fidei
tantummodo negociũ conuocatos, ad con
ſentiendũ ſibi deprauando compelleret.
Inde enim fratres mei ab apoſtolica ſede
directi, qui vice mea ſynodo præſidebant,
ꝓbabiliter atq; conſtanter illicitis auſib.
obſtiterunt: apertè clamãtes, ne contra in-
ſtituta Nicena præſumptio imꝓbæ noui-
tatis aſſurgeret. Nec poteſt de eorũ cõtra-
dictione dubitari, de quib. etiam tu in epi-
ſtola conquereris, ꝙ conatibus tuis volue-
rint obuiare. In quo eos quidem multum
mihi hęc ſcribendo commendas: ſed tei-
pſum, ꝙ illis parere nolueris, dum illicita
moliris, accuſas: ſuperflue non conceden-
da appetens, quæ nullũ vnquam noſtrũ po
terunt obtinere conſenſum. Abſit enim à
conſcientia mea, vt tã praua cupiditas me-
is ſtudijs adiuuetur, ac non potius & meo,
& omniũ qui non alta ſapiunt, ſed humili-
bus conſentiunt, opere ſubruatur, &c. No-
li frater altũ ſapere, ſed time, & Chriſtiano
rũ principũ pijſsimas aures imꝓbis peti-
tionib. inquietare deſiſte, quib. certum ha
beo modeſtia te magis, quàm elatione pla- D
citurum. Perſuaſioni enim tuę in nullo pe
nitus ſuffragatur quorundã epiſcoporum
ante LX vt iactas, annos facta ſubſcriptio,
nunquam à prædeceſſorib. tuis ad apoſto-
licæ ſedis transmiſſa notitiam, cui ab ini-
tio ſui caducę dudumq; collapſę ſera nũc
& inutilia ſubijcere fomenta voluiſti, elici
endo à fratrib. ſpeciem conſenſionis, q̃ ti-
bi in ſuam iniuriã verecundia fatigata prę
beret, &c. Non cõuellantur prouincialium
iura primatuũ, nec priuilegijs antiquitus
inſtitutis metropolitani antiſtites frauden
tur. Nihil Alexãdrinæ ſedi eius, q̃ per ſan-
ctũ Marcũ euangeliſtam B. Petri diſcipu-
lũ meruit, pereat dignitatis. Nec Dioſco-
ro impietatis ſuæ ꝑtinacia corruẽte, ſplen
dor tantæ eccleſiæ tenebris obſcuretur a-
lienis. Antiochena quoq; eccleſia, in qua
primũ prædicãte apoſtolo Petro Chriſtia-
nũ nomen exortũ eſt, in paternæ conſtitu-
tionis ordine perſeueret, & in gradu tertio
collocata nunq̃ ſe fiat inferior. Aliud e-
nim ſunt ſedes, aliud p̃ſidentes, & magnus
cuiq; honor eſt integritas ſua. Quæ cũ in
qbuſlibet locis ꝓpria ornamẽta nõ ꝑdat,
quãto magis in Cõſtantinopolitanæ vrbis
magnificẽtia poteſt eſſe glorioſa, ſi p obſer
uãtiã tuã & defenſionẽ, paternos canones

Cõcilia nihil poſſe niſi in negocijs ad quæ conuocata ſunt.

Vides ex conſenſu Ro. põtificis pendere omnia.

A & exemplum probitatis multi habeāt ſacerdotes,&c. Frater aūt & coepiſcopus noſter Lucianus, & filius noſter Baſilius diacon⁹, quantū in ipſis ſuit, ſtudiosè his quæ eis iniunxeras affuere: ſed actioni eorū iuſtitia negauit effectū,&c. Hæc Leo ad Anatholiū. Ex quibus facilè intelligis, ipſa rei atteſtante veritatis euidētia, vna eſſe huius ſedis autoritatem, quæ (vt illius Gelaſij ad Dardaniæ epiſcopos verbis dicam) vnamquanq; ſynodū confirmat,& continua moderatione cuſtodit, pro ſuo videlicet principatu, quē B. Petrus, domini voce perceptū, tota Chriſti eccleſia conſentiente ac recognoſcente, & retinuit ſemper, & retinet. Sed ex ſequentibus illud ipſum adhuc erit euidentius.

Vna apoſtolica ſedis autoritate vnāquanq; ſynodū confirmari & cuſtodiri.

Martiano itaq; imperatori idē Leo hac de re reſpōdens, & cur illi definitioni reſiſteret, nec imperialib. precibus ſuū præberet aſſenſum ſatisfaciens. Cum declaraſſet probari ſibi quæ de extincta hæreſi & declarata fidei veritate acta eſſent à concilio: His aūt, inquit, ꝑpter quæ facta eſt congregatio ſacerdotū bene & optabili fine cōpoſitis, miror & doleo ꝙ pacē vniuerſalis eccleſię diuinitus reformatā ambitionis rurſus ſpiritus inquietat. Pleraq; deinde ſub-

B iungens aduerſus Anatholium: Multū, inquit, Anatholius epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito creſcere optat augmēto. Habeat, ſicut optamus, Conſtantinopolitana ciuitas gloriā ſuam,& protegēte dei dextera, diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio: alia tamen ratio eſt rerū ſecularium, alia diuinarū, nec præter illam petram, quam dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio. Propria ꝑdit, qui indebita cōcupiſcit. Satis illi ſit, quod veſtræ pietatis auxilio & mei fauoris aſſenſu epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam apoſtolicam facere non poteſt ſedem: nec vllo ſperet modo, ꝙ per aliorū poſsit offenſiones augeri. Priuilegia enim eccleſiarū, ſanctorū patrum canonibus inſtituta,& venerabilis Nicenæ fidei fixa decretis, nulla poſſunt improbitate cōuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatū, quoniā diſpenſatio mihi credita eſt,& ad meū tēderet reatū, ſi paternarū regulæ ſanctionum, quæ in Nicena ſynodo ad totius eccleſiæ regimen ſpiritu dei inſtruente ſunt conditæ, me (ꝙ abſit) non cohibente violentur, &c. Vnde quia cōuenit fidei veſtræ & gloriæ, vt ſicut hæreſis deo per vos agēte de-

Vide, vnde epiſcopus Conſtantinopolitanus epiſcopatum ſuum obtinuerit.

Cui diſpenſatio credita domus eccleſiaſtica.

C ſtructa eſt: ita etiam omnis ambitus retundatur, agite vt prædictus epiſcopus pareat patribus, conſulat paci,&c. abſtineat ab eccleſiaſticarū iniuria regularum, & illicitos declinet exceſſus, ne ſe ab vniuerſali eccleſia, dum inimica paci tentat, abſcindat,&c. Frater aūt & coepiſcopus meus Lucianus cū filio meo Baſilio diacono, qui clementiæ veſtræ ad me ſcripta portarunt, omni deuotione partem ſuſceptæ legationis adimpleuerunt. Quia nō eſt æſtimandus negocio deſuiſſe, quē potius cauſa deſeruit.

Audis hic illum magnū Leonē, audis eccleſiaſticæ domui præpoſitum, cui credita fuit vniuerſalis eccleſiæ diſpēſatio. Ad cuius tendebat reatū, ſi eo non cohibente, paternarū regulæ ſanctionū, quæ in Nicena ſynodo conſtitutæ ſunt, vel per ipſa vniuerſalia concilia ſubſequentia violentur. At cohibere qui potuiſſet, ſi nō ſuper ipſa cōcilia vniuerſalia coactiuam autoritatem ac poteſtatem obtinuiſſet?

Eundem rurſus audi, eadem dē re quid ſcribat Pulcheriæ Auguſtæ: Confirmato, inquit, in euangelij vnitate vniuerſo mundo,& in eodem ſpiritus ſenſu directis cordibus omnium ſacerdotum, optimum fuerat ſupra illa, propter quę ſancta eſt ſyno-

D dus congregata,& quæ ſecundum pietatis veſtræ ſtudium, laudabili ſunt fine concluſa, nihil quod tanto bono contrariū eſſet inferri, nec per occaſionē epiſcopalis ſynodi id in commune appeti, ꝙ non licuit concupiſci,&c. Superbū enim nimis eſt,& immoderatū, vltra fines proprios tendere, atq; antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque, vt vnius creſcat dignitas, tot metropolitanorū impugnare primat⁹, quietisq; prouincijs,& olim ſanctæ ſynodi Nicenæ moderatione diſpoſitis, bellū nouæ perturbationis inſerre, atq; vt venerabilium patrū decreta ſoluantur, quorundam epiſcoporum proferre cōſenſum, cui tot annorū ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus fere annus huius iactantiæ eſſe iactatur, qua ſe prædictus epiſcopus æſtimat adiuuari, fruſtra cupiēs id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere. Conſenſiones vero epiſcoporum ſanctorū canonum apud Niceam conditorum regulis repugnantes, concurrente vna nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per autoritatem B. Petri apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus. Hæc ille Leo.

Audis

A Audis itaque, quātopere dependeat o-
mnis conciliorum actio ab autoritate ſe-
dis apoſtolicæ. Vides, vt repetitum illud à
duabus illis primæ autoritatis ſynodis v-
niuerſalibus, nēpe Conſtantinopolitana
prima, & Chalcedon. de Cōſtantinopoli-
tanæ eccleſiæ priuilegio decretū, irritum
fuerit & vacuū, reſiſtente eidē huius ſedis
autoritate. Intelligis ex hoc ſynodales a-
ctiones definitionesq́; oēs, vt veriſsimè ia-
ctabat ille Gelaſius, & eſſe, & fuiſſe ſemper
in vnius huius ſedis poteſtate: vt quicquid
eadē cōfirmauit in ſynodo, hoc robur fir-
mitatis obtinuerit, quicquid refutauit, ha
bere nō potuerit firmitatē. Conſtitutū fue
rat (vt audiſti) in prima Cōſtanti. ſynodo
de illo priuilegio Conſtātinopolitanæ ec-
cleſiæ: ſed, inquit beatiſsimus Leo, ad apo
ſtolicæ ſedis non fuit trāſmiſſum iudiciū,
nec ab eadē accepit robur & firmitatē. Nū
quid aūt obſcurū eſt, fuitq́; catholicæ ec-
cleſiæ de illo decreto iudiciū? nūquid ea-
dē in illo gradu ac ordine eccleſiaſticę hie
rarchiæ recognouit Conſtātinopolitanos
epiſcopos? Si fecit, quid opus igitur fuerat
noua cōceſsione & decreto Chalcedon.
ſynodi? quid tātopere, tā ſollicite apud B.
Leonē agere, vt eius cōfirmaretur autori-
B tate & cōſenſu? Prædicti vero, vt etiā audi
ſti, concilij veſtigijs inhærēs Chalcedon.
quoq; ſynodus idē renouauit & conſtitu-
it: ſed tamē ad apoſtolicę ſedis hoc ipſum
remiſit autoritatē & arbitriū. Cui iā au-
diſti, quāta libertate reſtiterit Ro. ponti-
fex, quāuis pro eo inſtātiſsimè intercedē-
te maieſtate imperatoria: quæ ad ſuā hoc
dignitatē pertinere arbitrabatur, ſi impe-
rialis reſidētiæ ſedes etiā in rebus extolle-
retur eccleſiaſticis. Sed nunquid ad illam

Vide, vt accepta fuerit & ab imperatore & à cōcilio Ro. pōtificis ipſius aduerſantis inflexibilis conſtantia.

Ro. pontificis tā liberā inflexibilemq́; con
ſtantiam, illorum omniū votis obſiſtentē
quicquā indignata eſt imperialis maieſtas,
tanquā indigne paſſa repulſam: & non ma
gis B. Petri illā autoritatem religioſiſsimè
agnoſcens & venerata in ſancto pōtifice,
ſeipſam potius accuſauit, ꝙ alienæ ambi-
tioni aſſenſum præbuerat? Nunquid talis,
tantaq́; ſynodus apoſtolicæ ſedis autorita
ti quicquā reluctata eſt? Sed hæc ex ſequē
tibus cognoſces clarius. Nunquid etiā il-

Pœnitentia Anatholij de illicito ambitu.

le ipſe Anatholius, totius huius tragœdiæ
ſuccentor, inſtigator & autor, aduerſus a-
poſtolicæ ſedis autoritatē, ſecundæ ſedis
honorē tanquā ex ſynodali autoritate &
decreto ſibi aſſeruit: & nō potius propria
tandē confeſsione ſuā culpam agnouit, &
veniam illiciti ambitus deprecatus eſt? At
hoc ita factum, teſtatur B. Leonis ad illū C
quædam epiſtola, in qua ſcribit in hæc ver
ba: Illam aūt culpam quā de augenda po-
teſtate, aliena (vt aſſeris) adhortatione con
traxeras, efficacius atq; ſyncerius tua cha-
ritas diluiſſet, ſi ꝙ tentari ſine tua volun-
tate non potuit, non ad ſola clericorū con
ſilia trāſtuliſſes. Quia ſicut in mala ſuaſio-
ne delinquitur, ita & in mala conſenſione
peccatur. Sed gratū mihi frater chariſsime
eſt, ꝙ dilectio tua fatetur ſibi diſplicere, ꝙ
tunc placere non debuit. Sufficit in gratiæ
communis regreſſum profeſsio dilectio-
nis tuæ, & atteſtatio principis Chriſtianiſ-
ſimi, ne cui detur tarda correctio, cui tam
venerabilis aſſertor acceſsit. Abijciatur pe
nitus incōceſsi iuris qui diſſenſionē fecerat
appetitus. Sufficiāt limites, quos ſanctorū pa
trū prouidētiſsima decreta poſuerūt, &c.

Sed nunc audi, quā non ſolum talis tan-
taque ſynodus, cum à B. Leone de appro-
batione ſynodalium actorum non referre-
tur reſponſio, ſed & totus vna orbis de a-
poſtolicæ ſedis cenſura iudicioq́; erga ge-
ſta illius ſynodi ſuſpēſus fuerit. Cum ita-
que poſt relata ad Leonis iudicium & au-
toritatem acta Chalcedonēſis ſynodi nul-
læ referrentur ab eodem literæ, quibus ſi-
bi placere probarique ea ſignificaret, idq́; D
ſtudio & opera Anatholij, qui miſſas ea de
re ad ſe literas ſuppreſſerat, nec ad concili
um retulerat, quod in illis de illicito ambi
tu grauius argueretur, in ſuſpenſo manens
ſynodus, repetitis denuo & literis & nun-
cijs per imperatorem pontifici ſupplicāt,
ſuæ cenſuræ autoritatem illis adijcere di-
gnaretur: vt quæ ante nec ab eccleſijs, nec
à fideli populo, quāuis in illo remotiſsimo
Oriente conſtituto, agnoſcerētur, nec re-
ciperentur pro legitimis, quàm per literas
S. ſanctitatis publicè lectas in eccleſijs ap-
pareret ab eadem illa confirmari. Id quod
tam pijſsimorum imperatorum ſecundo
ſcriptæ ad illum literæ, eiuſdemq́ue, tam
ad illos, quàm ad ſynodum ipſam reſcri-
pta euidenter comprobant. Literarum im
perialium hoc eſt exemplum.

Victores, Martianus & Valētinianus Au
guſti, &c. Sāctiſsimo patri, & venerabili Le
oni archiepiſcopo apoſtolicę eccleſię, &c.
Miramur maximè, ꝙ poſt ſynodū Chalce-
don. & literas venerabiliū epiſcoporum,
quæ ad tuā deo amicitiam miſſæ ſunt, per
quas omnia in ipſa facta vobis nunciaue-
runt, nequaquam à tua ſanctitate tales lite-
ræ miſſæ ſunt, q́ videlicet in ſanctiſsimis ec
cleſijs ad omniū notitiā peruenirēt. Quod

A quorundam animabus, quæ Euticetis adhuc prauam opinionem ſectatur, ambiguitatem immiſit, vtrum ſcilicet tua beatitudo ea, quæ in ſynodo S. edita ſunt confirmauerit. Quapropter veſtra reuerentia ſuas literas mittere dignetur, per quas omnibus eccleſijs & populis notum ſit, vniuerſa quæ in S. ſynodo geſta ſunt, à tua beatitudine eſſe confirmata. Illud equidem, vt decebat epiſcopum apoſtolicæ ſedis, ſapienter dixit, quòd eccleſiaſticos canones conſeruans, nihil ab antiqua cóſuetudine in ordinatione olim edita, & immobili vſque hodie perſeuerante, quicquã patiebatur diminui. In quo & nos tuæ ſanctitatis ſententiam probamus. Et poſt aliquanta: Nouerit autẽ, inquiũt, tua deo amicitia, catholicam & verè orthodoxam fidẽ, Chalcedonen. ſynodũ omnibus epiſcopis conſentientibus fuiſſe ſecutã. Propter quod & tua venerabilitas, proprias & ſpeciales literas velociſsimè mittat, per quas cõfirmare vos ipſam, quæ in Chalcedona celebrata eſt, ſynodum, manifeſtiſsimè oſtendatis, vt illi qui eam deſiderant ignominioſam, non poſsint aliquã habere ſuſpicionem de iudicio tuæ ſanctitatis, &c.

Probans liberam pontificis constantiam reſiſtentem concilio in priuilegio Conſtãtinopo. eccleſiæ.

Audis quid ſcribat illa Martiani & B Valentiniani imperatorum (vt Nicolai pontificis verbis dicam) pia dualitas? vt nihil indignati, nihil conqueſti, nihil expoſtulati fuerint, de repulſa petiti à ſe tan topere priuilegij ſecundæ ſedis pro Conſtantinopolitana eccleſia: quin contra potius probauerint liberam pontificis autoritatem & conſtantiam, tanquam ſuo rite perſuncti officio. Audis inſuper his tantis teſtibus quis fuerit communis ſenſus orthodoxæ eccleſiæ, ad cuius autoritatẽ recognouerit Chriſtianus per orbem populus, robur & autoritatem impartiri actis ſynodalibus.

Reſcriptum Leonis ad Auguſtos.

Sed nunc audi, quid tam illis, quàm illi ſanctæ ſynodo Leo reſponderit, Auguſtis quidem reſcribens poſt præmiſſa alia pleraque: Vt autem, inquit, malum quod in ducibus ſuis eſt oppreſſum, etiam in quibuſcunq; reliquijs deleatur, facilius hoc clementia veſtra arbitratur implẽdum, ſi per vniuerſas eccleſias definitiones ſanctę ſynodi Chalcedonen. apoſtolicæ ſedi placuiſſe doceantur. De quo ratio non fuit ambigendi, cum præter cætera, per fratrem meum Lucianum epiſcopum, talia ad gloriam veſtram & Conſtantinopolitanum antiſtitem ſcripta direxerim, quæ euidenter oſtenderent, me ea, quæ de fide C catholica in prædicta ſynodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eiſdem literis ea quæ per occaſionem ſynodi male ſunt attentata reprehenderam, maluit prædictus antiſtes meam gratulationem tacere, quàm ſuum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ deo per vos operante collatum eſt, quòd probaſſe vos obſeruantiam de cuſtodia paternorum canonũ pietatis veſtræ affatibus indicaſtis. Et merito geminatur gaudium meum, cũ & vobis religioſiſsimè placere cognoſco, vt fides Nicena ſuam teneat firmitatem, & priuilegia eccleſiarum illibata permaneant, &c. Quia vero modis omnibus obediendum eſt pietati veſtræ religioſiſsimæque voluntati, conſtitutionibus ſynodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicę & hæreticorum damnatione placuerũt, libens adieci ſententiam meam. Quę ſi vt in notitiam omnium ſacerdotum eccleſiarumque perueniat, veſtræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur, adfuturam credo & ſpero gratiã dei, &c. vt amputatis omnibus diſſentiẽdi occaſionibus apoſtolicæ vbiq; doctrinæ & pax regnet & veritas. Et hæc quidem Auguſtis, ſynodo autem in hæc verba reſpondit:

D Leo ſanctæ ſynodo apud Chalcedonã habitæ: Omnem quidem fraternitatẽ veſtram noſſe non ambigo, definitionem ſanctæ ſynodi, quæ ob cõfirmationem fidei celebrata eſt, toto corde me fuiſſe cõplexum, &c. Hoc autem non ſolum ab ipſo beatiſsimæ conſenſionis affectu, ſed etiã ex epiſtolis meis, quas poſt reditum meorũ, ad Conſtantinopolitanę vrbis antiſtitẽ dedi, potuiſſetis agnoſcere, ſi vobis reſponſionẽ ſedis apoſtolicæ manifeſtare voluiſſet. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrũ quæ in ſynodo Chalcedonenſi per veſtrã vnitatẽ de fide ſtatuta ſunt, approbẽ, hæc ad oẽs fratres & coepiſcopos noſtros, &c. ſcripta direxi, quæ glorioſiſsimus & clemẽtiſsimus princeps in notitiam veſtrã mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur. Et vt fraterna vniuerſitas, & omniũ fideliũ corda cognoſcant, me non ſolũ per fratres, qui vicẽ meam executi ſunt, ſed etiã per approbationẽ geſtorum ſynodaliũ propriam vobiſcũ iniſſe ſententiã. In ſola videlicet fidei cauſa (quod ſæpe dicendũ eſt) propter quã generale conciliũ, & ex præcepto Chriſtianiſsimorũ principum, & ex cõſenſu apoſtolicæ ſedis placuit cõgregari, &c. Vnde ſi quis vnquã auſus fuerit, vel Neſto-

Reſcriptum eiuſdem ad ſynodum.

Vide quid ſpecialiter probet actũ in concilio, & quid improbet.

A Neſtorianam perfidiam tueri, vel Euticetis ac Dioſcori impiũ dogma defendere, à catholicorum cõmunione reſecetur, nec habeat eius corporis communionem, cuius abnegat veritatẽ. De cuſtodiendis quoque ſanctorum patrum ſtatutis, quæ in ſynodo Nicena inuiolabilibus ſunt fixa decretis, obſeruantiã veſtræ fraternitatis admoneo, vt iura eccleſiarũ, ſicut ab illis CCCXVIII. patribus diuinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum quærat aliquis augmentũ. Quantumlibet enim exortis aſſenſionibus ſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos conciliorũ æſtimet nomine roborandos, infirmũ & irritum erit, quicquid à prędictorũ patrum canonibus diſcrepauerit. Quorũ regulis apoſtolica ſedes quã reuerenter vtatur, ſcriptorum meorũ, quibus Conſtantinopolitani antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere, &c. Hæc ille ſynodo.

Nota tanti concilij patientiam in expectanda confirmatione actorum ſuorum à ſede apoſtolica.

In quibus etiam conſideratione dignum eſt, quanto tempore tot patrum ſynodus, poſt abſolutã eandem, quã ſollicite, quàm patienter, apoſtolicæ ſedis cenſurã de actis ſynodalibus, & eorundẽ confirmationẽ expectauerit. Siquidem (vt ex pręcedẽti capite cõſtat) cõtinuo poſt peractã ſynodum miſe B runt Lucianũ epiſcopum, & Baſilium diaconum legatos ſedis apoſtolicę, qui interfuerant, atq; adeo pręfuerant concilio, vna cũ actis ſynodalib. eorundem præſtolantes reditũ à Chalcedona Romã, & inde rurſus Chalcedonã. Quo cũ reuerſi eſſent cũ literis ad Auguſtos & Anatholiũ, quibus ſatisfeciſſe ſe exiſtimabat expectationi concilij, reliquam ſcilicet actionem eius, & quæ de fide catholica definita fuerant, ſe probare ſignificans, ſed decretum illud de priuilegio ſecundæ ſedis ꝓ Conſtantinopolitana eccleſia, apoſtolica autoritate irritans, Anatholij opera factum eſt vt ſupprimerentur eędem, nec recitarentur cõcilio, eo ꝙ in illis grauiſsime argueretur ſui illius ambitus quo ſynodum ſibi inclinauerat. Incerti patres de cenſura ac ſententia ſedis apoſtolicę ſine qua, vt re imperfecta, non eſt viſum diſſoluere ſynodum, remittunt adhuc ad Ro. pontificẽ, etiã Auguſtorum inſtantia efflagitantes confirmationẽ actorum ſynodalium à ſede apoſtolica, ab eadẽ totum orbem ſuſpenſum ſignificantes. Nec moræ tantæ pertæſum eſt, ſed ſuorum reditum patienter expectarunt. Quod indicat nouiſsima hæc Leonis epiſtola, quæ & ipſa inſcribitur ſanctæ ſynodo, vnde conſtat necdum ſolu- C tam fuiſſe ſynodum. Synodus enim conuẽtus eſt & congregatio. Quæ vtiq; & cætera commemorata ſuperius, ipſa rei euidentia, totius orthodoxæ eccleſiæ (cuius membra præcipua tãto concilio interfuiſſe nihil certe dubitandum eſt) communi ſenſu, confeſſione, recognitioneq; euidentiſsime demonſtrãt, conciliorum vniuerſalium, actionumq; ſynodalium omnium robur & autoritas, quàm prorſus dependeat ab autoritate ſedis apoſtolicæ. Id quod quum per reliqua concilia percurrenti, nõ minus euidenter appareat (cuius rei euidentiſsima argumenta ſequenti adhuc perſtringemus capite) interim hic libere audacterq; pronunciare licebit. Ex Theologicis principijs, hoc eſt, euangelicæ ſcripturæ autoritate, apoſtolicisq; & Niceni concilij canonibus, eccleſiæ orthodoxę communi ſenſu & recognitione, nõ ſolum vniuerſalium conciliorum conuocationem, ad Petri ſucceſſorumque eius eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſidentium autoritatem propriè pertinere: ſed & omnem eorum autoritatem, omne robur, omnemq; firmitatem actionum ſynodalium omnium, prorſus & omnino ab huius ſedis autoritate dependere, ita vt ꝙ illa firmauit in ſynodo, hoc robur obtinuerit, ꝙ refuta- D uit, habere non potuerit firmitatem.

Ipſam rei euidentiã & catholica eccleſia recognitionem de his quæ prædicta ſunt, in alijs quoque ſubſequentibus quatuor vniuerſalibus concilijs demonſtrare. Præcipue autem, vt vna huius ſedis autoritas concilijs omnibus ſe regulã magiſtramque, & orthodoxæ fidei, & rectorem iudiciorum præbuerit, minime autem vice verſa.

CAP. XI.

Realis repoſitio demonſtratorum ſuperius.

POterant ſufficere, quæ prædicta ſunt de vniuerſalibus concilijs, quæ ſatis demonſtrant euidenter, non ſolum ius, ſed factum. Vt enim Petro, ſucceſſoribuſq; eius commiſſa cura & gubernatio eſt vniuerſalis eccleſiæ, datæ illi claues regni cœlorum, data ſuprema illa, principaliſque ligandi, ſoluendique autoritas, remiſsi ad ipſum pro cõfirmatione fratres, quoties ambiguitatis quid inter illos eſſet exortum, quoties Satanas hęreticę ꝑſecutiõis turbine cõcuteret, & euentilaret eccleſiã, illi vni Chriſti oratione impetratum indefectibilis fidei priuilegium: Proinde ad eius autoritatęm pertinere, omnem quæſtionem fidei &

A quicquid naſcitur maiorum, grauiorumq́; cauſarũ in eccleſia, omnino dubitari non poſſit, etiam ſi hoc tacerent apoſtolici, atque etiam Niceni (quos ſupra audiſti) concilij canones, ſi hoc ipſum non loqueretur figura noſtrę eccleſiæ expreſſa in ſynagoga illa veteri. Ita ſi ob concordiã fratrũ ſtabiliendam, & reparandam vnitatem eccleſiaſticã, in his, quæ vnius ſuæ autoritatis ſunt, ſecum adhibere, aut vniuerſale, aut medij generis ſacerdotum concilium, exigat, vel negocij qualitas, vel neceſſitas, aut etiá vtilitas eccleſiaſtica, quo & grauius habeatur eius iudiciũ, magiſq́; obſtruatur os iniqua loquentium, quo etiam ex concordi totius orbis epiſcoporũ deliberatione ac ſententia, magis opportuna, & commoda inueniantur media reparandæ pacis eccleſiaſticæ perturbatæ, & inuenta ſtatutaq́; eo efficacius obſeruentur, quo fuerint apꝓbata à pluribus: nihilo tamen minus ea eſſe omnia poteſtatis Petri, & eccleſiaſticæ hierarchiæ principum, æque certum eſt. Ad quorũ autoritatem, etiam ipſam conciliorum cõuocationẽ ꝓprie pertinere, ipſa quoq; cõcilia omnia, ipſa deniq; acta, decreta, definitaq́; ſynodalia penitus, ꝓrſuſq́; ſubiecta eſſe, nec aliã vllã autoritatẽ habere, niſi quam habẽt
B ex coniuncta ſecum autoritate eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis & cathedræ apoſtolicæ, demonſtratum eſt. Quandoquidem à Chriſto, nec immediate & per ſe, nec apoſtolorum miniſterio, alia vlla probari poteſt vniuerſalibus concilijs data autoritas.

Quemadmodum etiam in illa figura noſtræ eccleſiæ, ſynagoga veteri, omnia quidẽ ardua & difficilia iudicia, quęſtiones & negocia, remittebãtur ad iudiciũ ſacerdotum Leuitarũ, qui ꝓ tẽpore vicis ſuæ miniſtrabant domino in loco cathedrę Moſaicæ, hoc eſt, ad iudiciũ ſacerdotalis ibidẽ exiſtẽtis cõcilij. Eius tamen iudicia, definitiones ac ſentẽtiæ ꝓferri cẽſebãtur velut ab autoritate vnius prę ſidis illi cathedræ, & in illã vnam cõmiſſa inobedientia ac rebellio ſecundum legem expianda mortis ſupplicio, quæ cõmitteretur contra decretum, ſentẽtiam & iudicium ſacerdotalis illius concilij: vt hoc ſuperius ex verbis legis iterum iterumq́; annotauimus. Quę vt ſic ſe habere, etiam confirmauit ipſa rei euidentia, in quatuor illis primis & primę notę concilijs vniuerſalib. & in eis totius orthodoxę eccleſię confeſſio & racognitio: ita & in ſequentib. alijs omnibus. Quorũ vt nunc breuiter percurramus actorum hiſtoriam, quo ipſa clarius eluceſcat veritas, quidnã, obſecro, C
fuit aliud omnis quintę vniuerſalis ſynodi actio, quàm autoritatis apoſtolicæ ſedis ſuper omnes totius orbis eccleſias recognitio? Quid aliud egit vniuerſa illa ſynodus, quàm ꝙ Ro. pontificum in diuerſos hæreticos damnationis ſententiam tanquam ꝓlatam ab eis, quorum in cœlis eſſet ratum iudicium, & ad quos pertineret ab eccleſia lupos arcare rapaces, vt iuſtam ſanctamque probauerit, religioſe amplexa, ſecutaq́; fuerit: & in eoſdem illos iamdudum ab apoſtolica ſede anathematizatos anathema dixerit?

Petrum Antiochenum de myſterio incarnationis dominicæ noua quędam, blaſphemaq́; cominiſcentem dogmata, ꝙ videlicet trinitas aut diuinitãs eſſet incarnata, & qui eã ob cauſam, in angelico illo hymno, quẽ in litanijs decãtat eccleſia: Sanctus deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis miſerere nobis, poſt, immortalis, & ante, miſerere, adiecerat, qui paſſus es ꝓ nobis, Felix Ro. pontifex anathematis mucrone confodit, & omni epiſcopali, ſacerdotaliq́; honore exuit. Cuius ſententiam, lecta in ſynodo damnationis eius, quam ſuperius libro 4. adſcripſimus, epiſtola, vt iuſtam orthodoxamq́;, & ab apoſtolico throno prolatam reuerentiſsime excepit illa totius orbis ſacerdotum congregatio, & in eundem Petrum anathema pronunciauit. D

Reuerenter excepta & ſecuta eſt Felicis in Petrum Antioch. epiſcopum damnationis ſententiam.

In Seuerum etiam Antiochenum patriarchã, Petrum Apamiarum epiſcopum, & Zoarã Syrum, monachum, B. Hormiſda pontifex Ro. dãnationis iamdudum ꝓnunciarat ſententiã, inſtantibus Syriæ epiſcopis, presbyteris & monachis. Cuius tunc quoq; ſequens autoritatem B. Epiphanius Conſtantinopolitanus epiſcopus, vna cum epiſcoporum ſecum congregata ſynodo, eoſdem pro rite damnatis habuit. Hos vt de medio tolleret, & omnes, quibus non communicaret ſedes apoſtolica, eiuſdem illius ꝓuinciæ epiſcopi, presbyteri & monachi, ſupplicibus ſuis libellis ſuggeſſerunt ſancto concilio, vtq́; exequeretur definita contra eos à ſede apoſtolica, inſtãtiſsime requiſiuerunt. Cuius ſententiam ꝓbans & reuerenter ſequens, eoſdem illos anathema ꝓnunciauit, & abiecit de catholica eccleſia. Vnde in dicta aduerſus illos damnationis ſententia à venerabili Mena Conſtantinopolitano epiſcopo, & vniuerſo concilio poſt enarrata eorum pleraque flagitia in hæc verba ſubditur: Contempſerunt quidem eccleſiam Romanã & ſucceſſorem apoſtolorum,

qui

A qui ſententiam contra ipſos protulit, &c. Propterea ſequentes ſanctorum patrū noſtrorum ſententias, &c. contra prædictos, Seuerum, Petrum & alios quicunq; communicant ipſis in impietate, & contra cōplices eorum, & nos per dominum noſtrū Ieſum Chriſtum verum deum noſtrum, tanquam lupos quoſdam graues irruētes in ouile Chriſti, abijcimus & conſententitiui ſumus fratribus & cōminiſtris noſtris, & ſæpius prius nominatos ſimili anathemate ferimus, nō autem ipſos ſolū, ſed & Zoarā, & alios, qui conuenticula & parabaptiſmata faciunt, nec nō & omnia ab illis conſcripta, &c. Cui ſententiæ omnes in hanc & ſimilem formam ſubſcripſere: Ego Sabinus epiſcopus S. eccleſiæ Canuſiæ, ſequens definitionem ſanctę recordationis papæ Hormiſdæ, anathematizans & condemnans Seuerum, & impia eius ſcripta, & Petrum quondam Apamiarum, & complices eorum, ac ſectatores, nec non Zoaram, vel communicatores eorum, atque in eodem errore permanentes, ſubſcripſi. Simili modo ſubſcripſerūt & reliqui.

Anthemium quoque vt iuſte damnatū à ſede apoſtolica anathema dixit.

Antheminm quoque Trapezuntium quondam epiſcopum, qui mortuo B. Epiphanio, deſerta ſua eccleſia, fauore principum, quē ſibi aucupauerat, in Conſtantinopolitanam eccleſiam contra canones B irrepſerat, primū Ioannes Romanus pontifex vindex eccleſiaſticorum canonum, ab eccleſiaſtica cōmunione ſuſpendit, deinde Agapetus anathemate percuſsū, pręcipuè ob Euticianā hæreſim, de qua conuictus fuerat, à Conſtātinopolitana ſede depoſuit, ordinato in eius locum venerabili Mena orthodoxo epiſcopo, qui illi V. concilio ſub Viglio Rom. pontifice præfuit, atque omni ſacerdotali dignitate & efficacia nudauit, & de Chriſtiana abiecit eccleſia. Et in hunc quoque, vt ab apoſtolica ſede iuſte damnatum, anathema dixit ſancta ſynodus.

Hæc vt veriſsimè ſic acta intelligas, audi totius cleri & monachorū, tā vrbis regiæ, quàm Hieroſolymorum & montis S. Sinai, & ſecundæ Syriæ aduerſus prædictos Anthemium, Seuerum, Petrum & Zoaram, Iuſtiniano imperatori porrectū libellum ſupplicem, quem idem remiſit ad diſcuſsionem præfati concilij. In quo poſt pręmiſſa alia pleraque legitur in hęc verba: Quia catholicæ eccleſiæ omnes alumni, de prædicti Anthemij iniquitate & violenta promotione, & aliorum iniquorum virorum, & deo, & vobis moleſti eſſe non ceſſauerunt, vos vero pijſsimi, C quamuis valentes ipſos extra ponere: tamen canonicum iudicium in ipſum Anthemium, & prædictos hęreticos benefaciendo audire voluiſtis, ab illo perſuaſi, qui dicit: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. & Apoſtolo dicente: Obedite ducibus veſtris, ſubditi eſtote, ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri. Miſit itaque deus huic ciuitati Agapetū, qui verè ἀγαπητός, id eſt, dilectus eſt à deo & hominibus, pontificem antiquæ Romæ, in depoſitionem Anthemij, & prædictorum hæreticorum, tanquam olim Petrum magnum Romanis in deiectionem Simonis Cretiani. Iſte ergo honorabilis vir, ſciens per libellos plurimorum, & noſtros, ea quæ inique contra eccleſiaſticos canones præſumpta fuere, nec ſemel quidem ad viſum ſuſcipere voluit Anthemium, furētem aduerſus canones: ſed hunc iuſtè eiecit de ſede ſacerdotali ciuitatis tuæ, & coopitulante ac coadunato catholicæ fidei & diuinis canonibus veſtro imperio, pręfecit illi eccleſię ſanctiſſimum Menam, rectæ fidei, vitę pudicæ, &c. Cum autem de Anthemio & alijs hęreticis porrexiſſemus libellos, & nos & epiſcopi Palæſtini in ciuitate regia congregati, & alij ambaſiatores aliorum pontificum, poſtulauimus Anthemium ipſum D quæ perpetrauit facere per libellum nota ſedi apoſtolicæ, & liberare ſeipſum ab omni hæretico errore, & proficiſci ad eccleſiam Trapezuntinam: aut ſi hæc nollet, finaliter condemnaretur, & omni dignitate ſacerdotali ac operatione nudaretur, ſicut fecit S. Celeſtinus contra impium Neſtoriū, qui ſeipſum tali condemnationi ſubijciendo partē cum hæreticis accepit, &c. Has vero petitiones noſtras iuſtas pręueniēs pędictus ſanctiſsimus vir, cum Anthemius ſeipſum maniſeſtū conſtituiſſet, ſimul cum prædictis hæreticis condemnauit, & omni dignitate ſacerdotali ac efficacia nudauit: & omni quoque orthodoxo nomine vſque ad pœnitentiā eorum, quæ deliquit, & tranſmiſit veſtrę pietati libellos noſtros, vt q̄ in ipſis ſunt, ad finem deducantur, &c. Obteſtamur itaque veſtrum imperium (licet temerarium quid faciamus) per magnum deum, ſaluatorē noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. non contemnere iuſtum iudicium pręd.cti ſancti viri, ſed ipſum exequi: & eccle-

Libellus ſupplex clericorum ad imperatorem porrectus aduerſus prædictos hæreticos.

Memorans quanta autoritate Agapetus Anthemium deiecerit.

Vides intellexiſſe vniuerſos, de hæreſi ſuſpectum cui ſe purgare debeat.

A ſiam dei, & totũ mundum, liberare à peſte Anthemij, & hæreticorum prædictorum, &c. Implendo itaque quę ab illo iuſte & canonicè iudicata fuere, & per veſtram generalem ſanctionem ipſa confirmando, taliaque de cætero præſumi interdicendo, illius beatam animam coletis, quæ cum deo proximior ſit, quòd vinculo terræ & carnis huius ſoluta ſit, & fiduciá ex proprijs bonis operibus adepta, pro pace ac ſalute veſtræ pietatis intercedit, &c. Hæc ille totius Orientis clerus ad Iuſtinianum principem, quæ & relata ſunt in acta illius ſynodi. Qui eadem fermè hęc repetentes in altero libello, quem pręcipuè aduerſus Anthemium porrexerunt cōcilio, inter alia multa eodem pertinentia, etiam hoc adijciunt. Deum ſuæ eccleſiæ donaſſe illud inexpugnabile ſundamentum, illam firmam petram Romanam eccleſiam, ſedem videlicet & cathedram Petri, in qua reſidens ſanctus Agapetus, deiecerit peſtilētem Anthemium, à ſacerdotali ſede regiæ ciuitatis, ſacrorum canonum, atque etiam catholicæ fidei vindicans iniuriam, atq; in eius locũ venerabilem Menam ordinauerit pontificem.

B Ex his vtiq; audis & intelligis, non ſolum quæ fuerit eo ſeculo iam declinante ad turbas, ad diſsidia ac ſchiſmata totius orbis, de autoritate Petri, eccleſiaſticę hierarchiæ præſidentium ſuper vniuerſam Chriſti eccleſiam recognitio ac ſententia (id quod tribus ſuperioribus libris ſatis ſuperque demonſtratum eſt) ſed etiam hoc, damnatos videlicet à ſede apoſtolica omnes, in quos quinta vniuerſalis ſynodus confirmauit damnationis ſentētiam. Nec aliud fuiſſe omnem actionem eius ſynodi, quàm recognitionem autoritatis huius ſedis, & Romanorum pontificum ab vniuerſa Chriſti eccleſia. Siquidem vnũ hoc egit illa ſynodus, vt decreta eiuſdem ſedis, & prolatas ab eadem in diuerſos ſententias, teneret, amplecteretur & obſeruaret orbis vniuerſus. Id quod adhuc clarius intelliges, ex forma ſynodalis ſententiæ aduerſus Anthemium prolatæ in hũc modum. Recitata eſt primũ ſententia ac definitio beati Agapeti pontificis aduerſus eundem ex epiſtola ipſius ad Petrum Hieroſolymitanũ epiſcopum. Qua audita dixit Menas, & vniuerſa ſynodus: Nõ eſt mirandum, ſi vos etiam nunc magna apoſtolica ſedes ſequitur, ſacras ſanctiones ſanctiſsimarum eccleſiarum inuiolatas conſeruãdo, & quę rectę fidei ſunt defendẽdo, ac his qui peccauerunt, clementem veniam tribuendo. Vnde & nos implentes ea, quæ à ſanctiſsimo papa in epiſtola ſynodali data fuere, & tempus pœnitentiæ ipſi dantes, deputemus & decernamus Veſporium ſanctiſsimum epiſcopum Neocæſariæ metropolitanæ, Acatium, &c. ad notificandum ei ea, quæ geſta fuere, & inuitare ipſum infra III. dies, ſi volet venire ad ſanctam ſynodum, ad faciendam ſuper annunciatis congruam ſatisfactionem, &c. At non comparente illo poſt aſsignatum terminum, huiuſmodi in eum S. ſynodus protulit damnationis ſententiam. C

Forma ſynodalis proceſſus & ſententia aduerſus Anthemium.

Multarum tranſgreſsionum Anthemius reus demõſtratus eſt, venerabiles quidem patrum leges, tanquam non poſitas, ad nihilum reputauit, & paulo minus ſuo exemplo eccleſiaſticum ſtatum conturbauit introducendo ſe in patriarchalem ſedem huius regiæ vrbis, &c. ſed & Euticetis opinionem habet, &c. Et poſt enarrata pleraque prauæ illius ſuæ opinionis argumenta, ſubditur: Itaq; cum magnus imperator ſibi ad memoriã reuocaret ſententiã principis apoſtolorum, qua dicit, paratos nos ſemper eſſe oportere ad reddẽdam omni petenti rationem de ea, quę in nobis eſt, ſpe & fide, nihil plus iuuit, ſed erga eius ſerenitatem deceptibilibus rationibus vſus, ꝓmiſit omnia facere, quęcunque ſummus pontiſex magnæ ſedis apoſtolicæ decerneret. Et ad ſanctiſsimos patriarchas ſcripſit, ſe ſequi per omnia apoſtolicam ſedem. At magno Deo & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, non permittente talia vſque in finem vitę procedere, miſſus eſt huic regiæ vrbi ſecundum ipſius diuinitatem, Agapetus ſanctæ & beatæ memorię papa beatiſsimus, qui ſtatim ſacris canonibus, manum cum Deo porrexit, & ipſum de ſede ſibi non conuenienter depulit, data venia his, qui talis rei participes, & communicatores fuerũt, & regiæ ac Deo cuſtoditæ ciuitati ſuum ſacrũ ornatum reddidit, &c. Quoniam vero & cum Dioſcoro & Euticete hęreticare deprehenſus eſt, ſententiam in illum protulit in ſcriptis, plenam clemẽtia, & decenti ſanctitate, deferens ei tempus pœnitentiæ, decernenſque donec à tali opinione mutatus, ſatisfeciſſet his, quæ à ſanctis patribus doctrinaliter & canonicè definita ſunt, ipſum non habere nomen, neque ſacerdotis, neque catholici, &c. Nos igitur D

Tenor ſententiæ.

Cauſa damnationis, prævaricatio ſacrorum canonum.

ſequentes

A ſequentes ea, quæ à beatiſsimo papa benè examinata ſunt, iudicamus, vt ipſe tanquã membrum inutile & putridum, abijeiatur à corpore ſanctarum dei eccleſiarum, & extra epiſcopatum Trapezuntinum eſſe, & alienum ab omni ſacra dignitate & efficacia, & iuxta ipſius ſanctiſsimi papæ ſententiam, à catholica appellatione. Hactenus ſententia ſynodalis in Anthemium. In qua nunquid audis aliud, quàm confeſsionem recognitionemq́; autoritatis Romani pontificis ſuper vniuerſam Chriſti eccleſiam? quàm quòd ſancta ſynodus damnationis, depoſitioniſq́ue ſententiam, prolatam ab apoſtolica ſede in Anthemium, iuſtam, ſanctamq́ue probauerit, & ſecuta fuerit per omnia?

Vide vt in omnibus ſequantur apoſtolica ſedis ſententiã.

Iam & ſextam ſynodum percurramus etiam, eiuſq́ue occaſionem & cauſam paulo repetamus altius. Nam & ex ea euidentiſsimum erit, vt apoſtolica hæc ſedes, vniuerſæ Chriſti eccleſiæ, & cunctis ſemper ſynodis, orthodoxæ fidei regula fuerit ac magiſtra, eius integritatem ex ſingulari illo, quod ſupra adſtruximus, priuilegio ſola ſemper conſeruans ad fratrum confirmationem in fide.

Poſt damnatum in Chalcedonenſi ſyno B do Euticetem cum Dioſcoro vnicam in Chriſto deitatis naturam affirmantes, & renouatam iteratamq́; eãdem damnationis ſententiam in Anthemium Conſtantinopolitanum, Seuerum Antiochenum, Petrum Apamiarum epiſcopos, cum in multis hæreticorum prædictorum ſectatoribus ac diſcipulis remãſiſſent hæreticæ prauitatis ſemina: nec tamen his quæ à ſede apoſtolica vna cum tantis ſynodis iam definita, præiudicataq́ue fuerant, auderent aperte reſiſtere, neque palam adſtruere id, quod ab vniuerſa Chriſti eccleſia toties damnatum extitit: non tamen defuit antiquo hoſti nouum commentum ad ſubuerſionem rectorum dogmatum, & eccleſiaſticam pacem rurſus conturbandam. Siquidem iam dicebant orthodoxæ fidei aduerſarij, non vt prius, vnicam eſſe naturam in Chriſto: ſed (quod re ipſa in idem recideret, tametſi verbotenus differret) vnicam voluntatem & operationem. Hoc primum commenti ſunt Cyrus Alexandrinus patriarcha, illius ſui Dioſcori, & Sergius Cõſtantinopolitanus, eiuſq́ue & in eccleſia, & in impietate ſucceſſor Pyrrhus, ſui illius Euticetis ſucceſſores & diſcipuli. Et poſt eos Paulus quoque Conſtantinopolitanus epiſcopus, qui etiam imperatorem Conſtantium in eãdem ſeduxit perfidiam: de C inde Petrus & Gregorius tam in eccleſia, quàm in hæreſi, illi Paulo ſucceſſores fuere. Sed & Macharius Antiochenus patriarcha illis factus eſt perfidiæ ſocius & particeps.

Monothelica hæreſis origo, & primi aſſertores.

In hos exurgens ſedes apoſtolica, magiſtra & vindex orthodoxæ fidei, gladium ſuæ illius principalis poteſtatis, quã in beatiſsimo Petro accepit à domino, magna diſtrinxit libertate, & illos quamuis principalium trium & patriarchaliũ ſedium antiſtites, & ab orthodoxa fide, & à catholicæ eccleſiæ gremio pronunciauit alienos. Primum quidem Cyrum, Sergium & Pyrrhum, Honorius ille, cuius nomen falſarij Græculi in Romanæ, quo laborant, eccleſiæ interneciale & execrabile odium, inſarcerunt inter damnatos (ſi deo placet) autores & aſſertores eiuſdem huius monotheliticæ hæreſis à ſexta ſynodo, à quo primo omnium, damnatam conſtat eandem, cum ſuis illis autoribus annis plurimis ante celebratam eam ſynodum. Sed vt ſe vbique prodit inſigne & impudens mendacium: ita ſeipſum, quiſquis fuit, perfidus nugator coarguit. In argumentum hæreticæ eius ſententiæ, etiam epiſtolas eiuſdem, actis ſynodalibus, vt circunferuntur, inful D ciens: quamuis nõ ſynceras, ſed ſuo illo more ab ipſo tractatas: tales tamen, ex quibus clariſsimè pateat orthodoxiſsima eius fides, & plane digna præſule ſedis apoſtolicę, vti libri III. cap. VIII. clarius commonſtrauimus. Quin conſtat potius fide hiſtoriarum omnium ab hoc primo damnatam hanc impietatem cum ſuis illis primis aſſertoribus, Cyro Alexandrino, Sergio & Pyrrho Conſtantinopolitanis epiſcopis. Quorum nouiſsimum æque omnes teſtantur hiſtoriæ, poſt ſuam damnationẽ ab Honorio, exilio relegatũ fuiſſe ab Heraclio imperatore, qui ea in re apoſtolicæ ſententiæ exequutor factus eſt. Nam cum ab eodem & ipſe in eandem perfidiam ſeductus fuiſſet, haud irreligioſus primum nec malus imperator, & ob id incidiſſet in diuerſas calamitates & miſerias, corripientem ſe dei manum ſentiens, hæretici erroris vltricem & vindicẽ, reuerſus ad cor, & à beatiſsimo Honorio orthodoxæ fidei regulam doctrinamq́; ſuſcipiẽs, Pyrrhum ab apoſtolica ſede iam damnatum, velut tanti in ſe mali autorẽ relegauit in Aphricam. Vnde non multo poſt, mortuo Heraclio, ſublatoq́ue inter initia imperij ſui veneno, Conſtantino Heraclij filio, idq́ue

ex eiuſ-

A ex eiuſdem illius Pyrrhi machinatione & conſilijs. Martinæ vero nouercæ, & Heraclionis fratris inſidijs, cum tanti ſceleris participatione coniunctos ſibi, propitioſque feciſſet principes, & quoquo pacto reſtitui in ſuam ſedem percuperet, Romam venit ad Theodorum pontificem, errati ſui (vt præ ſe ferebat) veniam petens, acceptaque ab eodem fidei regula, & ſimulata illa ſua pœnitentia reconciliatus apoſtolicæ ſedi, ab eodem pontifice reſtitui ſuæ eccleſiæ obtinuit.

Pyrrhus ſimulata pœnitentia, à Theodoro ſua eccleſiæ reſtitui obtinuit.

Sed ſecretorum conſcius & vindex Deus, non diu inultū permiſit tam execrandum facinus, ſed prius vitam finiuit, quàm tanto ſcelere quæſita, recuperataq; eccleſia diu gaudere potuerit. Senatu enim, populoq; Conſtantinopolitano in Martinam, Heraclionemque inſurgentibus, & illam lingua, hunc naſo mutilatos, relegantibus, etiam Pyrrhus à populo in eodē furore de fuga retractus, occiſus eſt, & in locum eius Paulus ſuffectus epiſcopus. Sed & huic primum à præfato Theodoro Romano pontifice eccleſiaſticæ communioni interdictum eſt, eo quod orthodoxæ fidei normam, quam illi præſcripſerat, recuſabat ſuſcipere, adiuuante pertinaciam eius imperatore Con- B ſtantio, & ipſo ſeducto in eandem hæreſim. Deinde Theodori ſucceſſor Martinus, cum nec eius correptionibus acquieuiſſet, congregata ſecum Romæ, CL. epiſcoporum ſynodo, prædeceſſorum ſuorū in Cyrum Alexandrinum, Sergium & Pyrrhum Conſtantinopolitanos epiſcopos damnationis ſententiam confirmans ac renouans, anathematis vinculo illigatum, omni quoque eccleſiaſtica dignitate priuauit, & à Chriſtiano nomine iudicauit alienum. Quam ob cauſam à præfato Conſtantio imperatore, Olympius Hexarchus ad regendam Italiam miſſus, & Martinum pontificem occidere iuſſus, cum id aliter implere non poſſet, cōſtituerat inter miſſarum ſolennia, in eccleſia B. Mariæ maioris, ſub ſpecie ſacræ communionis participandæ de manibus ſanctiſſimi pontificis, per lictorem ſuum gladio illum confodere.

Conſtantius imperator hæreticus Martinū perſequitur.

Qui iuſſa facturus diuino nutu ſubita cæcitate percuſſus eſt. Olympius verò ſacrilegi auſus ſui in ſanctiſſimum pontificem dans meritas pœnas, à Saracenis paulò pōſt in Sicilia turpiter victus, infelicius perijt. Nec tamen ſic quieuit Conſtantij furor in perſequendam Chriſti eccleſiā, donec iuſto Dei iudicio, Deo iam, hominibuſque pariter exoſus, in vltionem tantorum ſcelerum apud Syracuſas confoderetur à ſuis, dum libidinibus vacat in balneo. C

In his itaque turbinum ac tempeſtatum fluctibus & procellis, quibus à perfidiſſimo imperatore, & hæreticis Orientalium ſedium epiſcopis, grauiſſime concutiebatur orthodoxa Chriſti eccleſia, Romani pōtifices ſuæ ſtationis, ſuique, quem obtinebant, loci in eccleſiaſtica hierarchia non immemores, ipſius nauiculæ Petri gubernacula intrepide, ac magna ſemper autoritatis conſtantia, inconcuſſe tenuerunt, & ſynceritatis orthodoxæ fidei ſe regulā omnibus exhibuerunt. Vt eſſet in his omnibus euidens cernere, exauditum pro ſua reuerentia Chriſtum orantem pro Petro, vt non deficeret eius fides ad cæterorum confirmationem in fide, nec præualuiſſe aliquando vllas poteſtates aduerſus illam cathedrā Petri, aut eccleſiam ſuper ipſum ædificatam ac fundatam. Quinimo neceſſe fuit, vt ſemper aliàs, ita in hac etiam diſſenſione, in qua ab omnibus reliquarum omnium ſedium principalium epiſcopis diuerſum ſentiebat vna hæc ſedes apoſtolica, totum tamen orbem vni huic cedere, hanc magiſtram agnoſcere, hanc orthodoxæ veritatis regulam, huius vnius & fidem D ſequi, & ſententiam.

Itaque ſublato diuino nutu Conſtantio, quo tandem pax redderetur eccleſiæ, cum eius filius Conſtantinus, illi quem nomine referebat magno Conſtantino, quàm patri moribus & fidei zelo ſimilior, reipublicæ ſuſcepiſſet gubernacula, ad pacem vnionemque eccleſiarum toto conuerſus animo, vniuerſalem ſynodum congregari magnopere ſtuduit, per quam eccleſiarum hęc ſcandala tollerentur de medio. Qua de re ad Domium Romanum pontificem ſcribens, rogat ipſum & hortatur, vt ſua autoritate, miſsis ab apoſtolico throno legatis adeſſe dignaretur concilio. Qui vna cum congregatis in vrbe regia epiſcopis, de dogmate controuerſo, quod inter eos tantæ diſſenſionis cauſa extitiſſet, inquirerent: Num vnica (vt Orientales illi) an vero duæ in Chriſto voluntates & operationes dicendæ eſſent, vt Romana & orthodoxa prædicabat eccleſia. Quas quidem religioſi principis literas, mortuo iam Domio, eius ſucceſſor Agatho recipiens, nihil cunctatus, ſuos legatos miſit ad concilium, & ipſum, vt legitime celebraretur, apoſtolica autoritate confirmauit. Neutiquam tamen conſentiens, apoſtolicæ ſedis de præ-

Agathonis autoritate celebrata VI. ſynodus.

A de præfato dogmate iam toties præiudicatam ſententiam vllo pacto venire in diſquiſitiooem concilij:ſed ſuis mandata dedit, concilio vt præſcriberent rectæ fidei regulam, quam ſequi omnes oporteret: quemadmodum teſtatur eiuſdem ad Conſtantinum imperatorem & Auguſtos, per eoſdem legatos ſuos ſcripta epiſtola in hęc verba:

Agatho ad Conſtantinū & Auguſtos.

Dominis pijſsimis & ſereniſsimis, victoribus ac triumphatoribus, amatoribus dei & domini noſtri Ieſu Chriſti Conſtantino maiori imperatori, Heraclio & Tiberio Auguſtis, Agatho epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Poſt præmiſſa aliquanta: Dirigimus, inquit, præſentes cõſamulos noſtros, Abuodantium & Ioaonem, reuerendiſsimos fratres noſtros, Theodorum & Gregorium dilectiſsimos noſtros presbyteros cum dilectiſsimo filio noſtro Ioanne diacono & Conſtaotino ſubdiacono ſanctæ huius apoſtolicæ ſedis, &c. Quibus portitoribus & teſtimonia aliquorum ſanctorum patrum, quos hæc apoſtolica Chriſti eccleſia ſuſcipit, cum eorum libris tradidimus: vt facultatem ſuggereodi à benigniſſimo veſtrę charitatis imperio conſequuti, ex his duntaxat ſatisfacere ſtudeaot, dum B imperialis manſuetudo veſtra percipiat, quid hæc ſpiritualis mater eorum apoſtolica Chriſti eccleſia credat & prædicet. Nõ per eloquentiam ſecularem, ſed per ſynceritatem apoſtolicæ fidei, in qua & ab incuoabulis edocti, vſque in finem propagatori veſtri Chriſtiani imperij, cœli domino omnes nobiſcum deprecamur ſeruire & obedire. Licentiam proinde eis dedimus apud ſerenitatem veſtram, dum iuſſerit, ſimpliciter ſatisfacieodi ſecũdum ea duntaxat, quæ eis iniuncta ſunt, ita vt nihil præſumant augere, nihil minuere, ſed traditiooem huius apoſtolicæ ſedis, vt à prædeceſſoribus meis apoſtolicis pontificibus conſeruata eſt, enarrare, &c.

Perſtringens deinde Apoſtolicæ ſedis de prædicto dogmate fidem, traditionem & ſententiam, ſubdit: Hæc, ioquit, eſt apoſtolica atque euangelica traditio, quam tenet ſpiritualis veſtri feliciſſimi imperij mater, apoſtolica Chriſti eccleſia, hæc eſt mera cooſeſsio pietatis, hæc eſt Chriſtianę religionis vera atq; immaculata profeſsio, &c. quam cooperator piorum laborum veſtrorum B. Petrus tradidit, &c. cuius vera confeſsio à patre de cœlis eſt reuelata, pro qua à domino omnium beatus pronunciatus eſt, qui & ſpiritales oues eccleſiæ, ab ipſo redemptore omnium, terna commen C datione paſcendas ſuſcepit. Cuius adniten te præſidio, hæc apoſtolica eius eccleſia, nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa eſt. Cuius autoritatem, vt pote apoſtolorum omnium principis, ſem per omnis catholica Chriſti eccleſia, & vniuerſales ſynodi fideliter amplectentes, in cunctis ſequutæ ſunt, omnesq; venerabiles patres apoſtolicam eius doctrinam amplexi, &c. & ſancti quidem doctores orthodoxi, venerati atq; ſequuti ſunt: hæretici autem falſis criminationum odijs inſecuti, &c.

Priuilegium ſingulare ſedis apoſtolicæ.

Hæc apoſtolica Chriſti eccleſia, per omnipotentis dei gratiam à tramite apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt ab exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab autoribus ſuis apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fine tenus manet, ſecundum ipſius domini ſaluatoris diuinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum principi in ſacris euangelijs fecit: Petre, inquiens, ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum. Ego autem rogaui pro te, vt noo deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Conſideret D itaque veſtra clementia, quoniam dominus & ſaluator omnium, qui fidelis eſt, & fidem Petri non defecturam promiſit, cõfirmare eum fratres admonuit, &c. Hęc ille Agatho.

Collectio ex præmiſſis.

In quibus audis, vt Apoſtolicæ ſedis ſententiam, quam aduerſus totius penè Orientis, & trium principalium ſedium aſſerebat epiſcopos, vniuerſalis tamen cõcilij non ſubmiſerit iudicio. Quin potius eandem illi regulam ſanæ & catholicæ fidei præſcripſerit, quã ſequi deberet: mandans ſuis legatis, ne quid addere pręſumerent, ne quid minuere, aut immutare ab ea ſententia ac definitione fidei, quam ab apoſtolica ſede ſecum attulerant. Vides vt illa ſe præbuerit ſemper vniuerſæ Chriſti eccleſiæ & concilijs omnibus orthodoxæ veritatis regulam & magiſtram. Ob id ſingulari priuilegio præſeruata à Chriſto, ne à via veritatis io quolibet errore vnquam laberetur. Vides quàm ooo ipſa concilia regulatiuam (vt illi loquuntur) autoritatem obtinuerint ſuper autoritatem cathedræ Petri & apoſtolicæ: ſed contra è diametro. Cuius autoritatem ſem per omnis catholica Chriſti eccleſia, & vniuerſales ſynodi fideliter amplectentes,

in

A ſi filius interitus, pater contumaciæ, &c. Hactenus ille.

Epilogus ex actis doctorũ conciliorum.

Audis itaq; in his omnibus, non ſolùm, quod ſuprà ſatis, ſuperque demonſtratum eſt, Romanũ pontificem ab vniuerſo ſemper orbe recognitum vniuerſalem paſtorum principem, & totius dominici ouilis rectorem, ſed etiam id de quo nunc præcipue agimus, nempe ipſam Petri cathedram fuiſſe ſemper vniuerſæ Chriſti ecclesiæ & concilijs omnibus, rectæ fidei regulam, magiſtrã & vindicem, & ob id diuino conſeruatam priuilegio nulli vnquam ſubiacuiſſe prauitati hæreticæ, ſed apoſtolicã traditionem, orthodoxæq; fidei ſynceritatẽ, vt eam accepit ab initio, à ſuis illis autoribus Apoſtolorũ Chriſti principibus, illibatam cõſeruaſſe, & conſeruaturã perpetuo. Id quod ſemper agnoſcens orthodoxa Chriſti eccleſia quotieſcunque fidei cauſa, etiã in celeberrimis ex totius orbis epiſcopis congregatis concilijs euentilata extitit, aut ſimpliciter ſequuti ſunt omnes huius ſedis ſibi præſcriptã regulam, aut iã prædicatam ſententiam, quemadmodum in Conſtantinopolitana prima & ſecunda, & Epheſina prima, atq; in hac ſexta ſynodo, Conſtantinopolitana tertia, factum de-B monſtrauimus, in quibus conuenientes ex vniuerſo orbe venerabiles patres & epiſcopi amplexi & ſimpliciter ſequuti ſunt pręiudicatam à ſede apoſtolica ſententiã, aut id ꝙ in concilijs definitum eſt, ad huius adhuc ſedis iudiciũ autoritatemq́ue, tanquã ad ſuperiorem quandam, & infallibilem rectæ fidei amuſsim, remiſſum eſt, vt etiam in illo omnium primo & ſanctiſsimo Niceno concilio factum oſtendimus: aut fecerunt vtrunque, queádmodum audiſti de Chalcedonenſi concilio. In quo iam pręſcriptam ipſis regulam pręiudicatamq́; beatiſsimi Leonis aduerſus Euticetem & Dioſcorum ſententiam ſequuti, nihilominus definitionem ſynodalem, actaq́ue omnia ad eiuſdem autoritatem remiſerunt, robur eis impartiri ab illo adhuc expectantes.

De ſeptima ſynodo.

Ordo poſtulat, vt & VII. ſynodi hic breuiter perſtringamus hiſtoriam, quo & in ea luce clarius pateat ipſa rei euidentia de autoritate apoſtolicæ ſedis in concilijs vniuerſalibus, quam in prioribus demonſtrauimus.

Eius occaſio altius repetitur.

Cum nunquam ſibi conſtans Græca illa leuitas & mobilitas, ſemper noui aliqd quæreret, & expugnatis iã ferè hæreſibus circa indiuiduæ trinitatis, & incarnationis verbi myſteria, nihil circa eadem non C iam damnatum comminiſci poſſet, bellũ inſerre cœpit venerandis Chriſti & diuorum imaginibus, quibus eatenus vſa fuerat vniuerſa Chriſti eccleſia, & nouo furore eaſdem & more catholico venerantes illas perſeqni.

Iconomachorũ furor ſub Leone imperatore.

Cœpit ferè hæc peſtis circiter annum domini D.CCXVIII. non longe poſt VI. ſynodum, ſub Leone imperatore. Qui primus ſanctorũ omnes imagines deponi, abradi, conteri, comburiq́ue iuſsit.

Aduerſus quem B. Gregorius, eius nominis III. cõuocata Romæ generali ſynodo, in qua prope M. interfuiſſe leguntur epiſcopi, eundẽ Leonem cum ſuę impietatis aſſertoribus eccleſiaſtico anathemati ſubiecit, & peſtẽ illam Iconomachorum atro carbone notauit, & eccleſiaſticæ cenſuræ mucrone iugulauit. Sed cum ille in impietate ac pertinacia ſua perſiſteret, vltrix ei vindicta diuina non defuit, hinc immiſſis Saracenis in ditiones imperij. Inde vero vrbe regia Conſtantinopolitana tã graui peſte vaſtata & depopulata, vt in eadem ſupra trecentena milia hominum perijſſe, certæ fidei prodant hiſtoriæ. Et cum nec ita reſipiſceret, eadem etiam & illũ ipſum perijſſe Leonem. Cuius filius Conſtãtius, D paterna imbutus perfidia, cum eandem nõ imitari tantum, ſed & vincere pergeret, etiam necromanticis & magicis artibus ritu pagano ſeruiens, ſacrilego furore etiam orthodoxos exilijs, & proſcriptionibus aggreſſus eſt perſequi. In quem exurgens Stephanus Romanus põtifex eius nominis II. prolatam à Gregorio tertio in Leonem patrem confirmat anathematis & damnationis ſententiam. Ex quorũ cineribus (ne qua nunc peſtis deeſſet perſequutioni eccleſiæ) Lutherani impietatis ſectatores & diſcipuli, rediuiua iamdudum per Germaniam ſuſcitarunt incendia. Et cum hæc flamma vniuerſum pene Orientẽ inuolueret, tandem Conſtantius alter, illius perfidi nepos, cũ Iræne matre aſſequutus imperij gubernacula, cum ſub euidenti, quam ſentiebant & cernebant, vltione diuina cœpiſſent aperire oculos, ad Apoſtolicam cathedram orthodoxæ fidei magiſtram reſpicere cœperunt: ſupplices literas mittentes ad Hadrianum pontificem, vt concilio vniuerſali, quod ſecundo celebrari cupiebãt in Nicea, ſua autoritate adeſſe dignaretur: quo in eodem eluceſceret orthodoxa, & catholica veritas: & eliminaretur atq; aboleretur cõtraria impietas,

Diuina vltio in Leonem.

Conſtantini Leonis filij aduerſus orthodoxos perſecutio.

Lutheri ſchola hanc redúxit infamiã.

A quæ iam annis multis infeſtarat Orientis eccleſias. Cuius ſi ad Auguſtos reſponſiuã perlegas epiſtolã, quam celebrãdo concilio aſſenſum prębens, miſit cũ Petro monacho cardinali presbytero, & altero Petro abbate ſanctæ Sabinæ de vrbe, Apoſtolicę ſedis legatis, q vice ſua præeſſent concilio, etiam hinc intelliges id ꝙ toties demonſtratum eſt: Omnẽ videlicet conciliorum autoritatem ab huius ſedis autoritate prorſus dependere. Præſumptũ fuerat (vt ex eadem conſtat epiſtola) poſt ſextam ſynodum aliud quoddam concilium in illis Orientalibus eccleſijs abſq; autoritate ſedis Apoſtolicę. De quo cũ Auguſtis expoſtulans, & oſtendens inſuper nullã eſſe cauſam dubitandi circa venerationem ſacrarum imaginum poſt iteratam definitionẽ ſedis Apoſtolicæ, primum ſub Gregorio tertio, & ſecum congregata ſynodo, deinde ſub Stephano ſecundo, nec vt de eadem rurſus diſceptaretur in concilio, illius celebrationi ſe conſenſurum conteſtans: Si vero, inquit, impoſsibile eſt, ob hæreticorum veſaniam, & propter incredulitatem ipſorum, ipſas ſacras & venerandas imagines abſque ſynodi actione in priſtinum erigere & confirmare ſtatum, & noB ſtros ſacerdotes, pro eiuſmodi pia operatione veſtra cupit ſereniſsima imperialis potẽtia accerſere, ſicut in veſtris fertur imperialibus literis. In primis pſeudo illud concilium, ꝙ ſine apoſtolicæ ſedis autoritate, irrationabiliter, nequiterq; cõtra ſanctorũ venerabilium patrũ traditionem actũ eſt, anathematizetur præſentibus miſſis noſtris, & cætera: Deinde orthodoxa fides corroboretur iuxta traditionẽ ſedis apoſtolicæ, & hæreſis ſacras imagines impugnantiũ etiã anathematizetur, &c. Cuiꝰ præſcripto S. ſynodus per omnia obtẽperans, nihilo minus vt iuxta præcedentium legitimorũ conciliorum exemplũ, ad ſpecialem autoritatis eius confirmationẽ remitterentur vniuerſa acta ſynodalia, autor fuit Tharaſiꝰ Cõſtãtinopolitanus antiſtes.

Cõcluſio ex hiſtoria ſeptimæ ſynodi

Itaque etiã ex huius concilij hiſtoria æque eluceſcit euidenter, quam hactenus adſtruimꝰ, orthodoxa veritas: Vniuerſam autoritatẽ conciliorum vniuerſalium dependere ab autoritate ſedis apoſtolicæ. Eandemq́ue vniuerſæ ſemper eccleſiæ & concilijs omnibus, exhibuiſſe ſe orthodoxæ fidei magiſtram & vindicem.

De octauo ſynodo.

Supereſt adhuc vnum illorum cõciliorum vniuerſalium, per quæ vniuerſa diſcurrere inſtitutum eſt, & per ſingula explicare ipſam rei euidentiam, & catholicæ eccleſiæ recognitionem, de veritate quã hic demonſtrandam ſuſcepimus. C Octo namq; vniuerſales ſynodos ex priſcis illis & agnoſcit & ſequitur vniuerſa Chriſti eccleſia, ex quibus iam ſeptem percurrimus. Nicenas duas, primam & ſeptimam, Conſtantinopolitanas tres, ſecũdam, quintam & ſextam, Epheſinam præterea, & Chalcedonẽſem. In quibus omnibus, vt tractata eſt fidei quæſtio, ita & viguiſſe in omnibus vnius ſedis apoſtolicæ autoritatẽ, eandemq́ue ſe omnibus orthodoxæ fidei magiſtram exhibuiſſe & vindicẽ, clariſsimè demonſtratum eſt.

Explicatur cauſa octauæ ſynodi.

Reſtat octaua, Conſtãtinopolitana quarta. Quæ non vt priores, ob vllam quæſtionem fidei, ſed ob iudicium inter Photium & Ignatium de Conſtantinopolitana ſede diſsidentes, ſub Nicolao primo celebrata eſt. Siquidem non ſolum quæſtiones fidei, ſed epiſcoporum quoque iudicia, ad huius ſedis autoritatem ſingulariter pertinere, & ſine ea peragi non poſſe, etiam ſupra demõſtratum eſt. Cuius & occaſionem & hiſtoriam vt intelligas.

Præſederat Ignatius Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, annos circiter duodecim, vir ſanctus & integer, vindex eccleſiaſticorum canonum. D Cum quidam eius liberam autoritatem non ferentes ex ſuffraganeis ipſius & ſubditis, ſed odij & inuidiæ facibus contra eum accẽſi, alij vero ſuperbiæ faſtu elati, Michaelis quoque imperatoris animati conſenſu & autoritate, qui ſeuerioribus eius correptionibus ſæpe irritatus, & Bardæ patricij inſtigationibus inſuper accenſus, illi aduerſus fuerat, conſurgentes in ſanctum epiſcopum, congregata numeroſa epiſcoporum ſynodo, cui medius imperator interſuit, eundem damnatũ eiecerunt ab eccleſia cui præſidebat iure & legitime. Et in locũ eius Photiũ quendã è foro & ſeculari militia, eque palatinis ędibus eductum, & ſubito tonſoratum, aduerſus eccleſiaſticos canones eidẽ præfecerunt eccleſiæ. Vnde cũ grauia naſcerentur & ſcandala & ſchiſmata, non ſolum in vrbe Conſtantinopolitana, ſed etiã in vicinis circunquaq; ciuitatibus, alijs Photij ꝓmotioni fauentibus, alijs contra, vt aduerſus canones, ſuperſtite, nec legitime accuſato aut damnato Ignatio factam merito deteſtantibus, Michael imperator oratores ſuos miſit ad ſedem Apoſtolicam, & Nicolaum pontificem eius præſidem, apud eundẽ accuſans Ignatiũ, velut auto-

rem

A remnatorum malorum, ſcandalorum ac ſchiſmatum, ſimul & rediuiuis Iconomachorum contentionibus vexari Conſtantinopolitanam eccleſiam ſignificans, vtq; à latere ſuo legatos illuc mitteret, qui exorta è medio ſcandala tollerent, inſtanter poſtulauit. Qua in re pro officij ſui debito haud grauate illi obſequutus ſanctus pótifex, miſsis à latere ſuo Rodoaldo & Zacharia epiſcopis, hoc in mandatis dedit, vt Ignatij cauſas (qui ante de eccleſia ſua videbatur pulſus, quàm in legitimo accuſatus & condemnatus iudicio) tantummodo inueſtigarent diligenter, & plena veraciq́ue relatione referrent ad Apoſtolicæ ſedis iudicium. Interim vero ne communicarent cum Photio, niſi velut cum laico, ſingulariter pręcepit. At illi Conſtantinopolim venientes imperiali largitione corrupti, quæ ſibi mandata fuerant, in contrarium verterunt omnia. Nam & cum Photio inuaſore eccleſiæ inter ſancta cómunicarunt myſteria, & Græcorum conſentientes factioni pernicioſiſsimæ, prolatam in Ignatium velut ex Apoſtolicæ ſedis autoritate confirmarunt damnationis ſententiam, expoliatumq́ue ſacerdotali-

B bus infulis, ab omni regimine expulerunt eccleſiæ. Quibus peractis, miſſus ab imperatore Leo à ſecretis ad Nicolaum pontificem, duo illi volumina obtulit: alterum geſtorum depoſitionis Ignatij, alterum actorum in cauſa ſacrarum imaginum. Reddidit pręterea imperiales literas, quibus idem inſtãtiſsimè requirebat, vt in depoſitionem Ignatij & cõfirmationem Photij conſentiret & ſubſcriberet. Ille vero conuocata vniuerſa Romana eccleſia coram eadem præſente imperiali legato publice conteſtatus eſt, quæ legati ſui egiſſent, minimè acta ex ſua ſententia: imò in illos ipſos vt præuaricationis reos protulit damnationis ſententiam, addens, nunquam ſe conſenſiſſe, nunquam etiam conſenſurum in deiectionem Ignatij, vel promotionem Photij: quin potius eandem, vt ſacris canonibus contrariam, irritauit ac repudiauit. Quod ipſum etiam literis ſuis Michaeli imperatori per eundem Leonem ſignificauit. Vnde ille inapertam impietatem, rebellioné, defectionemq́; à ſede apoſtolica erumpens, reſcripſit plenas iniuriarum, minarum, blaſphemiarumq́; literas. Quibus idem pontifex liberrima reſcripſit cõſtantia. Horum ita actorum præter fidem hiſtoricam teſtis eſt inprimis eiuſdem Nicolai epiſtola, ſcripta

Imperatoris indignatio, & pontificis libera conſtantia.

vniuerſis per Aſiam & Libyam orthodoxæ fidei cultoribus: qui, inquit, catholicã pietatem, ſanamq́ue doctrinam cum B. Petri cathedra ſectantur & aſſerunt: qua vniuerſa hæc acta ita ex ordine complectitur: ne cui forte imponeretur ſub nomine & prætextu autoritatis ſedis Apoſtolicæ: cuius legati confirmaſſent in Ignatium damnationis ſententiam & promotionem Photij. Teſtis quoque eiuſdem Nicolai ad Michaelem epiſtola, qua ſuæ illi iniurioſæ & comminatoriæ libera autoritate reſpondet. In qua ab his, quæ ille aduerſus ſacerdotalem, pontificiamq́ue autoritatem irreuerentius effutiuerat, incipiens, eius dignitatem diuinarum ſcripturarum autoritate & communi Chriſtifidelium cõſenſu confirmans, non ad vitam, ſed officium ſacerdotum reſpiciendum docuit, eisq́ue cathedræ apoſtolicæ præſidentibus obſequendú ſimpliciter. Id quod ex figura veteris tabernaculi clare confirmat. Nihil illam debere quibuſuis autoritatem ſuam agnoſcentibus: quin potius vni illi debere omnes orthodoxam fidem conſeruatam in catholica eccleſia, quam ab vna illa ſæpenumero ſuſtentatam, aſſertamq́ue certum eſt. Cuius, inquit, priuilegia Chriſti o- D

Ex Nicolai ad Michaelẽ imperatorẽ epiſtola.

re in beato Petro firmata, atq; ab ipſis Apoſtolis diſpoſita in eccleſia obſeruata antiquitus, celebrata quoque à ſanctis vniuerſalibus concilijs, ab vniuerſa deniq; eccleſia iugiter venerata ac recognita, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi aut commutari. Quod enim fundamentú Deus poſuit, humanus non valet amouere conatus, ſed firmum, validumq́; conſiſtit. Impingi proinde poſſe ab his, qui Dei ordinationi conantur reſiſtere, ſed nõ transferri, velut radicata & plantata diuinitus. Quæ, inquit, ante imperium veſtrum fuerunt, & permanent, Deo gratiæ, hactenus illibata, permanebuntq́ue poſt vos, & quouſque nomen Chriſtianum prædicatum fuerit, immutilata ſubſiſtere non ceſſabunt. Ad iudicium autem ſuum de Ignatio & Photio reuerſus, tametſi à nemine retractari poſſet apoſtolicæ ſedis ſententia, ne tamen Photius ille, vt faciebat, queri poſſet, ſe non auditum, nec defenſum, damnatum à ſede apoſtolica, quanuis cauſa eius diligenter intellecta fuiſſet, ordinauit & iuſſit, vtranque partem Romam venire ad renouandum examen. Quanuis enim ratum alioqui, firmumque manere deberet apoſtolicæ ſedis, vt ſummi in eccleſia tribunalis iudiciú, nec ab illo vſquã

Priuilegia cathedræ apoſtolicæ conſtituta diuinitus.

A appellari ſecundum canones. In hac tamẽ cauſa ſecundum indulgẽtiam, inquit, hoc concedimus: non licentiam id faciendi tribuimus pro cuiuſq; libito. Cum enim, vbi eſt maior autoritas, inferiorum iudicium illo referri iubent canones, patet vtique, apoſtolicæ ſedis (cuius autoritate maior nulla eſt) à nemine retractari poſſe iudicium, nec de illo iudicari à quoquã, ab illa neminem appellare, ad quã ex orbe vniuerſo vltima prouocatio conceditur, ſecundum eccleſiaſticas regulas. Hæc ipſa, etiã ſanctorum patrũ ſententijs comprobari, Boniſacij præſertim & Gelaſij. Præſcribẽs deinde nominatim, quos velit ex vtraque parte mitti, velut ad cauſæ merita intelligenda idoneos. Confidimus autẽ, inquit, in domino, qui fecit de tenebris lucẽ ſplẽdeſcere, & qui dat homini ſcientiam, quoniã ſi partes, quas diximus, ad illius limina peruenerint, qui mentientes Ananiam cũ Saphira gladio ſpiritus ſancti interemit, ſi qua ſunt incerta & abdita, reuelabuntur & manifeſta fient. Quia nos hoc ſemper in votis habemus, & inhianter deſideramus, vt æqualitatem vtriſque partibus ſeruantes, nihil, niſi quod ſacri canones, niſi quod æquitas dictauerit, adiuuante domi B no ſtatuamus, &c.

Veritatem elucescere in iudicio ſedis apoſtolicæ.

Et hæc quidem, atque eiuſmodi multa, Nicolaus ille, prolixiſsima equidem epiſtola, ſed quæ ſola, ſi diligenter legatur, clariſsime comprobat ipſam rei euidentiam, & conſenſum recognitionemq́ue catholicæ eccleſiæ de autoritate, quã hic adſtruimus, ſedis Apoſtolicæ in vniuerſa eccleſia atque in concilijs omnibus. Quibus & regulam & magiſtram, vindicemq́ue orthodoxæ fidei, rectorumq́ue iudiciorum ſe ſemper præbuit. Quæ equidem nihilo minus apud te ponderis aut momenti habebit, quod ſcripta ſit à Romano pontifice, imò tanto magis, quanto nunquam inuentum eſt ocioſum aut inefficax (quod ſuprà demonſtrauimus) cathedræ Petri, & in eadem præſidentium illud ſingulare priuilegium. Quanquam & ſine eo, ipſa per ſe res de qua agitur, ipſa ſcriptorum & antiquitas, & autoritas, ipſe ſcribendi modus, ipſi denique ad quos ſcripta ſunt, ipſe demum exitus negociorum & cauſarum, ob quas ſcripta ſunt, eorundem indubiam veritatem clariſsime comprobant. Nam ſcripſit is non ita nuper; nec noſtro ſeculo, ſed ante annos paulo minus ſeptingentos. Gelaſius autem, quem idem citat, ante annos mille. Bonifacius vero ante annos vndecies centenos. Scripſerunt autem (vt C priuilegium cathedræ taceam) non obſcuri, non priuati homines, ſed præſidentes hierarchiæ vniuerſæ Chriſtianæ eccleſiæ, non in angulis aut latibulis, ſed è ſpecula illa Apoſtolicæ cathedræ, in quam totius ſemper orbis coniecti ſunt oculi, non in ocioſis aut deliteſcentibus chartis, ſed palam in epiſtolis miſsis vniuerſis per orbem epiſcopis, in cauſis publice cõtrouerſis, & quæ orbem concutiebant vniuerſum. In quibus vniuerſæ eccleſiæ, non niſi publice nota, confeſſaque vniuerſæ eccleſiæ, tanta cum confidentia publice iactaſſe de huius ſedis autoritate, qua ſuo vnius iudicio ac ſententiæ orbem reddebãt obnoxium, tametſi nihil ſanè dubitandum foret, etiamſi aliter eius non conſtaret veritas: præſertim quando ad ipſum etiam exitum ſingularum earum tragœdiarum, quarum occaſione ſcripta ſunt, reſpexeris: ex quo clariſsime intelliges ſua ipſius cõſcientia & confeſsione victum orbem vniuerſum, vnius huius ſedis autoritati, iudicio ac ſententiæ ſemper dediſſe manus.

Nihilo minus eorum omnium veritatem certiſsimam, in ſuperioribus euidẽter demonſtrauimus. Nunquid enim non ipſa D hoc clamat rei euidentia, quod niſi vnius huius ſedis fides perſtitiſſet immobilis, vna toti eccleſiæ ſe præbuiſſet magiſtram & vindicem orthodoxæ fidei, actum fuiſſet de eius integritate, vt in Niceno expoſita erat concilio, quando ad eam ſubuertendam, tam pertinaciter, tam multis annis vniuerſus laboraret Oriens vna cum perfidis imperatoribus, totiſq́ue viribus imperij? cum tam multa aduerſus pietatem conuenirent epiſcoporum concilia, & nouiſsime eandem proderent & abrogarent (Orientalium fraude circumuentis Occidentis, alioqui orthodoxis epiſcopis) in Ariminenſi vniuerſali concilio? Nunquid non actum de eadem, cũ in Epheſino quoque ſecundo & ipſo vniuerſali concilio, cunctis eccleſiarum præſulibus, & ipſis quoque patriarchis prolabentibus, damnata fuit orthodoxa fides de incarnationis verbi myſterio, & in locum eius probata receptaque Enticetis perfidia, niſi magnus ille Leo vnus orthodoxæ fidei vindex & aſſertor, apoſtolicæ ſedis autoritate Chriſti ſuccurriſſet eccleſiæ? Nunquid denique etiam tum de eadem actum non fuiſſet, cum Orientem pene totum, vniuerſasq́ue alias ſedes principales catholicæ CHRSTI eccleſiæ, monothelitica illa perua-

Quoties vnius apo. ſedis autoritate cõſeruata ſit orthodoxa fides in eccleſia.

A peruaſiſſet, infeciſſetque impietas, niſi v-
nam Romanam, eiuſque præſules conſer-
uaſſet illud adeo (vt cerois) oeceſſarium
CHRISTI oratione impetratum iode-
ſectibilis fidei priuilegium ad confirman-
dos fratres in fide? Niſi ſola hæc, oulli vn-
quam ſubmittens ſe impietati hæreticæ,
aduerſus pene totius orbis epiſcopos, ad-
uerſus huius mundi rectores & dominos,
aduerſus imperatores & imperium, inde-
feſſo ſemper labore tutata eſſet ſyncerita-
tem orthodoxæ fidei? Et quis per voiuer-
ſam eccleſiam conſeruaſſet eccleſiaſticos
canones? Quis ſuccurriſſet iniuſtiſsimum
iudicium toties paſsis à coouentibus &
cōcilijs maligoaotium, orthodoxis & ſan-
ctiſsimis epiſcopis, io quibus ad opprimē-
dam innoceotiam, vna eum principalium
ſedium atque aliorum oumeroſiſsimo cœ-
tu epiſcoporum, iovoum eoouenerunt et-
iam imperatores, reges & priocipes, oiſi
oeceſſariam illam toti eccleſiæ cathedræ
Petri autoritatem, iouiolabilis petræ ſoli-
ditate firmaſſet CHRISTVS, ſingula-
riq; illo muoiſſet priuilegio? Quis Athaoa
ſiū, Paulum & alios orthodoxos, innoceo-
teſq; epiſcopos calumoiam paſſos atq; in-
iuſtiſsime dānatos ab ila Antiochena ſyn-
B odo vindicaſſet ab iniuria iniuſtiſsimi iu
dicij? Beatū Ioaooem, cognomento Chry
ſoſtomum, Conſtantinopolitanum epiſco
pum damnatum frequentiſsima totius pe-
ne Orientis epiſcoporum etiam orthodo-
xorum ſynodo, etiam hodie inter execra-
tos haberet catholica eccleſia, niſi illorū
iudicio apoſtolicę ſedis reſtitiſſet iudiciū,
illoque damnato in ſuam communionem
recepto, in eius damnatores coouertiſſet
damnatioois ſeotentiam. Et beato etiā I-
gnatio, tam Imperiali potentia quàm ſyo-
dali, ſed iniuſtiſsimo iudicio eiecto ſede
ſua, Conſtātinopolitana eccleſia, ſi vna hu-
ius ſedis aut dormitaſſet aut elanguida fu-
iſſet autoritas, quiſnam tuliſſet ſuppetias?
Breuiter in vniuerſa eccleſia quis eſſet,
aut fuiſſet ordo, qui eccleſiaſticæ diſcipli-
næ vigor, quæ vnitas, quę ſynceritas fidei,
oiſi eo quo factum demooſtrauimus mo-
do per vnius eceleſiaſticę hierarchiæ prę-
ſidis illam, quam hactenus adſtruximus, au
toritatem illud ſingulare priuilegiū ſuæ
CHRISTVS prouidiſſet eccleſię? Cu-
ius noo ſolum veritatē indubiam, ſed etiā
neceſsitatem ex his quæ hactenus dicta
ſunt, plane iotelligis. Itaque vt hic tandē
finiamus, cum non obtemperaret impera-

Solī conſeruaſſe vnitatē, ordinē, diſciplinæ vigorem, & fidei ſynceritatem in eccleſia.

tor Michael apoſtolicæ ſedis iudicio de C
Photio & Ignatio, autor fuit Nicolaus, vt
Conſtantioopoli quarto cōgregaretur v-
niuerſale epiſcoporum conciliū, quo in tā-
to conuentu comprobaretur, atq; omnib.
palam fieret, iuſtum fuiſſe apoſtolicæ ſedis
iudiciū. Id quod factum eſt: Siquidē con-
firmata in Photium damnationis ſeotētia,
ſuæ ſedi Ignatius reſtitutus eſt.

Ab VIII. vniuerſali concilio comprobata apoſto. ſedis ſententia.

Satis ergo, ni fallor, ſuperq; ex his demō-
ſtratum eſt, omoem prorſus actionem con
eiliorum omnium, ex vnius apoſtolicæ ſe-
dis autoritate dependere, ab ea ſola ſuā au-
toritatem, ſuum robur accipere. Eam eſſe
fuiſſeque ſemper concilijs omoibus mode
ratricem, & orthodoxæ fidei regulam in-
fallibilem, non vice verſa. Illa ſiquidem,
huius ſedis autoritate ſecluſa, quantumuis
alioqui frequentia & vniuerſalia, oon ſolū
errare poſſe, ſed erraſſe frequenter, etiam
in fidei defioitione & negocio. Hanc vero
ounquā, ſed normam orthodoxæ fidei, vt
eam ab initio accepit ab apoſtolorum prio
eipihus, illibatam cooſeruaſſe perpetuo, &
cooſeruaturam ad finem. Errantibus con-
cilijs hanc ſemper ſuccurriſſe. Illa huic oū-
quam, ſicut nunquam aberraſſe proba-
bitur. D

Concluſio.

Cauillationes quaſdam, quibus hæreticorum con-
ſpiratio autoritati indicti à Paulo tertio Romano
pontifice concilij publice detrahit, & pontifi-
ciam autoritatem contemptibilem
omnibus facere conatur, breui-
ter explicare.

CAP. XII.

NOn potui hic lector Chriſtia-
oe præterire, quæ aduerſus in-
dictā his ipſis diebus ſyoodū,
impia illa hæreticorum cooſpi
ratio euomuit, multa ineptiēs, de Chriſtia-
na quadā & libera ſynodo, per quā mede-
ri oporteret eccleſię vulneribus: oec tamē
intelligēs quid aut de quo loquatur, adeo
vt nec ſi libertas illis fiat effingēdi, qualē
ſynodū velint, illā ipſā poſsiot exprimere.

Itaque vt ſemper tergiuerſatur quan-
tumuis deprehenſa impietas: ita hi cū Apo
ſtolicæ autoritatis eeoſura ſua impia do-
gmata perſtricta viderent, eidem deroga-
re, eandemque contemnere cœperūt, pro-
uocantes ad ſynodale iudicium. Vnde ple-
roſque parum firmos aut dubios in fide
in ſuſpenſo retinuerunt. Quibus etiam

A ijdem illi Apoſtolicæ ſedis autoritatem,
quam hactenus luce clarius demõſtraui-
mus, & indefectibilis fidei priuilegiũ, im-
pijs ſuis perſuaſionibus reuocarunt in du-
bium. Quorum infirmitati vt occurreret
Paulus Rumanus pontifex eius nominis
tertius, pius & diligens paſtor eccleſiæ, ſi-
mul vt illorũ omnes tergiuerſationes ex-
cluderet, cum iam nuper generale conci-
lium, quanuis iniquo aliuqui tempore,
quocunque tamen modo celebrandum,
indixerit, miſsis ad vniuerſos Chriſtiani
orbis epiſcopos & principes, vt eode con-
currerẽt, quo in illo toti orbi pateſceret iu
ſtam in illos prolatam Apoſtolicæ ſedis
ſententiam, & cuique palam fieret quæ eſ-
ſet de inductis per illos quæſtionibus &
prophanis nouitatibus orthodoxa & ca-
tholica veritas, atque hi ea in re præter
ſpem iam ſe deprehenſos plane intellige-
rent, cum nihil minus vellent aut expe-
ctarent quàm ſynodale iudicium: tametſi
ad illud ſecure, velut nunquam futurum
prouocaſſent toties, ſperantes nunquam
induci poſſe pontificem vt concilium in-
diceret. Et vt maxime vellet, non poſſe
ob bellorum tempeſtates, quibus Chri-
ſtianus orbis velut à fundamentis concu-
B titur: Iamdudum clare intelligentes, o-
mnium orthodoxorum ſe damnatos præ-
iudicio, cœperunt inire conſilia, ſed con-
tra dominum & CHRISTVM eius,
cœperunt ſe quanuis doctrina & fide diſ-
cordes coniungere ſacramentis & fœde-
ribus, cœperunt ſollicitare reges & prin-
cipes, cœperunt cauillari multis rationi-
bus ſuſpectam ſibi indictionem concilij
eiuſmodi, cœperunt eius autoritati pu-
blice detrahere apud omnes ordines, cœ-
perunt denique famoſis libellis in vul-
gum ſparſis plenis execrabilis blaſphe-
miæ, plenis impudentiſsimorum menda-
ciorum in eccleſiaſticæ hierarchiæ præſi-
des, vulgo contemptibilem facere. Ad
quæ hic diſsimulantes, ſuſceptumque
ab initio vrgentes argumentum, quod
hoc ipſum mihi requirere viſum eſt, ratio-
nes, quas Smalcaldiano conuentu dicta-
tas aduerſus autoritatem Romani ponti-
ficis in concilijs multis deinde exempla-
rium millibus ſparſerunt in orbẽ, hic con-
trahemus in compendium, merasque eſſe
calumnias demonſtrabimus. In primis i-
taq; iuſtiſsimas aduerſum ſe grauiſsimas-
que orthodoxorum accuſationes præui-
dentes, quòd nunc ſynodale iudicium ca-
lumnientur & ſubterfugiant, ad q̃ toties C
prouocauerunt, & ſuo more quaſi in calu-
mnias transfor mãtes, non dubitare ſe di-
cunt, quin hoc ipſum ſuũ reſponſum mul-
tis modis calumniaturi ac deprauaturi ſint
aduerſarij. Nec enim in tantis rebus vllum
plauſibilius argumentum reperiri poſſe,
quo ſe magis prægrauent, ſuã cauſam ob-
ruãt ac maius odium ſui apud omnes gen-
tes accendant atq; inflamment, quàm ſi i-
pſos criminentur, quod ſynodi iudicium
atque autoritatem defugiant. Affingent
etiam, inquiunt, nos aliarum nationum iu
dicia contemnere, quæ amorem religionis
maximis rebus geſtis declararunt, quæ o-
lim multos clariſsimos doctores eccleſiæ
pepererunt, poſtremo, vbi etiam ſunt ma-
xima ſtudia doctrinæ Chriſtianæ. Addent
ſynodorum recuſationem indignam eſſe
Chriſtianis, cum ſynodi ſint ſumma eccle
ſiæ iudicia. Adducent nos in ſuſpicionem,
quaſi nos pudeat cauſæ noſtræ, quare eam
proferri in lucem nolimus. Aut ita dele-
ctemur diſsidio orbis terrarum, vt temere
nos à cæteris nationibus ſeparare, aut pro-
hibere, quo minus coeat concordia, cu-
piamus.

Has aduerſum ſe obiectiones vt amo-
liantur, maxime, inquiunt, laborandum D
nobis exiſtimamus, vt opinionem & volun
tatem noſtram de huius ſynodi indictio-
ne, omnibus regibus exponeremus: qua
cognita ſperamus, non ſolum nos ſatis
purgatos fore omnibus regibus, principi-
pibus & bonis viris apud omnes nationes:
ſed etiam ipſos ſuum iudicium addituros
eſſe & petituros, vt eccleſiæ recte conſula-
tur, neque per ſpeciem ſynodi paucorum
tyrannide veritas opprimatur. Promit-
tentes ſeſe oſtenſuros, non ſolum ab hæ-
reſibus & impijs dogmatibus abhorrere,
ſed etiam ab arrogantia & pertinacia eſſe
alieniſsimos.

Sed nunc audi, quo pacto hoc ipſum
quod tam magnifice pollicentur, præſtet
& exequatur.

Adeo enim, inquiunt, ſe non contemne-
re aliarum nationũ iudicia, vt hoc ipſum
agant ne papa cum ſuis ſibi ſumat iudici-
um, ſed idonei & non partiales deligan-
tur ad examinandam cauſam, quod nihil
dubitant vbiq; terrarum tacitis votis ge-
mentẽ optare eccleſiã. Nõ ſe defugere ſyn
odos, ſed verũ iudicium ſynodi permitti
ſe petere, in quo pij & docti, non partiales,
damnent pugnantia cum verbo Dei. Non
eſſe

A eſſe ſynodum veram & legitimam, in qua pontifices (qui iniuſta dominatione oppreſſerunt eccleſiam) cognoſcunt res, pronunciant ex ſuis traditionibus & conſuetudine contra verbum dei. Chriſtum, cum conſtituit ſummum eccleſiæ iudicium, inquiens: Dic eccleſiæ, prohibuiſſe tyrannidem, & certe voluiſſe, vt eccleſia ex verbo Dei ſtatuat, non ex humana aliqua autoritate.

Proinde rogare ſe exterarum nationum reges & principes, ne putent ab ipſis parui pendi aliarum nationum iudicia, aut ſynodos contemni, neu aduerſarijs ſuis credant, qui calumnijs (vt dicunt) eiuſmodi conantur obruere puriorem doctrinam, quam profitentur. Nec poſſe ſe videri latebras quærere, aut reformidare lucem, qui doctrinæ ſuæ confeſsionem, apud ſe publicè, aſsiduè & diligēter tradi curent, & iamdudum ſcriptis doctorum ſuorum emiſſam dicunt in orbem, quæ queruntur non ſatis libere vbiq; recipi, cum multis in locis præclare meritos illos de eccleſia prædicent. Antè oppreſſam denſiſsimis tenebris doctrinam Chriſtianam, videlicet impiorum cultuum, monaſticarum cæremoniarum, perplexarum queſtionum & cauil-
B lationum, per ſuos illos, ſcilicet pios, & doctos, euolui cœptam. Iam primum ex eorundem ſcriptis, de vera pœnitentia, deſide qua conſequimur remiſsionem peccatorum, de ſpiritali iuſtitia, de vſu ſacramentorum, de poteſtate eccleſiaſtica, de diſcrimine & vſu traditionum, de dignitate rerum ciuilium, deque alijs multis locis plurimum lucis euangelio acceſsiſſe. Has res tantas, eccleſiæ neceſſarias, vtiles ad pietatem, ad bonos mores, ad communem tranquillitatem, pollicentur libenter ſe edituros in illa ſynodi luce omnibus regibus, principibus & nationibus. Quare, & optare ſe aiunt talem cœtum, in quo & ipſis liberum ſit ſuas res explicare & pijs mentibus pronunciare iuxta verbum dei. Falſiſſimam autem calumniam dicunt, quod ſæpe iactatur ab aduerſarijs, ſpargi ab ipſis errores olim damnatos, & reuocari veteres hereſes, proinde opus non eſſe noua cognitione. Nam puram hanc euangelij doctrinam quam ſunt amplexi eſſe haud dubiè conſenſum ipſum catholicæ Chriſti eccleſiæ. Non ſe recipere aut approbare vllas opiniones abſurdas, aut pugnantes cum conſenſu ſanctorum patrum. Imo renouare ſe in plerisque ſynodorum veterum & patrum dogmata, quæ recentior ætas C deleuerat, & pro his alia falſa & notha tradiderat.

Poſtremo, quod de diſcordia dicitur. Nihil ſibi eſſe acerbius, quàm diuelli nationes Chriſtiani nominis, ſe vero nunquam diſceſſuros à vera vnitate & conſenſu catholicæ eccleſiæ. Sed cum papa damnet veram pietatem, & doctrinam eccleſię neceſſariam, & ſæuitiam propter piæ doctrinæ profeſsionem in pios exerceat, mandato Dei ſe cogi ab illo diſſentire, atque ab ijs qui eius impietatem approbant. Tametſi non ignorent quanto fortunarum atq; adeo ſui ſtatus periculo diſſentiant ab alijs nationibus, velut expoſiti omnium tandem in ſe armis regum & principum. Tantum periculi haud ſanè ſe ſubituros, niſi veritatis profeſsionem anteferrent rebus omnibus, dignitatibus, fortunis, deniq; vitę propriæ. Proinde deū ſe teſtari, propter ipſum tantùm, & non cupiditate aliqua hanc ſe cauſam defendere, & orare omnes reges & principes, ne aliter ſibi de ipſis perſuadere ſinant ab aduerſarijs. Hunc in modum depulſis prædictis obiectionibus, & vt dicũt, calumnijs, atq; tam pulchre expurgati ab eiſdem, quàm ſi ſus in volutabro luti ſe proluat, velut iam præparatis ſibi & æ- D quis auditoribus ſuam ſententiam de indictione concilij facta à Paulo tertio aperire incipiunt, ita exordientes: Longe videlicet aberrare eos qui ita de ipſis iudicant, quaſi curioſitate aliqua leues quoſdam abuſus reprehendant, quos ſatius diſsimulare videretur propter communem concordiam. Imò errata doctrinæ ſe reprehendere, quæ diſsimulanda non ſunt. Nec de leuibus erratis ſe diſputare, ſed de fide, & multis articulis ad ſalutem neceſſarijs, & reprehendere errores contrarios, qui Chriſti gloriam obſcurant, qui itèm continent horribilem prophanationem & idololatriam. Quare non ſe ſolum, ſed etiam inuictiſſimum imperatorem & electores, cæterosque principes & epiſcopos Germaniæ cenſuiſſe, eccleſiæ opus eſſe libera & Chriſtiana ſynodo, hoc eſt tali, in qua iuxta verbum Dei diſcernatur vera & pia doctrina ab impia: & hæc quidem damnetur, illa vero conſeruetur. Qualem ſynodum cum expectarent fore, indictam à pontifice minus congruentem ſuis deliberationibus. Itaque non ſuo tantum, ſed & communi totius eccleſiæ periculo

A excitos, ſe admonere omnes reges, monarchas & potentatus, & orare dent operam, vt habeatur ſynodus pia & libera, in qua non committatur cognitio doctrinæ Romano pontifici, ſed liberum ſit pijs & doctis profiteri verbum dei. Nam vt ſit autoritas ſynodi firma, vt opē ferat eccleſię, præſtandum eſſe vt cognitio tātarum controuerſiarum rite fiat. Summum in eccleſia iudicium nequaquā eſſe pontificis, ſed ipſius eccleſiæ, hoc eſt, non tantum epiſcoporum, ſed etiam regum, principū & aliorūordinū, qui & ipſi ſunt mēbra eccleſiæ. Itaq; etiā ſi in hac diſſenſione pontifex nō eſſet pars, ipſi tame concedendū nō fuiſſe, vt cū ſibi addictis iudicaret, ac reliquis ordinibus ius ſuum eriperet, quod habere ac tueri debent in eccleſia: Multo minus in hac cauſa, in qua pontificem partē faciūt, ipſi concedendū eſſe, vt ſit iudex in cauſa propria. Illum ſiquidem reum ſe agere de doctrina impia, traditionibus ac cultibus, quos inſtituit ac defendit. Deinde pontificem multis præiudicijs iamdudum damnaſſe ſuā cauſam. Extare enim bullā Leonis editam cōtra doctrinā quàm amplectuntur. Execrari præterea eandem doctrinam quotannis in bulla cœnę domini. Iure igi-

B tur ſuſpectā ipſis eſſe hanc ſynodū. Quandoquidem papa in eius indictione non oſtēdit ſe iudicium permiſſurum non partialibus, imo ſuos ad eandem ſtudioſe conuocat.

Tertio, etiam in ipſa bulla ipſis proponi recuſationis ſatis iuſtas cauſas & perſpicuas, in qua non promitti dicunt cognitionem aut diſputationem doctrinæ, ſed tantum indici ait ſynodum propter nuper exortas hæreſes, item ad extirpationem hæreſeon. Quod etſi in ſpeciem generaliter dici videatur, papam tamen haud dubie voluiſſe deſcribere & notare doctrinam, quā ipſi profitentur, hoc ipſum confirmantes ex bulla reformandæ curiæ, in qua Lutheranam doctrinam vocat peſtiferam hæreſim, dicens: Ad extirpationem peſtiferæ Lutheranæ hæreſeos. Vnde cōcludunt indubiam papę ſententiā, vt eo indixerit concilium, vt in eodem deliberetur quomodo Lutherana doctrina extirpari poſsit, cum ſit (vt ipſe etiam vocat) hæreſis. Amentiā igitur fore vt in talem indictionem cōſentirent, cum ita faterentur doctrinam ſuam eſſe hæreſim notoriam.

Quarto, in dicta indictione concilij nullam mentionem fieri cognitionis, nihil de forma proceſſus: ſed tantum hoc agi, vt C eatur in ſuffragium, quo pacto hæc doctrina communibus armis extirpanda ſit velut hæretica. Iuſte ergo ſe recuſare hanc ſynodum, mere tyrannicam, & diſsimilimam iudicij eccleſiaſtici, quod debet habere cognitionem doctrinæ ex verbo dei. Rogant proinde reges & principes, vt expendant, quàm non ſimpliciter, quàm inſidioſe, quàm inique hæc indictio concilij propoſita ſit.

Quinto, non paſſurum pontificem iudicari controuerſias ex euangelio & apoſtolicis literis: ſed conaturum vt iudicentur ex pontificum traditionibus, ex conſuetudine, ex humanis opinionibus, ex recentium conciliorum decretis. Non admiſſurum, vt autoritas traditionū ſuarum aut labefactetur, aut reuocetur in dubium. At hoc eſſe caput in ipſis controuerſijs, ne traditiones pugnantes cum verbo dei valeant. Amplecti ſe quoque & totis defendere pectoribus conſenſum catholicæ Chriſti eccleſiæ, ſed erroribus pontificijs & tyrannidi haud prætexendum nomen eccleſiæ. Neque enim catholicam eccleſiam probare ſanctorum patrum traditiones pugnantes cum euangelio, non tribnere infinitam poteſtatem Rom. pontifici. D Non eſſe catholicam Chriſti eccleſiam, quæ puram doctrinam euangelij hoſtiliter perſequitur. Non ſe noua dogmata intexiſſe in eccleſiam, ſed catholicæ eccleſię doctrinā renouare ac illuſtrare. Quin hoc factum à papa & monachis, qui nouam doctrinam & nouos ritus excogitarunt contra autoritatem verbi dei. Deinde exemplo ſanctorum patrum etiam ſuum factū excuſant, quos & ipſos commemorant quaſdam ſynodos defugiſſe, vt Maximū Hieroſolymorum epiſcopum, qui ad Antiochenam ſynodum recuſauit accedere: & Athanaſium, qui ex Tyria ſynodo aufugit, nec ad eam, quæ Seleuciæ celebrata eſt, quamuis vocatus, venire voluit: ſicut alios, nec Mediolanum, nec Ariminum volunt comparuiſſe.

Sexto, ex loco deſignati concilij imaginantur pericula. Quia eſt in ea regione, in qua papa poteſt plurimos ſibi addictos cōtrahere, vt ſic multitudine ſuffragiorum ipſos obruat. Alibi fore æquiora & liberiora aliarum nationum iudicia. Negocia eſſe eiuſmodi, vt ipſis principibus cognitioni doctrinæ intereſſe neceſſe ſit, ipſis vero tutum non eſſe, vt derelinquant ditiones

ſuas

A opportunas aduerſarijs, Nec in ipſa Mantua tuto ſe eſſe poſſe & ſine periculo. Quare iuxta deliberationẽ imperij expedire, vt ſynodus habeatur in Germania.

His itaq; ſuæ recuſationis cauſis expoſitis, & cur conſentire non poſsint in nunc indictum concilium, qui prouocauerunt ad Chriſtianam & liberam ſynodum, iterũ rogant omnes reges & principes, vt ſua autoritate in hoc intercedant negocio, & efficiant, vt talis ſynodus habeatur, quę ſanet eccleſiam, hoc eſt, Chriſtiana & libera, in qua libere ſtatuatur iuxta verbum Dei, & non conſentiant papæ concilio, quem dicunt hoc moliri, vt ipſos ſuæ impietatis & tyrannidis aſſertores & miniſtros habeat, & per eos iniuſtam crudelitatem in pios exerceat: pleraq; alia ſubiungentes, quibus aliorum ſibi principum beneuolentiam concilient, atq; eoſdem auertant ab autoritate ſedis apoſtolicæ. Et hactenus illorũ perſtrinximus calumnias aduerſus indictam à Paulo tertio ſynodum.

Apologiam ſubijcere indicti à Paulo tertio concilij aduerſus impias prædictorum calumnias.

CAP. XIII.

B

QVod ſupra ſubinde conteſtati ſumus, nunquam eo temeritatis & impudentiæ euaſit ac ꝓrupit hæreticorum impietas, vt ita palam apertoq; marte impugnarent autoritatem ſedis apoſtolicæ: quemadmodũ nunc facit omnium pernicioſiſsima hæreticorum coniuratio. Tametſi hoc ſemper fuerit, vt quantum orthodoxis reuerenda & ſacroſancta, tantum hæreticis ſchiſmaticisq; grauis inuidioſaq; eſſet eiuſdem ſedis autoritas, vt quam vnam vigilare aduerſus ſuam perfidiam atq; impijs conatibus ſuis obſiſtere ſemper experti ſunt.

Hi itaque apoſtolicæ ſedis, orthodoxæ ſemper veritatis vindicis iamdudum damnati iudicio, cum prouocaſſent ab eodem ad ſynodale iudicium (quod pauci hæreticorum feciſſe leguntur) ſed contra ſæpe (adeo toti ſemper orbi confeſſa recognitaq; fuit apoſtolicę ſedis prærogatiua & autoritas) facilè intelligentes indicta iam (qnod non ſperabant) ſynodo, idem fore (vt fuit perpetuo) ſynodale iudiciũ, quod ſedis apoſtolicæ, multis (vt audiſti) intolerandisq; calumnijs eandem ſynodum lacerant, & velut ſuſpectam refugiunt, vana quædam nomina iactantes Chriſtianæ & C liberæ ſynodi cuius iudicium expetant: & tamen ſi permittatur eis, vel affingere pro ſuo arbitrio qualem velint eius formam & modum: cuius videlicet autoritate congreganda & moderanda, ex quorum ſuffragijs iudicandum, vt ſacroſancta & firma ſint eius iudicia, haudquaquam pręſcribere potcrunt.

Adeo, inquiunt illi, non contemnimus aliarum nationum iudicia, vt hoc agamus, ne papa cum ſuis ſibi ſumat iudicium, ſed idonei & non partiales deligantur ad examinandam cauſam. *Hæreticorum cõfœderatorũ calumnia.*

Intelligimus, viri boni, quid agatis, hoc enim agitis vnũ, vt nullus ſit ordo in Chriſti eccleſia, nulla hierarchia, ſed perpetuus horror & ſempiterna confuſio. Hoc agimus, inquiunt, ne papa cum ſuis ſibi ſumat iudicium. Quem ergo, aut quos ſibi vultis ſumere iudicium? Idoneos, inquiunt, & nõ partiales. Sed hoc nobis ante omnia deſcribant, neceſſe eſt, qui tandẽ hi erunt nõ partiales & idonei, ad quos ſpectabit ſynodale iudiciũ, quorũ omnibus ſacroſancta erit ſententia. Deinde, ad cuius autoritatẽ pertinebit diſcernere idoneos ab inidoneis, & vt hos repellere à ſynodo, ita illos admittere? Eiuſmodi enim autoritatẽ aliquã ſta- D tuere neceſſe eſt, cuius hoc ꝑmittatur iudicio, cum nemo præſumptuoſus & temerarius non ſe reputabit idoneũ. Eam autem ſi negas Rom. pontifici, quem totius eccleſiæ paſtorẽ, & eccleſiaſticæ hierarchię pręſidem conſtitutum à Chriſto demonſtrauimus, cuius igitur erit? alicuius enim vt ſit, neceſſe eſt. Nunquid igitur imperatoris? Et quid dicent Galli, Hiſpani, Britanni, Scoti, Nortvvegi, Sueci, Dani, Poloni, Hungari, cæteræq; nationes Chriſtianę nõ ſubiectæ imperio? Nunquid alterius? Profer quemcunque volueris, & mox teipſum redargues. Quod ſi ſynodalis hoc volueris eſſe iudicij. Permittes ergo ad ſynodũ conuenire, quotquot voluerint, idoneos & inidoneos, cum ante ſynodale iudiciũ non erit horum diſcretio, vide ergo qualẽ ſynodum facies, quale ſynodale iudiciũ, qualem idoneorum ab inidoneis delectum. Ipſis nanque idoneis longè ſuperiores & numero & ſuffragijs inidonei (vt ſtultorum infinitus eſt numerus, bonorum vero raritas) ſeſe & ſui ſimiles pronunciabunt idoneos, illos vero reijcient. Poſtremo tantæ, tam diſcrepantis multitudinis nullum caput eſſe vis, cuius autoritati deferat. Nihil ſane vnquam ritè fiet ab acephala eiuſ-

Pighij reſpõſio.

A eiuſmodi informiq́; multitudine. Quam vniuerſam vel lege ſuperiori ordinante ſuum caput & rectorem agnoſcere, cuius ſe permittat habenis & imperio, vel ſi ea nulla ſit, talem ſibi deligere neceſſe eſt, ſi modo in vnum conuenire debeat. Hoc ſane videmus, omnibus concilijs, quæ in eccleſia celebrata ſunt autoritatis legitimę, pręſediſſe autoritatẽ ſedis apoſtolicæ: quemadmodum in octo illis primis, primæ notæ, & autoritatis ab vniuerſa eccleſia recognitæ ſuperioribus aliquot capitibus iam demonſtrauimus. Idem vero in alijs vniuerſis, quæcunq; agnoſcit aut hactenus agnouit Chriſti eccleſia pro legitimis, ex eorundem actis & hiſtoria clariſsimè inuenies.

Sed libet adhuc percontari tergiuerſatores iſtos, nunquid ſuo arbitrio permitti velint, vt eligant ad hanc cauſam examinandam non partiales & idoneos iudices? Iniquum ſane hoc foret, cum de ipſis, eorumq́; doctrina ſit peragendũ iudicium, vt tamen ſuo ipſorum hoc permittatur arbitrio, quos tandem eligerent velut non partiales & idoneos? Puto non audebunt ex ſua illa coniuratione ſuæ ipſius cauſæ ſtatuere iudices, Lutherum, Melanchthonem, Oecolampadium, Brentium, Zvvinglium, & cætera portenta eiuſmodi, quæ ſchola nobis Lutherana protulit. Omnes vero non ſuæ coniurationis, vt ſuſpectos & partiales recuſabunt haud dubie. Nam eiuſmodi ferè genus quęſtionum & controuerſiarum inter illos & nos eſt, vt quiſquis cum eis non eſt, aduerſus illos ſit. Sunt enim vniuerſa ferè eiuſmodi, de quibus etiam vulgus hominum ſimpliciũ fidem aliquam habet explicatam, vt quiſquis illis non conſentit, ab eiſdem diſſentiat: quemadmodum in decem illis quæſtionibus, quibus libro primo maximam partem, quæ inter illos & nos ſunt, controuerſiarum complexi ſumus, oſtendimus. In quibus eandem catholicæ toto orbe ab initio eccleſiæ fidem, & noſtram, demonſtrauimus per ſingulas, nec iota interim vnum, aut additum, aut ſubtractum: ſuam vero eſſe nouitiam, & vel per illos ipſos, vel per anteceſſores aliquot ſuos hæreſiarchas adinuentam, catholicę fidei repugnantem & contrariam. Iamdudum totius Italiæ, totius Galliæ, totius Hiſpaniæ, omnium Chriſtiani orbis academiarum inſignium, totius ſacerdotalis ordinis (quem nihil etiam quàm ignorantium hominum figmẽtum blaſphemant) totius monaſtici ſtatus (quem dicunt inuentum diaboli & ſtatum perditionis) ſunt damnati iudicio. C Vnde ergo, & quos ſibi non ſuſpectos, non partiales & idoneos deligent, quibus permittendum ſit vniuerſalis ſynodi iudiciũ? Si aliarum nationum non contemnant iudicia, & iamdudum omnium aliarum nationum ſint damnati iudicio, quale ergo adhuc expectant iudicium?

Hæretici confœderati. Sed præiudicium, inquiunt, hoc eſt, non iudicium: ſe vero petere verum iudicium ſynodi permitti, in quo pij & docti, non partiales damnẽt pugnantia cum verbo Dei.

Pighius. Hic iam recidimus in eundem circulũ. Aeque enim incerta omnia, æque ignota per ignota. Qui tandem vobis hi erunt pij, docti & non partiales, hoc nobis explicate ſi poteſtis, pudebit opinor veſtros ꝓferre Lutherum, & qui eius farinæ ſunt. Quotquot vero cæterorum protuleritis, ijdem & nobis pij erunt & docti, ijdem nobis non partiales, quorum iudicio niſi vos cauſa vniuerſa cecideritis, vel ante iudiciũ, age, per vos viceritis.

Hæretici confœderati. Sed hi erunt, inquis, pij, docti & non partiales, quotquot damnauerint pugnantia cum verbo Dei.

Pighius. Hoc eſt ipſum quod quæritur viuo aliquo definiendum iudicio, num quid pu- D gnet cum verbo Dei? Dicit verbum diuinum: Pater maior me eſt, cui viſum eſt Ario pugnare identitatem ſubſtantiæ aut eſſentiæ patris & filij, contra viſum orthodoxis. Huius quis iudex extitit, hócne videlicet, an illud pugnet cum verbo Dei? Neceſſe eſt enim viuo hoc definitum fuiſſe iudicio, alioqui adhuc perduraret pugna & diſceptatio. Aeque enim neſcit cedere impia pertinacia, quàm eſt inuicta veritas. Certè vt verbum dei, viua apoſtolorum traditione ab initio accepit eccleſia, & continua patrum in filios ſucceſsione velut per manus tradidit & commendauit poſteris: ita & eorundem verborum veram germanamq́; intelligentiam, eodem accepit modo, eodẽ & conſeruabit, deriuabitq́; ad finem vſq; ſeculi. Ego Chriſtũ loquentem nunquam audiui, niſi per eccleſiæ teſtimonium. Matthæi, Marci, Lucæ aut Ioannis ſcripta minimè agnoſco, niſi quia credo teſtimonium illis perhibenti eccleſiæ. Aeque quod humano more in ſcriptis ſuis non ſuppoſuerunt falſa pro veris, prorſus neſcio, niſi teſtimonio eccleſiæ. Ita quoq; earundem ſcripturarũ veram germanãq́; ſententiam eadem nos docet eccleſia. Quã etiam docere & teſtificari, vnam apoſtolicam

Controuerſias fidei & quæſtiones viuo aliquo terminari oportere iudicio.

A cam ſedẽ, & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, prærogatiua ſingulari accepiſſe à Chriſto indefectibilis fidei priuilegium, ad hæſitantiũ fratrum confirmationẽ in fide, ſuperius clariſsime demonſtrauimus. Ad quem ergo, aut quos ſpectet iudicare, nũquid pugnet cum verbo Dei, & pugnantia dãnare (quod tu explicare non potuiſti) luce clarius indicauim°. Ad illũ nẽpe pertinere hoc ipſum ſecundum verbum Dei, & catholicæ eccleſiæ ſententiam, cui tu vis interdici omne iudiciũ eiuſmodi, nec potes dicere, cui illud ipſum permitti velis. Vides ergo, quàm pulchrè tibi conueniat cũ verbo dei & eccleſia? Vides quàm tibi ipſi cõſiſtas? Ridiculum ſane, ac plane pudendũ eſt appellare iudices nõ partiales nec ſuſpectos, iudicaturos quid pugnet, qd vero conueniat verbo Dei, nec poſſe explicare, quos tandẽ velint aut intelligãt. Eadem enim tergiuerſatione omnem refugient ſynodum, omne prorſus iudicium.

Eccleſiaſtica hierarchia præſidis hoc eſſe officium.

Nõ eſſe, inquiũt, ſynodum veram & legitimã, in qua põtifices (qui iniuſta dominatione oppreſſerũt eccleſiã) cognoſcãt res, pronũcient ex ſuis traditionibus, ex cõſuetudine cõtra verbum dei. Chriſtũ eccleſiæ conſtituiſſe ſummum iudicium, dicens: B Dic eccleſiæ, & voluiſſe vt eccleſia ex verbo dei ſtatueret, nõ ex humana aliqua autoritate.

Hæretici confœderati.

Sed audi obſecro, quàm ſecũ pugnantia hi dicãt & ſentiant. Nõ ſe aiunt diſcedere à conſenſu catholicæ Chriſti eccleſiæ, imò eundem ſe amplecti & defendere totis pectoribus. Catholica aũt Chriſti eccleſia recipit & probat, vt veras, legitimas atq; adeo primæ notæ ac autoritatis, octo illas primas vniuerſales ſynodos, à Nicena facto initio. In quibus omnibus luce clarius demonſtrauimus, omnia apoſtolicæ ſedis, & Ro. pontificis peracta iudicio. Illũ aut ſuos præſediſſe in cõcilijs illis omnibus. A billius vnius autoritate & iudicio prorſus dependiſſe vniuerſa, & iudicia, & acta illorũ conciliorum omniũ. Quare ſi non eſt vera & legitima ſynodus, in qua põtifices cognoſcunt res, nulla illarũ octo omniũ, imò prorſus nulla omnium, quas eccleſia pro legitimis agnoſcit, erit legitima. Quod ſi negare audeant, proferãt vnam, quam pro legitima indubitato recognouit aut recognoſcit catholica Chriſti eccleſia, in qua non viguit apoſtolicæ ſedis autoritas. Scio nunquam inuenturos, quantumcunque ſe torſerint. Vides ergo, quàm pulchre his conueniat cum ſenſu catholicæ eccleſiæ, quàm illũ defendant fortiter ac totis pe- C ctoribus. Catholica Chriſti eccleſia nullã ſynodum agnoſcit pro vera & legitima, quę non ſit peracta autoritate ſedis apoſtolicę, imò nullam nõ execratur velut impiã, quę contra aut præter huius ſedis autoritatem celebrata eſt. Et hi contra è diametro, nullam volunt eſſe verã & legitimam, quæcunque eiuſdem ſedis autoritate peragitur.

Pighius.

Quod vero dicunt Romanos pontifices pronunciare ex ſuis traditionibus, & conſuetudine contra verbũ dei, impudens calumnia eſt, & mendaciũ contra verbũ dei, quod affirmat ſe rogaſſe pro Petro eccleſiaſticæ hierarchiæ capite, ne deficiat fides eius, ad confirmandos fratres hæſitantes in fide. Quod etiã pollicetur requirentibus iudiciũ à pręſide cathedrę & ſacerdotibus in eadẽ vna ſecũ miniſtrantibus domino inuẽturos apud eos veritatẽ iudicij. Quod inſuper præcipit dubitantibus & iudicium requirentibus facere ſecundũ verbũ, quod annũciauerint illi ex loco, quẽ elegerit dominus, cathedræ, inquam, tunc Moſaicæ, nunc apoſtolicæ. Imò cuſtodire valde ſollicite ac diligẽter, vt faciãt ſecundum omnia, quæcunq; ſancita fuerint ab illis, aut quęcunq; docuerint. Siue enim de lege, ſiue de dubio & difficili aliquo nego- D cio fuerit quæſtio, iuxta legẽ, inquit, quam docuerint, & iuxta iudiciũ, quod dicẽt tibi, facies. Non diſcedes à verbo, quod annunciauerint tibi, ad dextram aut ſiniſtrã. Hæc ſunt ipſa legis verba iuxta veritatem Hebraicã, cui per omnia conſentiũt LXX. interpretes, & Chaldaica lectio, reuerendiſsimi D. Frãciſci quondã cardinalis S.R.E. & archiepiſcopi Toletani ſtudio nobis ad verbũ Latine reddita. Quemadmodum ſuperius lib. 4. à nobis ꝓlixius explicatum eſt. Vides ergo cõtra verbũ dei te mentiri impudẽter & impie, quiſquis dicis pręſidẽ apoſtolicæ cathedræ vna cum concilio ſacerdotum ſecum in eadem miniſtrantium domino, requirentibus ab eis veritatem & iudicium reſpondere & pronunciare ex ſuis traditionibus & conſuetudine contra verbum dei. Aeque eſt hoc ipſum impudens mendacium contra catholicam Chriſti eccleſiam, vnanimem eius fidem, recognitionem & conſenſum, quem libro quarto luce clarius demonſtrauimus, & pleriſq;, quæ hoc libro à nobis præmiſſa ſunt, euidenter confirmauimus. Aeque eſſe hoc ipſum contra recognitionem vniuerſalium illorum legitimę & primæ autoritatis cõciliorũ omniũ, ſuperioribus capiti-

Præſidis cathedræ apoſtolicæ &c. certa veritatis eſſe definitionẽ & iudiciũ, ſicut eſt ſacroſancta autoritas

A pitibus aliquot abunde demóſtratum eſt.

Hæretici confœderati.

Sed ſummum, inquiunt, in eccleſia iudicium nequaquam eſſe pontificum, ſed ipſius eccleſiæ, dicẽte Chriſto, dic eccleſię, hoc eſt, non tantum epiſcoporum, ſed etiã ſecularium, regum, principum, atque aliorum ordinum, qui & ipſi ſunt membra eccleſiæ, nec debẽt ſinere ſuum ſibi ius eripi, quod habent in eccleſia. Quod ſit ſummũ in eccleſia tribunal, ſummũ iudiciũ, cuius ſuprema & ſacroſancta iuriſdictionis ſuper omnes autoritas, nempe apoſtolicæ cathedræ & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, lib. 4. euidentiſsimũ fecimus, primum ex ipſa forma ſocietatis eccleſiaſticæ, deinde ex vmbra & figura eiuſdem in illa ſynagoga veteri, in qua omne difficile & ambiguum iudicium ad præſidem cathedræ & ſacerdotes in eadem ſecum miniſtrantes domino referri mandatum eſt, eorum abſque vlla tergiuerſatione, exceptione, aut diſcuſsione, ſequi definitionem & iudicium, & inobedientes imperio ſacerdotis præſidis, apud quem erat ſacroſancta illa iuriſdictionis autoritas, puniri mortis ſupplicio. Tertio loco ex clariſsimis Chriſti verbis & ſcripturis euangelicis cõprobauimus, poſtremo ex recognitione & B conſenſu catholicæ Chriſti per orbem eccleſiæ. Nempe apoſtolicæ cathedræ, & eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſidis, cui ne erraret in ſuis ſententijs & definitionibus, indefectibilis fidei à Chriſto impetratum eſſe priuilegium.

Pighius. Quod ſummum in eccleſia tribunal & iudicium.

Quod itaque ipſius eccleſiæ, non ſummi pontificis, dicunt in eccleſia eſſe ſummum iudicium, dicente Chriſto: Dic eccleſiæ: non videntur propriam vocem intelligere. Aut enim per eccleſiam (quemadmodum intellexit Chriſtus) vnamquamlibet particularem eccleſiam intelligunt. Et ſic euidenter falſum eſt. Non enim vniuſcuiuſlibet particularis eccleſiæ, eſt ſummũ in eccleſia iudicium, & ſuprema iuriſdictionis autoritas. Cum ſit ordo inter eccleſias, & inferior ſecũdum formam & ordinem eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſuorum ſuperiorum autoritati ſubiecta ſit & iudicio. Aut vniuerſalem eccleſiam intelligunt. Sed ad illam nihil pertinere, quod citant, verbum Chriſti, ſupra demonſtrauimus, nullam iuriſdictionis autoritatem eãdem accepiſſe à Chriſto, non eſſe idoneam vlli correptioni faciendæ, vllo exercendo iudicio, vllis actibus iudiciarijs, nẽpe diſperſam in vniuerſum orbem multitudinem. Quæ ſi vniuerſalia concilia loco eius poſſe dixeris, nihil promoues, cum nullam hæc C commiſsionem demonſtrare poſsint vniuerſalis eccleſię, nec vllam ſibi primo competentem à Chriſto autoritatem iuriſdictionis, quam fruſtra haberet.

Quin & hoc demonſtrauimus, ſummam in eccleſia autoritatem, ſummum tribunal & iudicium, cuius definitionem & ſententiam in omnibus ambiguis quæſtionibus fidei atque arduis difficilibusque negocijs, omnes abſque vlla ampliori quæſtione aut diſcuſsione ſequi oporteret, neceſſario fulciri indefectibilis fidei, & inobliquabilis iudicij certo priuilegio, ne malũ pro bono, & impietatis tenebras pro veritatis luce nobis ſtatuens dux cæcus, miſeros ſubditos præcipitet in foueam. Sed nullum tale priuilegium proferre poſſunt concilia quantumuis frequentia & vniuerſalia, ſecluſa ab eis autoritate ſedis apoſtolicæ & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis. Quod intelligentes ſemper S. patres ab initio, quotieſcunque conuenerunt ob exortam aliquam quæſtionem fidei, ſemper reſpexerunt ad vnam B. Petri cathedram: non ignorantes, ad cuius diſcuſsionem definitionemque pertineret omnis fidei quæſtio, pro cuius fide, ne quando deficeret, ſingulariter rogaſſet Chriſtus, quo re- D miſiſſet confirmandos, ſuborta inter nos aliqua dubitatione in fide. Itaque etiam in fidei definitionibus erraſſe, etiam vniuerſalia, etiam ſanctorum patrum concilia comperimus: ſed eorum errori ſemper ſuccurrit inflexibilis hęc orthodoxę fidei regula, vindex & magiſtra, qua ſuæ eccleſię ſapientiſsimè prouidit Chriſtus, ſynceritatemque fidei ſemper tutatus eſt, & in finem tuebitur. Teſtimonio ſunt de vniuerſalibus concilijs, in primis Ariminenſe, vniuerſale haud dubie. In quo tot epiſcoporum concordi ſubſcriptione prodita eſt Nicenæ fidei orthodoxa incommutabiliſque profeſsio, epiſcoporum Orientalium fraude circumuenta ſimplicitate Occidentalium. Teſtimonio inſuper Epheſinum II. & ipſum vniuerſale, etiam B. Leonis autoritate congregatum. In quo autore Dioſcoro damnata eſt orthodoxa veritas de veritate duarum naturarum in Chriſto, & pro ea recepta & probata Euticetis impietas. Teſtimonio, inquam, hæc ſunt errare poſſe, etiam vniuerſalia concilia, etiam congregata legitimè, atque opus habere ſuperiori aliqua autoritate, qua regulentur. Quæ ſi impia illegitimaque quis dixerit, proinde nihil mirum, errare potuiſſe. Legitima

Summum in eccleſia tribunal non eſſe conciliorum vniuerſaliũ.

Erraſſe etiã in fidei definitionibus vniuerſalia concilia, quamuis congregata legitimè,

Ariminenſe.

Epheſinum II.

Concilij remotio.

A gitima vero nũquam erraſſe in definitio-
ne fidei, id nobis præſcribat primũ opor-
tet, quæ legitima vocet concilia, quorum
definitionem certo & indiſcuſſe nos ſequi
oporteat. Impia fuiſſe illegitimaque nunc
dicta concilia, negabit nemo: at vniuerſa-
lia fuiſſe, & congregata legitime, æque in-
dubitatum eſt, conueniẽtibus videlicet ex
vniuerſa Chriſti eccleſia epiſcopis, etiam
apoſtolicæ ſedis autoritate conuocatis ob
cauſam vniuerſalis eccleſiæ. Impia autem
fuerunt atq; illegitima, quia apoſtolicę ſe-
dis autoritatem & ſententiam præuarica-
ta ſunt: ſicut nulla impia demõſtrabis, qui-
bus eiuſdẽ ſedis eſt opitulata autoritas, v-
na omnibus cõcilijs rectæ definitionis ma-

Apricanam ſub B. Cypriano.

giſtra & regula. Itaq; & Aphricanũ illud
ducentorum & eo amplius epiſcoporum,
qui ſub glorioſiſſ. pontifice & martyre Cy
priano cõuenerunt longè ante Nicenã ſyn
odum, q̃ ex ſe erat, errabat in definitione
fidei, & baptizatos ab hæreticis aut ſchi-
ſmaticis ad vnionẽ catholicæ eccleſiæ re-
uertẽtes, rebaptizandos cenſuit: q̃ falſum
& erroneum docet orthodoxa Chriſti ec-
cleſia. Sed definitionẽ ſuam apoſtolicæ ſe-

De vnico bap lib. 2.

dis autoritati ſubmiſerunt, ad quam à B.
Cypriano remiſſa eſt. Quæ & illorũ errori
B ſuccurrit, vt intelligas prærogatiuam illã
inobliquabilis fidei, non ſequi perſonarũ
merita, ſed cathedrę B. Petri priuilegium.
Itaq; B. Auguſtinus aduerſus Donatiſtas:
Puto, inquit, q̃ ſine vlla ſui cõtumelia Cy-
prianus epiſcopus Petro apoſtolo cõpare-
tur, quantum attinet ad martyrij coronã:
cæterũ magis vereri debeo, ne in Petrum
contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit
illũ apoſtolatus principatum cuilibet epi-
ſcopatui præferendum? Sed etſi diſtet ca-
thedrarum gratia, vna eſt tamen martyrij
gloria, &c. Quod vero illi huius cathedræ
gratiam & prærogatiuam agnouerint, D.
Hieronym. aduerſus Luciferianos teſtis
eſt: Conatus eſt, inquit, B. Cyprianus con-
tritos lacus fugere, nec de aliena aqua bi-
bere, & idcirco hæreticorum baptiſma re-
probans, ad Stephanum tunc vrbis Romæ
epiſcopũ, qui à B. Petro 26. fuit, ſuper hoc
Aphricanam ſynodum direxit: ſed cona-
tus eius fruſtra fuit, non probante hoc i-
pſum ſede apoſtolica. Ità ſanè vniuerſa
ſemper Chriſti eccleſia eiuſdem cathedræ
agnouit prærogatiuam ac priuilegiũ, quo-

Carthagin. ſynodũ acta ſua retuliſſe ad B. Innocentium.

tieſcunq; fidei quæſtio agitata eſt. Quem-
admodum & in illa Carthaginen. ſynodo
aduerſus Pelagium & Celeſtiũ, tot tantoſq;
patres retuliſſe ſynodale iudicium ad au-
toritatem vnius ſedis apoſtolicę & Roma- C
ni pontificis, teſtatur eorundem ad B. In-
nocentium ſynodalis epiſtola. In qua poſt
enarrata acta ſynodalia ſubijciunt in hæc
verba: Hæc geſta domine, frater ſancte,
charitati tuæ duximus intimanda, vt ſtatu-
tis noſtræ mediocritatis, apoſtolicæ ſedis
adhibeatur autoritas, pro tuenda ſalute
multorũ, & quorundam etiam peruerſita-
te corrigenda. Id enim agunt iſti damna-
bilibus diſputationibus ſuis, vt non defen
dendo, ſed potius in ſacrilegam ſuperbiã
erigendo liberum arbitrium, nullum re-
linquant locũ gratiæ dei, qua ſumus Chri-
ſtiani, &c. Si ergo Pelagius epiſcopalib. ge-
ſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, et-
iam tuę venerationi iuſtè viſus eſt abſolu-
tus: error tamen ipſe, & impietas, quę iam
multos aſſertores habet per diuerſa loca
diſperſos, etiam apoſtolicę ſedis autorita-
te anathematizanda eſt. Conſideret enim

Ad cuius autoritatem recognoſcatur pertinere dãnare errorem orthodoxa fides contrarium.

S. T. & paſtoralibus nobis cõpatiatur viſce
ribus, q̃ ſit peſtiferũ & exitiale ouib. Chri-
ſti, quod ad iſtorum ſacrilegas diſputatio-
nes neceſſario ſequitur, vt nec orare debe-
amus, ne intremus in tentationẽ, &c. Quę-
cunque autem alia eis obijciuntur, nõ du-
bitamus venerationem tuam cum geſta e-
piſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente ea- D
dem de cauſa confecta dicuntur, id iudi-
caturã, vnde oẽs in dei gratia gaudeamus.

Hæc illi patres ex Carthaginen. ſynodo.
Ex quibus intelligis, ad cuius autoritatem
& iudicium referendam intellexerint to-
to orbe Chriſtifideles omnem quæſtionẽ
fidei: vnde & ex cuius autoritate addere-
tur ſynodalibus ſtatutis robur & autori-
tas. Sed nunc audi quid illis reſponderit
B. Innocentius.

Innocentius Aurelio & omnibus ſan-
ctis epiſcopis, & cæteris, qui in concilio
Carthaginen. adſuerunt eccleſiæ, dilectiſ-
ſimis fratribus in domino ſalutẽ: Inqui-
rendo de his rebus, quas omni cum ſolli-
citudine decet à ſacerdotibus, maximè ve-
ro à iuſto catholicoq; tractari cõcilio, an-
tiquæ traditionis exempla ſeruantes, & ec
cleſiaſticæ memores diſciplinæ, noſtræ re-
ligionis vigorem non minus nunc in con
ſulendo, q̃ antea cum pronunciaretis. Ve-

Hic nota, quæ memores patrũ inſtituta, non humana, ſed diuina decreta ſenſiſſe.

ra ratione firmatis, qui ad noſtrũ referen-
da hęc probatis iudicium, ſcientes quid a-
poſtolicæ ſedi debeatur, cum oẽs hoc lo-
co poſiti ipſum ſequi deſideremus Apo-
ſtolum, à quo ipſe epiſcopatus, & tota au-
toritas huius nominis emerſit, &c. atq; pa-
trũ inſtituta ſacerdotali cuſtodiẽtes offi-

A cio, non cenſetis eſſe calcanda, ꝙ illi non
humana, ſed diuina decreuere ſentẽtia, vt
quicquid quãuis in diſiunctis remotisque
prouincijs ageretur, non prius ducerent fi-
niendũ, niſi ad huius ſedis notitiã perueni-
ret. Vnde tota huius autoritate, iuſta quæ
fuerit pronunciatio firmaretur, indeq́; ſu-
merent cæteræ eccleſiæ, & velut de natali
ſuo fonte aquæ cunctę procederent, & per
diuerſas totius mundi regiones puri capi-
tis incorruptæ manerent, &c. Gratulor i-
gitur chariſſ. fratres, quod per fratrẽ & co-
epiſcopum noſtrum Iulium literas ad nos
deſtinaſtis, & cũ pro illis curã geritis, qui-
bus præſidetis eccleſijs, ſollicitudinẽ ve-
ſtram pro omnium vtilitate monſtratis, &
per cũctas totius orbis eccleſias omnibus
vna, quod proſit decernendum eſſe depo-
ſcitis, &c. Hæc ille Innocentius. Cuius ſi
autoritatẽ per ſe æſtimes, ſi conferas verba
& ſententias ad ipſam rei euidentiã, ad illũ
totius toto orbe eccleſiæ conſenſum, quẽ
etiam perſpicis ſatis clare in illa totius A-
phricę epiſcoporum ad eundẽ epiſtola, ni-
hil dubitabis, vera hæc eſſe, quæ eiſdẽ re-
ſcribit. Ipſos commẽdans, ꝙ memores ec-
cleſiaſticæ diſciplinæ, exortas quæſtiones
& dubia retulerint ad apoſtolicæ ſedis iu-
B diciũ, atq; eo ipſo religionis noſtræ vigo-
rẽ conſeruarint, agnoſcẽtes apoſtolicæ ſe-
dis priuilegium à ſanctis patribus non hu-
mana, ſed diuina celebratum ſententia: vt
quicquid toto orbe, quãuis in remotis ꝓ-
uincijs, exurgeret quæſtionis & difficulta-
tis eiuſmodi, apoſtolicæ id ſedis autorita-
te definiretur. Indeq́; velut de natali ſuo
fonte, eccleſiaſticę doctrinę puritas, & ſyn
ceritas orthodoxæ fidei in vniuerſam ec-
cleſiã procederet. Ab eadẽ decerneretur,
quicquid per cunctas orbis eccleſias vna
prodeſſe debet omnibus. Quanquã horũ
omnium certiſsimã veritatem ſupra ca. VI
& VII. huius luculentiſsimè demonſtraue
rimus. Eiuſdẽ catholicæ toto orbe eccle-
ſię, de his quę prędicta ſunt, recognitionẽ,
ſenſum & conſenſum teſtati ſunt etiã ſan-
cti patres, qui eandem ob cauſam, Pelagij,
inquã, & Celeſtij, in Mileuitanum, concili-
um conuenerant. Quorum ſententiã & te-
ſtimonium demonſtrat ſynodalis eorun-
dem ad præfatum etiam B. Innocentium
epiſtola in hęc verba:

Synodalis epiſtola Mileuitani concilij ad B. Innocẽtium.

Domino beatiſſ. meritoq́; venerabili, ac
in Chriſto venerãdo papę Innocentio, Syl
uanus ſenex, Valentinus, Alippius, & cęte-
ri ex concilio Mileuitano in domino ſalu-
tem: Quia te dominus gratiæ ſuæ præci-
puo munere in ſede apoſtolica collocauit, C
talemq́; noſtris temporibus pręſtitit, vt no
bis potius ad culpam negligentię valeat, ſi
apud tuã venerationem, quæ pro eccleſia
ſunt ſuggerenda, tacuerimus, ꝗ ea tu poſsis
vel faſtidioſè vel negligenter accipere. Ma
gnis periculis infirmorum membrorum
Chriſti paſtoralem diligentiã, quæſumus,
adhibere digneris. Noua quippe hæreſis,
& nimium periculoſa tentat aſſurgere, ini-
micorum gratię Chriſti, qui nobis domi-
nicã etiam orationem impijs diſputationi-
bus ſuis conantur auferre, &c. Hęc inſinu-
antes apoſtolico pectori tuo, non habemus
opus multa dicere, & tantã impietatem ex-
aggerare, cum procul dubio te illa permo
ueant, vt ab eis corrigendis, ne latius ſer-
pant, multosq́; contaminent, vel potius in-
terimant, omnino diſsimulare non poſsis.
Huius aũt pernicioſiſsimi erroris autores
eſſe perhibentur Pelagius & Celeſtius, &c.
quorum vnus .i. Celeſtius, etiã ad presby-
terium in Aſia perueniſſe dicitur. De quo
ante paucos annos quid geſtum fuerit, S. T
de Carthaginen. eccleſia meli⁹ inſtruitur.
Pelagius vero (ſicut à quibuſdam fratrib.
noſtris miſſę loquuntur epiſtolæ) Hieroſo-
lymis conſtitutus, nonnullos fallere aſſeri-
tur. Veruntamẽ multo plures, qui eius ſen- D
ſus diligentius indagare potuerũt, aduer-
ſus eum pro Chriſti gratia & catholicæ fi-
dei veritate confligunt: ſed pręcipuè ſan-
ctus filius tuus, frater & cõpresbyter no-
ſter Hieronymus. Sed arbitramur adiu-
uante miſericordia domini dei noſtri Ieſu
Chriſti autoritati S. T. de claro ſcriptura-
rum lumine depromptę, facilius eos, qui tã
peruerſa & pernicioſa ſentiunt, ceſſuros eſ
ſe, vt de correctione potius eorum gratu-
lemur, quàm contriſtemur interitu, domi-
ne beatiſſ. &c. Hæc ad S. T. de concilio Nu
midiæ ſcripta direximus, imitãtes Cartha
ginen. eccleſiã, & Carthaginen. prouinciæ
coepiſcopos noſtros, quos ad ſedem apo-
ſtolicã, quam beatus illuſtras, de hac cauſa
ſcripſiſſe comperimus. Subſcriptio: Me-
mor noſtri, in domini gratia augearis do-
mine beatiſſ. merito venerabilis, & Chri-
ſto honorande ſanctiſſ. papa. Hęc illi toti-
us Numidiæ epiſcopi ex Mileuitano con-
cilio, ante annos mille ſeſqui centenos, ad
Innocentiũ Ro. pontificẽ. In quib. audis,
eandem recognitionem autoritatis ſedis
apoſtolicæ atq; eius præſidis, vt ad eam fe
rendum ſit, quicquid toto orbe in eccle-
ſia natũ fuerit quęſtionis aut ſcandali, & e-
ius autoritate, definitione & judicio cor-
rigen-

Caiu eſt corrigere errores in vniuerſa eccleſia.

Efficaciorem autoritatem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis ad conuincendos hæreticos omnium doctiſsimorũ diſputatione.

A rigendum & ſedandum. Quanti vero hoc eſt, ꝙ omnes illos audis ſperare & arbitrari, illos gratiæ Chriſti aduerſarios ceſſuros potius autoritati ſedis apoſtolicę, de claro ſcripturarũ lumine depromptæ, & quam vniuerſus agnoſcebat orbis, quã vllis doctorum ſanctorumq; diſputationibus? Et nũquid illos ſefellit ſua ea ſpes aut opinio? Certè D. Auguſtinus libro II. aduerſus eoſdem illos Pelagium & Celeſtiũ hoc de illis teſtatur, nullis ſuperari potuiſſe diſputantium, nullis aduerſus ipſos ſcribentiũ rationibus. De Celeſtio tamen idem affirmat, ꝙ B. Innocentij autoritati & literis non fuerit auſus reſiſtere, ſed promiſerit omnia, quæ ſedes iſta damnaret, ſe etiam damnaturum. Rationes enim ſcripturasq; omnes, ingenioſus argutusq; homo eludebat facile: ſed huius ſedis autoritatem toto orbe recognitam, nec eludere potuit, nec cõtemnere, niſi ſtatim ab omnibus haberi voluiſſet vt notorie hæreticus.

Celeſtius aduerſus omniũ diſputationes inuictus vni autoritati apoſtolicæ ſedis ceſſit.

His ſi inſuper & Innocentij reſponſionem adiungas, videbis ſane compoſitũ funiculum pluſquam triplicem, & quẽ prorſus non poſsis abrumpere. Reſpondit aũt B in hæc verba: Innocentius Syluano ſeni, Valẽtino, & cæteris, qui in Mileuitana ſynodo interfuerunt, dilectiſſ. fratribus in domino S. Inter cæteras eccleſiæ Romanæ curas, & apoſtolicæ ſedis occupationes, quibus diuerſorum conſulta fideli diſceptatione tractamus, frater & coepiſcopus noſter Iulius, dilectionis veſtræ literas, quas ex Mileuitano noſtra autoritate celebrato concilio, cura fidei propenſiore miſiſtis, mihi inopinanter ingeſsit. Carthaginenſis etiã concilij querelæ ſcripta ſubiungẽs, &c. Commendata deinde eorũ pro Chriſti eccleſia ſollicitudine, ꝙ dubijs & difficilibus in rebus quænã tenenda eſſet ſententia, apoſtolicæ cathedræ autoritatem conſulerẽt, antiquæ ſcilicet regulæ formã ſecuti, quã toto, inquit, orbe ſemper mecũ noſtis eſſe ſeruatam, ꝙ ipſum etiã actione firmaſtis, nimirum ſcientes, ꝙ per omnes prouincias de apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent. Præſertim aũt quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros, nõ niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris autorẽ referre debere (velut nunc retulit dilectio veſtra) ꝙ per totum mundũ poſſit eccleſijs omnibus in commune prodeſſe. Fiãt enim neceſſe eſt cautiores, cum inuentores malorũ ad duplicis relationem ſynodi, ſentẽtiæ noſtræ ſtatutis ſe viderint

Innocentij epiſtola ad patres Mileuitani concilij.

Antiqua regulæ forma.

ab eccleſiaſtica cõmunione ſeiunctos. Gemino igitur bono charitas veſtra fruetur. C Nam & canonum potiemini gratia ſeruatorũ, & beneficio veſtro totus orbis tutabitur, &c. Hæc ad illos ille Innocẽtius. Ex quibus omnibus in vnum coniunctis, cum his, quæ eodẽ pertinentia, & eodem hoc libro, & ſuperioribus adſcripſimus, luce clarius eſt videre, quodnam catholica toto orbe eccleſia recognouerit ab initio ſummũ tribunal in eccleſia, ad cuius autoritatem & iudicium pertinere omne difficile & ambiguum iudicium, omnes grauiores cauſas eccleſiaſticas, prę ſertim aut omnem quæſtionem fidei. Non equidem ad vniuerſalem eccleſiam, ad quam referri nihil poteſt eiuſmodi, nec eſt idonea, quæ aut conſuli de his poſsit, aut ad conſulta reſpõdere. Non etiam ad vniuerſalia concilia, quorum raro admodũ patet copia, nec patuit ab initio, vt primis illis trecẽtis annis prorſus ignota eccleſiæ, cum conſulendi ſupremam ſacroſanctamq; aliquam in eccleſia autoritatẽ, circa emergentia quotidie dubia, occurrentesq; controuerſias, quotidiana quoq; neceſsitas incidat: ſed ad Petri cathedra & eccleſiaſticæ hierarchię præſidem: quemadmodũ in illa ſynagoga veteri, vmbra & figura noſtræ eccleſiæ, ad ca- D thedrã Moſaicã, hoc eſt, eius pręſidem, & ſacerdotes in ea ſecũ vna ſeruiẽtes domino.

Quod dicunt, non tantum ad ſacerdotes aut epiſcopos iudiciũ pertinere de fidei quæſtionibus & grauioribus quibuſq; cauſis, quæ deferuntur ad ſynodale iudicium: ſed etiam ad reges, principes & cæteros ordines laicos, vt qui etiã ſunt membra eccleſię, & propterea ſuo velut iure intereſſe debere iudicijs ſynodalibus eiuſmodi.

Hæretici confœderati. Synodalibus iudicijs qui intereſſe debeant.

Si illis, quia membra ſunt eccleſiæ, ius competat vt interſint ſynodalibus iudicijs, neceſſe eſt Chriſtifidelibus vniuerſis illud ipſum ius cõpetere. Omnes enim ſunt membra eccleſiæ. Omnes proinde intereſſe debere conuentibus & iudicijs ſynodalibus, ſaltem neceſſario conuocari ad eadem: alioqui vnius præteriti contradictio, imo ſola pręteritio, infirmaret vniuerſum ſynodale iudicium. In his enim quæ communiter ad ius multorũ pertinent, vt habet iuris quoddam axioma, plus operatur vnius contẽptus, quàm multorũ contradictio. Quod vt in omnibus perpetuã veritatem obtinet: ita in iuriſdictionis exercitio, quæ pluribus communiter collectimque competit, maxime verum eſt, adeo vt

Pighius. Nihil iuris habere ſeculares principes in iudicijs ſynodalibus.

A ipſo iure ſit irritum, ꝙ tribus cõpetens à
duobus eorum fieret, præterito neglectoq́ne tertio, c. Cauſam, & Cum cauſa, de off.
iud deleg.

Lib. 4. ca. 3. Sacerdotalis muneris eſſe, docere populum quæ ad legem dei & eius cultum pertinent.

Supra demõſtrauimus, ſacerdotalis hoc
eſſe muneris & officij, docere populum le
gẽ dei, & quæcunq; ad eius cultum perti-
nẽt. Sic enim dixit dominus ad Aarõ: Pręceptum ſempiternum eſt in generationes
veſtras, vt habeatis ſcientiam diſcernendi
inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mũdum, doceatisq; filios Iſrael omnia legitima mea. Et rurſus in Deutero.
Accedẽt, inquit, ſacerdotes filij Leui, quos
elegerit dominus deus tuus, vt miniſtrent
ei, & benedicãt in nomine eius, & ad verbũ eorum omne negociũ pendet, & quicquid mundũ vel immundum iudicetur.
Et iterum per Ezechielem: Populũ meum
docebunt, quid ſit inter ſanctum, & pollu
tũ, inter mundum & immundum oſtendẽt
eis, & cũ fuerit cõtrouerſia, ſtabunt in iudi
cijs meis & iudicabunt. Vides itaq; nõ regum aut principum, non vniuſcuiuſlibet
ex laico ordine in eccleſia, ſed ſacerdotalis muneris & officij eſſe, docere populum
quę ad legem dei, religionem, diuinumq́;
cultũ pertinent, & ſtare ad iudicandum in
B iudicijs domini, cũ de his exorta fuerit q̃ſtio & cõtrouerſia: ſimiliter & in omni diſ
ficili & ambiguo negocio. Quæ vniuerſa
referri pceptum erat ad locum, quẽ elegerat dominus, vbi videlicet reſidebat principalis cathedra, & ſacerdotes in eadẽ pro
tempore ſeruientes domino vna cum eius
præſide, nec declinare ad dextrã nec ad ſiniſtram ab eorũ iudicio, etiam ſponſione
fideli interpoſita, ꝙ ijdẽ illi iudicaturi eſſent veritatẽ iudicij. Inito inſuper pacto
cũ Leui, hoc eſt, vniuerſo ſacerdotali ordi
ne, ad vtilitatem ſuorũ fidelium, vt ad prędictum effectum lex veritatis ſemper eſſet
in ore eius, nec iniquitas vnq̃ in labijs eius.
Labia enim ſacerdotum cuſtoditura ſcien
tiam, & legẽ requirendam ex ore eorũ velut ab angelis domini exercituũ. Proinde
nobis præceptum à Chriſto, vt ſeruemus
diligenter & faciamus omnia, quæcunque
nobis dixerint, qui ſupra cathedram reſident, qualicunque alioqui vita, quibuſcun
que moribus fuerint.

Quod ſi ad ſacerdotes ſuos hoc de⁹pertinere voluit, vt ſuo iudicio diſcernerẽt &
dijudicarent cõtrouerſias, quas circa legẽ
ſuam oriri cõtingit: atq; ea quæ ad fidẽ, religionem, cultumq́; diuinum ptinent, qua
fronte hi cõtendunt, regum, principum, vniuerſorumq́; ſecularium ordinũ hoc ius eſ C
ſe, vt admitti debeãt ad ſynodalia iudicia,
vbi tractãtur & definiũtur cauſę eiuſmodi?

Itaq; tametſi concilijs interfuiſſe legãtur
Romani principes, non tamẽ vt cognitores aut iudices: ſed tantum p ſeruanda tuendaq́; concilij autoritate, vnitate & concordia. Sic magnus ille Conſtantinus, qui
primi illius vniuerſalis Niceni concilij autor, certè pcurator extiterat. Imo qui primus celebrandorum in eccleſia vniuerſalium conciliorum exẽplum & formã prębu
it poſteris, cum in vnum conuenientib. venerabilibus illis ex toto orbe ſacerdotib.
& epiſcopis, pparaſſet domum maximã &
decentem in ædib. regalibus, cum ſedibus
& ſubſellijs, quibus exciperentur honorificè & reſiderẽt, inuitauit, inq̃t ille, eos ingredi, & de præſentib. habere concilium.
Introiuit aũt & ipſe vltim⁹ cum paucis, lau
de dignã ſui magnitudinẽ habens, & mirabilem ſpeciem, mirabilioremq́; gerens dignitatẽ pudoris in fronte. Minore vero ſibi ſede q̃ alijs poſita, in medio eorũ ſedit:
primo tamen petẽs ſibi hoc epiſcoporum
iuſsione concedi. Hęc ille Theodoret⁹ Cyren. epiſcopus. Vides itaq; vt princeps ille
digniſsimus, cuius exemplum imitẽtur omnes, non ignorauerit, ad quos ſpectaret D
definire exortas quæſtiones & controuerſias de dogmatibus eccleſiaſticis, nempe
ad ſacerdotes & epiſcopos: vt nõ pſumpſerit ſuo velut iure aut intereſſe aut pręſidere in cõcilio, ſed petita pri⁹ ab epiſcopis li
cẽtia ingreſſus ſit: nõ ſublimiori aut ęquali ſede, velut vnus ex cognitorib. aut iudicib. inter eos reſidẽs, ſed humiliore ſella,
velut ſpectator quiſpiã & miniſter, cuſtos
aſſertorq́; ſynodalis autoritatis & iudicij.

Conſtantinus in Niceno concilio vt ſe geſſerit.

Theodoretus

Sic & Theodoſius ille minor, ſcribens
ſanctæ ſynodo Epheſinæ primæ: Deputatus eſt, inquit, Candidianus, magnificentiſ
ſimus comes ſtrenuorum domeſticorum,
tranſire vſque ad ſanctiſsimam ſynodum
veſtram. Et in nullo quidem quæ faciẽdæ
ſunt de pijs dogmatibus quæſtiones, ſeu
potius expoſitiones, communicare. Illicitũ nanq; eſt eum qui non ſit ex ordine ſanctiſſ. epiſcoporum, eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. Audis, quid ille dicat & recognoſcat imperator? Nunquid ſui iuris eſ
ſe, vt præſidear, aut etiam, vt interſit ſynodalibus cognitionibus definitionibusq́;
controuerſiarum & quæſtionum de dogmatibus fidei & eccleſiaſticis? Imo proteſtatur ſuũ ſe oratorẽ ad ſynodum mittere, non vt interſit, aut cõmunicet tractatibus

A bus & cognitioni de quæſtionibus exortis circa pia dogmata. Hoc enim recognoſcit & affirmat illicitum, vt qui non eſt ex ſacerdotali ordine, eccleſiaſticis immiſceatur tractatibus. Et vos adhuc nõ pudebit impudentiſsimæ veſtræ ignorantiæ, qui & regibus & principibus & laicis ordinibus vniuerſis perſuadere conamini, quod ipſi ſuo iure, velut membra eccleſiæ, intereſſe debeant ſynodalibus tractatibus, definitionibus & iudicijs cõtrouerſiarum & quæſtionum fidei?

Nota quid ille recognoſcat illicitũ.

Martiani imperatoris recognitio.

Eandem ſuorum prędeceſſorum Chriſtianam pietatem ac modeſtiam, idemq́ue exemplum ſecutus eſt Martianus princeps Chriſtianiſſ. in Chalcedonen. ſynodo. Nã cum eius inſtantia, ad procurandã pacem eccleſiæ B. Leonis autoritate ſecundo congregatum eſſet in Nicena D C. XXX. epiſcoporum vniuerſale concilium: nec tamẽ eiuſdem papæ legati intereſſe vellent eidẽ concilio, niſi Chriſtianiſſ. princeps præfatus ſui præſentiam in eodem exhiberet: præ oculis habentes exemplum Epheſini II. concilij, & metuentes ne in tanta multitudine, per ſeditionem impiorum & factioſorum, rurſus opprimi poſſet orthodoxa veritas, pro maiori commoditate imperialis B præſentiæ tranſlato eorum autoritate Chalcedonam concilio, diſpoſitisq́ue ex eorundem ſententia, ex imperiali comitatu, quibuſdam velut cuſtodibus cõcilij, miniſtris, moderatoribusq́ue agendorum omnium (quę forma etiam in ſexta vniuerſali ſynodo Conſtantinopolitana III. retenta atq; obſeruata eſt) cum eiſdem vna, ſexta tandem ſeſsione imperator ingreſſus concilium, idem allocutus, & ad concordiam exhortatus, dixit inter cætera, ad confirmandam fidem ſecundum ſynodalem ſententiam, non vero ad potentiam oſtentandam, magni Cõſtantini imperatoris exemplo intraſſe ſe ſynodũ: vt, inquit, abiecta omni prauitate, quorundam amputatis erroribus, quę à vobis ordinata fuerint, in perpetuum conſeruẽtur. Vides, vt agnouerit ille ſuum officium in concilio. Vides, non ignoraſſe eũdem, ad quos pertineret ordinare in ſynodo conſeruanda perpetuo: Quæ, inquit, à vobis ordinata fuerint.

Theodorici Gothorum regis recognitio.

Idem agnouit & confeſſus eſt Theodoricus rex, parum alioqui orthodoxus, in concilio quodam, quod in cauſa Symmachi Romani pontificis Romæ celebratum eſt. In quo cum iſte de granibus quibuſdã criminibus accuſaretur ab æmulis & aduerſarijs, interloqueretur autem concilium C à ſe iudicari non poſſe primæ ſedis epiſcopum, pròuocabant illi ad regis arbitrium, vt quem ſciebant inſenſum pontifici. Ille vero, ſeu tantorum patrum autoritate & conſenſu permotus, ſeu (vt nunc multi crediderunt) ob exemplum, diuinitus inſpiratus reſpondiſſe legitur: Synodalis eſſe arbitrij in tanto negocio ſequenda pręſcribere, nec ad ſe quicq̃ pręter reuerentiã de eccleſiaſticis rebus pertinere, totũ permittens poteſtati pontificum.

Vides itaque nunquam ſibi præſumpſiſſe ab initio Chriſtianos principes, quod nunc tandem hi impij eiſdem perſuadere conantur. Ipſorum videlicet iuris eſſe, vt velut cognitores & iudices interſint ſynodalibus iudicijs. Imò recognouiſſe vniuerſos ad ſe nihil pertinere de rebus aut fidei aut eccleſiaſticis præter reuerentiam, ſed ea ſpectare ad ſacerdotale officium ac iudicium. Illicitum enim eſſe eum, qui ex ſacerdotali ordine nõ ſit, immiſceri tractatibus eccleſiaſticis.

Obiectio ex Nicolai põtificis epiſtola.

Quod ſi quis nobis obijciat ex Nicolai illius primi, quam ſuprà audiſti ad Michaelem imperatorem epiſtola, quem arguit quod interfuerat ſynodali iudicio quo damnatus erat Ignatius, in qua inter cæte- D ra ſcribit in hæc verba: Dicite quæſumus, vbinã legiſtis imperatores anteceſſores veſtros in ſynodalibus conuentibus interfuiſſe, niſi forſitan, in quibus de fide tractatũ eſt, quæ vniuerſalis eſt, quę omniũ communis eſt, quę non ſolum ad clericos, verũ etiam ad laicos, & ad omnes omnino Chriſtianos pertinet. Quibus ille verbis videtur innuere, ꝙ ſynodalibus iudicijs quæ peraguntur de fidei quæſtionibus & negocijs, imperatores & ſeculares principes intereſſe poſsint & debeant, quod omnium fides communis ſit.

Reſponſio.

Hoc debes intelligere, Nicolaum illum diſtinxiſſe cauſas ob quas peragũtur ſynodalia iudicia, quarum præcipuæ & frequentiores ſunt quæſtiones fidei. Sunt & aliæ, vt reformationis diſciplinæ & vigoris hierarchiæ eccleſiaſticę. Sunt poſtremò & epiſcoporũ iudicia. In prioribus, quod communes ſunt, licere vt cõuentibus ſynodalibus interſint ſeculares principes, non tamẽ velut ſuo iure intereſſe debere, ſed de petita conceſſaque licentia ſacerdotalis conuentus: quemadmodum Conſtantini exemplo monſtratum eſt: vel ſi ob cauſam expetiti fuerint ab ipſo conuentu, aut illis apud quos eſt principalis, hoc

A eſt,ſedi. Apoſtolicæ autoritas,quomodo Martianus Chalcedonenſi,& Cõſtantinus alter ſextæ ſynodo Conſtantinopolitanæ tertiæ interfuiſſe legũtur. In his,inquam, ſynodis his caſibus licite interſunt ſeculares principes ſynodalibus cõuentibus:conuentibus,inquam,non tractatibus aut definitionibus. Illicitum nanque eſt,inquit ille, eum, qui ex ſacerdotali ordine non eſt, eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. Non itaque vt cognitores aut iudices, ſed vt adminiculatores,fautores & ſynodalis definitionis aſſertores aduerſus hoſtes pietatis & orthodoxæ fidei,huiuſmodi ſynodis,atque in eiuſmodi caſibus intereſſe, non equidem debent,ſed poſſunt, idq; de ſynodi ipſius,aut principalis in eadem autoritatis licentia, quomodo ſupradictos principes interfuiſſe memoratis concilijs demonſtrauimus. At in concilijs,quæ ob epiſcoporum peraguntur iudicia(quale erat illud,cui Nicolaus ille Michaeli præter omne decorum & exemplum interfuiſſe arguit) nec decet, nec honeſtum,imò ſcandaloſum eſt intereſſe ſeculares ac laicos,cuiuſcunque tandem dignitatis aut ordinis. Indecedens nanque eſt verenda patris detegi coram filijs,ne fortè Cham illum imitati,ea ridentes,cum eoſdem maledictionem etiam in ſuis percipiant filijs. B

Pia Conſtantini ſententia.

Quod ſanè intelligens verè magnus ille Conſtantinus,cum ſacerdotum aduerſum ſe mutuo querelas ad ſe referri videret,& ægre ferret, eiſdem reſpondiſſe legitur: Quod ſi quenquam ex vobis peccantem oculis meis cernerẽ,chlamyde potius mea cooperirem,ne quis videret. In his itaque ſynodis,nec conuentibus ſynodalibus intereſſe licet laicis. In illis vtique, ſed quomodo dictum eſt.

Hæreticorũ cõfœderatorum calumniæ.

Sed pontificem,inquiunt,rei perſonam ſuſtinere oportere in hac cauſa & iudicio. Illum ſiquidem ſe reum agere de doctrina impia, traditionibus ac cultibus,quos defendit & inſtituit. Omni autem iuri & rationi repugnare,vt quis ſit iudex in cauſa propria.

Addunt his,papam multis præiudicijs iamdudum damnaſſe doctrinam ipſorum, velut impiam & hæreticam. Merito ergo ſe velut ſuſpectum recuſare ſynodale iudicium,quod illius autoritate peragendum ſit.

Item, in indictione eiuſmodi nullam mentionem cognitionis fieri, nihil de forma proceſſus, ſed hoc tantum agi, vt in ſuffragium eatur quo pacto eorum doctrina extirpanda ſit velut confeſſe hæretica. C Iure ergo & merito ſe recuſare, vt ſuſpectum eiuſmodi ſynodale iudicium. Quod factum ſuum patrũ tuentur excẽplis,Maximum nominatim citantes & Athanaſium.

Poſtremo & locum calumniantur indicti concilij,quod ſit in ea regione,qua papa poteſt plurimos ſibi addictos contrahere, vt ſic ſuffragiorũ multitudine ipſos obruat. Alibi fore aliarum nationum libe riora & æquiora iudicia. Negocia eſſe eiuſmodi,vt ipſis principibus doctrinæ cognitioni intereſſe neceſſe ſit. Et nec tutum ipſis abeſſe ſuis ditionibus, nec eſſe Mantuæ. Quare iuxta deliberationem imperij expedire, vt in Germania habeatur ſynodus.

Pighius. Eccle hier. præſidem nõ poſſe rei perſonam ſuſtinere in eccleſia.

Romanum pontificem,eccleſiaſticę hierarchiæ caput & principem,rei perſonam ſuſtinere in eccleſia, inuertere eſſet ordinem conſtitutum à Chriſto, & contra rerum naturã,ſubditos in præpoſitũ & principem ſibi diuinitus conſtitutum, oues in ſuum paſtorem præſumere ſibi autoritatem iudiciariam. Cunctos enim hic iudicaturus,ſolius ipſe dei & Chriſti(cuius inter nos agit vicariũ)reſeruatus eſt & ſubiectus iudicio. Quod tametſi ex his quæ hactenus demonſtrauimus, ſatis euidens factum ſit,poſt tamen rurſus incidet eius diligentius adſtruendi locus opportunior. D

Calumnia depulſio.

Sed reum,inquiunt,agimus de doctrina impia, de traditionibus & cultibus, quos defendit,Chriſti gloriæ cõtrarijs, de horribili prophanatione & idololatria.

Hoc agitis, quod furioſi & phrenetici, qui in ſtudioſum ſuæ ſalutis medicum inſurgunt verbis petulantibus,eundem maledictis lacerant, ſputo fœdant, nonnunquam nec manibus abſtinent. Sibi haud opus aiunt medico. Sanos delirare,ſe ſolos arbitrantur ſapere. Similis vos habitus aut paſsio occupat. Nihil igitur mirũ, ſimilia ad rationem in vos conuenire ſymptomata. Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionẽ orthodoxis vitare iubet Apoſtolus, velut deploratũ & ſubuerſum funditus. Atcũ ab orthodoxis corripiuntur hæretici, & admonentur communem catholicæ eccleſiæ fidem ſequi, nunquid illi idẽ ab his non audiunt, quod nunc à vobis Romanus pontifex? ſe videlicet orthodoxos eſſe,ipſos vero cõtra hęreticos, ſuã doctrinam puram & euangelicam, orthodoxorum vero papiſticam, innitentem humanis traditionibus, breuiter impiam? Sed nunquid ideo ipſa mutata eſt rerũ facies?

A cies? nunquid ideo orthodoxi hæretici,& contra hæretici orthodoxi? Si reos agitis Romanos pontifices de hæreſi, de horribili prophanatione & idololatria, neceſſe eſt vt eadem cauſa eiſdem criminibus inuoluatis eccleſiam catholicam. Nam quod ad veſtra dogmata attinet, ſuprà libro primo & ſequentibus euidentiſsime demonſtrauimus, nihil nunc tueri ac defendi à ſede apoſtolica,& Romanis pontificibus, quàm quod ab initio,& inde continuo credidit, tenuit & docuit catholica Chriſti eccleſia.

Ro. Ponti. cũ damnāt hæreſes & hæreticos, non eſſe iudicẽ in cauſa propria.

Itaq; quod dicitis Romanum pontificẽ minimè eſſe oportere iudicẽ in cauſa propria. Nihil ille iudicauit, aut iudicat in cauſa propria, ſed illi à Chriſto totius eccleſiæ commiſſa eſt cura & gubernatio. Illi componendi & definiendi exortas in domo eccleſiaſtica vniuerſas quæſtiones & controuerſias, ab eodem Chriſto eſt data autoritas ſuffulta indefectibilis fidei ſingulari priuilegio, ad aliorum confirmationem in fide. Tibi vero illius definitionibus & iudicijs abſq; vlla diſcuſsione eſt impoſita obſequendi neceſsitas. Quæſtionum & controuerſiarũ, quæ ſuboriuntur circa fidem catholicæ eccleſiæ, ipſe conſtitutus eſt iu-B dex & arbiter. In quibus definiendis ſi impij & pertinaces hæretici illi reclament, in ſua perſiſtẽtes pertinacia, ſi dicant (vt ſemper faciunt) eius definitiones hæreticas, ſuã vero impietatẽ orthodoxam & catholicam, nunquid propterea ille conſtituitur, aut pars, aut reus ex iudice? Imò, cum eiuſmodi quid agendũ ſit, ipſa nos lex docuit: Si quis, inquit, ſuperbierit, nolens obedire imperio ſacerdotis præſidis, morietur homo ille. Sed multis præiudicijs queruntur illum iamdudum damnaſſe cauſam ipſorum, velut impiam & hæreticam, merito ergo ſe vt ſuſpectum recuſare eiuſmodi ſynodale iudicium, quod eiuſdem autoritate rurſus peragendum ſit.

Non poſſe à quoquam recuſari iudicium ſynodo celebrata autoritate ſedis apoſt. quid ab eadem iam damnatis ſit.

Quod ſi ideo vt ſuſpectum & illegitimũ recuſari poteſt ab hæreticis ſynodale iudicium peractum autoritate ſedis apoſtolicæ, quod ijdem illi etiam ante ſynodale iudicium eiuſdem autoritate damnati ſint vt hæretici, eadem exceptio & querimonia, Macedonio, Sabellio & Eunomio competeret aduerſus ſecundam vniuerſalem ſynodum, Conſtantinopolitanam primã. Nam & illos ipſos ante illam celebratam ſynodum à beato Damaſo anathematizatos cum impijs ſuis adinuentionibus, ſuprà demonſtrauimus. Eadem Neſtorio aduerſus tertiam vniuerſalem ſynodum, E-C pheſinam primam, quem etiam ante ſynodalem conuentum beatus Celeſtinus damnauerat vt hæreticum. Eadem Euticeti & Dioſcoro aduerſus Chalcedonenſe concilium, quos beatiſsimi Leonis & apoſtolicæ ſedis iam diu ante eam ſynodum prædamnarat autoritas: & tamen per ſuos eidem præſedit concilio. Eadem etiam Petro & Seuero Antiochenis patriarchis, alteri item Petro Apamiarum epiſcopo, vna cum Zoaro monacho Syro, Anthemio quoque Trapezuntino ante epiſcopo & Conſtantinopolitanæ poſt eccleſiæ vſurpatori, exceptio & querimonia competeret aduerſus quintam ſynodum vniuerſalem. Nam etiam hi omnes ante ipſam ſynodum, iam dudum damnati fuerant Apoſtolicæ ſedis iudicio, cuius tamen autoritate eandem ſynodum peractam demonſtrauimus: vt Petrus Antiochenus à Felice Romano pontifice, Seuerus, alter Petrus, ille Apamianus,& Zoarus à beato Hormiſda eiuſdem ſedis pontifice, Anthemium vero eiectum è ſede Conſtantinopolitana beatiſsimus Agapetus damnauerat. Eadem præterea aduerſus ſextam vniuerſalem ſynodum Conſtantinopolitanam tertiam exceptio & querela competeret dam D natis in eadem hæreticis omnibus, Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, Georgio, Conſtantinopolitanis, Machario quoque Antiocheno epiſcopis, quos omnes longe ante illud ſynodale iudicium damnauerat Apoſtolicæ ſedis autoritas, qua tamen illud ipſum peractum ſynodale iudicium ſuprà demonſtrauimus. Nam tres illos primos, Cyrum, Sergium & Pyrrhum, damnarat Honorius: Paulum vero & ſequentes Theodorus & Martinus Romani pontifices. Eadem denique exceptio & querela damnatis in VII. vniuerſali ſynodo aduerſus eandem competeret Iconomachis. Nam & in eadem præſediſſe Apoſtolicæ ſedis legatos demonſtrauimus,& nihilo minus eoſdem Iconomachos iam diu ante damnauerat Apoſtolicæ ſedis iudicium. Primum per Gregorium tertium & ſecum Romæ ad hoc congregatam frequentiſsimam epiſcoporum ſynodum: deinde per Stephanum eius nominis ſecundum. Eadem poſtremo illi ſuperbiſsimo Photio aduerſus VIII. vniuerſalem ſynodum, Conſtantinopolitanam IIII. quam eiuſdem quoq; ſedis autoritate peractam demonſtrauimus: quanuis iam per Nicolaum primũ eius nominis diu ante

A eandem ſynodum idem damnatus fuiſſet Photius. Breuiter vna hac calumnia, vniuerſorum illorum conciliorum, quæ velut primæ notę & autoritatis vniuerſa veneratur & ſequitur catholica Chriſti eccleſia, autoritatem impugnabis, atq; eadem ſuſpecta & illegitima facies.

Apoſtolicam ſedem, ſupremum eſſe tribunal in eccleſia ſuprà demonſtrauimus. Ab eius iudicio nullam prouocationem cadere, etiam ad quæcunque concilia, nec poſſe etiam ab orbe vniuerſo eius retractari ſententiam. Tametſi concedat nonnunquam, etiam poſt iudicium renouari examen, quando ſibi forte poſſet eſſe ſubreptum in aliquo, quod facile fieri poteſt, vbi ex facto pendet ius & negocium. At in fideicauſis & quęſtionibus ita nõ eſt. Quare nunquam inuenies, non ſolum quod in his apoſtolicæ ſedis vnquam lit retractata definitio aut ſententia, imò nec ſuam definitionem ac ſententiam vlli vnquam ſubmiſiſſe ſynodali iudicio, ſed velut certiſsimam regulam ſemper præfixiſſe.

Hæreticorũ querimonia, quòd nõ promittat pontifex in concilio diſputationẽ controuerſarũ nunc quæſtionum. Reſponſio Pighy.

Sed non promitti, inquiunt, in indictione concilij diſputationem controuerſarũ quæſtionum, nullam mentionem fieri cognitionis doctrinę, nihil de forma proceſſus: ſed hoc tantum agi, vt eatur in ſuffragium, quo pacto eorum doctrina extirpanda ſit velut hæretica.

Idem & multo ſimplicius ac apertius fecit beatiſsimus Leo aduerſus Euticetem B & Dioſcorum in Chalcedonenſi ſynodo, eidem agendorum omnium formam præſcribens & regulam, ne videlicet de Euticetis iamdudum ab apoſtolica ſede damnatis erroribus diſputaretur amplius: ſed eam, quæ tam in ſua ad beatũ Flauianum, quàm in beati Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis plenius explicata fuerat, fidem abſque vlla vlteriori diſcuſsione, aut diſputatione ſimpliciter amplecterentur. Nimis enim iniquum eſt, inquit ad Martianum Auguſtum, vt per paucorum inſipientiam ad cõiecturas opinionum & bella reuocemur, tanquam reparata diſceptatione tractandũ ſit, vtrum Eutices impie ſenſerit, & vtrum impie Dioſcorus iudicauerit. Et ad ipſam ſynodum: Explicato priùs ſuo de reparanda vnitate catholicæ fidei in eccleſia deſiderio, probatoq; religioſo Chriſtianiſsimi principis Martiani conſilio, de congregando ad eum effectum illo ipſo ſacerdotali concilio, beatiſsimi tamen Petri, vt ait, iure atque honore ſeruato, pręſentiam ſuam eidem in legatis ſuis exhibere ſe affirmans: Non poteſtis, inquit, ignorare quid cupi- C am, cum non poſsitis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus. Vnde fratres chariſsimi, reiecta penitus audacia diſputandi contra fidem inſpiratam diuinitus, vana errantium infidelitas conquieſcat, cum non liceat defendi, quod non liceat credi. Cum ſecundum euangelicas autoritates, ſecundum propheticas voces, apoſtolicamque doctrinam, pleniſsime & lucidiſsime per literas, quas ad beatæ memoriæ Flauianum epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de ſacramento incarnationis D. N. Ieſu Chriſti pia & ſyncera cõfeſsio, &c. Prioris autem Epheſinæ ſynodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus epiſcopus tũc præſedit, in Neſtorium ſpecialiter ſtatuta permaneant. Nec tunc damnata impietas in aliquo ſibi blandiatur, quia Eutices iuſta damnatione percellitur. Puritas enim fidei, quam eodem, quo ſancti patres, ſpiritu prædicamus, & Neſtorianam, & Euticianam cum ſuis autoribus condemnat & perſequitur prauitatem. Hæc ille concilio. Ex quibus intelligis, nec fidem ſuã, nec condemnationis in Euticetem & Dioſcorum Apoſtolicæ ſedis ſententiam ſubmiſiſſe illum diſcuſsioni concilij, imo pręmiſiſſe ac præfixiſſe, velut normam quam D ſequi deberent, à qua nec latum digitum receſsiſſe illam tot, tãtorum patrum ex toto orbe conuenientium, D.C.XXX. epiſcoporum ſynodum, in ſuperioribus clariſsime demonſtrauimus.

Exemplũ B. Agathonis in VI. ſynodo.

Idem fecit B. Agatho VI. vniuerſali ſynodo congregatæ aduerſus monothelíticam hæreſim, quę vniuerſum penè Orientem, & omnes illas principales ſedes occupauerat. In ſola fere Romana & Occidentali eccleſia conſeruata ſynceritate fidei, quemadmodum videre eſt ex epiſtola eius ad Conſtantinum imperatorem & Auguſtos, cuius partem ſuperius adſcripſimus. Nam miſsis ad illam de latere legatis, qui vice ſua præeſſent ſynodo, mandauit apoſtolicæ ſedis traditionem de controuerſo dogmate explicare concilio, nec quicquã illi addere, inde minuere aut mutare. Cuius ſedis ſingularem prærogatiuam conſequenter commemorans, affirmat vnam illam à via veritatis in quamlibet erroris partem nunquam deflexiſſe, vnius autoritatem, vtpote apoſtolorum omnium principis, vniuerſam ſemper ſequutam catholicam Chriſti eccleſiam, & vniuerſales ſynodos, omnes denique venerabiles, orthodoxoſque patres apoſtolicam eius doctri-

Prærogatiua ſingularis ſedis apoſtolicæ.

nam

A nam reuerenter amplexos, hæreticos autẽ falſis criminationum odijs inſectatos. Cuius veritatem etiam in his ipſis, aduerſus quos agimus, eſt euidenter cernere. Subdit deinceps: Hæc enim apoſtolica Chriſti eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam, à tramite apoſtolicæ traditionis nunquã erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatib⁹ deprauata ſuccubuit, ſed vt ab exordio normã fidei Chriſtianæ percepit, ab autoribus ſuis, apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fine tenus manet ſecundum ipſius domini ſaluatoris noſtri diuinam pollicitationem, qua ſuorum diſcipulorum principi in ſacris euangelijs fatus: Petre, inquit, ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c. Hæc ille Agatho Auguſtis atque ipſi concilio, quem vera dixiſſe ac prædicaſſe, illud ipſum (quemadmodum ſuprà demonſtrauimus) probauit & recognouit concilium. Hunc itaque etiam audis apoſtolicę ſedis ſententiam, quam aduerſus totius penè Orientis, & trium principalium ſedium aſſerebat epiſcopos, non tamen ſubmiſiſſe vniuerſalis cõcilij iudicio, quin potius velut regulam, quã ſequi deberet per
B omnia, eidem præſcripſiſſe.

Quare ſi hac cauſa minimè Chriſtianã ac liberam, perſuadere volueritis orthodoxis & Chriſtianis principibus, indictam à Paulo tertio ſynodum ad extirpandas veſtras peſtilentiſsimas hæreſes, non promiſſa de eiſdem noua diſputatione, noua diſcuſsione ac cognitione in concilio, neceſſe eſt eiſdem perſuadeatis, nec Chalcedonenſem, nec Conſtantinopolitanam tertiã vniuerſales ſynodos, & primæ autoritatis ab vniuerſa eccleſia recognitas, ſuiſſe Chriſtianas & liberas, ſed ſeruiles & ethnicas.

Non ideo indictam ſynodum, vt iam dudum certa reuocentur in dubium, ſed vt errores manifeſtary tollantur ab eccleſia.

Nihil agam vobiſcum ambigue aut callide, ſed aperte & ingenue: iam dudum damnata eſt veſtra impietas, Apoſtolicæ ſedis, orthodoxorum omnium, atque adeò ſpiritusſancti iudicio. Neq; ideo indicta eſt ſynodus, vt per paucorum inſipientiam ad coniecturas opinionum & bella reuocemur, tanquam reparata diſceptatione tractandum ſit, vtrum olim Donatus, Apollinaris, Neſtorius, Vigilantius, Aerius, Berengarius, Valdenſes, Pauperes de Lugduno, Vviclefiſtæ, Huſsitæ, nunc vero Lutherus, Oecolampadius, Zvvinglius, Brentius, & reliqua hæc hæreticorum colluuies, illorum diſcipuli, ſed armati & obſeſsi ſeptem nequioribus, quàm illi, ſpiritibus recte damnati ſint. Sed vt tra- C
ctetur quo pacto hæ peſtes funditus extirpari poſsint ac debeant, & reparari in eccleſia vnitas religionis & fidei, pax & concordia, eccleſiaſticæque hierarchiæ ſuus reſtitui vigor, ſua dignitas. Nõ tamen propterea orthodoxo cuiquam veſtris calumnijs ſuſpectam reddetis indictionem ſynodi eiuſmodi, niſi fortè de Chalcedonenſis cõcilij vniuerſalis IIII. niſi etiam de ſexti vniuerſalis cõcilij Conſtantinopolitani tertij autoritate orthodoxus quiſquam dubitare potuerit. De quibus quiſquis dubitauerit, mihi ſanè orthodoxus non erit.

Vt autem nihil iſtos homines pudet, ſic tergiuerſationem ſuam magnis, illuſtribusque ſanctorum patrum exemplis excuſant, proferentes Maximum Hieroſolymorum antiſtitem, qui recuſauit, quanuis vocatus, ad Antiochenam ſynodum accedere, & Athanaſium qui à Tyria ſynodo aufugit, nec ad eam, quæ Seleuciæ celebrata eſt, conuenire voluit.

Quaſi nulla eſſet inter ſynodum & ſynodum differentia. Conſtat enim illas ſynodos fuiſſe illegitimas, præter autoritatem apoſtolicæ ſedis aduerſus pietatem, & orthodoxæ Nicenæque fidei profeſſores congregatas & celebratas ab impijs, eiuſdem- D
que apoſtolicæ ſedis & catholicæ CHRISTI eccleſiæ ſempiterno damnatas iudicio. Quod autem ad hæc malignantium concilia pij & orthodoxi conuenire recuſarint, nunquid mirum eſt? Sed tu profer ſi potes, vllam Apoſtolicæ ſedis autoritate congregatam & celebratam ſynodum, ad quam quiſquam, cuius pro orthodoxo celebretur nomen, & memoria in benedictione ſit in eccleſia, recuſarit accedere, & per me viceritis. Hæreticos hoc feciſſe inuenies, orthodoxos nunquam inuenies.

Puerilia vero ſunt, quæ calumniantur in locum indicti concilij. Quaſi alibi liberiora & æquiora forent aliarum nationum iudicia. Nunquid enim inter arma tumultuantis & furentis aduerſus pietatem Germaniæ, quàm late iſtorum impietate infecta eſt, in qua etiam nomen ſacerdotale eſt dedecori, ludibrio & opprobrio? nunquid maior pro eiſdem nationibus commoditas?

Sed negocia, inquiunt, eſſe eiuſmodi, vt intereſſe cognitioni doctrinæ neceſſe ſit ipſis principibus, nec tamen tutum ipſis abeſſe ſuis ditionibus?

Quo pacto principibus intereſſe cõcilijs

liceat,

A liceat, ſuperius explicatum eſt. Hos vero
intereſſe cognitioni & iudicio, in quo reo-
rum perſonam ipſos ſuſtinere neceſſe eſt,
aduerſus omnem formam & modum iu-
diciorum eſt. Nec intelligo, qua illi fronte
hæc ſcribere audeant & ſibi arrogare lo-
cum in eo iudicio, vnde velut partialem
excludunt Romanũ pontificem, niſi quo-
modo audent omnia. Quàm vero æquum
poſtulant, vt reliqui Chriſtiani orbis prin-
cipes vniuerſi, longiſsime à ſuis ditionibus
maxima moleſtia & impenſa ipſorum cau-
ſa in Germaniam veniant, ne ipſi vel tan-
tillum abeſſe cogantur ſuis ditionibus &
Germania, tuam lector Chriſtiane conſci-
entiam appello.

Imperij deliberationem, quam iactitãt,
æquum eſt ſequi in negocijs imperij. At
cum eccleſiam vniuerſam tangit cauſa &
negocium, membrum capiti, & pars toti ſe
conſormet neceſſe eſt. Alioqui quid Gal-
lis, Hiſpanis, Siculis, Italis, Britannis, Sco-
tis, cæteriſq; Chriſtiani orbis nationibus
non ſubiectis imperio, cum deliberatione
imperij?

Quod addunt de puritate doctrinæ quã
profitentur. Non ſe videri poſſe latebras
quærere, aut reformidare lucem, qui do-
B ctrinæ ſuæ confeſsionem, apud ſe in eccle-
ſijs publice diligenter & aſsidue tradi cu-
rent, & iam dudum ſcriptis doctorum ſuo-
rum, hoc eſt, Lutheri & diſcipulorum eius
emiſſam in orbem, quos multis in locis
præclare meritos de eccleſia iactitant. Et
eorundem opera oppreſſam denſiſsimis
tenebris doctrinam Chriſtianam, videli-
cet impiorum cultuum, monaſticarum cę-
remoniarum, perplexarum quæſtionum
& cauillationum euolui cœptam. Pluri-
mumq́ue lucis additum Euangelio pleriſ-
que locis, de vera pœnitentia, de fide & iu-
ſtitia, de vſu ſacramentorum, de poteſtate
eccleſiaſtica, de diſcrimine & vſu traditio-
num, de dignitate rerum ciuilium, atque
alijs pleriſque locis. Falſiſsimam vero eſſe
calumniam, ſpargi ab ipſis errores olim
damnatos, renouari veteres hæreſes. Nam
puram illam quam amplectuntur doctri-
nam, eſſe haud dubie conſenſum catholi-
cæ eccleſiæ. Nihil ſibi eſſe acerbius, quàm
diuelli nationes Chriſtiani nominis. Se
quidem à vera vnitate & conſenſu catho-
licæ eccleſiæ nunquam diſceſſuros, ſed
quia papa damnat veram, piamq́ue doctri-
nam, eccleſiæ neceſſariam, mandato Dei ſe
cogi diſſentire ab ijs, qui eius impietatem
approbant: Se equidem ſatis intelligere,
magno ſui ſtatus & fortunarum periculo ſe C
diſſentire à cæteris nationibus, & ſeſe ob-
ijcere armis omnium regũ & principum,
ſed veritatis profeſsionem anteferre ſe re-
bus omnibus, orantes ne ita ſibi quiſquam
de ipſis perſuadeat, quaſi aliqua cupiditate
hæc fecerint.

Hæc, inquam, cum legi, magis riſu, quã
exacta vlla reſponſione proſequi libuit:
Scilicet non videri ſe poſſe latebras quæ-
rere, aut reformidare lucem, qui peſtilen-
tiſsimos errores ſuos omni ſtudio conati
ſunt in orbem ſpargere, non ſatis habẽtes
ſeſe præcipitaſſe extra arcam illam myſti-
cam, niſi & multos vna ſecum pertrahe-
rent in perditionem & interitum. Sed in
hoc imitati ſunt illos patres & præcepto-
res ſuos, pſeudoprophetas, & magiſtros
mendaces, hæreſiarchas videlicet, qui hoc
ipſum ſemper ſtuduerunt, Chriſtifideles
abducere ab illo corpore catholicæ Chri-
ſti eccleſiæ, in ſuos angulos & domorum
penetralia, in deſertum, atque ibi Chri-
ſtum contra CHRISTVM demon-
ſtrare incautis & malecredulis. Atque vti-
nam latebras quærerent, reformidarent
lucem, vtinam perpetuis tenebris peſtilens
malum hoc deliteſceret, quod baſiliſci cu-
iuſdam inſtar, vel viſu parum firmos infi- D
cit. Sed frons meretricis facta eſt illis, vt
neſciant erubeſcere, veriſsimam in ſe com-
probant apoſtolicam illam ſententiam, qua
affirmatur nobis, ſubuerſos eſſe, qui ſunt
eiuſmodi, ſine vlla ſpe, aut correctionis,
aut emendæ, & proinde fugiendos deuitan
doſq; orthodoxis velut cõtagioſam & cer-
tiſsimam peſtem aliquam.

Puritatem, inquiunt, doctrinę quam am
plectuntur, ipſum eſſe conſenſum catho-
licæ CHRISTI eccleſiæ. O doctores pu
dicos, caſtos & ſobrios. Qui tollentes in
primis libertatem arbitrij, & vniuerſa ex-
trema, abſolutaque, quo ad nos, neceſsita-
te inter nos docentes accidere, eo ipſo o-
mnem locum meriti ac demeriti auferunt,
nec ſolum iniuſtum & crudelem deum fa-
ciunt, qui puniat pro his, quæ abſoluta ne-
ceſsitate facimus, nec plane vitare poſſu-
mus: ſed & ſtultum & fatuum, qui ad man-
datorum ſuorum obſeruationem propo-
ſitis præmijs inuitet homines, & pœnarum
comminatione à tranſgreſsione deterreat,
perinde tanquam ſi ligno aut lapidi quem
manu tenet minitetur quis, ſi protectus
è manu in terram ceciderit, & blandiatur
ne cadat. Eiuſmodi enim pluſquam riden-
das nænias faciunt diuinam ſcripturam
vni-

A vniuerſam. Neqne hoc tantum, ſed & vniuerſum diuinum cultum tollunt è medio, & abolere conantur pro viribus. Sacerdotio nos priuant & ſacrificio. Nullam relinquunt ſacri, prophanique diſtantiam, aras, templa, monaſteria ſubuertunt. Eadem cum vniuerſis quæ in eis peraguntur diuini cultus cauſa, meras laruas, meras ſacies Antichriſti prædicant. Quæ olim à Chriſtifidelibus donata ſunt miniſtris eccleſiæ, & religioſis conuentibus hominum, eiſdem vi auferunt, vaſa diuino cultui mãcipata, ablata eccleſijs prophanis ſuis vſibus applicant. Campanas, quibus ad Dei cultum antiquo ritu conuocatur fidelis populus, conuertunt in bombardas & machinas in humanam perniciem. Omnes eccleſiaſticos ritus, obſeruationes & cæremonias, quos & in diuino cultu, & in ſacramentis eccleſiaſticis toto orbe obſeruat CHRISTI eccleſia, & ex apoſtolica traditione ſeruauit omnibus ante nos retro ſeculis ab initio, nihili pendunt, & velut veræ pietati officientes obliterare ſatagunt. Rident cantum eccleſiaſticum, & ſacerdotes Baal in eo nos faciunt. Derident catholicam per orbem eccleſiam, quod aquam ſale exorcizet in varios vſus fideli-
B um, quod baptiſmi fontem conſignet & benedicat, quod baptizatos, confirmatos, & ordinatos in ſacerdotes & epiſcopos inungat ſacro chriſmate aut oleo, quod templa, altaria, vniuerſaque diuino mancipata cultui benedictionibus ſanctificet ac dedicet, imo hæc execrantur velut impia, & magicæ ſuperſtitionis veſtigium teferentia. Suos docent ſacro chriſmate (quod fœtidum rancidumque oleum appellant) inungere calceos, aquam benedictam fœdare ſtercore: abominari fontem baptiſmatis ſanctificatum antiquiſsimo ritu catholicæ per orbem eccleſiæ, & in eiuſdem deriſum, communi aqua baptizare infantes abſque ſacro chriſmate. Dies feſtos, quibus redemptionis & ſalutis noſtræ annua celebritate recoluntur ac in nobis renouantur myſteria: Quadrageſimale ieiunium, breuiter quæcunque ſine ſcripto ex apoſtolica traditione ſeruauit ab initio, & interim continuo eodem perpetuoque tenore obſeruat tota per orbem eccleſia, eo pertinentia, vt à nobis aſsidue honoretur & laudetur Deus, vtque maiori cum reuerentia ac decentia, cultus ille eidem à nobis impendatur, ſacramenta, quæ idem ad ſalutem & remedium nobis contulit, ſuſcipiantur ſalubrius, aboleri volunt vniuerſa: & ad nudum nomen, Chriſti religio- C
né reuocant. Hoc per hos agens antiquus ille, & Dei, & humani generis hoſtis, vt omnem pietatem tollat è mentibus hominum. Nec in Deum tantum ſunt blaſphemi & impij, ſed & in diuos iam regnantes cum Chriſto, aduerſus quos impio furoro bellum gerunt ſacrilegum. Viuos impietatem docent, mortuis circumſcribunt viuorum ſuffragia, vniuerſæ catholicæ eccleſiæ ſtultitiæ notam inurunt, quod ſanctorum imploret auxilia, idololatriæ, quod honoris cultum eiſdem impendit, & reuerentrr obſeruat, colitque eorundem reliquias, honorat picturis, ſtatuis & imaginibus. Vota monaſtica, obedientiæ ſuis ſuperioribus dependendæ, conſeruandæ caſtitatis perpetuæ, & paupertatis voluntariæ, docent ſtulta & impia, vtpote impoſſibilia, & libertati Chriſtianæ contraria, nec coram Deo obligatoria. Ex ſancto inſtituto quanta poſſunt cura & ſollicitudine vtriuſque ſexus plurimos attrahunt in fornices & proſtibula, nec illos pudet publice aſſerere, æquè ſui arbitrij non eſſe vt carnis quis refrenet libidinem, vt caſti corporis pudicitiam conſeruet, vt ſe ſeruet ab abuſu & commixtione fœminæ, quàm nõ eſt ſui arbitrij, mas ſit an fœmina: D
tam eſſe opus illud neceſſariũ, quàm ſcreare, expuere, ventrem exonerare, quàm denique aut edere aut bibere. Audis lector Chriſtiane illam ſynceritatem & puritatem doctrinæ euangelicæ, quam hi iactitant, ſcilicet euangelicæ caſtitatis & puritatis præcones, quibus infinita Dei miſericordia ſacroſanctum euangelium nunc demum reuelatum eſt, ſed quod hactenus catholica per orbem ignorauit eccleſia.

Quàm vero præclare ijdem ſint meriti de eccleſia, vel cæco (quod aiunt) poteſt eſſe perſpicuũ, quiſquis eius miſerabilem prorſus ſtatum conferat cum eo, qui fuit patrum noſtrorum temporibus, quando in vniuerſa eccleſia viguit vnitas & ſynceritas fidei: viguit religio & diſciplinę ac hierarchiæ vigor eccleſiaſticæ, atq; ordinum omnium. Cum contra nihil nunc ſuo cõſiſtat loco, omnia perturbata, omnia cõfuſa, null⁹ ordo, nulla vis diſciplinæ aut hierarchię eccleſiaſticę: ſed elãguida vniuerſa, ita vt planè ſpectare videãtur ad interitũ. Semel velut effractis repagulis reuocatum ab inferis & effuſum in eccleſiam, omnium peſtilentiſsimarum hæreſeon omne genus, & quæ olim damnatæ perpetuis tenebris, & anathemate notatæ ſunt ab eccleſia, *Quãd illis debeat Christi ecclesia.*

& quæ-

A & quæcunq; ingenioſa ad malum hac tempeſtate ingenia certatim, quodq́; præ alio, peius excogitare potuerunt.

Hinc Anabaptiſtarum furor, inde Adamitarum inſania, illinc Sacramentariorum peſtilentiſsima contagio. Et omnium horum parens, quamuis pugnantium, fœcunda omnium malorum mater, Lutherana impietas, omnibus ad omnem impietatem ſemel aperiens ianuam, omnem hierarchiam, omnem ordinem tollens ab eccleſia, omnem pietatem & religionem (quod in ſe eſt) funditus eliminans è mentibus hominum. Quorum præclara merita (quæ impudentibus buccis iactant) de Chriſti eccleſia, vtinam ſuum Homerum aut Maronem ſortiantur, ne ea vlla deleat obliuio. In ſuam quidem notam & ignominiam, ſed quo cautior reddatur poſteritas, & ne tam facile ſe permittat impoſtoribus eiuſmodi, néue credat alibi monſtrantibus Chriſtum, quàm in corpore catholicæ eccleſiæ, ad quod ſemper congregatę ſunt & congregantur aquilæ. A cuius fide, ſententia & communi conſenſu, quantum hi recedant, ſuperioribus libris omnibus, præſertim autem tribus prioribus, euidentiſſimum fecimus.

B Ex quibus etiam luce clarius conſtat, non eſſe falſiſsimam (vt illi ſuo more dicunt) calumniam, ſed grauiſsimam, veriſſimamq́ue accuſationem orthodoxorum aduerſus illos omnium, ſpargi videlicet ab eiſdem damnatos olim errores, reuocari ab inferis veteres & ſepultas multis ſeculis hæreſes, quam ipſam doctrinam puram appellant & euangelicam, atque adeo conſenſum catholicæ Chriſti eccleſiæ, aduerſus euidentem atque omnibus perſpicuam eiuſdem catholicæ eccleſiæ ſententiam.

Quàm impudenter dicãt, nihil ſibi acerbius quã diuelli Chriſti eccleſiam.

Nihil, inquiũt, nobis eſt acerbius, quàm diuelli nationes Chriſtiani nominis. Imò dicant, & veriſsimè dicant, nihil ſibi eſſe iucundius aut optatius: Niſi forte ſibi vaniſſime perſuadeant, vniuerſam ſe catholicã Chriſti eccleſiam in pernicioſiſsimi erroris ſui conſenſum poſſe pertrahere. Sed fidelis eſt ille, qui promiſit Petro, non præualituras inferorum portas aduerſus ſuã, quam ſuper illum ædificauit, eccleſiam, & exauditus pro ſua reuerentia, qui pro eodẽ rogauit Petro, velut eccleſiaſticæ hierarchiæ capite, ne deficeret fides eius. Si nihil vobis eſt acerbius, quàm diuelli nationes Chriſtiani nominis, quid ergo tanto conamine eas diuellitis? Quod ne per vos factũ

Conuincuntur ipſi diſcerpere vnitatẽ catholicæ Chriſti eccleſiæ.

C inficiari quiſquam poſsit, ad vos vſque annis circiter mille viguit in eccleſia vnitas religionis & fidei, idem toto orbe creditũ eſt, quod didicimus & nos in catholica eccleſia, quod à patribus noſtris accepimus. Et tametſi prodierint nonnunquam, Aerij, Vvaldẽſes, Berengarij, Vvicleſiſtæ, Huſſitæ, atque id genus portenta hominum, qui catholicæ eccleſiæ, & fidei eius vnitatem diſcerpere conati ſunt: paucos tamen, obſcurosque ſectatores repererunt. At nũc velut laxatis ab inferis, immiſsiſq́ue in orbem furijs, ſtupenda, miſerandaque cæcitate atque impietate occupatis mentibus hominum, rediuiua ex illorum cineribus ſuſcitata incendia totam penè ſunt depopulata eccleſiam. Diſſentitis vos ſoli à cæteris vniuerſis totius Chriſtiani orbis nationibus, Imò & à vobiſmetipſis, adeo nihil inter vos conuenit, poſtquam id derelictum eſt, quod in catholicæ fidei vnitate omnes continet. At cæteræ nationes non ſolum inter ſe & ſecum, ſed & vniuerſæ retro catholicæ eccleſiæ conſentiunt.

Calumnia confutatur.

Sed cogimini, ſcilicet mandato Dei, diſſentire ab ijs, qui papæ conſentiunt damnanti veſtram doctrinam puram & euangelicam, atq; eius improbitatem approbant.

D Ego ſanè Chriſtum docuiſſe video tam neceſſariam connexionem ſuæ eccleſię ad Petrum eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidẽ, & ſucceſſores eius, quàm eſt ad ſuum fundamentum domus aut ædificij, cui quod eius non vnitur, ad vnitatem eccleſiaſticæ domus aut ædificij non pertinere certum eſt. Et vos Chriſti præcepto diuiſi eſtis ab illa petra, ab illo capite & patrefamilias domus eccleſiaſticæ oues pugnantes & rebelles paſtori, quẽ ſuo ouili ipſe præfecit Chriſtus? Nunquid ergo diuiſus eſt Chriſtus, & ſibimetipſi contrarius?

Sed damnat veſtram doctrinam, veram ſcilicet, piam & euangelicam. Damnat veſtram doctrinam velut contrariam doctrinæ catholicæ eccleſiæ, quam falſam & impiam eſſe neceſſe eſt, ſi veſtra vera & pia eſt. Sed vos potius falſi eſtis & impij, veriſsima autem Apoſtoli ſententia, quæ eccleſiam catholicam affirmat columnam eſſe, roburq́; & firmamentum omnis veritatis orthodoxæ fidei.

Niſi, inquiunt, profeſsionem veritatis anteferrent rebus omnibus, non ſe tanto periculo fortunarum ſuarum diſſenſuros à cæteris nationibus, non ſe obiecturos earundem omnium armis, aliorumq́; principum.

A pum. Idem faciunt, quod obſtinati omnes, & perditiſsimi hæretici, etiam tales, quorum illi ipſi inſaniam execrantur: tametſi ex illis prodierint, vt ſecum ſemper pugnat impietas. Quorum pleroſque etiam grauiſsima, meritaque ſupplicia, atque adeo illatam mortem alacriter pertuliſſe vidimus. Sed non eſt hoc pietatis indicium, ſed indurati in malo animi, & obſtinatæ perfidiæ. Si tamen ita, vt loquuntur, ſentiant. Sunt enim quibus aliter de ipſis perſuaſum eſt, videlicet non tam doctrinæ ſuæ ſtudio (cuius luce clarius eſt traducta impietas) quàm eccleſiaſticorum bonorũ retinaculis (quę vi abſtulerunt eccleſiis, monaſterijs, & diuino cultui ſpecialiter mancipatis religioſis cõuentibus) vel contra ſuam ipſorum conſcientiam, eandem ſe tueri mordicus. Quod quàm verum ſit, ipſi viderint. Certè aliorum talem de ſe perſuaſionẽ non ignorare videntur, quum ſpecialiter obteſtentur omnes, ne ita de ſe ſibi perſuadeant, vt potius cupiditate bonorum videlicet, quæ abſtulerunt, eccleſiaſticorum illaqueati, quàm opinione veritatis doctrinæ, quam profitentur, eandem aduerſus totius reliqui Chriſtiani orbis fidem, ſententiam & conſenſum tueri pergant.
B Quod ſi falſum eſt, ſtupenda planè & pluſquã diabolica eſt, cęcitas eouſque ſe demiſiſſe in profundum impietatis & malorum, vt ſibi perſuadere poſsint licere, quæ faciunt. Si meretrici aut hiſtrioni alicui, quæ vltro donauit quis, per vim poſtea eidem auferre conetur, nemo dubitat contra Deum & iuſtitiam illum agere. Et quæ eccleſijs, earumque miniſtris & religioſis conuentibus diuino ſpecialiter mancipatis cultui, pro ſalute animarum ſuarum iam olim dedit Chriſtifidelium deuotio: tu quæ non dediſti, illi autem legitimo iure, longiſsimo tempore poſſederunt, eiſdem vi auferens & tibi vſurpans, nihil peccabis in leges publicas? nihil in Deum & iuſtitiam? Hæc ſibi perſuadere quenquam poſſe, in quo vel ſcintilla micet rationis & luminis, tam nobis eſt incredibile, vt vel iurantibus ita ſe credere, omnino fidem habere non poſsimus. Et hactenus quidem pro indictione concilij facta à Paulo tertio Romano pontifice, aduerſus prædictorum impias calumnias, ſatis ſuperque reſponſum eſt.

Obſtinata hæreticorum pertinacia, etiam alacriter ſupplicia ob notoriam impietatem perferens. Hoc certe eſt totius orbis de illis iudicium.

Num quo ſaltẽ caſu incorrigibilis criminis ſcandalizantis eccleſiam præter notoriam hæreſim papa vniuerſalis concilij iudicio fiat obnoxius, aliorum primo explicare atque excutere rationes & ſententiam. C

CAP. XIIII.

SImpliciter hactenus, abſolutéque autoritatẽ Petri & eius ſucceſſorum, ad vniuerſalis eccleſiæ generaliumq́; conciliorum autoritatem comparauimus, & clariſsime inuentum eſt, quæ cui præponderet. Petro ſiquidem, ſucceſſoribusq́ue eius commiſſam à Chriſto curam, gubernationemq́ue vniuerſalis eccleſiæ: proinde illis traditam ab eodem poteſtatem ſuper eã regiminis. Quæ vt illam iuriſdictionis autoritatem principalem, illam quoque ſubortas circa fidem, religionemq́ue controuerſias, definiendi neceſſario includit: ita quoque vtranque Petro datam à CHRISTO, & ab vniuerſa eccleſia in ſucceſſoribus eius ab initio ſemper recognitam, fecimus euidentiſsimum. Lego autem correlatiuorum palam eſt hæc ſe conſequi: vt ſi data ſit Petro & ſucceſſoribus eius ſuper ouile D Chriſti regiminis autoritas, huic obediendi illis ſit impoſita neceſsitas. Cui nec vllam prorſus iuriſdictionis autoritatem, primo aut propriè cõpetere, æque demonſtrauimus, ita vt fruſtra laborent Conſtantienſes, Baſilienſeſque illi, in eius ius, quamuis ſine vllo iure, vniuerſalia concilia ſubrogare omnia. Quorum omnem autoritatem, omniũ actionum ſynodaliũ robur, firmamentumq́ue ab vna autoritate apoſtolicæ ſedis prorſus dependere, ipſa atteſtante rei euidentia, ipſa totius catholicæ Chriſti eccleſiæ, ipſorum quoque conciliorum vniuerſalium, recognitione confeſsioneq́ue clariſsimum fecimus. Inſuper & hæreticorum quorundam calumnias depulimus, quibus indictã à Paulo tertio Mantuæ celebrandam ſynodum, ſuſpectam orthodoxis facere conantes apoſtolicę ſedis autoritati impudentiſsimè detrahunt.

Reſtat nunc excutere, num quo ſaltem caſu, videlicet notorij & incorrigibilis alicuius criminis, publicè ſcandalizantis eccleſiam, papa iudicio vniuerſalis concilij efficiatur obnoxius.

Hic reſpondere nihil dubitant Conſtãtienſis, Baſilienſiſq́; conciliorum aſſertores,

A tores, non ſolum in vniuerſis eiuſmodi caſibus, ſed ſimpliciter eccleſiæ, aut vniuerſalis concilij iudicio papam eſſe obnoxium, & ab eodem poſſe deponi & in ordinem redigi. In illo ſiquidem ponunt regulatiuam autoritatem omnis poteſtatis eccleſiaſticæ, quæ omnem autoritatem, etiam papalem ſibi ſubijciat. Sed iam ex Theologicis illis indubitatiſque principijs, hoc eſt, diuinæ euangelicæque ſcripturæ autoritate, catholicæ eccleſiæ confeſsione, communique conſenſu, nec non ipſa rei euidentia, horum ſentētia falſa demonſtrata eſt.

Cæterorum ferè hoc dubitant, quod quamuis ſimpliciter loquēdo, vniuerſalis eccleſię Petri & eccleſiaſticę hierarchiæ pſidentium ipſo iure diuino ſit ſubdita, nū vnus ſaltē aut alter caſus à generali hoc iure exceptus ſit, qui tēderet in euidentē eccleſię perniciem, ſi etiam tunc illorum autoritati ſubeſſe cogeretur, imo niſi tunc haberet deponendi eoſdem autoritatem. Omnes autē caſum hæreſis ita exceptum affirmant, de alijs vero diſputant.

Canoniſtarum tamen vna fere eſt ſentētia, ob nullū alium criminis caſum, quàm ſolius hæreſis, papam ſubeſſe humano iu-
B dicio, fundamentum ſumentes ex capitulo, Si papa, quadrageſima diſtinctione, quo dicitur: Quod eius culpas hic redarguere preſumat mortalium nullus. Quia cunctos ipſe iudicaturus à nemine eſt iudicandus, niſi forte deprehendatur à fide deuius. Pro cuius perpetuo ſtatu vniuerſitas fidelium tanto orat inſtantius, quanto ſuam ſalutem poſt deum, ex illius incolumitate animaduertit propenſius pendere. Hæc citat Gratianus, velut Bonifacij cuiuſdam martyris, archiepiſcopi (ni fallor) Moguntini illius, à cuius manibus Pipinus ille Magni Caroli pater, ſacra inunctione & apoſtolicæ ſedis autoritate, Gallici regni ſceptra & titulos pro ſe, ſucceſſoribusque ſuis accepit. Quæ Canoniſtis ſufficienti ad quiduis argumento ſunt, quod à Gratiano in farraginem illam ſuam eccleſiaſticorum decretorum inſarta leguntur.

Theologorum plerique, pręſertim quibus Conſtantienſis & Baſilienſis conciliorum non probatur autoritas, Canoniſtis conſentiunt quidem per omnia, ſed tantæ aſſertionis leuius illud eorum fundamentum putantes, altius & ex iure diuino illud ipſum petendum haud malè exiſtimant. Iure enim diuino ipſi Petro & ſuc-
C ceſſoribus eius, regiminis, iuriſdictioniſque autoritatem ſuper vniuerſam Chriſti eccleſiam competere, certiſsimo demonſtratum eſt. Quare ſi quo caſu ex ſuperiori & iudice papa vice verſa fiat ſubiectus vniuerſali concilio aut eius iudicio, iuris diuini diſpoſitione id fiat oportet. Nam aduerſus diuini iuris vniuerſale decretum nihil poteſt humana exemptio, nec deobligari humanis conſtitutionibus, qui Chriſti inter nos vices referens, ſupremam prorſus omnium & pluſquam humanam autoritatem obtinet.

Itaque prædictam Canoniſtarū ſententiam efficacioribus rationibus petitis ex Theologicis principijs conantur aſſerere. Quæ tamen mihi frigere videntur vniuerſæ, nec dignæ, quibus tractetur argumentum eiuſmodi.

Quod vt verum intelligas, vnum ex omnibus proferam maximi inter omnes nominis, & qui nouiſsimus ea de re ſcripſit, ac poſt vniuerſos, reuerendiſsimum dominum Thomam de Vio cardinalem Caietanum. Hic eandem quam diximus communem Canoniſtarum ſententiam aſſerens, ſed inſufficientiam fundamentī eorum & rationum, quas alij ad eādem afferunt, inefficaciam conſiderans, ſuo quo-
D dam tractatu de autoritate papæ, eccleſiæ & vniuerſalis concilij, ſolum hæreſis caſum à communi ſubiectionis lege exceptum, per quem videlicet vice verſa ex iudice papa reus fieret, ex ſuperiori inferior, & ob quē deponi poſsit ab eccleſia aut concilio, conatur demonſtrare, ratione (vt putat) efficaci, & ex certis illis Theologicis deprompta principijs, quam mox audies. Pro cuius intelligenda euidentia hæc fere præmittit, eſſe videlicet quandam poteſtatem electiuam papæ in eccleſia. Electionem item vt ſit firma & efficax etiam, in electo diſpoſitiones quaſdam requirere: quaſdam quidem ſimpliciter neceſſarias, vt effectum ſortiatur & valeat: alias vero non ſimpliciter vt valeat, ſed vt debitum officij ſui rite exequatur electus. Primi generis duas dicit, videlicet vt ſit Chriſtianus, & vt conſentiat. Secundi generis ea eſſe certū eſt, quæ à beato Petro requiſiuit Chriſtus, quū ſuas illi oues paſcendas, gubernandaſq; committeret, nempe feruentiſsima charitas, inſuper diuinæ legis eccleſiaſticarumque rerum ſcientia, & regiminis experientia, & quæ ad hoc genus pertinēt. Sine quibus efficitur quidē papa, ſed malus, nec ſuo potēs officio ſatisfacere.

At

A At niſi Chriſtianus ſit, niſi etiã electioni conſentiat, irrita prorſus redditur electio. Quoniam autem deſtruere quàm cõſtruere ſemper eſt facilius, ad conſtructionẽ vtramq; harum conditionum dicit eſſe neceſſariam, ad deſtructionẽ ſufficere vt deſit altera. Itaq; quacunq; earum deficiente dicit papam deſinere eſſe papam. At deficientibus diſpoſitionibus non ſimpliciter neceſſarijs ad eſſe formæ in ſubiecto, ſed ad bene eſſe, non propterea fieri dicit diſpoſitionem ad ſeparationem formæ à ſubiecto. Ex quo enim non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, poteſt eſſe forma in ſubiecto, tam cum eis quàm cum eorum contrarijs.

Ratio Caietani.

Ex his hanc rationem colligit, qua ſe putat euidenter demõſtrare propoſitum: Sola, inquit, contraria conditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ, reddũt papam deponibilem. Sed inter crimina ſola infidelitas contrariatur cõditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ. Sola ergo infidelitas inter crimina reddit papam deponibilem. Maiorem probar, quoniam depoſitio eſt nõ eſſe papæ. At vnumquodque in ſuo eſſe perſeuerat, donec ſuperueniat aliquid illi eſſe contrarium.

B Minorem aliter non probat, ſed velut notam ſupponit ex præmiſsis. Et hanc, inquit, rationem vellem in ſtatera poni, & non friuolas & apparentes per accidentia vagantes. Hæc ille.

Quantũ noceat cauſam veritatis tractari argumentis parũ ſolidis.

In quæ cum fortè naſutus quis incidit ex his, aduerſus quos agimus, hoſtibus hierarchiæ eccleſiaſticæ, nunquid putas vel cachinno temperare poſſe? nũquid vel ex hoc ſolo ſibi non perſuadere, falſam cauſam veritatis, quæ à viris tantis, tanti nominis, tam ridiculis argumẽtis & rationibus adſtruitur, etiam vt illa deeſſet iactantia? Nulli certè cauſam orthodoxæ fidei efficacius prodidiſſe inueniuntur eius hoſtibus & aduerſarijs, quàm qui eius patrocinium ſibi deſumentes, ipſum nõ peragunt pro dignitate & merito: quorũ ſeu prçuaricatio, ſeu ignorantia non tam ipſis, quàm cauſæ imputari ſolet, & hoſtibus ad inſultandũ petulantius veritati anſam tribuit.

Dicta rationis Caietani excuſſio. Et primo ſuppoſitionum.

Mihi ſane, ſalua tanti illius viri reuerentia, illa eius ratio vniuerſa cum ſuis præambulis, in ſtatera rectæ rationis appenſa, tam multis modis deficere videntur, vt me plane pudeat eius nomine ſuæ illius iactantiæ.

De conditionibus, quas

Et primo quod dicit duas eſſe cõditiones ſimpliciter neceeceſſarias ad hoc, vt ſit papalis autoritas, verbi gratia, in Paulo C aut Iulio, videlicet vt ſit Chriſtianus, & vt ſit voluntarius, diſtinctius id explicandũ fuerat. Nam altera earum eſt quidẽ neceſſaria in fieri, ſed nõ in ſacto eſſe: altera neceſſaria eſt, & in fieri, & in facto eſſe. In fieri tantum neceſſaria eſt conditio, vt conſentiat. Sed poſtquã factus eſt papa, non eſt amplius neceſſaria, vt ille permaneat: ſed ſiue deinceps conſentiat, ſiue pœniteat, æque manet papa. Sicut & in baptiſmi, & in aliorum ſacramentorum ſuſceptione, in fieri neceſſaria eſt conditio in ſuſcipiente, conſenſus & intentio: ſed in facto eſſe non amplius: ſimiliter & mutuus viri mulieriſque conſenſus neceſſarius eſt, vt naſcatur inter eos matrimonij vinculũ: at poſtquã natum eſt, manet: etiam ſi nõ maneat conſenſus, imo etiam ſi diſſentiãt. Altera vero illa conditio, videlicet Chriſtianum eſſe, eſt ſimpliciter neceſſaria, & in fieri, & in facto eſſe: ita quod ſi per impoſsibile deſineret Chriſtianus eſſe, ſimul deſineret eſſe papa. Per impoſsibile dico, quoniam Chriſtianiſmus, vt hic de eo loquimur, vt Chriſtianum eſſe, dependet à baptiſmali charactere indelebili. Neque illi cõtrariatur hçreſis, quin potius ab eadem præſupponitur, nemo enim hæreticus, niſi Chriſtia- D nus eſt.

dicit neceſſarias ad eſſe papæ, quàm loquatur cõfuſa.

Duarum itaque harum conditionum, vtraq; eſt neceſſaria in electo ad hoc, vt per electionẽ fiat papa. At iam factus papa, vt idem permaneat, altera tãtum eſt neceſſaria, altera minime. Eſt autem in his omnibus argumentatio optima à deſtructione cõditionis aut diſpoſitionis neceſſariæ ad aliquid, ad deſtructionẽ eius, ad quod eſt neceſſaria, ſed ita, vt cuiq; reddatur ſuum, vt à deſtructione cõditionis neceſſariæ ad fieri, ſequitur rem non fieri. Similiter, ſi non adſit conditio neceſſaria ad eſſe ſactũ aut quietum, ſequitur rem non eſſe. Sed ſi hæc permutaueris, malam argumentationem facies.

De conditionibus neceſſarijs ad bene eſſe quàm male ſentiat.

Deinde quod ſubiungit de cõditionibus aut diſpoſitionibus nõ ſimpliciter neceſſarijs ad eſſe, ſed ad bene eſſe, ſi deſint, aut earũ contrariæ adſint, nõ diſponere rẽ ad corruptionem aut ſeparationem formç à materia, eſt euidenter falſum. Imo nulla alia diſponunt ad corruptionem compoſiti, & ſeparationem formæ à materia, niſi quç cõtrariantur diſpoſitionibus, nõ ſimpliciter neceſſarijs ad eſſe, ſed ad bene eſſe. Neceſſe eſt enim, vt diſpoſitio ad corruptionẽ prçcedat corruptionem in compo-

A ſito:proinde,compatiatur ſecum formam in eodem,ad cuius ſeparationem diſponit. Nunquid enim febris,aut alia quæuis grauis indiſpoſitio corporis non diſponit ad mortem & corruptionem hominis,ſeparationemq́; animæ à corpore? Et tamen febris & morbi alij de genere earum diſpoſitionum,quæ contrariantur, non quidem neceſſario ſimpliciter requiſitis ad eſſe,vitamq́; hominis(cum etiam febricitans viuat,imo ſine vita febris non ſit)ſed ad bene eſſe & ad hoc vt rite ſuo fungatur officio,ſua munia obeat.

Iam ratio,quam ex his connectit ad demonſtrandũ propoſitum, videlicet quod ſola hæreſis ſit caſus diuino iure exceptus à generali ſubiectionis iure,quã debet eccleſia Petro & eius ſucceſſoribus,eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, imo ob quẽ vice verſa aſſumat ſuper illos autoritatem iudiciariam.Illa,inquam, eius ratio plura fere vitia habet,quã verba. Nam & maior eius,non ſolum falſa eſt, ſed euidentẽ contradictionem implicat. Et minor quoque propoſitio etiã falſa eſt,aut non ſeruit propoſito.Et ſuper hæc, nulla argumentationis lege rectè ex eis infertur intenta concluſio, niſi eo modo, quo ad impoſſibile B ſequitur quodlibet.

Quis enim non intelligit euidentẽ contradictionem includi in hac,quam ille maioris loco aſſumit:Sola contraria cõditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ, reddunt deponibilem papam? Nam ſi adſunt contraria conditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ,non adſunt conditiones neceſſario requiſitæ ad eſſe eiuſdẽ, cum ſe non compatiantur contraria.Si autem non adſunt conditiones neceſſario requiſitæ ad eſſe papæ,ſequitur nõ eſſe papam.Et ſi iam non eſt papa, non eſt deponibilis à papatu, nam deponibilẽ eſſe præſupponit adhuc eſſe.

Itaque connectendo vltimum primo: Contraria conditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papę,faciũt vt non ſit deponibilis papa. Implicat autem propoſitio, quod ſola illa faciant vt ſit deponibilis papa,quę eſt euidens contradictio.Sed ita potius aſſumẽdum fuerat,vt veram & ex terminis euidentem propoſitionem faceret: Contraria cõditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ, faciunt aut arguunt non eſſe papam.Sed hæc nihil eſſet ad propoſitum,quin potius ad oppoſitũ.Nam deponibilem eſſe (quod concludendum eſt in concluſione)pręſupponit eſſe.

Iam & minor ſeu ſecũda propoſitio, aut C falſa eſt,aut nõ ſeruit propoſito.Nã qui dicit ſolam infidelitatem inter crimina contrariari conditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ,ſi per infidelitatem intelligat negationẽ habitus fidei in baptiſmo infuſæ,& ſemper permanẽtis cũ baptiſmali charactere,dicit ſecum pugnantia & aliena à propoſito. Ita quidem ille ſupponit, quod duæ tantũ cõditiones ſint ſimpliciter neceſſariæ in electo ad eſſe papã, videlicet vt ſit Chriſtianus , & vt conſentiat: tametſi harum ſecunda,in fieri tantũ, non in facto eſſe,demõſtrata ſit eſſe neceſſaria, ſicut prima in vtroq́; , hoc eſt,tam in fieri, quàm in eſſe quieto aut facto:Cui hoc pacto repugnaret quidem infidelitas , ſed ea inter crimina locum non habet , cũ etiam paruuli recens nati ante baptiſmũ ſub hac infidelitate ſint. Crimẽ aũt actualium,eorumq́ue grauium peccatorum importat aliquod.Deinde hæc infidelitas nihil pertinet ad concludendum propoſitum. Demonſtrandum enim fuerat,ob ſolam hæreſim reddi papã deponibilẽ:ſed hęreſis ad hoc infidelitatis genus non pertinet , quin poti⁹ illi repugnat & eſt incõpaſſibilis, neceſſario pręſupponens fidẽ huic generi infidelitatis oppoſitã,per quam dicimur fi- D deles & Chriſtiani.Nemo enim niſi Chriſtianus,poteſt eſſe hæreticus.Si vero ꝑ infidelitatẽ intelligat hæreſim , quomodo intelligere debuit ad concludendum id , ꝙ erat propoſitum,iã minor ſecundũ ipſum euidenter falſa eſt. Nã duas tantum ponit cõditiones ad eſſe papę,ſimpliciter neceſſarias.Eſſe voluntarium & Chriſtianiſmũ, at hæreſis neutri repugnat:imo alterũ cui repugnare deberet,hoc eſt Chriſtianiſmũ, neceſſario præſupponit.Præterea ſecundũ præfati reuerendiſſimi cardinalis ſententiam, papa ſi in hęreſim incidat , eſt & manet verè papa , donec deponatur : ergo ſe compatiuntur in eodem hæreſis & papalis autoritas,eſtq́; illa ex eorum genere,vt hęc tam cum ea eſſe poſſit,quàm cum eius contrario.Non ergo contrariatur hęreſis conditionbus neceſſario requiſitis ad eſſe papæ,quum ſit euidens contradictio, eſſe aliquid abſque requiſitis neceſſario ad ſuum eſſe,aut cum eorum contrarijs.

Voluiſſem equidem diſſimulanter hæc pertranſire,& ad rationes,ſi licuiſſet, prædictas reuerendiſſimi domini Caietani conniuere,neque enim illi contradicendi ſtudio excuſſimus eaſdem aliquanto diligentius:ſed quia in idem argumentum incidi-

A cidimus, tractatum quidem à multis, at à
nemine(vt mihi equidem videbatur) pro
dignitate & merito, ne ſortè actum agere
videremur, ſi quæ ab alijs ſatis, ſufficiēter-
que demonſtrata ſunt, rurſus hic demon-
ſtrare aggrederemur, neceſſariū nobis fu-
it, & illas eius rationes diſcutere, quantum
ſolidi intus haberent, & in locum earum,
ſi quæ ſortè minus ſufficientes inueniren-
tur, ſuccenturiare alias.

Quandoquidem haud parui momenti
eſt cauſa, de qua agimus, & grauis inprimis
ſummæque autoritatis habemus aduerſa-
rios, nempe tot patres, qui concilijs illis
Conſtantien. & Baſilien. interſuere, etiam
ſynodalem autoritatem præſerentes, tot
inſuper illorum conciliorum aſſertores &
defenſores: quorum niſi ſolidiſsimis rati-
onibus cauſam noſtrā demonſtrauerimus,
& luce clarius perorauerimus, haud dubiè
nos oppreſſura erat autoritas.

*Orthodoxam catholicamque veritatem de quæ-
ſtione propoſita ex certiſsimis illis theologicis-
que principijs, aut demonſtratis ex
eiſdem, euidenter demon-
ſtrate.*

B

CAP. XV.

VNiuerſalem eccleſiam quāuis
ſimpliciter quidem loquēdo,
Petri eccleſiaſticæque hierar-
chiæ præſidentium autoritati
diuino iure ſubiectam, ſatis demonſtraue-
rimus: hoc nunc ambigitur & hoc inquiri-
tur, an ne vnus ſaltem aut alter caſus eodē
iure exceptus ſit, quando in euidentē per-
niciē eccleſiæ tēderet hæc eius ſubiectio:
imo niſi tunc ex ſubiecta fieret ſuperior,
& deponendi ſui capitis poteſtatem habe-
ret. Putant autem omnes caſum hęreſis ita
exceptum eſſe, vt eo occurrente, eccleſiæ
atque vniuerſalibus cōcilijs in eccleſiaſti-
cæ hierarchiæ præſidem competat iuriſdi
ctionis autoritas, cuius alioqui autoritati
ſubijciūtur. De quo poſt inquiretur & diſ-
putabitur. Sed præter hæreſis crimen, nul-
lum eſſe alium caſum eiuſmodi, ob quem
caput totius eccleſiæ humano ſit iudicio
obnoxius: mihi quidem cum reuerendiſ-
ſimo cardinali præſato, & cū magna The-
ologorum Canoniſtarumq; caterua con-
uenit, ſed aliquanto accuratius demōſtran
dum eſt.

Principio illud hic præſupponendum,
quod ſuperioribus libris ex certiſsimis il-
lis Theologicis principijs, hoc eſt, diuinæ C
ſcripturæ autoritate, catholicæ Chri-
ſti eccleſiæ traditione, confeſsione, com-
munique ſententia, atque ipſa etiam rei e-
uidentia demonſtrauimus, conſtitutum à
Chriſto Petrum vniuerſalis eccleſiæ paſto
rē & præſidem, datā illi regiminis autori-
tatem ſuper vniuerſam eccleſiā, cum ſupre
ma omnium magnificaq; iuriſdictionis au
toritate indeſectibilis fidei ſingulari illo
priuilegio & cæteris omnibus, quę princi-
panti in eccleſiaſtica hierarchia oſtēdimus
neceſſaria. Petro aūt vt in officio, ita quo-
que in eadē prorſus autoritate, prærogati-
ua, ac priuilegio(quæ ad officiū illud per-
tinent & ſunt neceſſaria) ſucceſsiſſe & ſuc-
cedere Romanos pontifices. Eodem ergo
iure, eodemque autore Chriſto, vniuerſa-
lem illis ſubiectam fuiſſe eccleſiam neceſ-
ſe eſt. Nam ſi paſtor, rector & caput vniuer-
ſalis eccleſiæ Petrus, paſci hæc gubernari-
que debuit à Petro, eidemque ſubeſſe, &
non vice verſa. Si data Petro in eam regi-
minis iuriſdictioniſque autoritas, huic ne-
ceſſario impoſita eſt ſubiectionis obſe-
quendique neceſsitas. Si illius autoritati
commiſſum definire ſubortas inter nos
quæſtiones & controuerſias, huic iniun- D
ctum eſt illius ſententiam ſequi: breuiter,
illi ſemper, velut fundamento ſuo ædifi-
cium, vniri ac inniti. Ipſa autem rerum na
tura ordoque non patitur, vt ſubditus
& inferior in præpoſitum ſibi à Chriſto
iudicis perſonam induat, & iuriſdictionis
autoritatem exerceat. Ergo ſi quo caſu
hoc licebit eccleſiæ in Petrum, aut qui e-
ius perſonam ac officium gerit in eccle-
ſia, vt ſi criminoſus fiat, & vita ſua ſcanda-
lizans eccleſiam, neceſſe eſt caſu illo à ſub-
iectionis lege exemptam fuiſſe à Chriſto,
cum ab alio excipi non potuerit. At à
Chriſto nullum vnquam criminis caſum
demonſtrabunt exceptum, quo inferiori
& ſubdito aduerſus præpoſitos ſibi ab eo-
dem erigere ſe liceat, in eoſque vice verſa
ſibi vſurpare autoritatē iudiciariam: quin
potius clariſsimè hoc cautum ab eodem &
diſtrictè præceptū inuenient, vt nihilo mi
nus illis ſubdamur, illorum præcepta iuſ-
ſaque ſequamur per omnia. Super cathe-
drā, inquit, Moyſi ſederunt ſcribę & Pha-
riſæi. Quorum pleraque grauia & enormia
peccata commemorans & redarguens, ita
tamen de eis ſubiungit: Omnia quæcun-
que vobis dixerint, ſeruate & facite: ſecun
dum opera vero illorum nolite facere, di-
cunt enim & non faciunt. Audis hic quid

A præcipiat, audis propter opera vitamq́ue
perditam eorum, qui ſedent ſuper cathe-
dram, nihilo plus nobis licere debitam il-
lis obedientiam detrectare: ſed omnia, in-
quit, quęcunque vobis dixerint, ſeruate &
facite.*

*In eos vero, qui eccleſiæ nomine in con
cilijs ſibi arrogarent in vniuerſalis eccle-
ſiæ paſtorem, principem ac iudicem, au-
toritatem hanc iudiciariam, cum glorio-
ſiſsimo martyre & pontifice Cypriano re-
ctè meritoq́ue dicemus: Oues eſtis, grex e-
ſtis, nolite diſcutere paſtorẽ, ne eius quo-
que criminis rei teneamini: Nolite vos iu-
dices dei conſtituere & Chriſti. Dicemus
& illud ſapientiſsimi Solomonis: Genera-
tio quæ patri ſuo maledicit. Et rurſus: O-
culum qui ſubſannat patrem, effodiant eũ
corui de torrentibus, & comedant illum
filij aquilæ. Quod ſi Cham viſis & non co
opertis verẽdis patris ſui, maledictionem
accepiſſe legitur: quanto potius, qui non
vident ſolum, ſed ſcrutantur, non tantum
vt rideant, ſed vt patenter prolata de ini-
quitatis ſuæ pharetra, ſagitta iudicij ſui i-
pſos confodiant. Non ſic filij frugi & ſo-
brij, ſed auerſi potius operuerũt verenda
patris ſui. Quid eſt (inquit beatiſsimus il-
B le papa Gregorius) ꝙ auerſi operiunt? niſi
ꝙ bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorũ
mala diſplicent, vt tamen eadem occultẽt
ab alijs. Operimentũ auerſi deferunt, quia
dijudicantes factum & venerantes magi-
ſteriũ, nolunt videri quod tegunt. Et rur-
ſus: Admonendi ſunt ſubditi, ne cum cul-
pas præpoſitorum conſiderant, contra eos
audaciores fiãt, ſed ſic quæ valde ſunt eo-
rum praua, apud ſemetipſos dijudicent, vt
tamen diuino timore conſtricti, ferre ſub
eis iugum reuerentiæ ac obedientiæ non
recuſent. Hactenus ille.

Et qua tandem autoritate, quotcunque
epiſcoporum conuentus, quantumcunque
vniuerſalia concilia, in ſuum caput & vni-
uerſę eccleſiaſticę hierarchiæ præſidẽ ſibi
præſument autoritatẽ iudiciariam? Suo i-
pſorum nomine non poſſunt, cùm nullum
ſit in ſcripturis verbum ꝙ propriè de vni-
uerſalibus concilijs aut vlla earundem au-
toritate loquatur. Sed nec nomine vniuer
ſalis eccleſiæ, à qua nullã commiſsionem
proferre poterunt, nec illa ſibi datã vllam
iuriſdictionis autoritatẽ à Chriſto, vt hæc
3.4.& 5. cap. huius luculentius demonſtra-
uimus. Quin potius omnẽ omnium conci-
liorum autoritatẽ dependere ab autorita-
te ſedis apoſtolicæ & Romani pontificis,
quę ſi eis deſit aut reſiſtat, non iam conci- C
lia, ſed conſpirationes & illicita conuenti-
cula eſſe, & prorſus nullius momenti, quic
quid ab eiſdem aut agitur aut decernitur,
toto hoc libro, præſertim à capite 8. dein-
ceps æque euidens fecimus.

Quin & hoc velim mihi reſpondeant,
qui Conſtantienſis, Baſilienſiſq; cõcilio-
rum autoritatem aſſerunt. Damnauit A-
thanaſium & alios nonnullos epiſcopos,
totius penè Orientis XC. aut eo amplius
epiſcoporum ſynodus, primum in Tyro,
deinde Antiochię pro grauiſsimis quibuſ-
dam illi obiectis, & vt videbatur, probatis
criminibus. Sed Athanaſium damnatoſ-
q́ue alios reſtituit vnus Iulius Rom. ponti-
fex, & in ipſos damnationis eorundem au-
tores conuertit damnationis ſententiam,
nunquid ea in re præter officium ſuum
quicquam exiſtimant egiſſe illum Iulium,
ſuper tantæ ſynodi autoritatem ſibi vſur-
pando ſuperiorem autoritatem & iudicia-
riam? Certè rite legitimeq́ue hoc feciſſe il
lũ, nec alienæ quicquã, aut indebitæ auto-
ritatis ſibi vſurpaſſe, & tunc & deinceps in
hanc vſque horam, recognouit vniuerſa
Chriſti eccleſia. Rurſus Epheſina II. etiã
vniuerſalis ſynodus, etiã B. Leonis autori-
tate congregata legitimè, in B. Flauianum D
Conſtantinopolitanum epiſcopũ protulit
damnationis ſententiã, & damnatum à ſe-
de apoſtolica Euticetem abſoluit. At ille
beatiſsimus Leo iniquã illam impiamq́ue
mox retractauit ſynodalem ſententiam, &
in Dioſcorum Alexandrinum patriarchã,
eius præcipuè præuaricationis autorẽ, vi-
ce verſa diſtrinxit damnationis ſententiã.
Quem etiam rite legitimeq́ue hoc ipſum
feciſſe, & tunc probauit orthodoxa Chri-
ſti eccleſia, cuius vocem, confeſsionem
& teſtimonium audiſti in Chalcedonen-
ſi (quæ eandem ob cauſam paulo poſt
congregata eſt) frequentiſsima ſynodo,
& nunc probat in hodiernum vſque di-
em, atque ipſum cum ſuo Euticete execra
tur Dioſcorũ. Quid ergo tibi videtur, ſub-
iectámne Ro. pontificis autoritatẽ quot-
cunque epiſcoporum ſynodali autoritati
& iudicio, an contra? Cum ſynodis etiã v-
niuerſalibus, & ſynodalibus earũdem de-
cretis, definitionibus & ſententijs, vt iuſtis
ac pijs, autoritatem ac robur impartita
eſt apoſtolicæ ſedis autoritas: ita ſemper
deiecit & retractauit iniuſtas atque impi-
as. Neque vnquam vice verſa factum in-
uenies, vt ſynodalis ſententia correxerit
apoſtolicæ ſedis ſentẽtiam & iudiciũ, ſed
ſem-

A ſemper ſubſcripſerit,ſemper velut normã quãdam inobliquabilis fidei & iudicij ſequuta fuerit:quemadmodum in ſuperioribus clarius demonſtratum eſt.

Nibil hic prodeſt dicere, iniuſta fuiſſe conciliorum,quæ memorauimus, iudicia, proinde merito retractata.Nam hoc modo quæritur , conciliorũ etiam vniuerſalium autoritas,præſit an ſubſit autoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis & ſedis apoſtolicæ:ſi præſit,qua ergo temeritate & ille Iulius , & hic beatiſsimus Leo præſumpſerunt iudicare de ſynodali ſententia, inferiores videlicet & ſubditi,de iudicio ſupremæ , atq; adeo ſacroſanctæ autoritatis in eccleſia?Sed nihil eos alienum aut indebitum præſumpſiſſe,& tunc & deinceps recognouit vniuerſa Chriſti eccleſia . Ergo

Præeſt concilijs eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis autoritas,ergo nõ ſubeſt.

præeſſe autoritatem Ro.pontificum,autoritati conciliorum,etiam vniuerſalium,non ſubeſſe neceſſe eſt.Fuiſſe enim Epheſinum illud ſecundum vniuerſale concilium,etiã apoſtolicæ ſedis autoritate congregatum legitimè,omnino inficiari nemo poteſt.Fateantur ergo neceſſe eſt, ſuperiorem eſſe Ro.pontificum,quàm conciliorum, autoritatem , etiam vniuerſalium, & congregatorum ritè ac legitimè , vt ad quos ſpectat

B iudicare, iuſtáne an iniuſta ſint ſynodalia iudicia,& vt probare iuſta,ita reprobare ac retractare iniuſta.Nulla eſt hic latebra, nihil quo ſubterfugias. Hoc enim certum eſt, ad ſuperiorem autoritatem pertinere, iudicare de inferiorum iudicio , non contra . Si ergo Romanus pontifex ſuperior eſt , & iudex conciliorum vniuerſalium,etiam congregatorum legitimè: quæ vt bene,ita & perperam,iniuſte, impieq; iudicare definireq; poſſe demonſtratum eſt, non potuerunt concilia vice verſa contra rerũ naturam & ordinem in ſuum iudicem ſibi rite vſurpare autoritatem ſuperiorem ac iudiciariam.

Ioannem Antiochenum epiſcopum Epheſina prima ſynodus,cum damnationi ad correctionem vſq; ſubieciſſet, eo quod in B.Cyrillum Alexandrinum ſecundę ſedis epiſcopum(cum ipſe tertiæ tantum eſ-

Notanda Epheſini concilij ſententia.

ſet) irregulariter protuliſſet damnationis ſententiam,eadem de reſcribens B.Celeſtino Romano pontifici : Indignetur , inquit , tua religioſitas competenter pro his, quę facta ſunt.Si enim data fuerit volentibus licẽtia maiores iniurijs ſedes afficere, & in eos,in quos non habent poteſtatem, vt contra leges,ſic & contra canones proferre ſententias, ibunt ad vltimam confuſionem res eccleſiæ.Andis iudicinm & ſen C tentiam vniuerſalis & ſanctiſsimi concilij, videlicet niſi obſeruetur ordo hierarchiæ eccleſiaſticæ , ſi inferioribus ac ſubditis in ſuos ſuperiores permittatur inſurgendi licentia,ituras in vltimam confuſionem res eccleſiæ.Itaq; cum primæ ſedi,& eccleſiaſticę hierarchiæ præſidi ſubſint oẽs,qui in Chriſti ouili ſunt, ſequitur illum iudicari non poſſe aut damnari humano iudicio.

Illatio ad eandem.

Quod ipſum conteſtantes etiam in Chalcedonen. frequẽtiſsima ſynodo ex toto orbe congregati ſancti & orthodoxi epiſcopi Dioſcorum Alexandrinum,ſecundę ſedis antiſtitem, inter cætera idcirco potiſsimũ abſq; ſpe reſtitutionis dãnarunt, quod excommunicationis ſententiam in B. Leonẽ Ro.põtificem proferre præſumpſiſſet,hoc præcipuum memorantes inter irreparabilis ſuæ damnationis cauſas. Quoniam, inquiũt, ſecundis exceſsibus priorem iniquitatem valde tranſcendit.Pręſumpſit enim & excommunicationem dictare aduerſus ſanctiſſ.& beatiſſ.archiepiſcopum magnæ Romæ Leonẽ. Hæc in ſynodali aduerſus ipſum ſententia. Et nunquid factam ibi inquiſitionem legitur , iuſténe an iniuſte damnare præſumpſerit Rom.pontificem?

Chalcedonẽ. ſynodus quã grauem reputauerit illã præſumptionẽ Dioſcori, qua B. Leonem ſuo iudicio ſubiugare conatus eſt.

Hæc nota & pondera.

D Imò abſque omni controuerſia hoc in eo vlti ſunt,quod cum ipſe inferior eſſet,primæ ſedis pontificem ſibi ſuoq; iudicio ſit conatus ſubijcere.Sed quę tandem erat illa prior eius iniquitas , quæ parua viſa eſt tanto concilio in comparatione ad hanc eius præſumptionem aduerſus apoſtolicæ ſedis pontificem?Ex ſuperioribus hoc notum eſt,quod autor ipſe fuerat præuaricationis illi Epheſinæ ſynodo,in qua & damnauit orthodoxam veritatem de myſterio incarnationis verbi: & pro eadem recepit ac probauit damnatam apoſtolicæ ſedis iudicio Euticetis perfidiam. Item quòd B. Flauianum Conſtantinopolitanum epiſcopum , eo quòd Euticeti & impietati eius aduerſaretur,damnationi ſynodali ſubiectum,ſede ſua Conſtantinopolitana eiecerat, & multis iniurijs affectum coegerat migrare ad dominum, cuius B. Liberatus Carthaginenſ. eccleſiæ archidiaconus in Breuiario ſuo quo Neſtorianorum & Euticianorum cauſam perſtrinxit,teſtis eſt, & epiſcoporum in eadem Chalcedonen. ſynodo aduerſus Dioſcorum inclamationes comprobant. Nam inter cætera,quibus eundem exornarunt,pręconia etiam homicidam appellant.Et hæc nunquid parua tibi videntur?At cõparatione ad temeritatẽ,

A quam præſumpſit aduerſus Rom. pontificem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, praua illa tanto ſunt viſa cõcilio. Nam priorem, inquiunt, iniquitatem ſecũdis exceſſibus valde tranſcendit. Voluerunt ſanè in domo Dei nihil fieri præpoſterum, nihil confuſum, nihil inordinatum: memores illius, quam paulo ante citauimus, Epheſinę ſynodi veriſſimæ ſententiæ: I turas videlicet in vltimam confuſionem res eccleſiæ, niſi obſeruetur ille ordo hierarchiæ eccleſiaſticæ: ſi ſubiectis in ſibi præpoſitos à Chriſto quomodocunque permittatur inſurgendi licentia. Vnde & in Aphricano concilio ita definitum legitur: Vnuſquiſq; noſtrum ordinẽ ſibi decretum à deo cognoſcat: & poſteriores anterioribus deferant, nec ipſis inconſultis quicquam agere pręſumant. Et his licebit in illos contra rerum naturam & ordinem conſtitutũ à deo ſibi vſurpare autoritatem iudiciariam? oues in ſuum paſtorem ſibi conſtitutum à deo, ſubditi in ſuum rectorẽ & principem, & qui ipſius Chriſti inter nos agit vicariũ? nunquid non ibunt, ſi hoc permittatur, io vltimam confuſionem res eccleſiæ?

B Certè ſancti patres ab initio, tanto ſtudio præcauerunt nullam anſam dare ſubditis quomodocunque inſurgendi in ſibi præpoſitos, vt nec accuſare eoſdem, etiam coram competenti ſuo & ſuperiori iudice, etiam de veris & quæ probare poſſent, criminibus ipſis inultum tulerint. Teſtantur hoc ſancti patres, qui plurimi ſub Sixto Ro. pontifice conuenientes, Euphemium epiſcopum irreparabiliter damnaſſe legun tur, quod Polycronium Hieroſolymitanũ antiſtitem, metropolitanum ſuum, de grauibus quibuſdam, quamuis veris criminibus, accuſauerat. Ob quæ, inquiſitione facta ab apoſtolicæ ſedis legatis, Leone & Abundio eã ob cauſam miſsis Hieroſolymã, inuentaq; veritate, ille quidem eccleſię ſuę amotus gubernaculis, vrbe eiectus, ruri velut priuatus habitare cogitur, alteri interim commiſſa gubernatione eccleſiæ: ſed & Euphemius nihilo minus ab vniuerſa epiſcoporum ſynodo damnationi ſubiectus eſt, quoniam linguam ſuã contra ſuũ prælatum erexerat. Cuius etiam Nicolaus ille meminit in ſua ad Michaelem imp. epiſtola. Quod ſi nec accuſare prælatum ſuũ, etiam coram legitimo & ſuperiori iudicio, etiam de veris, & quę probare poteſt, criminibus, ſubdito liceat, ſed grauius punitur accuſator pro eiuſmodi præſumptione & temeritate, quàm reus & accuſatus pro cõ-

Nec accuſare quidem præpoſitos ſuos permittitur ſubditis quãuis in legitimo iudicio.

A minori.

C probatis, quamuis grauiſsimis, criminibus: quid demum merentur illi, qui in eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, totius Chriſti ouilis, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ paſtorem & rectorem ab eodem conſtitutum Chriſto, inſolentiſsime inſurgentes, ſuo illum iudicio cooantur ſubijcere, quemadmodũ illi præſumpſerunt io Baſilien. cõcilio aduerſus Eugenium? nunquid enim ſunt vlli in ouili Chriſti, qui non ſubijciũtur eiuſdem paſtori, quem idem ipſe Chriſtus conſtituit? At illi, noo accuſare tantum, ſed & damnare eundem præſumpſerunt indubitatumq; catholicæ eccleſiæ pontificem, tam pernicioſo exemplo in poſteros, quàm erat illorum ſapiẽtiſsimum & ſaluberrimum, qui etiam accuſationem ſubditi aduerſus ſuum præpoſitum, quamuis coram legitimo iudicio, quamuis de veris grauiſsimisquecriminibus, quàm ipſa crimina grauius vlti ſunt.

Ex his, ni fallor, & omnib. quę toto hoc libro ſuperius à nobis demonſtrata ſuot, ſatis intelligis lector Chriſtiane, nihil mentitum illum Gelaſium ante annos mille in hæc verba ſcribentem ad Dardaniæ epiſcopos, pro apoſtolicæ ſedis in Acatium (quam pleriq; multis ratiooibus iniuſtam calumniabantur) ſententia: Nec plane, inquit, hoc tacemus, quod cũcta per mundũ D nouit eccleſia: Quoniam non quorumlibet ſeoteotia pontificum ligata à ſede B. Petri ius habeat reſoluendi, vt quæ de omni eccleſia ius habet indicãdi. Nec de eius licet iudicare iudicio, ſiquidem ad illã de qualibet mundi parte canones appellari voluerũt, ab illo autem nemo eſt appellare permiſſus. Sed nec illa præterimus, inquit, qđ apoſtolica ſedes ſine vlla ſynodo præcedenti, ſoluendi quos ſynodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo quos oportuit, habuerit facultatẽ. Hæc enim ita ſe habere, reuera cuncta per mundum nouit eccleſia, & ipſa rei euidentia conuincit.

Veriſſima Gelaſij ſententia, quam ille ante annos mille ſectabat cunctam per orbem recognouiſſe eccleſiã.

Nec rurſus falſum eſſe illud Boniſacij martyris quod citat Gratianus: Si papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehenditur, inutilis & remiſſus in operibus ſuis, inſuper & à bono taciturous (quod magis officit ſibi & omnibus) innumeros quidem populos cateruatim ducit primo gehennæ mancipio, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus. Attamen huius culpas hic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus, &c.

Vera item S. Boniſacij ſententia quam citat Gratianus in c. Si papa.

Quod

Recognitio S. patrum in concilio Sinueſſano, ob Marcellini Rom. pontificis cauſam.

A Quod ipſum num tibi intellexiſſe videtur tot ſancti patres pleni Chriſti ſpiritu in illo CLXXX. epiſcoporũ aliquandiu ante Nicenum in Sinueſſa Campanię vrbe celebrato cócilio, ob cauſam Marcellini Ro. pontificis? Quicum in ſæuiſsima illa per Diocletianum mota perſecutione, ad impia pertractus ſacrificia, metu ſuppliciorum thura conieciſſet in aras execrandas, ob grauiſsimum ex eo facto natum dei eccleſiæ ſcandalum, ſanctorum, quot diximus, epiſcoporum Sinueſſæ conuenit concilium. Quo & ipſe Marcellinus, non pontificali, ſed pœnitentis habitu & amictu, ſqualidus, puluerulentus, ſacco cilicioque indutus proficiſcitur, ſynodali ſe ſiſtens iudicio, culpam ſuam haud inficiãs, haud excuſans, ſed palam confités, nec pœnam deprecans, quin potius, vt ſibi imponeretur, poſtulans. (tametſi ſabuloſa quædam de hoc aliter legantur aliubi incertis autoribus) Sed in tanto concilio qui illum iudicare præſumeret, quamuis contra ſe confitentem, non qualecunque crimen, ſed idololatriæ, & negati Chriſtiani nominis, quamuis etiam aduerſus ſeipſum impartientem autoritatem concilio, nemo inuentus eſt: ſed dicebant vno ore omnes: Quo-

Nota recognitionem, primam ſedem non iudicari à quoquam.

B niam prima ſedes non iudicabitur à quoquam. Noli ergo audiri in iudicio noſtro, ſed collige cauſam tuam in ſinu tuo. Tuo ore cauſam tuam iudica, non noſtro iudicio. Itaq; à ſancto concilio cum aliud obtinere non poſſet, hanc in ſeipſum ſtatuit & executus eſt ſententiam, vt qui negationis inconſtantia Chriſti ſcandalizauerat ecclesiam, eandem rurſus confeſsionis ſuę ad mortem conſtantia ædificaret. Quare Romam reuerſus & fiducialiter agens, etiam Diocletianum ipſum magna libertate corripuit. Cuius iuſſu cum tandem duceretur ad martyrium, vna cũ Cyrino & Antonino glorioſis Chriſti athletis, Marcellum preſbyterum ſuum & in epiſcopatu ſucceſſoré admonet, ne corpus ſuum ſepulturæ eccleſiaſticæ traderet, qua ſe ob negatum Chriſtum reputabat indignum.

In eundem modum cum aduerſus Sixtum illius beatiſsimi Leonis prædeceſſorem grauia pleraq; crimina obijcerentur ab æmulis, eamq; ob cauſam procurante id Valentiniano imperatore conueniſſet Romam frequentiſsimum epiſcoporum conciliũ, cui etiam ipſe imperator ſui præſentiam exhibebat, dixerũt vno ore patres vniuerſi, non licere aduerſus Romanũ pontificem dicere ſententiam. Quod imperator intelligens, & ſe tantorum patrum per- C mittens ſententiæ, vna cum concilio vniuerſo in ipſiuſmet pontificis arbitrium poſuerunt ſuum ipſius iudicium.

Nec ſecus cum Symmacho actum eſt à ſanctis illis patrib⁹, quos euocauerat Theodorici regis autoritas, vt de his quæ illi obijciebantur ab aduerſarijs, ſynodaliter iudicarent. Qui primũ nec conuenire conſenſerunt ad regis vocationem, dicentes, ipſum qui dicebatur impetitus, debere ſynodum conuocare, quia eiuſdem ſedi primũ B. Petri principatus, deinde ſequuta iuſsionem domini conciliorum venerandorũ autoritas, ſingularem in eccleſia tradidit & recognouit autoritatem. Ad quę rex, cũ ipſum quoq; pontificem in ſynodo colligenda voluntaté ſuam literis demonſtraſſe ſignificaret, tum demum conuenire conſenſerunt, cum de literis illis pontificijs redditi eſſent certiores. Congregato deinde atq; Symmachi præſentia confirmato concilio, cui autoritatem etiam contra ſe, ſi mereretur indulſerat, cum dicerent patres, à ſe iudicari non poſſe primæ ſedis epiſcopum. Illum enim inferiorum nõ poſſe ſubiacere iudicio: prouocarent autem æmuli & aduerſarij ad regis arbitrium, quẽ illi aduerſum ſenſerant: Rex velut diuini- D tus inſpiratus, reſpondit ſynodalis eſſe arbitrij, in tanto negocio ſequenda præſcribere: ad ſe vero præter reuerentiam nihil de eccleſiaſticis rebus pertinere: permittens pontificum poteſtati, vt ſiue propoſitum vellent audire negocium, ſiue nollét, quod magis putarent vtile, deliberarent, dummodo ita prouiderent, vt pax in ciuitate Romana daretur eccleſiæ. Itaq; congregati in concilio epiſcopi vna tandem voce dixerunt: Symmachus papa ſedis apoſtolicæ præſul, ab huiuſmodi oppoſitionibus, quibus eſt impetitus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis & liber, cuius cauſam totam Dei iudicio reſeruamus. Hęc leguntur in ſynodali definitione eiuſdem concilij, cui in hæc & ſimilia verba omnes ſcripſerunt: Laurentius eccleſiæ Mediolanenſis epiſcopus, huic ſtatuto noſtro, quo totam cauſam Symmachi papæ iudicio Dei reſeruamus ſubſcripſi. Petrus quoque Rauennatis epiſcopus, & poſt eum LXXV. epiſcopi ſimilibus verbis ſcripſerunt.

De huius ſynodi ſententia in apologia Ennodij Romanæ eccleſiæ diaconi, aduerſus detractores eiuſdem (quam quinta Romana ſynodus CCXVIII. epiſcoporũ,

qui

A qui non ſolum ex Italia, Sicilia, Gallijs, Hiſpanijs, ſed & ex Macedonia, Thracia, Grę ciaque vniuerſa, atq; Aſia etiam ſub eodem Symmacho poſtea conuenerunt, approbauit & tanquam ſynodali autoritate dictatam compoſitamque haberi voluit) legitur in hæc verba:

Tranſibat negocij qualitas audituros, & plus adhuc remanſerat in reuerentia pulſati, quàm eſſet in integritate collegij. Et poſt aliqua: Alorum fortè hominum cauſas deus voluit per homines terminari, ſed iſtius præſulis, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio, voluit beati Petri apoſtoli ſucceſſores cœlo tantum debere innocentiam & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam, &c. Sanctorum quippe pontificum ſedis eius dignitatem factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium eſt, vbiq; ſummittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur. De quo mihi videtur dictum per prophetam: Si hic humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? Quid ſi mihi immunda labia habenti & nullis ſuccenſa carbonibus, vt Eſaiæ conceſſum, ipſum ad ſuæ ſedis priuilegia tuenda Petrum apoſtolum liceret euocare, vt nobis humana voce loquere-
B tur? Quem ſi audiretis, hæc diceret: Filij hominum vſq; quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificauit dominus ſanctum ſuum. Quid ſtabilita Chriſti manibus cupitis fundamenta ſubruere? Hęc ille Ennodius ante annos mille, imo hęc illa tot epiſcoporum ſynodus, quæ illã Ennodij apologiam, velut ſynodali autoritate dictatam, haberi & legi voluit.

In eundem modum cum & Leo ille III. à Paſchali primicerio & Campulo presbytero apud Carolum Magnum imperatoré grauiter, & de grauibus criminibus accuſaretur, & eiuſdem inſtantia, eamob cauſam totius Galliæ, Germaniæ & Italiæ, Romam conueniſſet epiſcoporum ſynodus, eaq; conſidente in beati Petri baſilica, rogaſſet imperator epiſcopos de cauſa pontificis (cui accuſatores capitale crimen intenderant) communem ipſorum ſententiam, vno veluti ore omnes concorditer reſponderunt, ſedē apoſtolicam, quod dei eccleſiarum omnium caput ſit, à nemine iudicari debere. Quo tam graui reſpōſo deterrito imperatore, omiſſa eſt omnis vlterior cauſæ inquiſitio: quamuis aliter ſibi optimè conſcius pontifex cuperet. Qui vt hominibus etiam de ſe ſatis faceret, abſolutus concilij iudicio, ſurgens in medio e- C dicit, ſe prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtentem, obiectis falſo criminibus poſtridiè reſponſurum. Et mane conuenientibus cum Carolo & omni populo epiſcopis pontifex conſcenſo ſuggeſtu Chriſti euangelia manibus tenens, coram omnibus iureiurando affirmauit, ſe inſonté eſſe. Accuſatores autem pontificis capitali ſententiæ addicti ob exemplum in poſteros, eiuſdem tamen benignitate & interuentu ſaluati ſunt.

Audis itaq; tot ſanctorum ex toto orbe patrum, qui diuerſiſsimis temporibus ob Rom. pontificum cauſas conuenerunt, vnam eandemq; & velut vno ore prolatam ſententiam. Quod vtiq; euidenti certiſsimoq; argumento eſt, communem hunc fuiſſe totius catholicæ eccleſiæ de ſuo capite conſenſum, quod humano non ſubiaceret iudicio, quem tot orthodoxi ſanctiq; patres tam diuerſis temporibus ex vniuerſa congregati eccleſia, non ſolum conſonantem, ſed eundem prorſus expreſſerunt.

Veriſsimè proinde ſignificantiſsimeq; dictum à Bonifacio: Si deuiat terrena aut ſecularis poteſtas, iudicatur à ſpirituali: ſi deuiat ſpiritualis, iudicatur minor à ſuperiori: ſi vero ſuprema, à ſolo deo, non ab ho D mine poteſt iudicari. Quid enim hoc vno vel ex ipſa terminorũ ratione dici potuit euidentius? Quare ad Innocentium ſecundum ſcribens ille D. Bernardus, vir plenus apoſtolico Chriſtiq; ſpiritu. Quis, inquit, faciet mihi de vobis iuſtitiam? Si haberem iudicem ad quem vos trahere poſſem, iam nunc oſtenderem vobis, vt parturiens loquor, quid mihi imminet. Extat quidem tribunal Chriſti, ſed abſit vt ad illud appellem vos, &c. Sed ſatis hæc fuerint ſuperq;.

Concludendũ eſt igitur ex Theologicis illis certiſsimiſq; principijs, hoc eſt, diuinæ ſcripturæ autoritate & catholicæ Chriſti eccleſię confeſsione, recognitione, communiq; conſenſu (cui qui repugnat, hæreticum ſe facit) nullum eſſe criminis caſum, ſaltem præter hæreſim (de qua mox videbitur) in quo ipſe totius eccleſiæ paſtor & rector, Romanus pōtifex, iudicari aut deponi poſsit ab vllo epiſcoporum concilio aut eccleſia.

An ſaltem ob hæreſis crimen papa vniuerſalis concilij iudicio fiat obnoxius.

C A P. XVI.

Tam-

A TAmetſi rationes, quibus ſuperiori capite vſi ſumus, clariſsimè videantur adſtruere, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis autoritatem, nullo vnquam caſu humano iudicio obnoxiam fieri, vt quę ſuprema eſt in eccleſia autoritas, cui ſubſunt oẽs qui in ouili Chriſti ſunt. Eſſe enim contra rerum naturã & ordinẽ, vt inferior in ſibi prępoſitum à Chriſto, ouis aut grex in paſtorẽ ſuum ſibi præſumat autoritatem iudiciariã. Omnes tamen vnum hunc caſum hæreſis videntur excipere, in quo ſit papa iudicio viuerſalis concilij obnoxius: argumentum ſere ſumentes ex c. Si papa, ſæpius allegato. Quod autẽ hæreticus eſſe poſsit, perinde quaſi ſæpè fuerit, nemo eſt qui vertat in dubium. Canoniſtæ ſimpliciter ambulant, acquieſcentes in dicto capitulo, Si papa, tanquam in primo principio, nihil fere reſpicientes altius. Theologi qui ad rationem & conſequentiam magis attendunt, magis etiam intelligunt difficultatem, quam hęc aſſertio implicat. Nam ſi data eſt Petro & ſucceſſoribus eius à Chriſto ſuper vniuerſum ſuum ouile, hoc eſt, catholicam eccleſiam, regiminis iuriſdictionisque autoritas, hanc illis eodem autore ſubiectam eſſe B & obedientiam debere, eorumque iudicio obnoxiam, indubitatum eſt. Si ſubiecta & obnoxia eorum iudicio, idque ita ordinante conſtituenteque CHRISTO, quo igitur pacto vice verſa in illos exercebit autoritatem iudiciariam? Quomodo illum iudicare præſumet, quem CHRISTVS in hoc ſuo regno ſuum nobis vicarium conſtituit? quem fecit ouilis ſui rectorem & iudicem? Hanc itaque difficultatem reuera maximam, aut potius manifeſtam (quæ mihi quidem videtur) contradictionem vt euitent quidam, dicunt non ab eccleſia aut concilio iudicandum deponendúmue papam hæreticum, ſed ipſo iure diuino autoritate papali priuatum ob hæreſim. Nam & illis videtur ex nonnullis rationum, quæ capite octauo libri quarti explicauimus, ſe non compati, vt ſit papa hæreticus. Sed quoniam nihil etiam dubitant, pleroſque Romanorum pontificum decidiſſe in hæreſim communi errore ducti, ſatis ad conſequentiam attendentes, dicunt iure diuino, eo ipſo quo cadunt in hæreſim, priuatos autoritate papali, cum nulla humana (cui vniuerſæ ſupereminent) quicquã in illos poſſit autoritas.

Alijs durior horum videtur ſententia. Nolunt enim ipſo facto, incidentem in hę- C reſim diuini iuris autoritate priuatum autoritate illa ſupereminenti & papali: ſed opus eſſe, vt priuetur per ſententiam eccleſiæ aut concilij. Quod probare nituntur argumento à minori, de alio quouis epiſcopo incidente in hæreſim, ſed pure mentalem, quæ ad nullum actum exteriorem proceſsit: per quam tamen vere, proprie & perfecte volunt ipſum conſtitui hæreticum, cum hæreſis oppoſitum fidei peccatum ſit, cuius effectus eſt exterior confeſsio, iuxta illud Apoſtoli: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Hunc itaque talem probant non priuari ipſo facto iuriſdictionis autoritate. Habet enim, inquiunt, illam ex commiſsione humana aut eccleſiaſtica: ſed propter ſolum actum interiorem nemo ſubeſt humanæ autoritati aut eccleſiaſticæ. Quia homo videt quæ foris ſunt, deus autem intuetur cor. Et dicit Apoſtolus: Nolite ante tempus iudicare, donec veniat dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cõſilia cordium. Non ergo incurrit, inquiunt, talis hæreticus, aut cenſuram eccleſiaſticam, aut priuationem ipſo facto. Sed papa non eſt deterioris conditionis quàm inferioris gra- D dus epiſcopi. Nec ipſe igitur priuatus eſt ipſo facto papali ſua autoritate ob hæreſim. Quod vero ex humana tantum commiſsione iuriſdictionis autoritatem cæteri epiſcopi habeant, dicunt eſſe ex omnium doctorum orthodoxorum ſententia, iuxta illud beatiſsimi Leonis papæ, in c. Ita dominus, decimanona diſtinct. Ita dominus huius muneris ſacramẽtum ad omnium apoſtolorum officium pertinere voluit, vt ab ipſo quaſi à quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet. Hac ratione nititur reuerendiſsimus dominus Caietanus in tractatu præfato, efficaciſsimam eam aſſirmans, & quam confitetur conuiciſſe intellectum ſuum. Ex qua velut certo demonſtratum ſupponens, papam factum hæreticum, non eſſe ipſo facto diuini iuris autoritate depoſitum, ſed deponendum. Et cum hoc vna, quod papa manens papa in nullo ſimpliciter caſu ſuperiorem iudicem in terris habeat, Videns inter hæc concilianda inuicem non leuem difficultatem, quæ mihi potius impoſsibilitas videtur. Nam ſi deponendus eſt, iudicandus igitur. Iudicem ergo habeat in terris neceſſe eſt. Si iudicem, & ſuperiorem. Tu

enim

A muni orthodoxæ eccleſiæ ſententiæ contrarium aliquid docens aut aſſerens, ſi admonitus ſemel & iterum de communi eccleſiæ fide ac ſententia non reſipiſcat, niſi ſingularem illam opinionem dimittens, communem ſequatur orthodoxę eccleſię ſententiam, ſi nõ cum illis aquilis, illis ſanctis patribus, quorum in terris cœleſtis fuit conuerſatio, ad illud corpus eccleſiaſticæ vnitatis ſe aggreget, in quo ſolo, Chriſto ipſo teſte, eſt Chriſtus & veritas, ſed in deſertis, in angulis ac domorũ penetralibus ipſum fruſtra pergat quærere: iã conſtat errori ſuo adiunxiſſe electionẽ illam, quã diximus prauã ac diabolicã, quæ facit hæreticum: atque ideo tunc velut hæreticum deuitabimus iuxta præceptum Apoſtoli. Si vero electionem illam errori coniunctam quacunque ratione contineat, nec vllo ſigno exteriori prodat, non eſt omnino efficax illa perfectaque electio: quæ ſi perfecta eſſet, non poſſet non prodire in opus exterius non impedita. Quare neque completa illa conſummataque eſt hæreſis, de quali Apoſtolus loquitur, cum iubet deuitare hæreticum hominem poſt vnam correptionem aut alteram.

B Itaque fortè verum eſt, & quod vltro donarent aſſertores poſitionis, quam impugnant, prædictæ, epiſcopum qualemcunque ob pure mentalem hæreſim, & quæ in nullum actum exteriorem proceſſit (ſi qua tamen talis eſt) non eſſe priuatum ipſo facto iuriſdictionis autoritate. Non quidem ob rationem quam hi inducunt, quam inefficaciſſimam paulo poſt demonſtrabimus: ſed quoniam non eſſet ea completa conſummatáque hęreſis, cum illa electione efficaci docendi, aſſerendiúe aliquid, communi catholicæ per orbem eccleſiæ fidei ac ſententię contrarium. De qua hæreſi fortè dicerent etiam intelligendam poſitionem ſuã de Romano pontifice, quod ipſo facto, diuini iuris autoritate priuatus eſſet, factus hæreticus. De quo tum demum nobis eccleſiæque certum eſſe poſſet, iuxta Apoſtoli ſententiam, ſi poſt vnam aut alteram correptionem in errore perſiſteret. Sciens, inquit, quoniam ſubuerſus eſt, qui eſt eiuſmodi.

Sed iam ratio, qua probãt alium quemuis epiſcopum non eſſe priuatum ipſo facto iuriſdictionis autoritate ob pure mentalem hæreſim, excutienda pauliſper eſt. In qua id quod primo loco aſſumitur, epiſcopos ex humana tantum commiſſione iuriſdictionis autoritatem habere, non eſt C ex communi omnium (vt ipſi dicunt) doctorum ſententia, ſed contra potius. Nam communior, etiam horum ipſorum, quorum eſt hæc ratio, quanuis mihi nun ſatis probata, opinio eſt, etiã apoſtolos reliquos à Petro, quibus ſuccedunt epiſcopi, accepiſſe immediate à Chriſto iuriſdictionis autoritatem Matthæi decimooctauo, vbi dixit eis: Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo: & quæ ſolueritis, ſoluta. Deinde, non videtur, quod illis fiat ſpecialis aliqua delegatio aut commiſſio iuriſdictionis ab eccleſia: ſed eo ipſo quo electi & confirmati ſunt epiſcopi, ex ipſa forma hierarchiæ eccleſiaſticæ videntur habere autoritatem iuriſdictionis ſuper commiſſum ſibi populum. Quod vero à Beato Leone dicitur, autoritatem iſtã eccleſiaſtici regiminis iuriſdictionisq́ue principaliter collocatam in Petro, vt ab ipſo quaſi à quodã capite, dona ſua in vniuerſum corpus diffunderet, non eo pertinet, quaſi reliqui epiſcopi nihil huius autoritatis haberent à Chriſto, ſed ſolum à Petro: quin contra dicit potius, ipſum dominum, non Petrũ hęc ſua dona in vniuerſum eccleſię corp⁹ diffundere, ſed ordine quodam, ab ipſo videlicet Petro quaſi à quo- D dam capite facto initio: hoc ipſo ſignificans, aliorum autoritatem, quamuis datã à Chriſto, eſſe tamen ſubiectã Petro, atq; ab eius autoritate quodammodo dependere: & tamdiu eos habere autoritatem illam, quamdiu vniuntur illi ſuo capiti, quamdiu illi fundamento eccleſiaſtici ędificij inhęrent, à quo ſi ſeparentur, iam non amplius pertinere ad Chriſti eccleſiam, quæ ſuper illam petram ædificata eſt, atque ita eo ipſo amittere omnem iuriſdictionem quã acceperunt eccleſiaſticam. Separantur autẽ à ſuo capite per ſchiſma & hęreſim. Recte proinde dicitur c. Dicimus, XXIIII. quęſt. prima. Omnes omnino hereticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis & iuriſdictionis. Quia tamen etiam diuiſi ab vnitate eccleſiaſtici corporis retinent, & Chriſtianitatis, hoc eſt, baptiſmi & ſacerdotij, pontificalemq́ue characteres: hinc eſt, quod baptizati aut ordinati ab hæreticis aut ſchiſmaticis, ad catholicæ eccleſiæ gremium reuertentes, nec rebaptizantur, nec reordinantur.

Male citari ab illo B. Leonis ſententiam.

Deinde linum (quod aiunt) lino male connectentes, falſo aſſumpto aliud adijciunt, neſcio an magis falſum, videlicet quod ſecundum nullum actum pure inte-

t riorem,

A riorem, quis vlli ſubſit autoritati humanæ aut eccleſiaſticæ. De quo non ignoro antiquam eſſe ſcholaſticorum pugnam & controuerſiam, & fortaſsis adhuc litem ſub iudice. Attamen Adriano illi VI. pontifici max. Theologo in primis reſoluto & conſummato, vt noſtra habuerunt ſecula, quo & nos in his quondam ſtudijs præceptore, deinde in pontificatu vſi ſumus patrono, viſum eſt hanc ſententiam à peſtifera hęreſi haud multum abeſſe, à qua pro Gerſone illo vix vllam excuſatione accepit. Qui ex hoc principio procedens, vlterius concludit, actum interiorem non poſſe cadere ſub vllum præceptum humanum aut eccleſiaſticum. Nemo eſt qui ignorat, in exterius & contentioſum iudicium deduci non poſſe, niſi quæ ſeu teſtibus ſeu ſcripturis, aut alijs legitimis documẽtis approbari poſſunt huminibus: ſed quod ad actus interiores, ſeu præcipiendo, ſeu prohibendo etiã ſub pœnis cenſurisq́; eccleſiaſticis, in quas ipſo facto incidatur, non attingat ſuperiorum autoritas, longe abeſt à veritate & doctorum communi ſentẽtia, qui etiam occultos hæreticos iuris cenſuræ, & excommunicationi prolatę à canone ſubiacere vno velut ore confitentur.

Adriani VI. cenſura de dicta ſententia.

B Nec mihi ad rem pertinere videtur illa Caietani diſtinctio de occulto per ſe & per accidens. Quaſi per ſe occultum (quale volunt eſſe actum interiorẽ) nulli ſubſit humanæ autoritati: per accidens vero occultum, quãtumuis ſit æque aut etiam magis occultum, quãtumuis etiam minus deduci poſsit in humanum iudicium, quia tamen ex ſui natura tale non eſt, vtique ſubeſſe autoritati humanæ aut eccleſiaſticæ. Ex quo dicunt conſequenter, quod ſi quis in mentalem hæreſim incidat, ex hoc non ſubiacere cenſuræ aut excommunicationi prolatæ à canone: ſi vero idem ſecum ſolus ſubmurmurans, errorem quem mente concepit, exteriori verbo ſubmiſiſſime proferat, iam excommunicatum eſſe, quantumuis æque occultũ ſit. Quia actus ille exterior, quantum eſt de ſe, poſſet cadere ſub humanum iudicium. Quæ mihi abſque vllo ſolido fundamento dicta videntur. Nam vbi quæſo, aut vnde ex ſcripturarum autoritate, qua denique ratione, hæc eſt fundata diſtinctio? Si enim occulti ratio in cauſa eſt, cur ſub humanam autoritatem actus non cadat, vbicunque illa adeſt, ſiue per ſe, ſiue per accidens, ſuum illum effectum operabitur. Sicut cuicunque ineſt albedo, ſuo illo modo immutat viſum & diſgregat, illud magis cui C ineſt intenſior, ſiue per ſe illi inſit, ſiue per accidens: & cuicunque ineſt calor, ſuo illo modo immutat tactum, & calfacit appropinquantia, nec in eo quicquam operatur modus quo inſunt ſubiecto, ſed tantum intentio. Quare ſi occulti ratio in cauſa eſt, cur actus quis humanæ autoritati non ſubſit, quod magis occultum eſt, minus ſuberit: quemadmodum quia albedinis ratione aliquid viſum diſgregat, quod magis album eſt, magis diſgregat: & magis calidum, magis calfacit, ſiue per ſe tale ſit, ſiue per accidens. Quanuis quod per ſe tale eſt, ſemper tale maneat, niſi demuteur extrinſecus ab illo ſuo quaſi naturali habitu: quod per accidens non ita, tamen quãdiu tale eſt, idem prorſus operatur, ac ſi per ſe tale eſſet: vt ferrum per ſe frigidum, candens & ignitum ita calfacit & adurit, ac ſi per ſe tale eſſet.

Caietani diſtinctio parum ſolida de occulto per ſe & per accidens.

Illa vero quæ de ſcripturis adducũtur, male accommodari videntur propoſito. Nam illud ex libro regnorum: Homo videt quæ foris ſunt, Deus autem intuetur cor, quid obſecro ad hanç diſtinctionẽ pertinet? Nunquid ergo autoritati eccleſiaſticę hierarchię aut humanis ſocietatibus præſidentium quicquam ſubiacet, niſi D quod ſuis ipſi viderint oculis? Quid ſi audierint? Sed per videre, inquies, omnes hic ſenſus exteriores intelligit: vnde & qua autoritate hæc tibi gloſſa & additio? Certum eſt enim ſcripturam, quæ adducitur, proprie loqui de videre, vt intuitiuam cognitionem importat: quæ nobis tantum eſt eorum, quæ foris patent, at dominus etiam corda intuetur. Sed hæc ad autoritatem prælatorum, & eccleſiaſticæ hierarchiæ humanisq́ue & ciuilibus ſocietatibus præſidentium quid pertinent? quid denique ad humana, contentioſaq́ue illa, forenſiaq́ue iudicia? In quæ certũ eſt multa deduci, quæ ſub intuitiuam iudicum notitiam non veniunt, imò etiam interiores actus noſtros, imò intentiones hominum, quæ vt ex alijs multis probabilibus colliguntur ſignis, ita noſtro ſermone, confeſsioneq́ue efficaciter, irrefragabiliterq́; produntur. Non eſt iniuria, ſi abſit iniuriandi animus, ita & delicta ex animo præcipue committentis pendent ac ponderantur, nunquid ergo in cauſa iniuriarum nõ inquirit iudex de iniuriantis animo? nunquid illum non punit præcipue in iniuria? nuuquid non diſtinguit inter homicidiũ voluntarium, & quod præter intentionem com-

Male accommodari à Caietano ſcripturas ad ſuum propoſitum.

Etiam forenſia iudicia iudicare de intentionibus hominũ.

Animum hominis præcipue puniri in delicto & iniuria.

A commiſſum eſt? Fœdauit aliquis in publico imaginem principis contumeliæ cauſa, alter idē fecit, ſed citra contumeliandi animū, nunquid inter hos nulla erit diſtinctio in humano iudicio? Nulla certe erit, ſi interiores hominū actus non ſubſunt humano iudicio. Et quęnā obſecro ſunt vniuerſa de contractibus, teſtamentis, legatis, fideicommiſsis, vltimis voluntatibus, & id genus alia quā de humanis volūtatibus intentionibusque iudicia? Quod vero omni teſte, omni documento caret, quantūuis exterius ſit, certum eſt ad hoc iudicij genus omnino non pertinere. Mutuū conſenſum viri & mulieris mutuo intellectū, quod ex ſe eſt, certum eſt vinculum matrimonij inter eos parere: at fecit eccleſia, vt certis caſibus & inter certas perſonas, idem eſſet inualidus & inefficax. Nunquid ergo vel ex hoc vno palam non eſt, eccleſiaſticæ autoritatis efficaciam pertingere ád actus interiores hominum, eoſque ſubeſſe humanis, eccleſiaſticisque legibus?

Eccleſiaſtica autoritatis efficaciam pertingere ad actus interiores hominum.

Iam & illud, quod ęx apoſtolo adducitur: Nolite ante tempus iudicare, & quę ſimilia ſunt, certum eſt loqui de eo iudicij genere, de quo loquitur apud Matthæum Chriſtus, dicens: Nolite iudicare, & non iu-
B dicabimini: nolite condemnare, & nō condemnabimini. Sed hęc ad forēſia, eccleſiaſticaque iudicia, autoritatemque eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidum quid pertinēt? Nunquid huiuſcemodi diſtinctiones Chriſtus commentus eſt, cum Petro diceret: Quodcunque ligaueris ſuper terram, alligatum erit & in cœlis? An fortè actus interiores hominum ſuper terrā non ſunt? Sed hæc obiter hic, breuiterq́; commemoraſſe ſuffecerat, nam prolixiorem hæc diſputatio (quam alibi abſoluimus) tractationem requirit.

Poſtremo, vt ex falſis his & male confuſis præmiſsis, videlicet: Quod iuriſdictionis autoritas inferioris ordinis epiſcopis humana tantū commiſsione conueniat, & quod ſecundum actum mere interiorem nullius hominis quis autoritati ſubdatur, detur hæc ſequi concluſio: Inferioris gradus epiſcopos ob ſolam mentalė hæreſim non priuari ipſo facto iuriſdictionis autoritate: quæ tandē eſt hæc proſyllogizatio: Ergo neq; eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidens Romanus pontifex? Nunquid etiam hic ex ſola humana commiſsione ſupereminentem illam autoritatem obtinet, & non potius à deo & Chriſto? Itaque maior illa ad hanc concluſionem quid per- C
tinet?

Quàm male ex præmiſsis quàmq; falſis Caietanus concludat propoſitum.

Sed humano, inquies, miniſterio aut electione habet, quod papa ſit. Nūquid ergo etiā ab illis ſuis electoribus eſt illi ſacroſancta, ſupereminensq́; illa eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi neceſſaria autoritas? Niſi & ab hominibus quis dixerit cōferri gratiam, characteremq́; baptiſmalē, & ſacramentorum omnium effectus, quos ſine humano miniſterio nemo accipit.

Deinde, ſecunda illa aſſumpta propoſitio, aut minor prioris ſyllogiſmi, quid obſecro ad ſecundā hanc concluſionem pertinet? Dicit prior, quam hi impugnant, poſitio, papā hæreticum ipſo facto diuini iuris autoritate priuatū autoritate papali. Probas tu, inferioris gradus epiſcopos cōmiſſa ſibi ab hominibus poteſtate nō priuari autoritate humani iuris ipſo facto ob ſolam interiorē hæreſim, quod ea nec iuri humano ſubſit, nec iudicio. Ergo neque papa ipſo facto priuatur papali autoritate, quam à Deo, non hominibus accepit, idq́; diuini iuris autoritate, ob actū interiorē tantummodo? ſcilicet quia nec Dei ſubeſt iudicio ſolus actus interior? Mihi ſanè videtur, etiam ſi quis ſtudio quærat male connectere aliqua, haud temere ſe inuenturū D
quod vna hac ratione peius cohæreat, & in quo plura ſint quæ refellere poſsit aduerſarius.

Miranda collectionum ineptitudo.

Iam & illud commentum de poteſtate illa miniſteriali, qua concilium deponere poſſet papam hæreticum abſq; ſuperiori vlla ſuper eum autoritate, mihi nō ſolum omni ſolido fundamento carere, ſed eſſe prorſus falſum, imò & contradictionē implicare videtur. Quod enim ſit in aliquibus miniſterialis quędā (vt ita loquamur) poteſtas (quam electiuam hic proprie dixerimus) per quam poſsit fieri, vt ſit in hoc aut illo papalis autoritas, tāetſi ea vniuerſa à ſolo deo ſit, haud imus inficias: velut in ſimili in ſacramentorum miniſtris ſatis declaratum eſt. Sed quod eadem illa miniſterialis poteſtas, ſuo iam defuncta officio, & poſtquam eius velut miniſterio à deo alicui collata eſt illa papalis autoritas, rurſus poſsit auferre eandem, aut aliquā efficaciā habeat ad eius ablationem, ſeparationemque à ſuo ſubiecto, ſicut habuit ſuper introductionem, prorſus falſum eſt. Eſt enim miniſtrantis ſacramenta, baptizantis, ordinantis, conſecrātis, miniſterialis huiuſmodi quædam poteſtas ſuper ſacramentorū ipſorum effectum proprium, hoc eſt, ba-

Miniſterialē poteſtatem qualemcunque non poſſe auferre ſupernaturalem effectum, qui eius miniſterio inductus eſt.

A ptiſmi,ſacerdotij,epiſcopalemq́ue characterem,ad quē in ratione diſponentis ſubiectum concurrit ſuſcipientis voluntas & intentio. Sed poſtquam horum miniſterio effectus ille ſupernaturalis à deo inductus eſt,iam non eſt ille amplius in horum poteſtate:nec poteſt per illorum miniſterialē illam poteſtatem rurſus auferri, quāuis poterat ab initio introduci, etiamſi vellet & conſentiret iile, in quo receptus eſt. Eodē prorſus modo eſt apud clerum vrbis Romæ,aut eccleſiam (nihil enim id refert ad propoſitū) miniſterialis illa poteſtas, per quam fit, vt ſede vacante per electionē canonicā fiat papa Clemens aut Paulus,concurrente in ratione diſponentis ſubiectū electi conſenſu: ſed poſtquā horum miniſterio,hic aut ille iā papa effectus eſt, non eſt in eorundem poteſtate papalem illā autoritatem,quæ non ab illis, ſed à ſolo deo in ratione ſuperioris cauſæ dependet,rurſus auferre, aut à ſuo illo ſubiecto ſeparare pro ſuo arbitrio. Quod vt in omnibus veriſsimum intelligas, videtur matrimoniale vinculum,à mutuo viri, mulierisq́ue conſenſu etiam in ratione veræ cauſæ efficientis dependere:tamen quia illi ſuperuenit etiam ſacramentale vinculum, quod à
B ſolo deo effectiue eſt, miniſterialiter autē ad id ſe habet mutuus viri,mulierisq; conſenſus, non poteſt ſemel contractum matrimonij vinculum, nec mutuo illorū conſenſu diſſolui. Quia vinculum illud, quod à deo ſacramenti ratione ſuperuenit, iam non eſt in humana poteſtate. Quos enim deus coniunxit,homo non ſeparet. Quod ſi à naturali quoq; philoſophia horū ſimilitudinem & exempla petamus,hoc clariſſimè inueniemus. Nihil prorſus poſſe ſuper cuiuſcunque formæ à proprio ſubiecto ſeparationem,niſi id quod poſſit ſuper formam ipſam, aut deſtructionē ſubiecti. Nihil poteſt calorem ſeparare à ſuo ſubiecto,niſi quod poteſt calorem deſtruere aut ipſum calidum. Ita in formis omnibus,ſeu ſubſtantialibus,ſeu accidentalibus,hoc perpetuo verum eſt.

Vt autem etiam hoc daremus, ad eandem illam miniſterialem poteſtatem pertinere,vt applicationem papalis autoritatis ad ſuum ſubiectum,ita & ſeparationem eius ab eodem,hoc eſt,vt electionem papę, ita & depoſitionem. Certum eſt,ad vniuerſalem eccleſiam,vt eiuſmodi, non pertinere primo electiuam poteſtatem Romani pōtificis,ſed ad clerum Romanum,quos cardinales dicimus. Cum vniuerſalis ecceſia,vt eiuſmodi, nunquam poſſet exire C in aliquem electionis actum,non conuenire in vnum, non conſultare, non deligere quis Chriſtiano gregi vtiliſsimus,nō conferre ſuffragia. Hæc enim non ad infinitam toto orbe diſperſam multitudinem, ſed ad certo numero definitos pertinent. Sed nec vllum iota ex diuino aut humano iure quiſquam proferet, ex qua appareat hanc poteſtatem primo pertinere ad vniuerſalem eccleſiam. Quin potius ſi totius ab initio eccleſiæ conſideremus hiſtoriam, hoc videbimus, penes ſolos Romanum clerum & populum fuiſſe hanc poteſtatem, quæ poſtea ob populi inſolentiam & diſsidia apud ſolum delectum clerum, quos cardinales vocant,ſequentium pontificum autoritas & ordinatio conſtituit. Quod ſi quis dicat apud hos eſſe poteſtatem iſtā ex commiſsione vniuerſalis eccleſiæ: vbi, quæſo, conuenit aliquando vniuerſalis eccleſia, vt ijs hanc ſuam poteſtatem committeret? Si in vniuerſalibus concilijs id factum dixeris, nunquam ſanè id probabis, aut factum inuenies. Et quid illis CCC. annis ante vniuerſa concilia vniuerſalia? Eſſe itaque miniſterialem hanc eligendi Romani pontificis poteſtatē,non penes vniuerſalem eccleſiam, quæ D nuoquā ab initio hac poteſtate vſa eſt,neq; vti poſſet,ſed penes clerū Romanæ eccleſiæ,quē nunc referunt cardinales illi deſignati,epiſcopi,presbyteri & diaconi, conſtat ex ipſa rei euidentia & obſeruatione totius eccleſiæ à multis ſeculis. Quare penes eoſdem ſecundum hoc commentum eſſe deberet poteſtas illa depoſitiua papæ hæretici,& non penes vniuerſalem eccleſiam,quod nemo dixerit.

Nec videtur fundata R. D. Caietani ad hęc reſponſio,quod miniſterialis hæc poteſtas eligendi Romani pontificis ſit & in cardinalibus, & in vniuerſali eccleſia: ſed diuerſimode. In illis limitate, hoc eſt, vacante ſede. In eccleſia vero abſque vlla limitatione, ſi ſecluſo iure poſitiuo loquamur. Nam præter hoc, quod iſta dicuntur more legem ſancientis abſq; vlla autoritate & ratione, videntur etiā manifeſtè falſa. Si enim humano, poſitiuoq́ue iure ſecluſo, poteſtas illa eligendi papæ eſt penes vniuerſalem eccleſiam: neceſſe eſt ergo, vt iure diuino aut naturali ea ſibi competat. Quod ſi verum eſt, non poſſet ea vſurpari ab alijs, neque humano aut poſitiuo iure illi auferri & committi alteri, cū ſupra aut aduerſum diuinum & naturale ius nulla

Poteſtatem electiuā Ro. Pon. non pertinere primo ad vniuerſalē eccleſiam.

poſsis

A poſsit humana conſtitutio, aut potius præſumptio. Sed quàm eſſet, obſecro, alieniſsimum à ratione illud, aut diuinum, aut naturale ius, quod vniuerſæ eccleſiæ commiſiſſet abſolutam illam & illimitatam poteſtatem eligendi Romani pontificis: qua nõ ſolum nunquã eſt vſa ab initio ad hunc vſque diẽ his annis M.D.XXXVII. ſed nec vnquam vti poſſet, quaſi deus & natura ſua illa inra fruſtra conderent? Mihi ſanè non videntur vlli hæc veriſimilia fore.

Repugnãtiam includere, eccleſiam poſſe deponere papã hæreticũ, nullo tamen caſu ſuperiorẽ ſuper ipſum autoritatẽ habere.

Nunc etiam hoc vide, quo pacto hic nõ ſit euidens repugnantia: Poſſe eccleſiam aut concilium deponere papam hæreticũ, & tamen nullo vnquam caſu ſuperiorem ſuper ipſum autoritatem habere? Nam ſi in caſu hæreſis deponendus eſt ab eccleſia aut vniuerſali ſynodo, neceſſe eſt, vt hęc in illum proferat depoſitionis ſententiam, & proinde hic rei ſubeat, illa iudicis perſonam induat. Sed nemo iudicare poteſt ſuæ iuriſdictioni non ſubditum. Tu enim qnis es, inquit ille, qui iudicas alienum ſeruum? Sit ergo papa in hoc ſaltem caſu eccleſiæ aut ſynodo ſubditus neceſſe eſt. Et planè contradictionem implicat, vt iudex non ſit ſupra reum, atque eum in quem profert damnationis ſententiam.

B Quin & alia pleraque depoſitionis ſententiam præcedant oportet, ſi iudiciarius ordo rite obſeruari debeat, quæ nec ſine coactiua ſuper papam deponendum poteſtate poſſent fieri, vt reum citare ad iudicium, examini ſubdere, vt ad interrogata reſpondeat cogere, & alia pleraque, quæ requirit ordo iudiciarius. Attamen ad depoſitionis vſq; ſententiam, ſecundum hos verus indubitatusque papa eſt. Nihil prodeſt hic ſubterfugere, & latebras aut diuerticula quærere, dicendo eccleſiam aut concilium in hoc caſu ex miniſteriali illa poteſtate habere vim coactiuam, nõ quidem ſuper Clementem papam aut Iulium, ſed ſuper coniunctionem papalis autoritatis cum iſtis: idque non ſimpliciter, ſed in hoc ſolo caſu hæreſis. Nugari enim eſt iſtud, & non ad rem reſpondere. Hoc quæritur, & hoc reſponde, quo pacto Clemens eccleſiaſticæ hierarchiæ caput, & qui principalem illam regiminis autoritatem ſuper vniuerſam eccleſiã obtinet, quo, inquã, pacto hic talis poſsit iudicio eccleſiæ aut concilij fieri obnoxius, ſuperior inferioris & ſibi ſubditi? quomodo eccleſia illius iuriſdictioni, autoritatiq; ſubdita, in ſuum caput & paſtorem, contra rerum naturam & ordinem, perſonam iudicis induere? Illum cogere ad ea, quæ fert, requiritque C ordo iudiciarius? in illum proferre condemnationis, depoſitioniſque ſententiam? Hæc enim omnia neceſſario ſuperioris ſunt, & vehementem poteſtatem exercentis in ſuum ſubditum. In quibus illis tuis nugaciſsimis nugis quis locus eſt? Scilicet, non habere eccleſiam aut ſynodum, quæ hæc poteſt in Clementem papam aut Iulium, coactiuam ſuper illos vllam poteſtatem, ſed tantum ſuper coniunctionem papalis autoritatis cum eiſdem? Qui cogit Iulium aut Clementem ſuo iudicio ſiſtere, ad interrogata reſpondere, qui ſubdit examini, hic non ſuper illos, ſed ſuper coniunctionem papalis autoritatis cum eiſdem, exercet autoritatem coactiuam & iudiciariam? Quid dici poteſt aut cogitari abſurdius? Nunquid in his omnibus cogitur illa, quam hi nugantur, coniunctio, & non potius Clemens papa aut Iulius?

Vides Chriſtiane lector, quàm multis perplexitatibus ſemper inuoluatur ſalſitas & ignorantia, cum contra clara ſit, ſibi vndique conſonans, & perſpicua veritas. Requirit regula diuinæ legis & diſciplinæ eccleſiaſticę, vt oues paſtori, ſubditi ſuis prępoſitis obediant, non ſolum bonis, ſed etiam diſcolis: vt eorum verenda non detegant, non accuſent, ſed cooperiãt, excepta D ſola cauſa pietatis & fidei. In qua vt conniuere non licet, ita nunquam ſuum ſuperiorem iudicare, ſed ſuis illum denunciare ſuperioribus oportet, donec ad ſupremam omnium autoritatem ventum eſt: quam vnam omnium ſicut vniuerſæ eccleſiæ orthodoxæ fidei vindicem, eſſe oportuit: ita ſingulari indefectibilis fidei priuilegio ſuffultam, ad confirmãdos fratres in fide, libri quarti capite octauo clariſsime demonſtrauimus.

Pighij de caſu in quæſtione propoſito ſententia & reſolutio.

Illi vero omnes de caſu in quæſtione propoſito, tanquam cęci de coloribus diſputant, præſupponentes tanquam verum & indubitatum, id quod nec fuit, nec erit, nec eſſe poſsit, ſecundum legem loquor iam ordinatamà Chriſto, videlicet quod papa poſsit eſſe hæreticus: quaſi nõ fuiſſet exauditus pro ſua reuerentia Chriſtus, rogans patrem ne deficeret fides Petri, pro neceſsitate totius eccleſiæ: ex qua ad illius autoritatem & definitionem referenda eſt omnis fidei queſtio. Quod enim ab initio non fuerit, ab ipſo Petro ad præſentem vſque Paulum III. Romanus pontifex hæreticus: ſed quotquot illi ex hoc catalogo infamant huius criminis, fuiſſe reuera or-

t 3 thodo-

A thodoxos & catholicos, etiam memorato capite luce clarius à nobis demonſtratum eſt. Quare ex rationibus, quas ſuperiori capite adduximus, nobis conſtat vniuerſalis & ſine vlla exceptione concluſio: Eccleſiaſticæ hierarchiæ principem ob nullum criminis caſum ſuorum ſubditorum (quales omnes ſunt, qui in Chriſti ouili ſunt) iudicio fieri obnoxium, aduerſus omne decorum, omnem ordinem. Nam hæreſis caſus ne locũ in eo habere poſsit, Chriſtum miſericorditer & neceſſario ſuæ prouidiſſe eccleſiæ. Ob alia quæcunque crimina ſerendos, non feriendos à ſubditis ſuis prælatos, certum eſt (qui ferè ob ſubditorum peccata à deo permittuntur cadere) nec propria temeritate & abſque vlla legitima autoritate abijciendos aut iudicandos ab eiſdem. Cum vel ſola accuſandi eoſdem præſumptio longe ſit grauior in ſubditis, quocunq; prælatorum ſuorum (quod criminarentur) crimine: quẽadmodum ſuperiori capite demonſtratũ eſt. Ad c. vero, ſi papa, quod Canoniſtis ferè (qui altius non reſpiciunt, quàm ad verba canonum) hic impingendi eſt occaſio, prædicto capite octauo libri quarti reſponſum eſt.

Vniuerſalis concluſio: Eccleſ. hie. præſidem ob nullius criminis caſum ſuorũ ſubditorum iudicio fieri obnoxium.

B

Apparentes quaſdam rationes aduerſus praaßertam veritatẽ & explicare & dißoluere.

C A P. XVII.

QVi veritatis ſuſcipiunt patrocinium, quàm debent in eadem aſſerenda vti argumentis ſolidis, & collectionibus efficaciſſimis, tam non diſsimulare, ſed luculenter diluere apparentes rationes aduerſariorũ in cõtrarium. Quorum primum, quod ad præſentem controuerſiam attinet, cum ſatis præſtiterimus duobus capitibus proximis: reſtat nunc rationes quaſdam aduerſus præaſſertam concluſionem ſatis apparentes, & quibus fortè mouerentur diſcernendi verum à veriſimili, dialecticæque non admodum periti, & explicare & diſſoluere, quo ſit euidẽtior, ſibique magis conſtet veritas. Itaque in hunc fortè modum nobis occurrerit aliquis.

Aduerſus præaſſertam concluſionem Ratio I.

Ius naturæ hoc nos docet, hoc præcipit, vt è manibus furioſi eripiamus gladium: vt ſe alioſque lædentem etiam prohibeamus, vt reſiſtamus inuaſoribus, atque his, qui aliorum vitæ fortuniſque imminent. Sed ſi papa ſuæ aliorumque ſalutis negligens, gladio ſibi cõmiſſę autoritatis in animarum perditionem & aduerſus pietatem ſæuiat, multos ſecum populos cateruatim ducit in perditionem ac præcipitium. Multo ergo magis illi, velut phrenetico, gladius ille ſpiritualis de manibus eripiendus eſt. C

Ratio II.

Præterea, hoc maximè ad liberam communitatem pertinet, vt principem ſuum ad tyrannidem ſe cõuertentem poſsit corripere, atque etiam deſtituere ac amouere vbi deſperata eſſet correctio, quemadmodum V. Politicorum docet Ariſtoteles. Sed libera eſt eccleſiaſtica ſocietas & communitas. Ad eam ergo pertinet ſui principis correctio, atque etiam incorrigibilis deſtitutio.

Ratio III.

Rurſus, non eſſet ab optimo, ſapientiſsimoque legiſlatore Chriſto ſatis recte, ſufficienterq; ſuę prouiſum eccleſiæ, ſi membra ſua infecta & putrida, ex quibus toti corpori periculum imminet, reſecare ipſa non poſſet & abijcere. Prouidiſſe autẽ illi ſufficienter, nemo dubitauerit, quisquis amorem illum immenſiſsimũ æſtimat, quẽ erga ſuam demonſtrauit eccleſiam. Vt ergo hæc poſsit, illi à Chriſto conceſſum oportet. Quid enim faceret miſera eccleſia D caput habens infectum & omnibus vitijs perditum, nec ſolum nullam corporis curam gerens, quin potius modis omnibus in ſalutem eius machinans? Imò hoc manifeſtè expreſsiſſe videtur idem ille apud Matthæum dicens: Si manus tua ſcandalizauerit te, abſcinde eam & proijce abs te: & ſi oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum & proijce abs te, melius eſt enim tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, aut vnum oculum habẽtem, quàm cum vtriſque mitti in ignem æternum.

Quarto, tenetur papa, cum de ſcãdaloſo crimine diffamatus eſt, ad ſui purgationem canonicam. Quandoquidem neceſſaria eſt illi non ſolum conſcientiæ, ſed & famæ integritas, propter ſubditorum maximè & totius ſalutẽ eccleſiæ, cuius tenetur pręcipuam curam gerere. Ita Damaſus adulterij diffamatus, Sixtus item tertius, & Symmachus, & Leo tertius, Paſchalis quoque & alij plerique de obiectis ſibi criminibus canonice ſe purgauerunt. Purgationi autem canonicæ ſubiectus, ſi deficit, iudicãdus eſt. Poteſt ergo papa iudicari de ſcandaloſo crimine.

Poſtremo, leguntur plerique ſummorum pontificum ob vitam ſcandaloſam & perdi-

A perditam iudicati, atque ipſo facto depoſiti: vt Felix ſecundus, Chriſtophorus, Ioannes XII. & Benedictus V.

His obiectionibus vt breuiter reſpondeamus. Quod inprima aſſumitur, iuris naturę hoc eſt, vt prohibeamus vnũquenque ab offenſione aut lęſione ſui & proximorum vel inuitum, quãtum in nobis eſt, & per nos poſsit fieri, etiã inſtrumenta illi auferendo, quæ in ſuam aliorumq́ue perniciem conuerteret, libenter admittimus. Sed ius hoc, eſt facto reſiſtere facto, vim vi repellere, nullam autem dat nobis iudiciariam aut ſuperiorem autoritatem in eos, quos ſic prohibemus, aut quibus eo pacto reſiſtimus. Itaque etiam ſuperioribus noſtris, etiam ſummo pontifici in his, quæ impie tyranniceque agerent in aliorum, atque adeo eccleſię iniuriam, non palpandum, nõ adulandum eſt, ſed reſiſtendum cum modeſtia, & ſalua eius debita obedientia & reuerentia, vt vim notorie iniuſtam, ſi inferatur, iuſte repellendo. In his, quæ iniuſte præciperent, in aliorum iniuriam, aut totius eccleſiæ ſcandalum, non obediendo, ſed libere admonendo, adhibitis in hoc perſonis talibus, quorum ſit grauis, nec illis contemnenda autoritas. C Sed iudiciariam in illos, ſuperioremq́; autoritatẽ nobis vſurpare nequaquam licet, neq; hoc docet ius naturæ, ſed prohibet.

Ad alteram obiectionem, qua dicitur, ad liberam communitatem pertinere correctionem ſui principis, atq; etiam deſtitutionẽ, ſi ſit deſperata correctio. Reſpondemus, qualemcunq; veritatẽ id fortaſsis habere in cõmunitate libera, quę nulli alteri ſubiecta eſt, ſed ex cõmuni conſenſu aut electione propriũ ſuum habet principem, cuius autoritas ab ipſius cõmunitatis conſenſu dependeat. Quanquam ad quem aut quos pertineat correctio delinquentium principum, ſuperiori libro locis pleriſque plenius explicatum eſt. Sed ſi ſit communitas alteri ſubiecta, ſeu regno, ſeu imperio, à quo magiſtratus ſuos, iudices pręſideſq́ue accipiat, ſi illi in adminiſtratione peccent aut delinquant, iam non eſt illius communitatis, eos magiſtratu amouere, adminiſtratione aut officio: ſed ad ſuperiorem autoritatem, à qua conſtituti ſunt, hoc pertinet, ad eamq́ue oportet habere recurſum: qua prætermiſſa, ſi propria temeritate in eos inſurgerent, rebellionis, imo maieſtatis rei fierent, & merito plectendi.

Ita dominus noſter Ieſus Chriſtus, hoc ſuum regnum, hanc monarchiam inſtituit C eccleſiaſticam, & in eadem ipſe illam hierarchiam ordinauit, ipſe nobis magiſtratus dedit & præſides, noſtro quidem electos miniſterio & arbitrio, ipſius autem perſungentes autoritate. A quibus ſi quid peccatur, iudicatur minor à ſuperiore. Si vero quid peccauerit ille, quem ipſe prę fecit omnibus, ſuumq́ue nobis generalem immediatumq́ue conſtituit vicarium, vnius ipſius iudicio ille ſubiectus reſeruatuſq́ue eſt. Ipſe ergo nobis adeundus, ipſe interpellandus, vt illum aut corrigat, aut magiſtratu amoueat: qui cito vindictam faciet ſeruorum ſuorum ad ſe clamantiũ, multo, inquam, citius, quàm ſi ſuperiorem aliquem hominẽ adiremus iudicem: ſi modo eius verbis promiſsiſq́; crediderimus, qui æque non poteſt falli ac fallere. Si autem eo prætermiſſo propria nos temeritate inſurgeremus in eius vicarium, noſtro nos illum eijceremus arbitrio, illius imperatoris noſtri nec expectantes nec expetentes iudicium: iam in Chriſtum ipſum hęc iniuria pertinet, iam in illum imperatorem ac regem noſtrum rebellionis, imo maieſtatis crimen committimus.

Ad tertiam ferè ex his iam patet quid reſpondendum ſit. Chriſtus dominus noſter, hoc ſuum regnum, hanc monarchiã D ordinatiſsime conſtituit, non ſolum ſapientiſsimi prouidentiſsimiq́; legiſlatoris, ſed etiã omnipotentis principis in ea perſunctus officio: ſiquidem ipſe eidem ſemper adeſt in omnibus, eius curam gerit ad finem vſq; ſeculi. Ego enim, inquit, vobiſcum ſum ad ſeculi vſq; conſummationẽ, nec vnquã deſuit aut deeſt illi in his caſib. quibus cõſtituti ab ipſo magiſtratus haud recte ſuo funguntur officio, ſed ſuperiores inferiorum conſtituit iudices: ſupremi autem, & ſui in hoc regno ſuo vniuerſalis vicarij, ſibi reſeruauit iudicium. Nam vt illum inferiorum iudicio ſubderet, non ferebat rerum ordo, nec ſuę illius monarchiæ ordinatiſsima ratio. Ipſe itaque nobis adeundus, ipſe orationibus pulſandus, ipſe excitandus eſt, ſi dormire videatur, quoties fluctuat, quoties tempeſtatibus agitur nauicula illa Petri: quemadmodum ſuo nos facto exemploq́ue admonuit. Quẽ ſi eccleſię ſuæ, pie perſeueranterq́; oranti, quæ ſibi ad ſalutem neceſſaria ſunt, aut magnopere expediunt, nõ adfuturum timuerimus, infideles profecto ſumus & verbis promiſsiſq́; eius increduli, quę cœlo terraq́; firmiora ſunt. Nam cœlum, in-

A quit, & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibũt. Non eſt longe à nobis adeũdus aut quęrendus, nõ ambitioſa, ſumptuoſa, longinqua difficiliq; legatione petendus. Nobiſcum ipſe & inter nos eſt ad ſeculi vſque finem: non ſolum voces, ſed & gemitus noſtros exaudiens. Itaque ſi eccleſiæ neceſſarium erit, vt è medio auferatur aliquis ſua: aliorumq́ue ſalutis negligens & perditæ vitę papa, ipſe interpellatus, ipſe orationibus noſtris excitatus, cito faciet iudicium & iuſtitiam, cito ſedabit tempeſtates & ventos, cito eccleſiæ optatã tranquillitatem reſtituet. Non enim dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Quod ſi neque neceſſarium, neque vtile eccleſiæ fuerit, auferri illũ è medio, quãuis ita nobis forte videatur humano iudicio: tu quis es, qui diuino iudicio tuum præponis iudicium? qui in alienum ſeruũ tibi arrogas poteſtatem iudiciariam? Domino ſuo ſtat, & domino ſuo cadit IESV Chriſti vicarius. In quem ſi propria nos inſurgamus temeritate, ſi noſtro illum iudicio ſubmittere volumus, an nõ in Chriſtum ipſum rebelles ſumus & iniurij? Sed prô nimis impletũ iam cernimus id, quod futurum prædixit Chriſtus in aduentu filij hominis: Putáſne, inquit, veniens filius hominis inueniet fidem in terra? Diſ-

Noſtra cura & ſollicitudo præpoſtera non emẽdat, ſed irritat noſtros præpoſitos: nõ ſanat, ſed exacerbat eccleſiæ vulnera.

B fidimus diuinæ prouidentiæ, Chriſto eiuſq́ue promiſsis & verbis non credimus, & in manibus prouidentiæ noſtræ vniuerſa volumus eſſe concluſa. Ita fit vt non emendemus, ſed irritemus noſtros præpoſitos? non ſanemus, ſed exulceremus, magiſq́ue exacerbemus eccleſiæ vulnera. Ita fit, vt propter temeritatem præſumptionemq́ue noſtram, propter peccata noſtra regnare faciat principes hypocritas, & ſuos ſanctos contaminet, nubibuſq́ue mandet ne pluant ſuper nos vmbram doctrinæ & regiminis ſalutaris. Ita noſtra meretur & contumacia & infidelitas, vt nobis detur & conſeruetur rex in furore Domini. Itaque vt hic concludamus: Si amotio papæ criminoſi, & humanam admonitionem, correctionemq́ue negligentis neceſſaria ſit aut admodum vtilis ſaluti eccleſiæ, fiatq; pro eo oratio ſine intermiſſione ab eccleſia, qui dubitat Chriſtum ſtatim eidem affuturũ, infidelis eſt. Si vero eo caſu neglexerimus ad illum confugere, cuius ſolius eſt ſubiectus iudicio is, quem magiſtratu amoueri cupimus, & ad quem ſolum hoc pertinet, ſed propria in ipſum temeritate inſurrexerimus, quid aliud agimus, quàm illius Luciferi, nõ dei C nos demonſtramus filios, imitatores videlicet facti illius rebellionis ac ſuperbiæ, & in Chriſtum ipſum crimen læſæ maieſtatis committimus? Quod ſi ceſſare, ſi dormitare nobis videatur Chriſtus, ſi differre quod petimus, ipſe melius nouit, eccleſię ſuæ nobiſq; quid expediat: fidelis eſt, nec permittet nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus, ſed faciet cum tentatione prouentum. Porro non dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Ad illa vero Chriſti verba, quę in confirmationem adducuntur: Si manus vel pes tuus ſcandalizat te, &c. Dicimus, quod quãuis aliam, quã ſonent verba illa, intelligentiam habeant, tamen vt quoquo pacto accommodari poſſint huic propoſito, ſi ea perpẽdas diligentius, inuenies noſtram magis confirmare, quàm impugnare ſententiam. Nam docet manum, pedem aut oculum, non tamen caput, ſi ſcandalizet, amputandum. Id quod nihil dubitandum eſt non carere myſterio.

Vera ſententia, quemadmodum erga papam criminoſum habere ſe debeat eccleſia.

Chriſti citata verba noſtram confirmare, non infirmare ſententiam.

Ad quartam, qua dicitur papam infamatum de ſcandaloſo crimine ad purgationẽ ſui teneri, fatemur de charitatis debito & obligatione, atq; eo purgationis genere, q́ vltro aſſumitur ad remouendum ſubditorum ſcandalum: nõ quæ imponitur à ſupe D riore aut iudice, quẽ nullũ habet in terris.

Itaq; Paſchalis I. de imputata ſibi cæde & homicidio corã XXX. epiſcopis, Damaſus vero de ſibi impoſito adulterio corã XLII. (quos nec aduerſarij, aduerſus quos agimus, iudiciariam aut ſuperiorem aliquam autoritatem ſuper vniuerſalis eccleſiæ epiſcopum habere auderent dicere) ſeſe ex purgarunt, vt patet II. q. VII. Nos ſi competenter. Sic & Leo ille III. coram Carolo Magno, & cõgregata eius cauſa ſynodo (vt paulo ſuperius audiſti) cum de accuſatione aduerſus ipſum propoſita, nihil vellent aut iudicare aut cognoſcere, conſenſo ſuggeſtu, & ſacra euangelia manibus tenens iureiurando ſe affirmauit inſontem. Vnde & capitalis in accuſatores eius eſt ſtatuta ſententia.

Sic & alij, ad occurrendum ſubditorum ſcandalo, apud quos falſo delati & infamati fuerant, alijs pro tempore vſi ſunt purgationum modis. Vt Gregorius VII. coram Henrico quarto Romanorum rege, quem abſolutum ab excommunicatione, qua aliquandiu innodatus fuerat, & admiſſum ad miſſarum ſolennia, confecta ſacra oblatione, cũ cætera multitudine, quæ frequens aderat, ad altare euocauit, præ-

Nota hanc purgationem Gregor VII. coram Henrico 4. Rom. rege.

fe-

A ferenſq́; manu corpus Dominicum: Ego, inquit, iam pridem à te, tuiſque fautoribus literas accepi, quibus me inſimulabas ſedem apoſtolicam per Simoniacam hęreſim occupaſſe, & alijs quibuſdam tam ante, quàm poſt acceptum epiſcopatum criminibus vitam maculaſſe, quę mihi ſecundum ſcita canonum omnem ad ſacros ordines acceſſum obſtruxerint. Et licet multorum idoneorum certe teſtium adſtipulatione crimen refellere queam, eorũ ſcilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate inſtitutionem integerrime nouerunt, & eorum, qui meæ ad epiſcopatum promotionis autores fuerunt: ego tamen ne humano potius quã diuino teſtimonio niti videar, vt ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulũ de medio auferam, ecce corpus dominicũ quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, vt omnipotens Deus ſuo me iudicio, vel abſoluat obiecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum, vel ſubitanea interimat morte, ſi reus. Hæc & alia, vt ſolenne eſt, pręfatus verba terribilia, quibus Deum cauſæ ſuę æquiſsimũ iudicem & innocentiæ aſſertorem adeſſe precabatur, partem dominici corporis accepit. B Qua liberrime abſumpta, cum populus in laudes dei, innocentiæ eius congratulatus aliquandiu acclamaſſet, tandẽ impetrato ſilentio, conuerſus ad regẽ, ſi ſe innocentem ſciret, à mole capitalium criminum, quibus à regni principibus coram ſe quotidiè accuſabatur, hortatus eſt idem facere quod ſe facientem vidiſſet, ita & ſeipſum compendioſe liberaturũ longę concertationis ambiguo, & eccleſiã Dei ſcandalo. Sed ille, qui ſibi male erat conſcius, tã horrendi examinis aleã ne ſubiret, alias excuſationes, tergiuerſationeſq́; inuenit. Hęc ideo adſcripſi aliquanto prolixius, vt intelligeres, qualinam purgationi ſe ſubmiſerunt aliquando Romani pontifices, non equidẽ coacti, vt audiſti, ſed ſua ſponte, & vt ſatisfacerent imbecillioribus. Ita ad multa frequenter ſe demiſerunt ſancti põtifices ob ſubditorum infirmitatem & ædificationem, aut quo ſe humilitatis exemplum præberent cæteris, ad quę minime tenebantur ſecundum autoritatem & rationem officij, quæ in conſequentiam trahi nõ poſſunt. Quemadmodum de Petro teſtatur beatus Gregorius II. q. VII c. Cum Petrus, dicens in hęc verba: Petrus poteſtatem regendi acceperat, & tamen idem Apoſtolorum primus querimoniæ contra eum à fidelibus factæ, cur ad gentes intraſſet, non ex officij poteſtate, qua poſſet dicere: Oues paſtorem ſuum non accuſent, nec reprehendant, ſed ex autoritate diuinæ virtutis, qua gentes acceperant ſpiritum ſanctum, reſpondit. C

Ad id quod poſtremo loco adducitur, etiam de depoſitis quibuſdam Romanis pontificibus, hoc breuiter reſpondemus, Iuris, non facti hic à nobis diſputari quæſtionem. Ita etiam multi à tyrannis relegati, occiſi, trucidatique ſunt: ſed quid fieri debuerit, non quid à nonnullis impie factum ſit, hic nos demonſtraſſe. Quanquam hoc etiam certũ ſit, nullum fere omniũ, quos hi depoſitos commemorant, fuiſſe indubitatum Romanum põtificem. Felicem, quẽ primo loco enumerant, conſtat ab impio, hęreticoq́; imperatore Conſtantio, ſubſtitutũ fuiſſe viuenti Liberio, & pro fide orthodoxa relegato exilio, cui inde reuerteti quod ille ceſſerit, nihil mirum eſt. Nec opus erat deponere, quẽ conſtat nunquam fuiſſe pontificem. Idem de Chriſtophoro, quem commemorant, æque certũ eſt. Nam Leonem V. qui Benedicto IIII. ſucceſsit, electum & pontificatu inauguratum poſt dies aliquot idem eius familiaris exiſtens, nefaria proditione D & coniuratione captum coniecit in carcerem, & cathedram inuaſit apoſtolicam. In qua cum non ferretur à clero & populo, illorum iuſtæ aduerſus ſe indignationi ac vindictæ ſe ſubtrahens, in monaſticam vitam coactus ſe condidit. In locum itaque Leonis illius interim demortui (vt creditur) ex dolore animi, Sergius III. libera electione ſuffectus eſt.

Nullum vnquam Rom. pontificẽ vel de facto depoſitum, cuius certa fuiſſet electio.

De Felice.

De Chriſtophoro.

Ioannis vero XII. & Benedicti V. continens eſt hiſtoria: ſed talis, quæ non aduerſatur, imo ſuffragatur & ſubſcribit noſtrę ſententiæ. Ille enim ſceleribus ac probris omnibus coopertus pontifex, & modis congruentibus fruſtra ſępe admonitus & ad meliorem frugem reuocatus à cardinalibus, cum eius corripiendi cauſa ijdem Romam euocaſſent Ottonem I. imperatorem, tunc fortè agentem in Italia, ſcelerum ſuorum conſcientia ſtimulatus aufugit in Campaniam: atque ibidem inter feras in montibus deliteſcebat, vnde communi principis & patrum conſenſu publica legatione Romã reuocatus, cum redire recuſaret, quamuis oblata ſecuritate vt libere reſidere poſſet in ſua cathedra, præcipiti conſilio Leonem quendam eius nominis VIII. illi tanquam deſertori ſuæ cathedrę

Ioannis XII. & Benedicti V. notanda hiſtoria.

A cathedræ ſuperordinarũt põtificẽ. Cuius mox pœnitentia ducti Romani, cõſiderantesq́; præter ius, faſq́; egiſſe, q́d viucti adhuc Ioanni, quantumuis ſcelerato, quantũuis ſuæ ſedis deſertori & profugo, ſuperinduxiſſent alium, eiecerũt ante omnia Leonem illum, & Ioannem quoquo pacto reducere ſatagunt. Ille vero ad imperatorem haud longe adhuc ab vrbe agentem confugiens, hac re exaſperatum facile induxit, inſtructa acie Romam repetere, & Romanos cogere, vt ſe reciperent. In qua rerum trepidatione quamuis Ioannes ille è viuis derepente ſublatus, ademiſſet Romanis illum ſcrupulum, liberumq́; feciſſet, vt imperatoris voluntati accommodare ſe poſſent, vel de nouo in electionem Leonis illius cõſentiendo, & vim certo imminentis ſibi belli auertere: omne tamen periculum decreuerunt ſubire potius, quàm perniciem exempli eiuſmodi tranſmittere ad poſteros. Et quamuis aduentanti hoſtiliter imperatori pacis oratores mitterẽt obuiam, Benedictum tamen eius nominis V. non illum Leonem ſuperinductum viuenti, ſibi poſtulabant concedi pontificem. At imperatore iam iurato in verba & fidem Leonis, tanquam ſuo promoti ſuffra- B gio, illi nullo metu deterriti inſtantis periculi & potentiſsimi exercitus iamiam imminentis vrbis excidio, elegerunt nihilo minus Benedictum, & in ſede B. Petri conſecratum de more collocarunt. Quos tandem diuturna & arctiſsima obſidione preſſos, in qua modium ſurſuris triginta aureis veniſſe teſtantur hiſtoriæ, ad deditionem imperator coegit, & abducto in Germaniam Benedicto, Leonem vi armisq́ue intruſit in beati Petri cathedram, quã Deo vindice haud diu occupare permiſſus eſt.

Hæc eſt lector Chriſtiane Ioannis 12. & Benedicti 5. hiſtoria. In qua nihil audis noſtræ repugnans ſententiæ, imò eidem publicè ſubſcripſiſſe Romanorum conſcientiam. Et quamuis præcipiti ante conſilio, abrogato ſceleratiſsimo pontifice, in eius locum elegiſſent Leonem illum, virum haud indignum alioqui pontificatu: tamẽ continuo ad ſaniora conſilia reuerſi, intellexerunt præter ius & fas ſe egiſſe, & omnia extrema perpeti maluerunt potiùs, quàm exempli eiuſmodi (vt dictum eſt) perniciẽ tranſmittere ad poſteros.

Præter hos quotquot memorantur Ro. pontifices, quomodocunq́;, ſeu iure, ſeu iniuria redacti in ordinem, dubiam eorundẽ & in diſcordia celebratam electionẽ inuenies. C Quomodo Conſtantienſi cõcilio tres vno tẽpore (ſub quibus incerta ſui rectoris & capitis, maxima omniũ confuſione & ſcandalo diu laborarat eccleſia) ſimul abrogati ſunt, & in locũ eorundẽ vnus certuſq́ue electus Martinus quintus. In Baſilienſi vero, nouo more peſſimoq́; cõſilio & exẽplo idem aduerſus Eugenium indubitatũ pontificem tentatum eſt, & in locum eius Amadeus quidã electus, ſed fruſtra, & ſine vllo effectu. Nam hunc nemo, illum vero vniuerſa Chriſti eccleſia, etiã poſt illud Baſilienſe conciliũ, recognouit, p̃ indubitato põtifice & pręſide hierarchię eccleſiaſticę.

An quo caſu congregari ac celebrari poſſit vniuerſale concilium præter autoritatem ſedis apoſtolicæ.

CAP. XVIII.

TAmetſi concedant omnes, generalia concilia apoſtolicæ ſedis & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis autoritate, regulariter conuocari, celebrariq́; oportere: fere tamẽ etiam inter omnes conuenit, quibuſdam D caſibus præter illius autoritatem conuocari, celebrariq́; poſſe: quanquam in caſibus ilis haud inter omnes cõueniat. Nam Conſtantienſis, Baſilienſiſq́; conciliorum aſſertores plus nimio tribuentes autoritati conciliorum, ſuper autoritatem eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, plures etiam admittũt caſus eiuſmodi. Quos omnes Gerſonus ille ſummatim colligens, ſub tribus generaliter cõprehendit. Primus: Si deſijt eſſe Ro. pontifex, hoc aũt trifariã arbitratur poſſe fieri, videlicet aũt morte eius naturali, aut morte (vt dicit) ciuili, vt ſi cadat in mentis alienationem perpetuã, aut in captiuitatẽ, ita vt ad eum acceſſus non pateat, aut morte canonica, vt ſi ſit depoſitus. Secundus: Si requirat eccleſiæ neceſsitas conuocari concilium, ille autem requiſitus conuocare pertinaciter renuat, præſertim ſi ipſum res tangat. Tertius: Si concilium poſtquam eſt congregatum legitimè, tempus & locũ pręſtituat pro celebrando futuro concilio, vt in Conſtantienſi, Baſilienſiq́; concilijs factum extitit. Canoniſtæ plerique aliter & rationabilius hos caſus enumerant, duos fere afferentes, vt Alexandrinus in c. Synodum, 17. diſt. & Felinus in c. Super literis, extra, de reſcrip. quos ſequuntur & alij. Primus, cũ papa deponi poteſt legitimè. Hoc enim

Caſus, quib. præter autoritatem Ro. pontificis celebrari poſſint concilia.

A enim omnes ſupponunt in caſu poſſe fieri ex c.Si papa.40. diſt. Quo poſito, nihil dubium eſt etiam eo inuito congregari poſſe concilium, quod contra ſe, aut in ſui depoſitionem nunquam conuocaret ipſe, aut conuocari ſineret, ſi res tota ab ipſius tantum dependeret conſenſu & arbitrio.

Secundus, cum eſt dubia, incertaq; electio, nec ſcit catholica eccleſia, quem velut ſuum caput & eccleſiaſticæ hierarchiæ principem ſequi debeat.

Pighij ſententia, nullo caſu contra apoſtolicæ ſedis autoritatem celebrari poſſe concilium.

Nobis vero in hac queſtione quid tenendum ſit, ex his, quæ hactenus demonſtrata ſunt, ſatis fieri poteſt perſpicuum. Nam ſi omnis conciliorum autoritas, etiam vniuerſalium, omnium actionum ſynodalium robur & firmitas ab autoritate eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis prorſus dependeat, vt euidentiſsimè demonſtratum eſt, vt aduerſus eiuſdem autoritatem congregari non poſſe vniuerſalem ſynodum: ita etiam vbi legitimè congregata eſſet, nihil tamen omnino poſſe agere, eadem ſibi autoritate reſiſtente, æque certum eſt: ſed præter apertam quandam rebellionem, conſpirationemque ſubditorum aduerſus ſuum caput & principem, nihil planè vtilitatis habere B cógregationem eiuſmodi. Neq; enim aduerſus ipſum Ro. pontificem: vt quem nullo vnquam caſu ſubijci humano iudicio demonſtratum eſt, nec in alijs quibuſcunq; negocijs & cauſis eccleſiaſticis, quas vniuerſas, grauiores modo & difficiles, apoſtolicę ſedis & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis autoritati ſpecialiter reſeruatas ab initio, 6.& 7. capitibus huius efficaciſsimè demóſtratum eſt.

Quid ergo, inquis, ſi vt congregetur vniuerſale concilium curandorum eccleſiæ vulnerum requirat neceſsitas, & papa inſtantiſsimè requiſitus conuocare, pertinaciter renuat?

Si ille quod ſui officij eſt ſacere negligat, habet iudicem ſuum, tibi vero, quod ad illum propriè pertinet, vſurpare nequaquam licet. Quid autem eo nobis caſu faciendum ſit, quid datum, relictumq; remedij, paulo ante indicauimus, nempe adeundus nobis, pulſandusq; pia, perſeuerantiq; oratione imperator noſter Chriſtus, ad ipſum clamandum, vt ſuæ prouideat eccleſiæ, cuius neceſsitati ſi noſtris fideliter interpellatú orationibus affuturum nó cnnfidimus, ꝓ qua mortē oppetijt, nihil ſanè eſt, qđ per nos deo Chriſtoq; nó fidentes, noſtráue opa, vtiliter poſſe fieri ſperandú eſt.

Vnú itaq; omnino caſum inuenio, quo C præter apoſtolicæ ſedis autoritatem conuocari, conuenireq; poſsit, aut debeat vniuerſale, aut ſaltem medij generis conciliú, contra vero huius ſedis autoritatem, quod id liceat, prorſus nullum. Eſt aút ille, cum ob dubiam, incertamq; electionem eſt inter alquos de papatu contentio, quo ſcire poſsit vuiuerſalis eccleſia, quem velut ſuú paſtoré & rectoé ſequi debeat, ob quē caſum Conſtantienſe conciliú celebrari cœptú eſt, & grauiſsimú illud ſchiſma, quo vna ſub tribus incertis pōtificibꝫ laborabat & diſſecabatur eccleſia, è medio ſuſtulit. Sed & alia pleraq; eandē ob cauſam, & à qbus idē factú eſt, celebrata legimus. Siquidē & Henrici II. tēporibus tres etiá ſimul ſe gerebát pro ſummis pōtificibus, Benedictus IX. Syluester III. & Gregorius VI. Quibus omnibus imperatoris cura & inſtantia, congregata Romæ ſynodo, abrogatis ab eadem, reprobatis, iudicatiſque nothis ac illegitimis, Sindegerus Bambergēſis epiſcopus concordi electione canonice aſſumptus eſt, cui Clementis II. indita fuit appellatio.

Vnico caſu præter apoſtolicæ ſedis autoritatem celebrari poſſe vniuerſale cōcilium.

Sed cócilia eiuſmodi, præter vnú illud, ob quod licite conuenire poſſunt, determinationem videlicet illam, quis ex pluribus habendus ſit pro paſtore vniuerſalis eccleſiæ, & pōtifice legitimo, aut vbi hoe diſcerni nō poſsit, ſitq; eam ob cauſam nemo ex D illis habendus pro tali, cum vt duo pluréſue ſint, non patiatur vnitas eccleſiæ, quę ad concordem vnius electionem pertinent, procurandam, celebrandamq; pertinent, ſi quid alterius rei, aliorumq; eccleſiaſticorum negociorum, quæ ad autoritatem præſidis hierarchiæ eccleſiaſticæ & apoſtolicæ cathedræ peculiariter pertinere demonſtratum eſt, ſibi vendicent, nullius plane autoritatis aut momenti eſt quod ab illis agitur. Quare in Conſtantienſi ſynodo, præter illam eius ſchiſmatis extinctionem, & Martini V. canonicam electioné, quicquid eandem præceſsit aliorum, nihil ritè legitimeq; factum eſt, nec præterea vllius pror ſus momēti ſunt vniuerſa eius decreta, niſi ſi quæ fortè eorum ab ipſo Martino eiuſq; confirmatione robur autoritatemq; acceperunt. Quemadmodum ad oratorum regis Poloni inſtantiam, requiſitionemque approbauit, quæ in materia fidei, aduerſus Ioannem Vvicleff, Ioannem Huſs, & Hieronymum de Praga, hæreticos acta definitaque fuerant, vt patet ex eius concilij ſeſsione vltima, in qua legitur dixiſſe Mar-

Eiuſmodi cōcilia nihil poſſe præter vnú illud, ob quod licite congregari poſſunt.

Decreta conſtantienſis concilij nullā autoritatem obtinere, niſi quatenus à Martino V. confirmata ſunt.

A Martinus, quod omnia & ſingula determinata, concluſa & decreta in materijs fidei per illud concilium conciliariter, tenere & inuiolabiliter obſeruare volebat, nec vnquam contrauenire quoquo modo. Et quod ipſa ſic conciliariter ſacta approbaret & ratificaret, non aliter, nec alio modo. Quin & ſpecialem bullam edidit condẽnationis eorundem, approbationisq́; ſynodalis aduerſus eoſdem ſententiæ. Quæ quod etiam ex ipſius concilij conſcientia, aut ſaltem ſaniorum quorunq;, qui eidem interſuerant, autoritatem momentumq́ue habitura non credebatur apud præſentes & poſteros, niſi accedente confirmatione eiuſmodi, propria ſua confeſsione prodiderunt, orantes iam electum pontificem, vt acta per concilium aduerſus illos hæreticos firma eſſent, & autoritatem haberẽt. Quæ ſi etiam ante electionem Martini ex ipſa ſynodali, omniumq́; ſuprema (vt imaginantur illi) autoritate iam dudum firma, rataq́; fuerant, quorſum ergo orant eundem, vt robur habeant, autoritatemq́ue illis impartiat?

Gerſonis error hac in re commonſtratur.

Quantum ergo hac in re, & quàm longe à veritatis ſcopo aberret Gerſonus ille, facile perſpicuum cuique crediderim. Qui B vnicum hunc caſum prætermittens, quo ſolo præter autoritatem Rom. pontificis rite legitimeque celebrari poſsit vniuerſale concilium, alios tres comminiſcitur longe falſiſsimos. Primum dicens, ſi deſijt eſſe Rom. pontifex. Secundum, ſi conuocari concilium requirat eccleſiæ neceſsitas, at ille vt oportet requiſitus, conuocare pertinaciter renuat: præſertim ſi ipſum res tangat præcipue. Tertium, ſi concilium iam congregatum legitime, & locum & tempus præſtituat pro celebrando futuro concilio. Vltimi duo caſus ex eo pendent, qd' ponit ipſe in concilijs autoritatem ſimpliciter ſupra eccleſiaſticæ hierarchiæ principes. Id quod falſum euidenter irrefragabiliterq́ue demonſtratum eſt. In primo autem caſu, cum deſijt eſſe Romanus pontifex, hoc eſt, vacante ſede, quorſum attinet celebrari concilia? Cum certiſsimo demõſtratum ſit, abſque Romani pontificis autoritate nihil prorſus vtiliter, ſtabiliterúe fieri ſtatuique poſſe à concilijs, à qua pendet omnis eorum autoritas: & ſine qua, nõ concilia, ſed conſpirationes ſeditionesq́; ſunt: eamq́; ob rem, tam apoſtolicis, quàm Niceni concilij canonibus aperte prohibitum, præter huius autoritatem celebrari concilia: niſi fortè, ſicut ad tollendum exortum, ita ad prohibendum imminens C ſchiſma eccleſiæ. Vt ſi non cõueniret, quinã eſſent electores indubij, aut ſi ipſis inter ſe diuiſis ſchiſma timendum foret eccleſiæ. Eo ſiquidem caſu, vacante ſede, locus foret legitimo concilio. Sed quid quãtúmue ad eius pertineret autoritatem, iam nunc explicatum eſt.

Falſa Gerſoni imaginatio de triplici modo quo cõtingeret vacare ſedẽ apoſtolicam.

Quod vero exiſtimat ille tribus modis fieri poſſe vt vacet ſedes, aut vt deſinat eſſe Ro. pontifex, vt morte eius naturali, ciuili & canonica. Ciuilem mortem eſſe dicens, ſi in captiuitatem incidat, ita vt ad eum acceſſus non pateat, aut ſi cadat in mentis alienationem perpetuam. Canonicam vero, ſi à concilio deponatur. Ego ſane nullum vacationis modum noui alium, quàm ſi naturæ debitum perſoluat pontifex & moriatur morte naturali, vt ipſe loquitur: aut fortè, ſi ſpontanee papatui renunciet, & admiſſa receptaque fuerit renunciatio. Canonicam vero illam mortem, hoc eſt, depoſitionem, locum nõ habere in Romanis pontificibus, iam ſatis demonſtratum eſt. Solius enim dei, non humano ſubſunt iudicio. Quod autem ob ciuilem, quam ipſe dicit mortem, hoc eſt, captiuitatem, non deſinat eſſe Romanus pontifex, an non demonſtrat Lucas in Actis apoſtolicis? Nam cum Petrus ſeruaretur in carcere, nequaquam primitiua illa conuenit eccleſia ad ſucceſſorem illi deligendum: ſed oratio, inquit ille, fiebat ſine intermiſsione pro eo ab eccleſia: nos inſtruens quid etiã nobis in eiuſmodi caſu faciendum ſit. Similiter cum perfidus ille imperator Conſtantius per Theodoram Calliopam Italię Hexarchum, Martinum ſanctiſsimũ pontificem catenis vinctum ad ſe Conſtantinopolim duci feciſſet, & inde Cerſanam Ponti ciuitatem (vbi & beatus Clemens Romanus præſul longe antea exulauerat) relegaſſet exilio: nunquid clerus populusq́; Romanus continuo proceſſerunt ad alterius electionem pontificis? Neque enim ſolum expectauerunt eius mortem, ſed cum iamdudum obijſſet in exilio, nec tamen mortis eius ſatis certa perſerrentur indicia, vacauit ſedes poſt eius obitum anno integro & menſibus duobus. Vides itaque lector Chriſtiane, quid ſit huiuſmodi in rebus ex ſuo capite quæ videntur adſtruere, ſophiſmataque ocioſe connectere abſque vlla antiquitatis eccleſiaſticæq́; hiſtoriæ notitia?

Mortem canonicam locum nõ habere in Romanis põtificibus.

Per captiuitatem a pontificatu non cadere.

D

Iam ad eandem notam pertinet, quod dicit de mentis alienatione perpetua. Mallem

A lem equidem protuliſſet vnum aliquem ex omnibus, qui ab initio fuerũt, Ro. pontificibus, qui incidiſſet in mẽtis alienationem perpetuam, demonſtraſſetq́; quid eo caſu ſeciſſet catholica Chriſti eccleſia: cuius & nos exempli in occurrẽte caſu ſimili imitatores facti ab errore vindicaremur. Sed bene habet, nunquam id accidiſſe ab initio annis quindecies centenis. Quo intelligant etiam Chriſto curæ eſſe hanc Petri cathedram, à qua pendet ſalus vniuerſę ſuæ eccleſiæ, foreq́; perpetuo. Quod enim hactenus illius prouidẽtia nunquã accidit ab initio, eodẽ curante prouidenteq́; nec futurum vnquam confidimus. Et hæc pro eccleſiaſticæ hierarchiæ, præſidentiumq́; in eadem principalis illius autoritatis defenſione ſufficere mihi videntur.

De caſu perpetua alienationis mẽtis.

Peroratio.

Supereſt ad eius vnitatẽ, Chriſtianamq́ue conſeruandam cõcordiam propheticis illis verbis mutuo nos exhortemur: ſtate, inquit ille, ſuper vias & videte ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. State, inquã, fixi & immobiles, & doctrinis nouis, varijs aut peregrinis nolite abduci, nolite aurẽ adhibere his qui vos captant, qui ad veſtra vobis deſide
B ria loquuntur, qui nouitate aliqua placere quærunt, & ſui admirationem apud ſimplices & indoctos facere: ſed inquirite de ſemitis antiquis quæ ſit via bona, per quã ante annos mille & toties cẽtenos ambulauerunt patres veſtri, quam demonſtrauerũt & ſuo ſanguine ſignauerũt tot myriades martyrum, q̃ docuerunt tot milia confeſſorum, & ambulate in ea ſecuri & confidenter. Et inuenietis requiem animabus veſtris. Nõ te prætereat (inquit ille) narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniã ab ipſis diſces intellectũ. Quod ſi qui vobis dixerint, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ecce in ſolitudine, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere, vbi enim eſt corpus, congregãtur & aquilę. Dicit, inquit ille Origenes, qui nos ſeducere voluerit & docere veritati contraria: Ecce hic eſt Chriſtus, vnum aliquẽ ex euangelio locum proferens. Dicit quoque & alterius autor erroris: Ecce illic, alium ſimiliter locum proferens, quo illum ipſum aſſerat. In hunc modum de lege, de prophetis & apoſtolis vnuſquiſq; profert, quibus in veritatis ſpeciem transformet ſuum mendacium. Quoties tamen canonicas ſcripturas nobis proferunt, quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, nos, inquit, illis credere nõ debemus, nõ exire C à prima eccleſiaſticaq́; traditione, neq; aliter credere, niſi quẽadmodum per ſucceſſionẽ eccleſię dei tradiderũt nobis. Aduerſus q̃ quicquid illi nobis dixerint, quibuſcunque palliatum diuinarum ſcripturarũ oraculis, obaudiemus: & velut ad voces incantantium, aures noſtras obturabimus. Eſt enim illorum ſermo ad nocendum efficax, præſertim apud imbecilliores in fide. Si nouum ſibi illuxiſſe glorientur veritatis ſpiritum, & poſt tot ſecula in ſe ſolos iam tandem perueniſſe, autore monitoreq́ue Chriſto, pili non faciemus. Eſt enim (inquit ille) veritas fulguri ſimilis egredienti ab Oriente & apparenti vſque ad Occidentem. Non latet in occulto, in angulis aut penetralibus, ſed refulget in vniuerſa eccleſia. Quod ſi quædam non ita manifeſtè apparent noſtræ fidei & diuinarum ſcripturarum myſteria, vbicunq; eſt corpus, illic congregantur & aquilæ. Congregantur, inquit, non vultures, non corui, ſed aquilæ. Illæ, inquam, aquilæ, de quibus propheta dicebat: Pennigerabunt ſicut aquilæ, & current & non laborabunt, ibunt & non eſurient. Illarum itaque aquilarum viam volatumq́ue in ijs contemplabimur, illas ſequemur duces itineris, cum D eiſdem ad catholicæ eccleſiæ corpus aggregabimur. Eamq́ue, quam maxima & antiquiſsimæ autoritatis Romana eccleſia, à glorioſiſsimis apoſtolorum principibus Petro & Paulo fundata atq; inſtructa, ab eiſdem traditionem accepit, per epiſcoporum ſucceſsionem continuam ad nos peruenientem ſequentes ac proferentes (vt illius Irenæi verbis dicam) confundemus omnes illos, qui ſibi placentes, ſeu vana gloria, ſeu cæcitate aut ignorantia, aliter quàm oportet, colligunt. Cum qua qui non colligit, ſpargit. Super illam enim petram, inquit Hieronymus, ædificatam eccleſiam ſcio. Illi ergo quicquid non vnitur, quicquid non innititur, ruina eſt, nec ad eccleſiaſtici ædificij vnitatem pertinet, extra quam qui deprehenſus fuerit, peribit ſuperueniente diluuio. Ad illam itaque confugiemus velut ad ſacrã ancoram, velut ad orthodoxę fidei magiſtram & regulam, ſi quid turbæ, ſi quid dubij, ſi quid nouitatis inter nos exortum fuerit. Inde audiemus nobis loquentem Chriſtum, qualiſcunque tandem ſit, qui in eadem præſederit. Audiſti enim eius cathedræ priuilegium, & pro cuius fide ad confirmandos fratres ſingulariter rogauerit Chriſtus,

Vbi Chriſtus & veritas.

In Matth. ho. 29.

Notanda & perpetuo memoranda

omnis Chriſtiano ſententia.

Catholica veritas refulgens in vniuerſa eccleſia.

Sequenda fides Ro. eccleſia.

Illi qui non vnitur, ab eccleſia diuiſus eſt.

A exauditus vtique pro ſua reuerentia. Quare qui extra ſunt, ingredi ſtudeant, dum tempus habent, reuertantur ad pijſsimæ matris gremium, conentur recipi in illam nauiculam Petri, quæ ſola, quos ſuſcepit, naufragante mundo illæſos exhibet. Aliena pericula nos doceant ac prudentes faciant. Videtis, quo euanuerint tot magnificæ totius orbis eccleſiæ, vt factæ ſint in rapinam, in deſolationem, in conculcationem omnium beſtiarum agri: ſolas iamdudum ſupereſſe incolumes, quæ Petri magiſterium agnouerunt & ſequutæ ſunt, & quas complexa ſeruauit illa arca, in qua Petrus gubernator eſt.

Qui extra ſunt, ingredi ſtudeant.

Nos vero qui intus ſumus (quod per nomẽ domini noſtri Ieſu Chriſti Paulus obſecrat) id ipſum dicamus omnes, nec ſint ſchiſmata in nobis, ſed compoſiti omnes in eodem ſenſu eademque ſententia, verſemur cum timore ac tremore in eccleſia, tanquam in regno Chriſti, tanquam in domo dei viuentis: ſuam quiſque ſtationem obſeruemus diligenter, & vocationi, ordini, officioque noſtro ſatisfaciamus.

Qui intus ſunt, fidei vnitatem conſeruent.

Qui ſubditi ſunt, iuxta Apoſtoli præceptum, cum omni reuerentia obediant præpoſitis ſuis, nec merita perſonarum, ſed officia ſacerdotũ conB ſiderantes, debitum illis honorem dependamus. Sed & illi quoque ſui officij memores, non indignos ſe exhibeant eo, quo perſunguntur, miniſterio: ſiquidem (quod vere dixit quidam) irreprehenſibiles eſſe omnino conuenit, quos neceſſe eſt præeſſe corrigendis. Talem quiſque gerat curam ſibi commiſsi gregis, tanquam dictricti ſsimo iudici de illis omnibus rationem redditurus, tanquam de cuius manibus requiretur, ſi quid fortè ex illis ſua culpa perierit. Breuiter obſeruemus quique ſuam ſtationem, ſuoque ordini & officio quique ſatisfaciamus.

Subditorum & præpoſitorum officia mutua.

Quod ſi fecerimus, ſentiemus quàm ſit bonum & iucundum habitare fratres in vnum, & derepẽte reſtitutam eccleſiæ ſuam faciem, ſuum decorem videbimus & lętabimur. Sin neglexerimus, timeamus notiſsima diuinæ indignationis vltionisque exempla in eos, qui conati ſunt tabernaculi vnitatem ſcindere, aut alienum ſibi in eo officium vſurpare. Tantopere Iſraeli indignatus eſt dominus, quod ſe diuiſiſſent à domo Dauid, & Hieroſolymis relictis (vbi erat vetus illa Moſaica cathedra) ſeceſsiſſent in Samariam, vt demolitus ſit eos, dederitque in direptionem, ac planè abiecerit à facie ſua.

Vnde expectandus eccleſiæ decor reformatio & vnitas.

Quibus miſſus homo dei, ad ſua ipſis ſcelera exprobrandum, imminentemque iam vltionem diuinam prædicẽdum, panem apud illos edere & aquam bibere districtè vetatus eſt, ad noſtram nimirum eruditionem, eo ipſo nos inſtruens diuina ſapientia, quantopere deteſtetur ſchiſmaticos. C Quod cum ille humanitatis quodam ſenſu, precibus videlicet illorum victus non cuſtodiſſet, inde regrediens in præuaricationis pœnam à leone diſcerptus eſt. Quin & in euãgelio, clariorem nobis intelligentiæ lucem aperiens, eoſdem illos ſchiſmaticos, velut gentiles & ethnicos habendos nos docuit. Nam miſsis primum in ſalutis miniſterium diſcipulis: In vias, inquit, gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini, ſed ite potius ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Si ire iuſsi ſunt ad oues perditas domus Iſrael, prohibiti autem ad Samaritas ingredi, clariſsimè vtique ſignificauit eoſdem ad domum Iſrael non pertinere: quamuis eſſet Iſraelis pars maxima, ſed cum gentibus connumerãdos, quæ ignorant deum: hoc ipſo nos docens, ſchiſmaticos cum infidelibus eodem apud ſe loco haberi, ne de fide ſua ſibi blãdiretur ſchiſmaticorum quiſpiam. Schiſmaticum D autem eſſe, quicunque recuſat ſubeſſe eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti, quicunq; ſecedit à principali cathedra, vt tunc Moſaica, ita nunc apoſtolica (ad quod nũc iſti velut claſsico omnes concitant) ſupra toties demonſtrauimus.

Schiſmaticus quis.

Quin & Dathan & Abiron, quos cũ ſuis omnibus dehiſcẽs ſub pedibus terra abſorbuit, viuosq; demiſit ad inferos, Chore quoq; cum ducẽtis quinquaginta viris, quos vindex cœleſtis flãma deuorauit, Saul itẽ à regio abiect⁹ honore, Ozias quoq; rex lepra percuſſus, notiſsima ſacræ exempla hiſtoriæ nobis documento ſunt, quantopere deteſtetur deus, qui ordinem tabernaculi à ſe cõſtitutum quoquo pacto inuertere, aut alienas ſibi in eo partes conantur inuadere.

Horrenda exempla diuinæ vltionis in eos, qui ordinẽ tabernaculi inuertere, aut alienas ſibi in eo partes inuadere conantur.

Quare vel timor tam horrendæ præſentisque vindictæ nos cohibeat ab excitandis ſubditorum aduerſus ſuos præpoſitos turbis ac ſeditionibus, concitandisque ſchiſmatibus. Quæ & aliam ſemper ſe nequiorem ſororem adducunt ſecum, nempe impietatem hæreticam, quæ ſorores ſunt peccatricis Hieruſalem, vt pulchrè in Ezechielem Origenes explicat. Aut enim incomitatum non venit ſchiſma, aut abſq; peiore ſe comite diu non ſubſiſtit. Vbi ſunt, inquit

Sorores peccatricis Hieruſalem ſchiſma & hæreſis.

quit

A quit ille, ſchiſmata, ibi hæreſes, ibi diſſenſiones: vbi autē virtus, ibi vnio, pax & concordia. Ad quā omnes nos perducere dignetur ipſe vnitatis paciſque autor & com C mendator, Chriſtus Opt. Max. cui honor & gloria.

ECCLESIASTICAE HIERARCHIAE LIBRI SEXTI ET VLTIMI FINIS.

RATIO COMPONENDORVM DISSIDIORVM, ET SARCIENDAE IN RELIGIONE CONCORDIAE, PER ALBERTVM PIGHIVM CAMPENSEM, DIVI IOANNIS VLTRAIECTEN. PRAEpoſitum, ab ipſo autore ſumma diligentia ſub mortem recognita.

STupenda res eſt, hæretici hominis pertinacia, cuius ingenium vt prodiderunt omnes omnium ſeculorum hæretici, ita noſtra tempeſtate
B qui hæc introduxerunt, quibus miſere diſcerpitur eccleſia, in religione diſsidia, non degenerare ſe à ſuis illis patribus ac progenitoribus demonſtrant, ſed eorum ſe produnt germanos filios. Quorſum hæc præfatio pertineat, mox Chriſtiane Lector intelliges. Legi Martini Buceri libellum, quo acta in Ratiſponenſi conuentu, pro ſarcienda in religione concordia explicat: nec legi ſine magno animi dolore. Non quod mihi nouū quid in eo, inopinatum, inexpectatúmue inciderit, ſed quod meam ab initio de illorum animo, quem gererent erga conciliandam eandem illam in religione cōcordiam, deque vniuerſo illorum tractatuum fructu & euētu, coniecturā diuinationemque (quam tamen optabam re ipſa redargui) palam euidenterque confirmarunt. Conabimur itaque huius mali, illiusque noſtræ diuinationis, quā ſubſequuta (proh dolor) comprobauit rei euidentia, cauſam rationemq; explicare, & demonſtrare, quę mihi videatur, & ſemper viſa ſit efficax ratio reparandæ conſeruandæq; in religione concordiæ. Vnde & cur ad eā acta tentataq; hactenus non profuerint admodū, imo contrarium magis effectū habuerint, non erit difficile intelligere. Nec minus, quam ille parum ſyncere acta illa Ratiſponenſia explicet, & inuidiam omnem minus cōciliatæ in religione concordiæ falſo in alios transferat. In quam ipſi vt hæc diſsidia pernicioſiſsima introduxerunt, ita non ceſſant, ſed obſtinatiſsimis animis adhuc pergunt ea diſſeminare & ſpargere latius. Verum vt eam rationem aliquanto
explicemus luculentius, paulo altius exor D
diendum eſt, & ante omnia ponendum ob oculos, quam ſit pernicioſum in religione diſsidium, quanto odio & execratione digni illius incentores hæretici. Quam notam, cum qui vere tales ſunt, nō tamen agnoſcant, ſed in alios transferant, velut in tabella quadam ſeu ſpeculo deinceps verā hæretici viuamque exprimemus imaginē, ad quam reſpicientes, & ſe & alios, quiſque ad quod genus pertineant, facile & certo dijudicare poterit. Poſtremo loco rationē indicabimus, qua & tolli introducta in religione diſsidia, & ſarciri, conſtitui conſeruarique poſsit concordia. Age igitur ad rem.

Quam ſit pernicioſum Chriſti eccleſiæ in religione diſſidium, quam peſtilentes & noxij eiuſmodi diſsidij ſuccentores hæretici, notius eſt, quam vt à nobis accurate adſtrui debeat, nec diſſitentur in his ipſis controuerſijs ac pugnis, quibus nunc miſere tumultuatur ac diſsidet Chriſtiana ſocietas, ipſi vtrinque aſſertores contra ſe pugnantium dogmatum. Nam cum ad ſocialem vitam ille omnium conditor hominem fecerit, qua ſine nemo, non ſolū ſuſficere ſibi, ſed nec ad vitam poſſet ingredi, nec vitæ portas ingreſſus, non mox reci-

A deret in interitum. Sit autem ſocietas mul
torum connexio quædã, atque in eundem
aliquem finem conſentiens conſpiransq;
vnitas, conſtat ſane aduerſiſsimam huma-
næ vitæ peſtem eſſe, qua neceſſaria illa ſo-
cietas ſoluitur, nempe diſsidium. Nam vt
illius ſunt ſoboles, pax & tranquillitas, &
mutua amicitia inter homines, bonorum-
ǵue omnium cumulus atq; abundãtia: ita
hoc diſsipat vniuerſa, & contra malorũ o-
mnium lernã inuehit, iura ſocietatis con-
uellit, exacerbatisq́ue in alterutrum diſsi-
dentium animis, mutuis odijs, eiuſdẽ cor-
poris membra in mutuam totiuſq́ue per-
niciem armat & concitat. Sed cũ non idem
ſit finis humanarum ſocietatum omnium:
vel enim ſuſtinendæ, propagandæq́ue hu-
manæ vitæ (quæ marem & fœminam, cæte
ramq́ue familiam in eandem domum con
ciliat) vel ciuilis communionis, & indi-
gentiæ mutuæ ſubleuandæ (quæ pagos,
caſtella, ciuitates, maioresq́ue ſocietates,
regna & imperia continet) vel deniq; reli
gionis, & quem ea hominibus proponit ac
promittit, finis, vitæ nẽpe illius futuræ, im
mortalis & beatiſsimæ aſſequendæ gratia.
Quãto ſocietas quęq; eſt maior & dignior,
maiũsq́; bonũ pro fine ſuæ conciliationis
B vnitatisq́; reſpicit, quanto deniq; eius vni-
tas eſt magis neceſſaria, tanto, quo eadẽ ſol
uitur, diſsidiũ, certum eſt eſſe perniciosi-
us. Non poteſt proinde non perniciosiſsi-
mũ & exitioſiſsimũ omnium eſſe in vera
religione diſsidiũ. Quando vt illa rerũ hu
manarũ omnium ſummam, maximeq́; ex-
petendã, nempe vitã immortalẽ ac beatam
pro fine reſpicit: ita hoc diſsipat ſocietatẽ
ſanctiſsimã & ampliſsimã. Qua ſicut nulla
eſt arctior, nec auguſtior (ab ipſo quippe
dei filio conſtituta inter homines) nec de-
niq; iucundior: ſic eius diſsidio nihil eſt,
non ſolũ pernciosius & calamitoſius, ſed
nec triſtius, nec acerbius. Nã ſi vera eſt pu-
blica ea ſententia, animorũ cõſenſum & ſi-
militudinẽ ſtudiorum, mutuam cõciliare
amicitiam (quã veriſsimam eſſe conſtat in
ijs ſtudijs, q̃ ſibi mutuo nõ obeſſe, ſed pro-
deſſe noſcuntur, & ex ſe mutuo fructũ am-
pliorem percipiunt) hoc certe indubita-
tum eſt, tanto efficaciorẽ illis vim eſſe con-
ciliandæ amicitiæ, quanto rei pręclarioris
ea ſunt ſtudia, quantoq́; veriorem animo-
rum cõſenſum ſimilitudinemq́ue pariũt,
quanto deniq; magis mutuo ſibi adiumen
to ſunt, vt quem ſpectant, fructum vberio-
rem capiant. Inter ea quę huius ſunt gene-
ris, cum primum merito locum obtineat
vera ſynceraq́ue religio, quæ quo eſt com C
munior, & dilatata in plures, eo in ſingu-
los eius fructus redundat vberior, ſitq́;, vt
dictum eſt, rerum humanarum longe præ-
ſtantiſsima omnium, & fortiſsimo inter ſe
nexu coniungat homines, conſequẽs ſane
eſt, vt nihil quoq; omnium arctiore iucun
dioreq́ue amicitia inter ſe conciliet homi-
nes, quam vera in religione cõcordia, vtq́;
è diuerſo nullum poſsit triſtius & acerbi-
us odium reperiri inter homines, quam q
ex religionis naſcitur diſsidio, quo eiuſdẽ
ante ſocietatis & coniugati religioſæ illius
amicitiæ vinculo, aduerſum ſe diſsidere
incipiunt. Quod cũ inſuper demonſtratũ
ſit, eſſe omnium exitioſiſsimum, & labefa-
ctare ſocietatẽ omnium ſanctiſsimã & am
pliſsimam, nec portionẽ tantum aliquam
hominũ, vt in ſolutis ſocietatibus alijs, ſed
omnes toto orbe homines, quã late ſe ex-
tendit religio, detrimento afficere, neque
in re qualibet leui, caduca, momentanea, &
alioqui interitura, quamuis mortali huic
vitæ aut neceſſaria aut admodum commo
da, quarum cauſa humanas inter ſe ſocie-
tates contrahere conſueuerunt homines,
ſed in ea, cuius vnius cauſa ſunt conditi ho
mines: nec pari, qua in ſocietatibus cæte-
ris, ſed efficaciſsima omnino ad nocen- D
dum pernicie atque efficacia, (In illis enim
ſuborto diſsidio ſi ſocietas ſoluitur, non
mox perit diuiſis à communi corpore id,
cuius cauſa conſtabat ſocietas: hanc vero
ſine certa pernicie & æterno interitu, ne-
mo deſerere poteſt. Ad hæc, facile ſerpit
admiſſa ſemel mali contagio, & viua Chri-
ſti membra depaſcitur, nec vllos penitius
afficit, quos non mox iugulet & interimat)
conſtat ſane, autores ſuccentoresq́ue diſsi
dij illiuſmodi, quanto odio, execratione &
ſupplicio digni ſint.

Et hactenus quidem, tam orthodoxo-
rum, qui religioſæ illius ſocietatis iura tu-
entur fideliter, quam hęreticorũ, qui in ea
diſsidij autores diſſeminatoresq́; ſunt, eſt
cõmunis ſententia. Sed quoniã æque hi, vt
illi, ſe contendunt orthodoxos & catholi-
cos, & vtrinq; in ſe mutuo deſertæ religio-
nis crimen regerunt, vtrinq; à ſe ſtare reli-
gioſæ ſocietatis conſenſum vnitatemq́ue
cõtendunt, quo quis eius ſocietatis cultor,
aut cõtra, deſertor euerſorq́; habẽdus ſit,
quiſq; certo intelligere poſsit, nobis ad la
borandum, explicareq́ue conandum eſt.

Qua in re, vt à certo quoque & vtrinque
confeſſo auſpicemur principio, hoc in pri-
mis extra controuerſiam eſt, religioſæ ſo-
cietatis

A cietatis vnitatẽ ante omnia requirere con-
ſenſum vnitatemq́ue ſynceræ orthodoxę-
q́ue fidei, quæ vt veræ religionis eſt caput
& principium, ita religioſæ ſocietatis ve-
lut baſis & fundamentum eſt. Quod ſi
eſt, conſtat ſane, ſocietatis eius deſertorem
eſſe, qui ab eius communi ſententia diſſen
tit in his, quę ſunt religionis & fidei, quem
hæreticum dicimus. Quemadmodum
& is, eiuſdem ſocietatis deſertor euerſor-
q́ue cenſendus eſt, qui in eandem aſſcri-
ptus, communibus eius legibus viuere, &
ſacris à Chriſto per apoſtolos apoſtolicoſ-
q́ue viros in eadem conſtitutis magiſtrati-
bus obedire contumaciter recuſat. Quan
to magis, ſi communes eius leges, quibus
vniuerſa viuit, & vixit hactenus, proſcin-
dit & lacerat: & aduerſus ſacros illos, qui-
bus regitur & gubernatur, magiſtratus
pluſquam hoſtile bellum ſuſcipit? Ho-
rum ſecundum, reſpicienti ad alia vni-
uerſa humanarum ſocietatum genera per
ſe euidens eſt. Aeque primum dubium
eſſe non ſinit certiſsimum illud, vnde i-
pſum deduximus, principium: nempe
fidem ſynceram, in his tamen, qui eius
capaces ſunt, religioſæ ſocietatis velut ba-
ſim & fundamentum eſſe. Et proinde pro
B eius deſertore habendum, qui in his, quæ
ſunt religionis & fidei, à communi eius diſ
ſentit ſententia. Quem vt nos hæreticum
dicimus, ita ante nos dixerunt atque intel
lexerunt orthodoxi patres noſtri omnes
ab eccleſię initio. In cuius pene incunabu
lis Adamãtius ille Origenes, ex communi,
quæ tunc erat, catholicæ eccleſiæ ſenten-
tia, veriſsime atq; appoſitiſſime ita nobis
definiuit hæreticum. Hæreticus, inquit, no
bis habendus eſt omnis ille, qui Chriſto
ſe credere profitetur, & aliud de veritate
Chriſtianæ fidei credit, quam habeat de-
finitio traditionis eccleſiaſticæ. Defini-
tionem intelligens traditionis eccleſiaſti-
cæ, conſenſum ſocietatis eccleſiaſticæ de
aliquo velut certo, firmiter tenendo, & de
quo dubitare non liceat. Hoc ipſum etiam
in huius tempeſtatis controuerſijs intelli-
gunt, nec diſsimulare poſſunt noſtri aduer
ſarij, & grauiſsime ferunt, quod à nobis di
catur eorum doctrina diſſentire à commu
ni conſenſu catholicæ eccleſiæ. Vnde & il
læ eorundem aduerſus Reuerendiſſimum
D. Gaſparum Contarenum apoſtolicæ ſe-
dis Legatum Ratiſponę criminationes o-
dioſiſsimę, quas etiam Bucerus in ſuo illo
libello non tacuit.

Dictam tamen hęretici hominis defini-
tionem, de eo tantum intelligendam exi- C
ſtimamus, qui ſciens eligensq́ue diſſentit à
communi eccleſiaſticæ ſocietatis ſenten-
tia. Sciens, inquam, eligensq́ue, quippe non
ignorans, quod ea, cui ante conſenſerat,
communis ſocietas contrarium ſentiat,
ſuo alicui prauo affectui indulgens, aut
gloriolam ex noua ſua inuentione captãs,
ſuiq́ue ingenij admirator atque oſtenta-
tor, ſcripturarum aliquot loca male detor
quet, in quibus ſuę impietatis latibula cõ-
ſtituit. Interim ſibi perſuadens, quod à ſo-
cietate illa, qua parte pia atque orthodoxa
eſt, non diſſentiat, vt cuius veritatem, vim
& efficaciam, quam illi ſacer ille ſpiritus
influit, in eis tantum, velut viuis eius mem
bris ſtare conſeruariq́ue imaginatur, qui i-
pſi conſentiunt, tametſi qui illi ſint, nullos
proferre poſsit, aut non, niſi quos vniuerſa
Chriſti eccleſia habuit pro deſertoribus
& hæreticis. Hinc illa noſtrorum aduerſa-
riorum commenta, ſubterfugia ac latibu-
la, quæ inducunt de inuiſibili illa ſua & no
bis incognita ſanctorum & prædeſtinato-
rum eccleſia. Ne cui mirum ſit, ſciẽtem eli
gentemq́; aliquem diſſentire à cõmuni ſo-
cietate eccleſiæ catholicæ in his, quæ ad
fidem religionemq́; pertinent, qui tamen
contendat à ſe ſtare eiuſdẽ conſenſum ec- D
cleſiæ. Ne denique mirum, quod hos velut
deploratos & plane incorrigibiles mox
poſt vnam atque alteram admonitionem,
per quam eos palã fiat eſſe tales, vitari mox
iubeat Apoſtolus, certo affirmans ſubuer-
ſos eſſe, qui ſint eiuſmodi. Cum magnæ il-
lius ſocietatis religioſæ atque eccleſiaſti-
cæ conſenſum, & publicam, qua eadem gu
bernatur, autoritatem pili non faciant. Ec
cleſiæ vero illius, ad quam prouocant, in-
uiſibilis nempe ſocietatis ſanctorum &
prædeſtinatorum, vt mortalium nulli cog-
nitæ, conſenſum per ſe demonſtrare ſit
impoſsibile. Scripturas denique torque-
re, & velut cereum quendam naſum fa-
cile ſequaces quouis trahere, non ſit diffi-
cile. Sublatum proinde eſt vniuerſum re-
ductionis eorundem principium, & omnis
præciſa ſpes eſt, quamdiu ea durat ſuper-
bi animi aduerſus eccleſiæ autoritatem ſe
efferentis contumacia, ſed ſubuerſos ſci-
to, inquit ille, qui ſunt eiuſmodi, & pro-
prio iudicio damnatos, quo ab ea ſocietate
recedunt, & vltro ſe diuidunt, in qua vna
ſalus eſt.

In quod certe ineluctabile damnatio-
nis barathrum, ſuperbia quadam nimis ar-
rogantis, ſibiq́; nimio plus fidẽtis ingenij,

A ſe,vt,dixi,præcipitant,dum inuēta ſua ad-
mirantur ac magni faciunt,atque illis cor-
roborandis,non veritati inquirendæ, to-
to animo intenti ſunt,vſque dum ita in eiſ-
dem ſe obfirmauerint,vt iā audeant(quod
ab initio non potuerunt) magnæ illius ſo-
cietatis communem ſententiam, cui & i-
pſi ante conſenſerant,veluti ſecuri cōtem-
nere, & firmiter aſſentiri ſuis illis propha-
nis adinuentionibus. Aduerſus quam ab i-
nitio quam difficulter ſeſe obfirmare po-
tuerint, quantumq́; cum ſua ipſorū intus
latrante & reclamante ipſis conſcientia,ex
illa cognita habuerint, habeantq́ue nego-
cij, Lutherus non diſsimulat, ſed pleriſq;
librorum ſuorum locis ingenue agnoſcit
& confitetur, & ſua ſibi cuiuſque conſci-
entia teſtis eſt.

Niſi ſi qui forte velut ethnici aliqui,aut
ab ipſis incunabulis prima religionis do-
gmata accipiant ab hæreticis. Attamen &
ij,quo diximus ſtudio, creſcente paulatim
animi pertinacia,in ſuis ita obfirmantur er
roribus,vt pro aſſerendis ijſdem etiā mor-
tem perſerre tandem non dubitent. Qui
conſummatus atq; vltimus diabolicæ hu-
ius pertinaciæ gradus eſt. Vt mirum non
ſit, etiam hæreſes, vt fidem orthodoxam
B & catholicā, ſuperſtitiones, vt religionem
veram pietatemq́ue,ſuos martyres habere.
Itaque quorſum vniuerſa hæc dicta ſunt,
vt ex præmiſsis conſtat, nullam eſſe pe-
ſtem Chriſti eccleſiæ peſtilentiorem hære
tico,itaqui ſint eiuſmodi,haud difficulter
agnoſcitur omnibus, qui hæretico illo fu-
rore excæcati plane non ſunt: ſiue ſyncere
orthodoxi illi ſint, & religioſæ ſocietatis
iura ac fœdera firmiter tueantur & ſeruēt:
ſiue nutabundi adhuc & vacillantes, ta-
men de gradu nondum deiecti, nondum
loco ceſſerint, nec transfugerint in caſtra
aduerſaria.

Præſentem eius mali vim & contagio-
nis perniciem etiam hinc licet vt intelli-
gas, quod cum Iudæis, quamuis Chri-
ſtianæ religioni inimiciſsimis,etiam ex le-
ge concedatur pacifica intra eiuſdē Chri-
ſtianæ religionis ſocietatem cohabitatio,
nec cęteros diuerſę à nobis religionis pro-
feſſores intra nos permittere interdictū
ſit.

Vnum hæreticum poſt vnam aut alte-
ram correptionem (ex quarum contem-
ptu primum cognoſcitur eius aduerſus ec
cleſiam ſe efferentis contumacia) velut
contagioſiſsimam peſtem nos vitare iu-
beat Apoſtolus. Nam cum hæreſes, philau
tiæ ac ſuperbiæ germen ſint,& ſibi iam fir C
miter perſuaſit hæreticus, ſententiā ſuam
certam orthodoxamq́; eſſe, pertinereq́ue
ad ſynceritatē fidei,à qua quiſquis diſſen-
tit, niſi ſimplicitate excuſatus, ipſi illi eſt
hæreticus, partim ſalutis, vt ſibi videtur,
proximi ſtudio, partim eodem illo, vnde
cœpit,ſuperbiæ ſpiritu, nihil conatur di-
ligentius ac ſtudioſius, quam vt ſuam et-
iam ſententiam,impietatemq́ue perſuade-
at atque inſtillet incautis ſub orthodoxæ
fidei Chriſtianæq́; religionis aut euangelij
Chriſti ſpecioſiſsimo titulo, vt abducant
diſcipulos poſt ſe. Quorum natiuum inge
nium paucis verbis,graphice tamen, idem
ille Paulus Apoſtolus deſcribit, Epheſijs
presbyteris loquens. Ex vobis ipſis, in-
quit,exurgēt viri loquētes peruerſa,vt ab-
ducant diſcipulos poſt ſe,quos lupos gra-
ues Chriſtiano gregi cōtinuo ante affirma
uit. Ex vobis,inquit,ipſis(Nam niſi ex no-
bis forent, hæretici non forent) exur-
gent, vt ſuperbæ mentis (quæ omnis
hæreſis originalis cauſa eſt) elationem
intelligas. Quorum perpetuum,ſed perni-
cioſiſsimum ſtudiū,& ob quod velut con-
tagioſiſsima & peſtilentiſsima peſtis quæ-
dam vitandi ſunt, ſubiungens: Exurgent,
inquit, viri loquentes peruerſa, docentes D
impietatem ſuam, atque inſtillantes alijs.
Loquentes, inquit, peruerſa.

Peruerſum in dogmatibus eſt, quod cū
probo rectoq́ue pugnat. Rectum vero,
quod à ſua regula non obliquat & exorbi-
tat. Regula vero illa,ea eſt,q̄ tam ſerio, cū
tanta interminatione nobis cōmendat A-
poſtolus,eccleſiaſtica,inquā,traditio,q̄ ab
apoſtolis acceptā ab initio,eccleſia velut p
manus ſuccedentiū ſibi patrū & epiſcopo
rum tranſmiſit ad nos,à qua quicquid diſ-
ſonat, peruerſum eſt. Quiſquis de aliquo ad
fidē religionemq́; Chriſti pertinente diſſo
nanter ab illa docet quippiā, is ille hæreti-
cus eſt,definiente Origine. Is eſt ex eorum
numero,quos Chriſtus pſeudoprophetas,
hoc eſt,falſos ſcripturarū interpretes deſi
gnat,docentes noua & ſingularia, faſtidi-
entes, imo impugnantes recepta,antiqua,
catholica:abducētes homines poſt ſe ab il
lo corpore,ad quod congregantur aquilæ,di-
cētes,ecce hic,ecce illic eſt Chriſtus. Is eſt
ex viris illis, de quibus hoc loco Apoſto-
lus,peruerſa loquentibus aut docentibus,
quos & anathema idē dicit, etiā quicunq;
tandem illi forent,etiāſi ex apoſtolis, imo
& angeli de cœlo forent. Si quis, inquit,e-
uangelizauerit vobis præter id,quod acce
piſtis,

A piſtis, etiamſi nos, etiamſi angelus de cœlo, id ſaceremus, anathema ſit.

Exurgent, inquit, viri loquentes peruerſa. Quo fine? vt abducant diſcipulos poſt ſe. Abducant. Vnde? A communi illa eccleſiaſticæ ſocietatis ſententia, quę perpetuo recta eſt, & illi ſibi traditę ab initio regulæ perpetuo conſonat. Inde primo ſegregant ſeipſos, quod beatus Iudas de ijſdem nos pręmonuit, vt ad eam velut facile conſpicuam notam attenti, haud difficulter internoſceremus, quibus cum nobis periculoſa eſt conuerſatio, quos velut rapaces lupos iubemur ſugere. Deinde etiam magno ſtudio inde conantur abducere & alios. Vt abducant, inquit, ſed quorſum inde, & quo? Eo ſane ſpectant, vt diſcipulos habeant, & ipſi velut magiſtri nominentur honorenturq; ab alijs, nominis & gloriæ captatores, vt abducant illos poſt ſe, & ſibi peculiariter addictos habeant. Quod ita agunt, vbi libere permittuntur agere, ita adnituntur enixe ac ſedulo, velut pro ſua ipſorú anima agerẽt.

Vt abducant, inquit, diſcipulos poſt ſe. Miſeram ſane, abiectam & vilem hanc ſeductorum conditionem audis, vt velut ſani iudicij inopes, & mente capti, relicto

C Chriſto atque eius eccleſia, ſe velut mancipia quædam tradant indigno alicui viliſsimoque homini, vt velut diſcipuli poſt magiſtrum aliquem ſequantur, hæreſiarcham aut hæreticum. Imbecillis, ſeruilis, atque adeo captiui ingenij res hæc eſt, ſequi poſt hominem quemcunque, præſertim ſi abducat à ſocietate illa magna catholicę eccleſiæ, & proinde à Chriſto, qui alibi ſruſtra quęritur. Vt vero Lutherum ſequatur quiſquam, illum agnoſcat magiſtrum, illius ſe profiteatur diſcipulum. Vt quiſquam, cui vel mica ſanę mentis ſupereſt, illi ſuam fidem addicat, illi ſalutem ſuam credat, vt generoſi ſpiritus quiſpiá Lutheranum ſe nominari ſuſtineat, omni prodigio prodigioſius mihi videtur. Tam enim illud inſanum eſt, vt non poſsit ipſa magis inſanire inſania: tam hoc abiectum, vile & indignum, vt me ſrequẽter pudeat meæ Germaniæ: nec verba inueniã, quibus indignitatẽ exprimam. Sed obiter in hæc, neſcio vt excurrit oratio, quæ vt retrahatur ad penſum. Conſtat ex prædictis, vt nullã eſſe Chriſti eccleſiæ peſtem magis noxiã hęretico, ita quis ille ſit, haud difficulter agnoſci, & ex eius notione, quá in apoſtolicis ſcripturis ſundatiſsimã, catholicæ eccleſiæ conſenſus ab initio ad nos traduxit & cõſeruauit: & ex natiuo eius ingenio, notis & ſructibus graphice ex- C
preſsis, tam à Chriſto, quam ab apoſtolis.

Sed quoniam rem per ſe claram obſcurant quidam præpoſtera diligentia, dum ſcrupuloſe nimis excutere volunt omnia, nec tamen in medio, atq; ante oculos poſitam, facile cõſpicuam veritatem inueniunt, nonnihil hic immorandum eſt.

Sunt qui inter deſertorẽ religioſę ſocietatis & hæreticũ, nouam quandã differentiam inducunt. Hęreticũ enim eum tantũ appellari volunt, qui impiæ doctrinę dogmatiſtes, diſſeminator propagatorq; eſt. Deſertorem vero, qui cõmunem quidẽ religioſæ ſocietatis ſententiã de his, quæ ad fidem religionemq; pertinent, obſtinate deſeruit, ſed impiæ ſuæ ſententiæ nondum diſſeminator eſt. Sed hanc differentiã, nec in diuinis ſcripturis, nec in vſu loquendi orthodoxorũ patrũ & eccleſiaſtico ſundatã inuenio. Quando hoc, deſertoris inquam, vocabulum, nuſquam in diuinis ſcripturis occurrat: illud vero, hæretici nempe, paſsim ſit obuium. Quo & ille ſignificatur, quem hi velut deſertorẽ diſtinguunt contra hæreticum. Neque enim doctrinatio, ſed fides erronea cum pertinacia, aut error in fide obſtinatus &
pertinax, ſacit hæreticum. D

Eſt quidem nonnulla inter hæc differentia, ſed qualis inter genus & ſpeciem. Omnis enim hæreticus, religioſæ ſocietatis deſertor eſt, ſed non omnis deſertor, hæreticus. Quando & ſchiſmaticus religioſam ſocietatem deſerit, & ab ea ſe diuidit, nec tamen obſtinate errat, aut impie ſentit de religioſis dogmatibus.

Iam & de pertinacia, quæ eſt hæretico propria, ſunt qui aliena admodum à re ſentiant: vt quam exiſtimant eſſe eiuſmodi quandam obfirmationem animi, & aſſenſus ſecuritatem firmitatemq;, quę & omnẽ excludat ſormidinem, & mortis quoq; patienter perſerendæ pro aſſerenda ſua illa ſententia promptitudinẽ inducat. Quam ſirmitatem aſſenſus & animi, etiam in fide orthodoxa, neceſſario exigunt, vt quam ſine illa ſubſiſtere non poſſe exiſtimant.

Sed nos vt fidei diuerſos gradus & profectus ex ſcripturis didicimus, & hanc quá iſti firmitatem animi in omni fide exigũt, eſſe velut conſummationẽ, & ſupremum gradú perſectiſsimæ fidei, ita & hæreticæ pertinaciæ. Cuius rationem propriam in eo conſiſtere intelligimus, vt quis iam communem eccleſiæ ſententiam, ſuæ aduerſantẽ, & publicá in eadẽ autoritatem, qua ſuá opinionẽ damnari intelligit, con-

A temnere non dubitet: etiamſi pro illa ſua aſſerenda ſententia nõ eſſet paratus mortẽ oppetere: etiamſi, non niſi reclamante conſcientia, nec ſine formidine de oppoſito, poſsit contemnere communem ſententiam eccleſiæ, atq; aſſentiri ſuæ illi aduerſariæ. Quin & qui dubitat de eo, de quo non ignorat, quid certo teneat communis eccleſiæ ſententia, ille pertinaciam habet, quæ eſt hæretico propria.

Illam vero aſſenſus, eam firmitatem ſecuritatemq́ue, quando reſpicit præſertim ad communem ipſi contradicentem ſententiam eccleſiæ, illam quoque animi obfirmationem, etiam aduerſuſs mortes cruces & ſupplicia, difficile aſſequtiur, etiam vt maxime velit & cupiat, hæreticus: ſed paulatim, & gradibus quibuſdã, vt creſcit contemptus & animi obſtinatio, ad eaſdẽ peruenit. Et eſt diabolica quædam ea animi obſtinatio, quę tandem inducit etiam moriendi pro ſententię ſuę aſſertione próptitudinem. Qualem è diuerſo pro aſſertione religioſorum orthodoxorumq́; dogmatum, nec omnes Chriſti fideles obtinent, qui tamen eius fidem obtinent, ſed eſt ille gradus quidã fortis, perſectæ conſummatæq́; fidei. Perſectiorum, non quo-

B rumlibet infirmiorum, ea eſt fidei firmitas: quę tamen magis ad animum, affectum, voluntatemq́ue, quam ad rationis aſſenſum pertinet. Cum ij, qui metu ſuppliciorum aut mortis fidem abnegant, reclamante id conſcientia faciant, & æque firmiter id credant verum, quod ore negant, ſicut antea. Radicatorum ergo in charitate dei, ea eſt firmitas animi, & magis charitatis quam fidei, vt aduerſum ſe diſtinguuntur, germen eſt: ſicut illa hæreticorum diabolica animi obſtinatio etiã aduerſus cruces & mortes obfirmans eorum animos, extremæ cuiuſdam malitiæ propago eſt, qua cum mendacio & morte velut fœdus pepigerunt. Nec iſta aſſenſus firmitas, aut animi obfirmatio, ante factum re ipſa periculum cadit ſub humanum iudicium, cum contra hęretici dinotio, facilis, certa, atque omnibus obuia eſſe debeat, ſi modo, quem vitare iubentur Chriſti fideles & diſcipuli, vt cognoſcant, aut certe vt facile cognoſcere poſsint, neceſſe eſt.

Notas certe habẽt ij haud obſcuras nec dubias, ſed certas & facile conſpicuas omnibus: eas nempe, quas ſupra audiſti, quod ſegregant ſeipſos à magna illa ſocietate eccleſiaſtica, cui ante incorporati cõſentienteſq́; fuerant: vt item ab eadem C abducãt & alios poſt ſe: abducant, inquã, à cõmuni ſententia magnæ illius religioſę ſocietatis in nouam aliquã ſuam adinuentionẽ & ſententiam, & eccleſiæ ſubtractos magiſterio, ſuos illos diſcipulos faciant. Quod qui faciunt, latere non poſſunt. Neque enim de inuiſibili atque intelligibili eccleſia aliqua, nempe ſocietate ſanctorũ & prędeſtinatorum tantum, ſed de magna illa domo eccleſiaſticæ ſocietatis per vniuerſum orbem diffuſæ nobis ſermo eſt: cuius etiam ad interitum præſciti, etiam actu peccatores, pars ſunt: niſi fruſtra in eadem ſit peccatorum remiſsio: niſi etiam inepte comparata ſit à Chriſto decem virginibus, quarum quinq; erant prudentes, & quinq; fatuæ. Non ſunt ergo peccatores & pręſciti tantũ in eccleſia, in hoc illo regno cœlorum & Chriſti, ſed ſunt etiam pars eccleſiæ: ſicut quinq; illæ fatuæ, pars ſunt earundẽ decem virginum. Integratur autẽ ea ex inſignibus & facile quoque conſpicuis partibus: nempe ex Romana cæteriſq́; per Italiã, Gallias, Hiſpanias, Germaniã, atq; alias Chriſtiani orbis prouincias, eccleſijs. Quarum omnium conſentientẽ ſententiam (ſi percurras per ſingulas) de vniuerſis pene, quæ nunc vo- D cantur in controuerſiam, ante Lutherum huius diſsidij autorem, cuiq; adeſt facile perſpicere: in ijs præſertim omnibus, de quibus etiã à populo explicita & diſtincta requiritur fides aliqua. In cæteris vero, quæ captum populi ſuperant, ad aquilarũ illarum congregationem conſenſumq́ue ſanctorum patrum, orthodoxorumq́; per orbem epiſcoporum, Chriſtus nos reuocat: vt quos nunquam ſeparari ab illo corpore catholicæ eccleſiæ, ſed illi conſentire perpetuo, congregariq́; ad idem ipſum, affirmat. Vbi enim eſt corpus, illuc, inquit, congregantur & aquilæ.

Hæ ergo ſunt vere germanæ, certæ, atque omnibus facile conſpicuæ notæ hęretici, ſeductoris videlicet, & in religione incẽtoris diſsidij. Et quia ſeducti, quibus præſertim non eſt ignorata communis, cui aduerſantur, eccleſiæ ſententia, pari ſorte cenſentur cum ſeductoribus, quamuis hos grauius ſupplicium maneat: non eſt difficile fideli cuique dinoſcere hæreticum, quem iubetur fugere: nec denique ab eius ſe noxa & contagione ſeruare: nempe ſi illis aures obturans, iuxta fidele Chriſti conſilium, in ouili eiuſdem fideliter ſe contineat. Si dixerint, inquit, vobis, ecce hic

A ce hic eſt Chriſtus, ecce illic: nolite credere, nolite exire.

Ex eodem principio, ſua, inquam, illa, hinc de firmitate aſsẽſus fidei, inde de hæretica pertinacia, & animi obfirmatione ſententia procedentes, ex Chriſti regno aut eccleſia maiorem partem excludunt Chriſti fidelium. Nam cum imaginentur aſſenſum fidei eam firmitatem requirere, vt pro aſſertione credendorum, fidem habens non dubitaret mortem oppetere, quiſquis eam animi conſtantiam non habet, tãetſi plene aſſentiatur omnibus, quę ad fidem religionemq́ue pertinent, is illis vere fidelis nõ eſt, ſed inter vacillantes deputatur. Quod ſi eſt, in arctum nimis fidei coarctata eſt ratio, cum paucorum admodum ſit ea animi fortitudo & conſtantia, oppetendæque mortis pro confeſsione aſſertioneque veritatis fidei vera promptitudo, virorum nempe perfectorum & fortium: præter quos tamen etiam paruulos ſuos habet Chriſti eccleſia, habet & imbecilles, infirmoſq́ue ſuos, habet quoque & tardos vecordeſq́ue quoſdam, habet denique etiam ſanos in fide, quibus tamen nõ adeſt ea animi fortitudo & conſtantia, oppetendæque mortis vera promptitudo C pro confeſsione aſſertioneq́ue veritatis fidei.

Sed errant illi, quod firmitatem hanc animi, fortitudinem & conſtantiam, cum firmitate, ſecuritate, aut certitudine aſſenſus confundunt, cum toto hæc genere differant, hac quippe ad rationẽ, illa proprie pertinẽte ad animũ. Aſſentimur alicui certo ac firmiter, hoc eſt, abſq; vlla hęſitatione ac formidine, vel propter euidentiam eius in ſe, ſeu ad rationem, ſeu ad ſenſum noſtrum, vel propter affirmantis autoritatem, fidemq́ue certam & indubiam.

Aſſertis à deo, certo, firmiter & ſecure aſſentimur & credimus, quod primam illam, æternam, incommutabilemq; veritatem mentiri non poſſe, nobis certo perſuaſum eſt. Sunt quoq;, quæ aſſerta ab hominibus, firmiter, ſecure, & abſq; vlla hęſitatione credimus, tametſi nec ad rationem, nec ad ſenſum noſtrum, ſui euidentiam faciant. Ea videlicet, quæ ſunt eiuſmodi, vt multis neceſſario ſui euidentiam aut ingerant, aut ingeſſerint, quibus multis, diuerſis, grauibus, & fide dignis conſono ad nos perferuntur teſtimonio. Ita qui nunquam viderunt Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Conſtantinopolim, Venetias, Pariſios, firmiter tamen aſſentiuntur eſſe C has ipſas vrbes & prouincias. Ad hoc genus pertinent, quæ ante nos geſta multis retro ſeculis, conſono tamen inde ſuccedentium ſibi ſeculorum & ſcriptorũ publico teſtimonio, velut per manus ad nos perferuntur. Ita Curios, Fabios, Scipiones, Catones, floruiſſe non dubitamus in illa quondam Romana Republica. Ita quoque Pompeij & Cæſaris in eadem Republica pernicioſa diſsidia. Ita & cætera, quæ de Cicerone, Catilina, Antonio, Auguſto, cæteriſq́ue, quæ certæ, tot ſeculorum inde ab ipſa re geſta, ab ipſis tunc viuentibus ſibi continuo ſuccedentiũ conſono teſtimonio probatæ hiſtoriæ ad nos perduxerunt, firmiter, certo, & abſque vlla hæſitatione aut formidine credimus. Cæteris vero, quæ nec ſui euidentiam nobis ingerunt, nec tali autoritate & indubitati teſtimonij fide nobis commendantur, ſed vel ratione probabili perſuadentur, vel affirmantur teſtimonio quorundam hominum, quos ſingulos non dubitamus & falli potuiſſe & fallere, non aſſentimur cum firmitate eiuſmodi ac ſecuritate, quæ omnem prorſus excludat formidinem. Quę ad Chriſtianam fidem religionemq́; proprie pertinent, nec ad ſenſum, nec ad rationem noſtram ſui ipſorum euidentiam ingerunt, nec etiam ratione probabili nobis perſuaderi poſſunt, ſed nec vllo humano teſtimonio, cum humanum omnem prorſus captum ſuperẽt. D Quare vt eidem plane aſſentiamur per omnia, neceſſe vt nobis perſuaſum & certum ſit, ea nobis affirmari diuino oraculo: à deo ipſo, ab ęterna ipſa veritate, quę nec falli poſsit nec fallere. Quæ vero eiuſmodi ea ſint, hoc eſt, reuelata, affirmata, comprobataq́ue diuinitus, teſtificanti hoc ipſum eccleſiæ credimus, quæ geſtorum (ex quibus id certo conſtat) fidem indubiam ab ipſis geſtis, ipſis inter quos agebantur, pręſentibus & viuentibus, inde continuo ſuccedentium ſibi ſeculorum & patrum conſono ex toto orbe teſtimonio, etiam confirmato eorundem ſanguine, irrefragabili autoritate perduxit ad nos.

Certo ergo & firmiter vt aſſentiamur his, quæ ad fidem religionemq́ue pertinent, neceſſe eſt, ſi modo fidem habuerimus, vt quæ eſſe non poteſt, niſi ex illis, quæ diximus, certis principijs. Certitudo tamen hæc aſſenſus & firmitas ſuos profectus & gradus habet, ſecundum quos etiã fides noſtra creſcit & proficit.

Itaque

A Itaque, vt diximus, etiam ſuos paruulos habet Chriſti ecclelia, habet & imbecilles infirmoſque, tardos quoque & vecordes quoſdam, quemadmodum & ſanos habet, & viros etiam perſectos.

Paruuli in Chriſto ſunt, qui in vniuerſum credunt quidem Chriſto, ſed affectu aliquo præpediente, vt de omnibus, quæ ad veritatem fidei religioniſq́; pertinent, informentur, non ſunt idonei, & proinde velut paruuli ſub ignorantiæ tenebris adhuc laborant, nec ſolido cibo ferēdo ſunt. De quibus Apoſtolus: Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis. Quare? Adhuc enim carnales eſtis. Vides, vt prauus aliquis carnaliſque affectus, paruulos ſaciat, atque incapaces veritatis ſolidę. Proinde & hi facile fluctuant, & circumferuntur omni vento doctrinæ aduerſariæ. Vt iam non ſimus, inquit, paruuli fluctuaotes, & circumferamur omni vento doctrinæ.

Infirmi atque imbecilles, ſunt nutantes & ſormidoloſi, non ratiooe, ſed animo: vt quibus illa deeſt animi firmitas, qua Deo, ipſi, inquam, veritati, ſecure firmiterq́; ac prorſus nitantur & inhæreant.
B Quales erant Apoſtoli, cum illis diceret: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Quales & Petrus, cum ſuper vndas ambulans, & aduerſus extollentes ſe fluctus nō ſatis intrepidus, cum dubitatione ipſa mergi incipiens, audiuit à Chriſto: Modicę fidei, quare dubitaſti? Hæc, inquam, dubitatio ac nutatio, ad animum, non ad rationem pertinet. Nam quæ ad rationem, aut credendorum aſſenſum dubietas pertinet, niſi ex illa, quam paruulorum diximus, ignorantia procedat, fidem excludit, & a religioſa ſocietate, cuius fides baſis eſt & prima connexio, alienum demonſtrat: modo de eo ſit, quod eccleſiaſtica definitione, ad veritatem religionis & fidei pertinere, iamdudum certum eſt. De cęteris enim vtique dubitare licere, & in vtranq; partem inquirere, indubitatum eſt. Proinde affectus atq; animi magis, quam aſſenſus rationis, hæc eſt infirmitas. A paruulis tamen eatenus hi promouerunt, quod illi adhuc laborant ſub ignorantiæ tenebris. Omnis enim, inquit ille, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonum iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Infirmo non deeſt credendorum, nec cognitio, nec aſſenſus, certitudo & ſecuritas, ſed animi diuinę veritati non ſatis fortiter innitentis firmitas, velut tardos vecordeſq́; ipſo reſurrectionis ſuæ C
die Chriſtus apud Lucā arguit itinerantes diſcipulos, Cleopham & comitē, eo quod ſcripturas, quamuis apertas, non recte intelligerent. O ſtulti, inquit, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti ſunt prophetæ. Credebant illi quidem diuinis ſcripturis in vniuerſum, & firmiſsime credebant, quicquid in eis affirmaret diuinus ſpiritus: ſed laborabant, aut potius errabant, in vera germanaq́; earundem intelligentia. Proinde non vt ſcripturis crederēt, adhortabatur eos Chriſtus, ſed veram earundem intelligentiam eis aperiebat. Et incipieos, inquit, à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quę de ipſo erant. Itaque vecordia & tarditas iſta ſanę fidei non aduerſatur, tametſi vt vniuerſa, quę ad fidei veritatem pertinent, recte intelligantur, impedimento ſit. Et rationis hæc eſt, oon affectus aut aoimi vitium. Sanus in fide eſt, qui certo credit omnia, nec in vllo verbo ſcandalizatur. Perſectus vero, qui etiam vt aliorū ſit inſtructor & magiſter, eſt idoneus. Super hos omnes eſt ille robuſtus & fortis in fide, qui pro eius cooſeſsione atq; aſſertione etiam mori paratus eſt.

Nutantium autem atque vacillantium D
inter orthodoxos & hęreticos medius quidam eſt gradus, & velut ad hos ab illis quidam tranſitus. Quorū tamen nonnulli aſſentiuntur quidē adhuc religioſis dogmatibus, ſed cum nonnulla formidine, nonnihil impacti hæreticorum (quibus aures præbuerunt) rationibus in contrarium. Nonnulli eorum, in quos grauius incubuit tempeſtas hæretica, plus impacti, commoti, & velut moti loco, nec aſſentiuntur iam, nec diſſentiunt, ſed plane dubitant. Quorum vtrique continentur adhuc iotra caulas eccleſiæ, ſi nondum adſit ea pertinacia, qua contemnitur eccleſiaſticæ ſocietatis, & publicæ in eadem autoritatis ſententia.

Vt igitur ad parunlos in Chriſto, ad infirmos & imbecilles, ad tardos quoque & vecordes, ita etiam ad nutantes hos extendere ſe debet Chriſtianæ cura ſollicitudinis, ſi modo fratri ægrotans frater, aut parenti filius valetudinarius, curæ eſt, pręſertim cum illi omnes ad veritatem adhuc ſe dociles, attentos & beneuolos pręſtent.

At hæretici, & in ſua ſententia pertinacis hominis, deſperata eſt correctio, & ad ſanam mentem reductio. Cum enim communem eccleſiæ, & publicæ in ea autoritatis

A toritatis ſententiam nullius faciat, nec rationibus demonſtrari conuincique poſsit veritas fidei, & ſcripturas non ſit difficile quocunq; torquere, & ad quem quis velit ſenſum, inflectere, quas nec orthodoxi omnes ſimiliter intelligunt: quodnam tibi reſtat eius reducendi, & veritatis fidei illi perſuadendę principium? quid cum iſtoc homine facias? præſertim ſi inſuper obfirmato animo ſecure, & abſque formidine de oppoſito aſſentiatur ſuæ illi ſententiæ.

Male proinde de eccleſia meriti ſunt, qui publicas cũ hoc hominum genere diſputationes conſtituerunt. Nam præterquam quod nulla ex illis ſperari potuerit vtilitas, auditores fere in ambiguitatem trahunt: vacillãtes conuellunt, impingũt, & in ruinam agunt præcipites. Cum enim rationum euidentia peragi nõ poſsint diſputationes eiuſmodi, nec illi eccleſię conſenſum autoritatemq; alicuius faciant, ex ſcripturis etiam glorioſos triumphos iactare non ceſſent, nec vllius ſe ſubmittãt autoritati & iudicio, quid inde reportent auditores non optime ad veritatem affecti, neque firmiter ſatis inhærentes illi ſacræ ancoræ, haud obſcurum eſt.

B Quo igitur pacto cum hoc hominũ genere aut agendum aut congrediendũ eſt? Qua ratione componenda per hos introducta diſsidia? Vt ſarta concordia prouidendum, quo ea ſtabilis, firma, perpetuaque permaneat? Vt illis occurrendum, quo minimum nocere poſsint, ſatoribus impietatis hęreticæ? Hęc enim adhuc inquirenda reſtant, quę & paucis pro noſtro modulo explicare conabimur.

In primis hoc fere omnibus, vt corporis, ita animi morbis commune eſt, vt niſi commode tractentur, & cum ratione atque ex artis vera methodo, plus medendo obſueris, quam profueris, & ſæpe ægrotum interimas, quẽ permiſſa ſibi vis morbi interemptura non fuerat.

Quare non eſt permittendum quibuſlibet, cum religionis deſertoribus, nouatoribus, hæreticis, aut etiam vacillantibus, ſeu verbo, ſeu ſcripto congredi. Quando patroni, ſeu imperitia, ſeu præuaricatio, ab imperitis iudicibus (qualis fere auditorum & lectorum vulgus eſt) cauſæ ipſi imputari ſolet: nec aliud hi aut ſcribẽdo aut diſputando proficiunt, quam vt orthodoxos ſimplices, de certis, ſed male aſſertis, ambigere faciãt. Ex ambigẽtibus vero deſertores & hæreticos: ex hæreticis magis obſtinate hæreticos. Cuius ratio in præſenC ti religionis diſsidio cum habita ſatis non fuerit, nihil mirum eſt, ſi vim mali non extinctam, ſed potius auctam, multorum importuno ſtudio cernamus.

Deinde etiam hoc animaduertendũ eſt, eſſe pleraque mala, quæ ſi ad viuum tangas, exacerbaueris quam ſanaueris magis, vnde & nonnulla eorum nomenclaturam ſortita ſunt. Quibus qui vtiliter mederi voluerit, præcipue ſtudet detrahendę cauſæ, vnde illa pendent, exiccandoq; fonti, vnde noxius ille riuus membra depaſcens ſcaturit: quo ſublato, quod membris influxum, nullam ante curam admittebat, ſed magis irritabat ab adhito omni pharmaco, iam tum, ſi modo tractetur commode, etiam curabile factum eſt.

Ad hoc genus inter animi morbos hæreſes præcipue omnium pertinere, ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Quas dũ ex philautia & ſuperbia quadam arrogantis, & ſibi nimium indulgentis placentiſq; ingenij, & eccleſię autoritati nõ ſatis deferentis dependere certum eſt, illi detrahendę ante omnia neceſſario incumbendum eſt.

Quæ etiam ratio docet publicas cum id genus hominibus congreſſus diſputationeſq; omnes, etiam pernicioſos eſſe, nonD ſolũ inutiles: ſi nihil aliud quam cõuerſionẽ ſpectes. Nam cum publicæ diſceptationes iſtiuſmodi, vtrinq; glorię ſtudiũ fere coniunctũ habeant, adaugent potius, quã minuant cauſam morbi alioqui pene incurabilis.

Diſtinguendum proinde eſt, quorſum ſpectet congreſſus tuus cum hęretico. Vel enim ſtudes illum lucrari & conuertere, vel vt deſperata ob pertinaciam, ita neglecta quoq; eius ſalute, traducere ſtudes falſitatẽ atq; abſurditatem dogmatis. Idque vel ſub delectis ex ſponſione aut prouocatione iudicibus aut arbitris, vel coram auditorio frequenti, in quo multi ſint ſeducti deceptique ab hæreticis, ad quorum conuerſionem reſpicimus, & ad ſcopum, quem ex congreſſu eiuſmodi præſtituerimus, dirigenda quoq; nobis vniuerſa noſtræ & actionis & orationis ratio.

Si ad conuerſionem eius, quo cum agere inſtituerimus, noſtra dirigatur ſpes & intentio, captanda nobis erit priuati abſque arbitris colloquij, velut ex amore & beneuolentia, & inquirendę veritatis ſtudio, opportunitas. Ante omnia vero detrahendæ cauſæ hæreticæ, quam diximus, pertinaciæ, remis veliſq;, quod dicitur, incumben-

A curbendum eſt: ponendumq́ue ob oculos, primum in vniuerſum, humani ingenij permiſsi ſibi quanta ſit imbecillitas, quam multis ſit erroribus obnoxium, etiã in his, quæ comprehendi poſſunt humana ratione & ingenio: multo magis in his, quę ad Chriſti fidem religionemq; pertinent, quorum nullum ſua vi poſsit comprehendere, ſed vni diuinæ veritati ea affirmanti ſimpliciter innitatur, oportet: quam tamen non aliter, quam aut ſcripturarum eccleſię teſtimonio nobis commendatarum, aut eiuſdem illius ipſius eccleſiæ voce audiat aut intelligat. Ad hæc, eſſe ſcripturas multis locis obſcuras, intellectu, & multiplices, & difficiles: vt quis in eis germanus ſenſus diuini ſpiritus intelligi oporteat, niſi ad communem eccleſiæ ſententiam intelligentiamq; reſpicias, ſed tuo ſenſui innitaris, toto ſæpe cœlo aberraueris, & turpiter hallucinatus fueris. Inculcanda modis omnibus communis ſententia catholicæ per orbem eccleſiæ, & publicæ in eadem autoritatis certa atque infallibilis autoritas. Vtq; ad hanc non ſatis attenti, omnibus ſeculis, quotquot ab initio fuerunt hęretici, dum ſuo magis quam communi eccleſiæ ſenſu, de dogmatibus qui-
B buſdam ſcripturas intelligere maluerunt, pernicioſiſsimorum in religione diſsidiorum autores incentoreſq́ue fuerint. Reuocandi pręterea ipſis ad mentem ſui ipſorum, aut quorum autoritatem ſequuntur, magiſtrorum, euidentes planeq́ue palpabiles lapſus, ponendiq́ue ob oculos ſunt: præſertim ſi quos ipſimet deprehendentes, recãtarunt poſtea: vt ex illis ipſis, qđ & in cæteris, in quibus à communi ſententia religioſę ſocietatis per orbẽ diffuſę diſſentiunt, errare poſsint, certo intelligant, & ſingularitatem opinionis ſuæ ſuſpectam habeant. Qua in re vt ex noſtri huius ſeculi calamitatibus proferamus vnum exemplum atque alterum.

Vniuerſę iſtius nouę doctrinæ, quę pernicioſiſsimum hoc, quod cernimus, diſsidium inuexit in eccleſiam, autor Martinus, velut primarium quoddam eius dogma, docuit ab initio, vniuerſa nobis abſoluta atque ineuitabili neceſsitate accidere. Non ſolum bona in pijs, ſed etiam mala opera operari deum in impijs. Agi homines, & non agere in his, quæ videntur agere, qualiacunque ea, ſeu bona, ſeu mala ſint. Nihil prorſus omnium eſſe liberæ noſtræ facultatis ac arbitrij, ſed diuinę tantum in nobis & per nos operationis inſtrumenta quædam nos eſſe. Hęc, vt dixi, C ab initio ille inter ſuos magno applauſu, magna confidentia docuit. Hæc eadẽ Philippus, & cæteri eiuſdem doctrinæ aſſertores, præcones & antiſtites, libris editis inculcarunt, qui adhuc paſsim leguntur, & ſunt in manibus omnium. Quę cum tam ſint abſurda, tam impia, tam in deum blaſphema, & totius ab ipſo orbis initio, mortalium omnium communi ſenſui & conſenſui aduerſaria, vt nulla eſſe poſsint magis, quemadmodum capite I. libri II. eorum, quos de immenſa & æqua dei bonitate erga humanum genus vniuerſum demonſtrauimus, ijdem illi ipſi ad tam euidentem, & inuitis etiam ſe ingerentem falſitatem eius dogmatis vltra claudere non valentes oculos, idem illud ipſum, cui primarium ante locum dederant in ſuo illo, quod iactant, euangelio, quod tam aſſeruerunt fortiter & pertinaciter, vt de eo ita inſultarent cõtra ſentienti catholicæ, quę Romani pontificis autoritatem agnoſcit & ſequitur, eccleſiæ, vt excæcatos ignoranteſq́ue omnes dicerent tradidiſſe ſe in hæreſim omnium impijſsimam: idem, inquã, illud ipſum dogma recantarunt poſtea. Ita quoque & Bucerus, & Gryneus, &
D Capito, & Caluinus, & alij plerique eiuſdem doctrinæ dogmatiſtæ præcipui, cum paulo ante, Oecolampadij, Zuinglij, Sacramentariorumq́ue ſectarentur & docerent impietatem & inſaniam, negarentq; veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia, poſt intelligentes conſona ab initio orthodoxorum omnium ſe damnari ſententia, ſuam quoq; recantarunt ſententiam.

His ſimilibuſq́ue exemplis, & ipſi admonendi ſunt ſe homines eſſe, & grauiſsimis erroribus ſubditos: vtq́ue & in cæteris diſcant ſuſpectam habere ſuam ipſorum ſententiam, quoties in aliquo eorum, quæ ad Chriſti fidem religionemq; pertinent, à communi eccleſiæ ſententia diſſentimus. Nec minus diligenter admonendi ſectatores eorundem, ſi cum illis tantum, iiſq́ue ſimplicioribus atque indoctioribus, non vero cum ducibus ipſis aut dogmatiſtis, nobis res fuerit, non ſolum nunc dictorum omnium, ſed inſuper, vt prudenter attendant, qualis ſit vita eorũ, quos duces & magiſtros ſequuntur: quis doctrinæ conſenſus, quæ conſtantia, quę & in ſcribendo, & in loquendo modeſtia. Ita enim facile intelligent, quam periculoſe ſuam fidem, atque adeo ſalutem, talibus

A bus addicant hominibus,quos ex ſua ipſo-
rum conſeſsione palam eſt,tã fœde ac tur-
piter hallucinatos in tam grauibus atque
adeo principalibus,tam certis noſtræ reli
gionis dogmatibus: quos cõſtat vitam pla-
ne carnalem viuere:quorum ſermo tam eſt
alienus à Chriſtiana modeſtia,quam à ſa-
thana diuerſus Chriſti ſpiritus. Quanto-
queſit tutius ſequi,non nos, ſed eoſdem il
los, quos nos ſequimur, orthodoxos per
orbem omnibus ante nos ſeculis, ſanctos
illos patres noſtros, & communem ec-
cleſiaſticæ ſocietatis ſententiam, quæ v-
na eademq́ue permanſit ab initio. Idem
ſemper credidit communis per orbem ec-
cleſia ab initio, de libero hominis arbi-
trio: (vt in propoſitis paulo ante exem-
plis permaneam) idem de veritate corpo-
ris & ſanguinis Chriſti in euchariſtia: i-
dem denique de omnibus (vt dicam in v-
niuerſum) quæ credidit, cum naſceretur
Lutherus: quæ & ipſe, & nos accepimus à
patribus noſtris: quæ didicimus in ec-
cleſia,atque vna,conſonanterq́ue credidi-
mus.

In hunc modum ſi hæretici illius mor-
bi cauſam,illam nempe philautiam, & ar-
rogantis ingenij, ſibiq́ue nimium indul-
B gentis, & minus æquo tribuentis eccleſiæ
autoritati ſuperbiam minuerimus ac de-
traxerimus, ſi ſuam ipſi ſententiam ſingu-
larem ſuſpectam fecerimus,quoties diſſen
tit à communi eccleſiaſticæ ſocietatis ſen-
tentia, ſi huius quoq; conſtantiam, firmi-
tatem,&ad ſcripturas conſonantiam per-
petuam demonſtrauerimus in propoſitis
exemplis aliquot,in quibus ijdem illi ipſi
à ſeipſis diſſenſiſſe,in confeſſo eſt. In hunc,
inquam,modum ſi dociles illos, attentos,
beneuolosq́; ad veritatem reddiderimus,
iam tum proderit propoſiti controuerſi-
q́ue adhuc dogmatis cuiuſpiam ad ſa-
cras literas conſonantiam, qua id fieri
poſsit luculentia, diligenter demonſtra-
re.

Deinde, vt in eandem nobiſcum ſen-
tentiam orthodoxi toto orbe omnibus
ſeculis ab initio ad nos epiſcopi, eccleſia-
rum rectores, doctoresque conſenſerint,
eandemq́ue ſibi commiſſas eccleſias do-
cuerint: id quod per ſingulas pene huius
tempeſtatis controuerſias demonſtrare nõ
eſt difficile, & à nobis abunde per ſingu-
las demonſtratum eſt. Oſtendendum quo-
que ijſdem, vt ſcripturarum, quibus præ-
cipue nituntur,locos, non germane intel-
ligant, ſed torqueantur ad alienam ſen-
tentiam:quod ex circunſtantibus in pleriſ- C
que eſt facilimum atque euidentiſsimum:
certe, quam longe aliter, quam ipſi, eoſ-
dem illos locos orthodoxi ſanctiq́ue ante
nos, patres noſtri & doctores eruditiſsi-
mi intellexerint. Quę vniuerſa quibus non
profuerint, nõ video nobis erga illos quid
ſuperſit remedij. Niſi forte ad illud tum
confugiendum ſit, quod vnum efficax eij-
ciendo cuidam generi dęmoniorum Chri
ſtus doc..., nempe ad orationem & ieiuni-
um. Et hoc quidem modo erga hęreticos
conuenit eccleſiarum paſtores agere, ſiue
illi, vt dixi, dogmatiſtæ, ſiue ſectatores &
diſcipuli fuerint.

Sectatorum tamen non eſt par conditio
omnium. Sunt enim quidam ex erudito-
rum, quidam ex nobilium & optimatum
ordine. In populo ac turba connumeran-
tur reliqui. Singulis autem ſibi accom-
moda, & magis congruens eſt adhibenda
curatio. Eruditi ab eruditis, doctis, & ef-
ficaciter ſtringentibus rationibus capiun-
tur magis. Apud nobiles & magnates, ſi
quis grauis ex eorum ordine, autoritate
inter ipſos præeminens, & quem omnes
merito maximi faciunt, ex communi vti-
litate & republica ductis rationibus, ex
maiorum quoque virtute, dignitate & glo D
ria, à quorum nunc fide, & totius per or-
bem eccleſię ſententia deſciſcitur: & con-
tra, ex indignitate & vilitate eorum, quos
nunc magiſtros ſequuntur, quibus fidem
& ſalutem ſuam addixerunt, hominũ pla-
ne carnaliũ, quos ex propria ipſorum con-
feſsione conſtat in rebus maximis & gra-
uiſsimis, grauiſsimis quoque & palpabili-
bus erroribus obnoxios. Quibus ſecure
ſe credere in rebus tantis, vt viris talibus,
cordatis, & prudentibus indignum eſt, ita
minime tutum diſcedere à cõmuni ſenten
tia totius per orbẽ eccleſiæ, præſertim cũ
& apud ethnicos, & Romanos illos, quam-
uis ſuperſtitionis & falſæ religionis culto-
res, viros tamen prudentes & cordatiſsi-
mos, hoc religioſiſsime obſeruatum ſit,
vt in nulla quæſtione aut dubitatione, quæ
religionem deorum, aut numinis cultum
concerneret, quiſquam priuatim aliquid
ſaperet, aut præter publicum conſenſum
communemq́ue ſententiã noui quicquam
inueheret, ſed ad Pontifices, religioſi illi-
us cultus adminiſtros & antiſtites, eiuſmo-
di vniuerſa ſemper relata ſunt. Quorum
reſponſa decretaq; religioſe ſequuti ſunt
omnes, & magiſtratus, & priuati, & ſena-
tus, & populus. Hoc vnum nimirum ea

A in re ſapienter perpendentes, recteq́; perſuaſi, diuinitatem atq; eius cultum, humanæ rationis vim captumq́ue excedere. Proinde vt in vera religione non ab hominibus cōmenta, ſed diuinitus reuelata, præter publicam religioſæ ſocietatis ſententiam & autoritatem religionis antiſtitum, quos ipſe nobis Chriſtus conſtituit, priuatim nobis arrogemus quicquam, multo minus conuenit, cum per hoc neceſſario ſolueretur, nec conſtare inter nos poſſet religionis vnitas. Quæ quanta pernicie totius religioſæ ſocietatis ſoluatur, ſupra à nobis euidenter demonſtratum eſt. His, inquam, ſimilibusq́; rationibus, ſi is ille cū dexteritate quadam ac beneuolentia eos ſæpe & priuatim & publice commonefaciat, plurimum ſane id momenti obtenturum foret.

Ad plebeos ſi peruaſit error, plebeis quoq;, ſed aptis concionibus paulatim ille extirpandus eſt. Non equidem aperto Marte, ſed diſsimulanter ac per inſinuationē, velut per cuniculos. Ita enim facilius efficaciusq́;, & eos, qui capti non ſunt, præmunieris, & eos, qui errore infecti ſunt, velut incautos ex improuiſo adortus reduxeris. Vbi ſi agas aperto Marte, aduerſus verita-
B tem ſeſe colliget, & obfirmabit natiuum eius mali ingenium, & noui dogmatis retinendi libido.

Cum autem hominis mentem nihil quā error religionis coinquinet citius & facilius, vt ſummopere enitendum eſt, ne orta hæreſis, aut loco aut tempore creſcat, ſed contra potius, vt mox opprimatur & extinguatur, vbi nata eſt, ita imprudenter, imo pernicioſe faciunt, qui alibi maxime ortam aliquam hæreſim, alibi traducunt, & confutandam ſuſcipiunt popularibus concionibus. Ita enim errrorem, qui varius fuerat, aut alterius, aut certe nihil pertinebat ad eam, apud quam concionantur, multitudinem, ſpargunt latius, & diſſeminant, quam compeſcant, potius. Vt eſt humanum ingenium rerum nouarum auidū, & in cuiuſlibet noui dubij propoſiti deteriorem fere partem procliuius.

Proinde ouiculis Chriſti & fideli populo, ne hæreticorum contagione inficiantur, aliter agendum, aliterque proſpiciendum eſt. Fugere quippe illos oportet velut peſtem pręſentem & contagioſiſsimam, vitare illorum communionem, doctrinam, conſortia, vt quorum ſermo noxius & venenatus facile audientes inficit, & velut cancer ſerpit. Nec minus libri eorum vitandi interdicendiq́; populo, & omni di- C
ligentia cauendum eſt, ne ad aures & animos eorum noua & noxia doctrina ingreſſum habeat, ſed recepta tantum, orthodoxa & catholica audiant.

Quare & circa paſtores & verbi dei præcones conſtat præcipuam curam adhiberi oportere, in primis vt doctrina & vita illi muneri ſint idonei, q populū erudiant diligenter de neceſſarijs omnibus, maxime autem de præcipuis, in quibus ipſa religionis ſumma conſiſtit præcipue, & vnde ſalus noſtra dependet: & ſæpe inculcent eccleſiaſticæ ſocietatis vnitatem religioſe colere, à qua ſeparatos certa manet damnatio. Adhæc diligentiſsime aduigilandum, vt in erudienda plebe vnus idemq́ue tenor obſeruetur vbique & perpetuo: & ad omnem vel minimam dogmatnm nouitatem atque inſolentiam proſpiciendum, ne non ſit, quale oporteat: non ſolum, quia præſtat ſcintillam extinguere, priuſquam erumpat in apertum, quod reſtingui vix poſsit, incendium: verum etiam, quia nihil eſſe poteſt eiuſmodi, qnod non aliqua ex parte labeſactet religioſam populi fidem erga communem receptamq́ue ab omnibus eccleſijs ſententiam. Quæ dum primum quomodocnnque D
reuocatur in dubium & controuerſiam, & deinde audacter contemnitur, religioſæ ſocietatis vnitas ſoluitur, & hæreſibus ſectisq́; turbata confuſaq́; mox conſpiciuntur omnia.

Proinde & Paulus in Timotheo ſuo huius curæ epiſcopos, omnes diligentiſsime admonet, vt in eccleſijs eodem tenore ſeruetur doctrina velut per manus accepta à patribus, deuitetur autem omnis nouitas, quam prophanam dicit, quam introducunt quidam nominis auidi, atque auræ popularis captatores, inuenientes argumenta atque oppoſitiones aduerſus doctrinam ſuam, conſuetam & veterem, vt inde doctieruditique vulgo habeantur. Sed falſo nominatam hanc ſcientiam idem ille affirmat Apoſtolus, cum ſit inſipientia & impietas potius, aut certe impietatis & hæretici erroris initium. Quam quidam, inquit, profitentes circa fidem aberrauerunt.

Præcipua vero omnium cura ſcholis & iuuentutis inſtitutioni adhibenda eſt. Vt enim in illis eſt omnium eccleſiæ ordinum, graduum ac membrorum ad ſingula quæque eius munia & officia neceſſaria ſeminarium, ita hac ſemel corrupta, & imbuta ſeminibus noxijs, & pręoccupata prauis

A uis circa religionem opinionibus, quibus liberi ſolutique iuueniles animi, illam diſcant parui facere, negligere & contemnere, quid inde expectandum ſit, nemo eſt, qui neſciat. Maxima proinde diligentia prouidendum eſt, nō ſolum vt eruditi, ſed etiam vt pij præceptores, ludis & ſcholis præſint, vt quātum laboratur, laboratumque eſt ab impiæ doctrinæ diſſeminatoribus, vt eam quoquo pacto inſtillarent iuuenilibus animis, tantum nobis contra adnitendum eſt, vt pietatem, orthodoxam catholicamque doctrinam doceantur in omnibus: præcipue vero, vt diſcant eccleſiæ conſenſum autoritatemque maximi facere: de nullo religioſo dogmate ſibi quicquam præſumere, ſed vniuerſa vel non intellecta, religioſiſsime venerari, velut diuina quædam oracula.

Oportet ergo in his diſtinguere & paſtorum & epiſcoporum, ſummorumque præſulum & publicæ autoritatis ſecularis, quæ in eccleſia, Chriſti regno ſubiecta ſeruit, & ouicularum religioſæque plebis officia.

Ad paſtores, vt plebem ſibi commiſſam, ſanam pietatis doctrinam, eccleſiaſtica definitione certam, pro cuiuſque captu & B conditione, eodem vbique tenore doceant, nihil ab eadem euariantes, nihil admiſcētes nouum, peregrinum, exoticum: præcipue autem, vt perpetuo inculcent præcipua quæque, & maxime omnibus neceſſaria. Quod vt faciant, ad epiſcoporum curam præcipue pertinet: quorum vt eſt ſuperintendere paſtoribus & presbyteris, vt idonei vita & eruditione ei muneri præficiantur, ita quoque, vt ijdem illi ſuo officio gnauiter ſatisfaciant, & populum recepta in eccleſia doctrina ſana, ſalutari & neceſſaria, eodē vbique tenore fideliter imbuant.

Ad quod ſane profuerit, ſi per eruditos piosque aliquot ad hoc delectos autoritate publica, ea vniuerſa in locos aliquot communes luculenter explicata redigerentur.

Ad hæc, ſi lectionum ſacrarum, quæ per anni circuitum leguntur in eccleſia, explanationes aliquæ ſuccinctæ, eruditæ, piæ & orthodoxæ, eadem autoritate, eorūdemque opera conſcriberentur, atque ederentur loco multorum, atque adeo infinitorum librorum ſermocinalium, quos pene in infinitum multiplicauit ars impreſſoria: preſcriberenturque hæc & traderentur eccleſiarum paſtoribus & diuini verbi præconibus, vt docerent populum, C nec latum ab illis vnguem diſcederent: permiſſa tamen doctioribus libertate, eadem ipſa iuxta diuinæ ſcripturæ conſentientia teſtimonia, & ſanctorū orthodoxorumq; patrum ſententias conſonas ſecundum gratiam ipſis datam explicandi latius & copioſius. Ita ſane ſimplicitati & ignorantiæ multorum (quando non omnes doctos habere eſt poſsibile) ſuccurreretur: & proſpiceretur, vt eodem perpetuo tenore (quod præcipuam vim habere conſeruandæ vnitatis religionis & fidei in populo, indubitatum eſt) vbique inſtitueretur populus. Quod vt ad epiſcoporum curam & officium præcipue pertinet, ita quoque vt ad omnem vndecunque introductam nouitatem diligētiſsime attenti occurrant, vt aberrantes à caulis dominicis Chriſti ouiculas, quibus diximus modis, diligenter reducant. Quos post tentata reductionis media omnia, obſtinatæ mentis pertinacia in lupos iam degeneraſſe conſtat, & Chriſtiano gregi perniecioſos & noxios, notent: vitandosque omnibus præcipiāt, néue libri eorundem peſtilentes ſpargantur in vulgus, aut ab vllis legantur, diligenter proſpiciant.

Quibus vt & ſua autoritate adſint, qui D gladium portant in eccleſia, curentque ne negligi contemniq; ab improbis poſsit epiſcoporum autoritas, & refrenetur graſſantium in Chriſti ouile luporum audacia & ferina rabies, neceſſe eſt. Ad hoc enim præcipue in regno Chriſti gladium portant, vt ſacroſanctæ autoritatis, quam in eccleſia Chriſtus conſtituit, & per quam eandem gubernari voluit, aduerſus rebelles contumacesque aſſertores ſint.

Ad fidelem populum pertinet, vt paſtorum & epiſcoporum ſuorum autoritatem religioſe ſequantur, vitent deſignatos ab illis hæreticos, velut immanem exitioſamque aliquam beluam, & libros eorundem atro carbone notatos, à ſacris publicisq; in eccleſia magiſtratibus velut cōtagioſam peſtem fugiant.

In hunc ſane modum ſuo quenque debite fungente officio, vt facile conſtaret & conſeruaretur in eccleſia vnitas ſynceræ religionis & fidei, pax & concordia, ita ſi contra, plane ſe habere cernantur omnia, nec ſolum nullū in ſuo ordine & gradu, quod ſui officij eſt, facere, ſed cōſtitutos ſpeculatores, aut cæcos fere omnes, aut ſomno ſepultos & crapula, gregis cura neglecta, ſe probe curare, & ſuauiter in-

A dulgere genio: paſtores conuerſos in lupos, cuſtodes in diſperſores & ſeductores, oues degeneraſſe in feras pene incicurabiles, inſurgentes in paſtores ſuos & ſacros magiſtratus, quibus Chriſtus ipſas ſubeſſe voluit: ſi, inquam, hoc ſe pacto vniuerſa in eccleſia habeant, nunquid expectas, vt in Sunamite illa videas decoram illam vnitatem & religioſam concordiam? nunquid vt choros caſtrorum ordinata omnia? An non potius miſceri cuncta horrendis tumultibus, ſeditionibus & diſsidijs? nihil ſuo loco ſtare, ſed conuulſa perturbataque omnia?

Quin vide obſecro, an ſuis cauſis ſua quoque euenta non exacte reſpondeant. Quales quæſo iam annis, imo ſeculis aliquot, adhibita cura eſt, vt doctrina & vita idonei eligerentur presbyteri, qui præeſſent docendo populo & eccleſijs? quanta libertas, imo licentia inſtituendæ plebis illis permiſſa eſt? quā parua cura adhibita, vt doctrina ſana, ſalutari, neceſſaria, & iā olim vbiq; recepta inſtitueretur populus? Vt cuiq; permiſſum ſua inuenta, ſua ſomnia, è ſuggeſtu vicißlatrare? ſuos affectus, ſuum morbum euomere in populum? Quantum quibuſdam, nominis & B gloriolæ ſtudioſis, & nouitatum omnium peregrinorumque dogmatum captatoribus, & olim recepta quæcunque, communemque eccleſiæ doctrinam in dubium reuocantibus, ex ſpeculatoribus nemine occurrente, imo nemine non applaudente, permiſſum eſt? Quam negligenter & frigide ab eiſdem itum obuiam, etiam eis, qui palam lacerarunt recepta dogmata eccleſiæ? Quanta vtriſque permiſſa facultas & licentia, ſua peſtifera venena chalcographica opera ſpargendi in populum? Quanta denique populi aduerſus ſuos paſtores, rectores & ſacros magiſtratus inobedientia, rebellio & cōtumacia? vt quos hi notaſſent velut publicos religioſæ ſocietatis hoſtes, deſertores & hæreticos, illi nihilo minus, publica autoritate contempta, vitare non curauerunt. Interdictos eorum venenatiſsimos libellos, velut ſtudio ſuum quærentes exitium, eo ſtudioſius legerunt. His adde vel aduerſam, vel non ſubſeruientem Chriſto, & ſacroſanctis ab eo conſtitutis in regno ſuo magiſtratibus, aut certe inermem, elanguidam, inefficacem, contemptamque poteſtatem ſecularem in eccleſia, quæ & ſua ipſius decreta aduerſus declaratos publicos religionis hoſtes ſinat impune cōtemni, & haberi ludibrio.

C Cum his, inquam, cauſis confer euenta, quæ cernimus, diligenter, & vide, num ſibi exacte reſpondeant. Quod ſi intelligis, intelligis quoque his tollendis, & reparandæ, ſarciendæ ſtabiliendæque vnitati & concordiæ in domo eccleſiaſtica, quibus opus ſit, illis nempe, que ante memorauimus, cauſis contrarijs, quibus ſine qui ſperat efficaciter & conſtanter mederi poſſe his malis, quæ inundarunt in eccleſiam, is vana duci ſpe mihi videtur.

Illa vero vt reducantur, in ſuumque locum ſtabiliter reſtituantur, à quibus dependere religioſę ſocietatis vnitatem demonſtrauimus, ante omnia opus eſt, vt in ea vigeat & valeat, quantum oportet, eccleſiaſticæ hierarchiæ autoritas, vt ſacris in ea magiſtratibus religioſe deferatur ab omnibus, ſuus cuiq; honos, ſua reuerentia, & obedientia ſecundum rationem ſui ordinis & officij: ſine quo impoſsibile eſt in vſum reuocari diſciplinam publicā, quam tamen omnium maxime in vſum reuocatam oportet, quo aduerſus delinquentes, & præcipue contumaces refractarioſque, cuiuſcunque demum ſtatus, conditionis omniſque illi fuerint, efficaciter vigeat, & punire poſsit omnem inobedientiam. D Deinde diligenti cura proſpiciendum eſt, vt in ſingulis ordinibus & gradibus conſtituantur idonei, maxime vero omnium circa maximos, quibus cura maior vel omnium vel plurimorum commiſſa eſt, eam curam diligentiamque, quantum humanitus fieri poſsit, neceſſe eſt, quo in ordinibus & gradibus ſingulis habeat eccleſia, qui quod eſt ſui officij, diligenter faciant. Vt tamen idipſum conſtanter faciant, qualeſcunq; demum illi ſemel conſtituti fuerint, neceſſe eſt, ſuper omnes vt vigilet ſummi hierarchæ, paſtoris, rectoriſque totius eccleſiæ (cui ſubeſſe quotquot cenſentur ex ouibus Chriſti, cuiuſcunque demum conditionis illi fuerint, ex eiuſdem Chriſti verbis indubitatum eſt) efficaciſſima, atq; omnibus metuenda autoritas ab omnibus exigere ſui poſsit rationem officij, delinquentes in eo corrigere ſecūdum leges eccleſiaſticas, atque etiam amouere officio, ſi hoc requirere videatur conſeruandæ in eccleſia vnitatis ſyncerae religionis & fidei, & publicæ vtilitatis neceſſitas: breuiter, quæ poſsit vniuerſa, quæ in immenſa aliqua domo, pro eius vnitate conſeruanda, ad patremfamilias, aut eius vicarium neceſſario pertinent.

Secu-

A Secularis in eccleſia poteſtas regno Chriſti fideliter ſeruiat: ſit armata & efficax, terrori ſuperbis, inobediẽtibus & cõtumacibus, vindexq; autoritatis ſacroſanctæ ſummi eccleſiæ pręſidis, ne poſsit impune contemni à quoquam. Hoc enim ad eorũ pertinere officium, & ab illis requiri à deo (quicquid contra contumaces illi & hæretici oggenniant) diuinus ſpiritus in veteri illo, quo noſtram eccleſiam deliniauit, populo clariſsime expreſsit. Si quis, inquit, ſuperbierit, nolens obedire imperio ſacerdotis præſidis, ex decreto iudicis moriẽtur homo ille, quo auferas malum de Iſrael. Audis, qui iudicandi poteſtatem ſuper alios obtines, qui gladium portas dei ordinatione tibi commiſſum in fideli & dei cultore populo, in regno Chriſti, quæ eſt eccleſia, quid ad tuum officium pertineat, quid à te requirat is ille, qui tibi commiſit gladium. Ex decreto, inquit, iudicis morietur homo ille, qui ſuperbe ſe effert aduerſus autoritatem ſacerdotis ſummi, pręſidis principalis cathedræ, atque eius imperio obedire contemnit. Quod ſi non feceris, in vniuerſæ ſocietatis religioſæ noxam redundaturum eſt malum contemptæ autoritatis eiuſmodi, quam ſacroſan-
B ctam omnibus eſſe oportet. Quod malum auferes, ſi in contemptorem commiſſum tibi gladium ſtrinxeris, quo cæteri exemplo eiuſmodi timorem habeant. Vigilet proinde aduerſus eos, quos vt publicos religionis hoſtes notauit publica & ſacroſancta illa ſummi præſidis autoritas: nec ſinat, vt peſtifera contagione ſua inficiant alios, & diſsidia in religione ſuſcitent.

In primis vero præla, quam excudendæ publicæ monetæ officinas, ad ſuam curam magis pertinere intelligant: tãto equidem magis, quanto magis religionem, quam monetam publicam, probã incorruptamq́ue habere & conſeruari reip. intereſt. Nã quãtum inde mali inundarit in eccleſiam, in omnes ordines, in ipſum adeo humanum genus vniuerſum, plane cæcus eſt, qui non videat. Vt enim vix vllum eſt inuentum humanum impreſſoria arte nuper à Germanis noſtris inuenta præclarius, & promouendis ſtudijs omnibus commodius & vtilius, ſi ea vtantur cum exacto ad publicam vtilitatem iudicio: ita ſi ea abutantur, ſicut factum cernimus, vix quicquam excogitari poteſt humano generi hac vna pernicioſius: vt per quam omni ætati, omni ſexui atque ordini, toxica venena, quibus ſe miſeri incautiq́ue perdant, ſubminiſtrentur, & ab ipſis pene incuna- C
bulis & maternis vberibus, tenellis animis inſtillentur, fiatq́ue vt à vera religione auerſi, omnibus inſuper vanitatum vitiorumq; generibus contaminentur, dũ ſub compoſitæ orationis lenocinio, feſtiuitate & gratia, omnis impietatis ſubinger untur pernicioſiſsima ſemina, quæ in omnis generis, omnis profeſsionis libros ita diſperſa diſſeminataque ſunt, vt nihil pene ſyncerum his proximis annis, quibus obtinuit hoc in religione diſsidium, ab his officinis prodierit.

Ita & in prima elementa Grammatices, Dialectices & Rethorices, quæ ludis artificioſo aliquo cõpendio methodoq; commendata ſe inſinuant, & pueris iuuentutiq́ue inſtituendæ parata ſunt, hæc velut obiter, vel exemplorũ loco, artis quam tractant atq; explicant, tametſi ea ad religionẽ nihil pertineat, vel palam etiam præter cauſam factis in ea digreſsionibus, inculcantur. Ita etiam in alienos, etiam veterũ, & vere orthodoxorũ libros audent vel annotatiũculis, vel cenſuris, vel alijs id genus appendicibus, ſua paſsim venena inſpargere, nec diuinas ipſas ſcripturas contaminare metuunt. Ea ſcilicet eſt huius mali indo-
les, vt nihil non agat, quo omnes conta- D
gione ſua pariter inficiat, &, velut furens quoddam edaxq́ue incendium, depopuletur vicina omnia, cui cohibendo publicam prælis, eamq; diligentiſsimam curam adhibere neceſſe eſt. Quoniam vero quæ iam per Germaniam inualuerunt, religionis diſsidia, tam longe lateq; occupauerũt omnes ordines hominum, & radices tã alte egerunt, vt niſi extrema vi adhibita eradicari ea non poſſe indubitatum ſit, præmolliendæ tamen vi morbi, priuſquam ad extrema illa veniatur, quod periti medici ſolent, apta quædam commouendis ordinibus omnibus præparatoria præmittenda adhibendaq́ue non immerito videbantur, & tentanda omnia, quæ ad diſsidentiũ conciliationẽ quoquomodo viderentur poſſe facere. Quo equidem vt reſpexiſſe Germaniæ principes in indicendis celebrandisq; primum Vuormatiæ, deinde Ratiſponæ conuentibus non dubitauerim, ita veram eius rationẽ non aſſequutos, res ipſa palam loquitur, & mihi euidens ratio perſuaſit ab ipſo rei haud ſatis feliciter auſpicatæ initio. Neque enim vlla mihi ſpes erat, inter delectos illic concertatores quicquam omnium conuenire poſſe, quæ ſunt in controuerſia: vtq; vel illi, quæ re,

x 3 verbo

A verbo & ſcripto aſſeruiſſe, & publice docuiſſe, omnibus notum eſt, quibus tam inextricabilibus vinculis adſtrictos alligatosq́ue eſſe eonſtabat, in tali optimatum atque omnium ordinum cœtu publice damnarent, & in noſtram cócederent ſententiam: vel noſtri falſæ & noxiæ concordię gratia illorum probaturi eſſent ſententiam. Et vt ſpes magna fuiſſet concordari inter illos potuiſſe, aut ue omnibus, aut de p̃cipuis, mihi nó videbatur cęteros vniuerſos, & multos, & doctos, perſpicacis, exacti, ſeueriq́ue iudicij homines, libenter ceſſuros fuiſſe illorum, quantumlibet velis eruditorum, tamé tam paucorum iudicio, præſertim quod aduerſus tá paucos, tamq́ue clanculario publicas in religione controuerſias tractantes, corrupti ſeu gratia, ſeu promiſsis aut muneribus, eorum iudicij non defuiſſet ſuſpicio, ſi ob eas, quas alius nemo audierat, rationes aliter nunc ſtatuiſſent, quam prius & verbo & ſcripto eos docuiſſe omnibus notum eſt.

Ad hæc, vt in componendis diſsidijs iſtis, quę in religione ſunt, reducenda ac ſtabilienda vnitate veræ fidei, primum eſt, vt ante omnia clare ſimpliciterq́ue proponatur intelligaturq́ue ab omnibus, quid in
B quoq; ſit, fueritque in controuerſia, & de quoque nudis, ſimplicibusq́ue verbis exponatur catholica veritas, ſub quibus tegi inuoluiq́ue non poſsit impietas contraria: cum alioqui ad ſimulandam, non autem reuera ſarciendam in religione concordiam, ſpectarét tractatus eiuſmodi, quo ſub eius prætextu, ſua toxica ac venena licentius in vulgus ſpargere poſſent religionis hoſtes atque aduerſarij. Ita certum eſt, librum deputatis Collocutoribus ad conciliandam cócordiam propoſitum, in pleriſque eo ſpectaſſe magis, vt quomodocunque tegeret ac diſsimularet, quam vere tolleret introductas vigentesq́; in religione controuerſias ac diſsidia: non vt reuera ſarciret, ſed vt ſimularet concordiam. Eo enim verborum artificio & inuolucro concinnatus erat, vt in capitibus grauiſsimis, vnde pendent cætera fere omnia orthodoxi, ſingula pene, pie orthodoxeq́ue poſſent intelligere: & aduerſarij nihilo minus omnia ad ſuam impietatem intelligant. Vt non ſine neceſſaria & grauiſsima cauſa reuerendiſsimus dominus Contarenus apoſtolicæ ſedis Legatus, hæc ſapientiſsime perpendens, nec ea quidem parte, qua conuenerunt deputati Collocutores, recipiendum cenſuerit eiuſmodi, ſed vniuerſum remittendum ad exa- C
men & iudicium legitimæ & publicæ in eccleſia autoritatis, præſidis principali cathedræ, & ſacerdoralis ſecum iudicij ad quam ſpectat definire eiuſmodi. Quod non alio ſpectaret, ſaltem ex parta aduerſariorum, ille Collocutorum conſenſus eiuſmodi, quam vt ſub concordiæ prætextu & ſpecie, religionis hoſtes nocerent efficacius. Quam rem ita ſe habere, vt diximus, ipſe Martinus Bucerus, ſub ſuo illo libello, quo acta in conuentu Ratiſponen. haud ſane ſimpliciter & fideliter explicat, ſed in ſuum potius ſuorumq́ue commodum (vt agnoſcas morbi ingenium) detorquet omnia, diſsimulare tamé non potuit, vt etiam inuitis ſæpe excidit veritas, quam ſtudent opprimere.

Siquidem grauiter ferens, quod conciliati ibidem inter Collocutores articuli recepti non fuerint, ſed remiſsi ad maius tribunal & iudicium, & in præfatum Pontificium Legatum, virum & doctrina omnigena, maxime autem Chriſtiana, & moribus pietateq́ue omnibus admirabilem & merito reuerendiſsimum, multa licenter, imo petulanter dicens, hunc conciliatorum ibidem ve- D
lut de grauiſsimis rebus articulorum catalogum ſubijcit. Quid nempe ſentiendum tenendumq́ue ſit de humanis viribus, tam ante quam poſt regenerationem, De peccato Originis, De Iuſtificatione hominis, De fide, De gratia dei, & Chriſti merito, de bonis operibus. Horum merito, precio, mercede. De eccleſia & notis eius. De eiuſdem & cóciliorum iudicio. De virtute veroq́ue vſu ſacramentotum. De pœnitétia. De miniſterijs eccleſiæ, miniſtrorumq́; in eccleſia autoritate. De traditionibus eccleſiaſticis. De ſanctorum memorijs & reliquijs. De Imaginibus. De Miſſa. De integro ſacramento impartiendo populo, & alijs pleriſque. Attamen de ijſdem illis omnibus ita habet reſponſum Proteſtátium, quod Impe. Maie. de actis colloquij, & articulis tam conciliatis, quá non conciliatis exhibuerunt. De conciliatis quidem in hunc modum. Nos quidem, inquiunt, articulos illos, cóciliatos videlicet, ſic intelligimus, vt res eædé in noſtra confeſsione & apologia traduntur. In quibus addunt, clare & perſpicue extare ſuá ſententiam, quá vere eſſe conſenſum catholicæ eccleſiæ, non dubitare ſe affirmant. De his vero qui conciliati non ſunt, ſolam ſuam ſen-

A ſententiam exacte reſpondere ad normam
verbi diuini & apoſtolicæ eccleſiæ, certa
probataque teſtimonia aſſerunt: noſtram
vero pugnare cum verbi diuini & eccle-
ſiæ apoſtolicæ regula. Denique idem re-
petentes iterum. Iterum, inquiunt, teſta-
mur nos amplecti confeſsionem Auguſtæ
exhibitam Cæſareę Maieſtati Veſtræ, nec
minus apologiam, quę illi eſt addita. Nec
dubitamus hanc doctrinam noſtram, ve-
re eſſe conſenſum eccleſiæ Chriſti catholi
cę. Quid igitur? Itáne tibi videtur Bucere,
pulchre conciliatos fuiſſe, quos memora-
ſti ante, controuerſos inter nos de religi-
one, maximi ſane momenti, articulos?
Si de ijs omnibus idem ſentitis vos, quod
habet veſtra illa Auguſtana confeſsio, &
apologia eidem addita, demonſtrauimus
autem ipſa luce clarius, veſtram illam, quã
confeſsione & apologia illa de prædictis,
alijsque omnibus controuerſis inter nos
articulis, explicatis ſententiam, cum dei
verbo & apoſtolicæ catholicæq; ab initio
per orbem eccleſiæ ſententia bis pugnare
per omnia, & frequenter ſecum: vt cœ-
lum citius & terram ſuis locis dimoueris,
quam in veſtram illam nos tranſiremus
ſententiam: nunquid igitur vel iota vnum
B inter nos vere conciliatum eſt? Sed hoc
eſt, quod in palliata ſimulataque illa con-
ciliatione venabantur illi, vt perſuade-
rent populo, probata à nobis impia illa
ſua, quæ execramur, non probamus, do-
gmata, vt ſuos iactarent triumphos de no
bis & doctrina, quam profitemur, ortho-
doxa & catholica. Hoc eſt, quod querita-
tur Bucerus impeditum à Legato apoſto-
lico: qui quorſum palliata illa ſimulata-
que conciliatio tenderet, pro admirabili
ſua eruditione & prudentia intellexit acu-
tius, quam alij quidam, pij quidem illi, ſed
quibus concordię amore & zelo, quamuis
non ſecundum ſcientiam, vel nomen ina-
ne amplexandum videbatur concordiæ:
nõ ſatis perpendentes, vis illa morbi quan
to efficacius noceret, & liberius contagi-
onem ſuam diffunderet ſub ſpecie amici-
tiæ, prætextuque concordiæ. Hinc illæ
lachrymæ, quod hoc impeditũ fuerit Re-
uerendiſsimi Legati autoritate & conſi-
lio. Vt igitur omnium, quę nunc inter ad-
uerſarios & nos in religione cõtrouertun-
tur, quicquam vnquam vere conciliari po
terit illis, quales Ratiſponæ adhibiti fue-
runt, tractatoribus ac moderatoribus ex
parte aduerſaria, ſpes prorſus nulla eſt
(obſtinatiſsimi enim in ſua ſententia ani-
mi ediderunt teſtimonia, tam multa, quã C
euidentia) ita omnis eo nomine & fine cũ
ijſdem illis fruſtra ſuſcipitur, publica ſal-
tem, tractatio ac diſputatio. Quæ alio fi-
ne ac reſpectu, nempe ad ſtabiliendos va-
cillantes, reducendosque deceptos, eos
nempe, qui veritati nondum obfirmaue-
runt mentem nec clauſerunt oculos, ſed
eius intelligendæ adhuc tanguntur de-
ſiderio & nonnullo remorſu nouitatis, in
quam aduerſus totius reliqui ſodalitij re-
ligioſi, & conſonam ante nos patrum no-
ſtrorum toto orbe ſententiam ſe pertra-
ctos intelligunt: ad hos, inquam, aut re-
ducendos, aut confirmandos, plurimum
ſane momenti habuiſſet, aut habere potu-
iſſet, ſuſcepta quo modo, & à quibus o-
porteret, publica, etiam cum illis plane
deſperatis & obſtinatiſsmis aduerſariorũ
dogmatiſtis, de controuerſijs inter nos o-
mnibus diſceptatio, vt quæ ita explicari
poſſent à noſtris, vt illi nõ haberent, quod
probabiliter poſſent contradicere, & au-
ditores omnes nondum excæcati, diabo-
lica illa pertinacia, ſed intelligendæ veri-
tatis adhuc auidi, eam ipſam clariſsime in-
telligerent. Ad quem ſane finem ſi rite in-
ſtituta fuiſſet Ratiſponæ habita diſcepta-
tio, non ſolum non fuiſſet inutilis, ſed D
magnum nobis ſtruxiſſet gradum ad eam,
cuius vnius adhuc ſpes ſupereſt, faciẽdam
concordiam. Non equidẽ, quod ſpes ſit, vt
Lutherus, Philippus, cæterique illi, qui
obfirmato animo à nobis & veritate diſ-
ſentiunt, vnquam nobiſcum & cum ca-
tholica eccleſia ſentiant: de quibus ſcimus,
niſi mentiatur Apoſtolus, quod ſubuerſi
ſint & proprio damnati iudicio. Sed quod
& ſeducti illi, & tamen non plane à verita-
te auerſi reduci, & vacillantes titubantes-
que confirmari eo modo facile potue-
rint. Quod ſi factum fuiſſet, pertinaces il-
los deploratosque licuiſſet contemnere:
vt qui pudore ac mœrore in perfidia ſua
per ſe contabeſcerent. Ad quam ſane rem
ego in primis conducturum non dubita-
bam, nec dubito, ſi publice audientibus,
atque intelligentibus, vel per interpretem
omnibus, non priuatim, peractæ fuiſſent
diſputationes eiuſmodi: nõ oratione pro-
lixa & perpetua, ſed primum quàm aper-
tiſsimis ſimpliciſsimisque verbis explica-
to & propoſito, quid in ſingulis reuera eſ-
ſet in cõtrouerſia, hinc inde partes, ſuæ pu
gnantis inter ſe ſentẽtiæ rationes, velut in
numerato, ſimpliciter proponerent: coge-
renturque ſibi ſimpliciter, per ita & non,

A interrogantibus reſpondere mutuo, abſq;
alijs verborum phaleris, quibus ſuas inuol
uerent atq; obſcurarent ſententias. Quod
vt fieret, ante omnia factum oportuiſſet,
per controuerſias & quæſtiones ſingulas,
vt rationes terminorum, quos in ſe com-
plectuntur, luculenter & clare explicatæ
eſſent: & ſi quid eorum ex vſu diuinarum
ſcripturarum, & orthodoxorum patrum
eſſet multiplex, prius explicata diligenter
demonſtrataque fuiſſet illa multiplicitas,
& exacte diſtinctum, de quo ſignificato-
rum intelligeretur propoſita quæſtio &
cõtrouerſia, quo ad illud vnum omnis de-
inceps perpetuo tenore collata fuiſſet diſ-
putatio. Sine quo, vt inanis omnis illa, ne-
ceſſaria futura erat: ita ſi vnum hoc in his
omnibus diligenter obſeruatum eſſet, nõ
ſolum ad eas luculentiſsime explicandas
gradus magnus & facilis iactus foret, quin-
imo ex ſola diſtincta multiplicitate eiuſ-
modi, quæſtionibus (vt quæ ex parte pen-
dent ex terminorum vſu multiplici & æ-
quiuoco) amplius locus non foret. Eodem
valeret & valuiſſet quam plurimum, ſi &
ordine artificioſo & diſtincte, ita ad [illegible]s,
aut eſt, aut non, reſponderi neceſſario o-
porteret, non vero in vago quæſtiones vni-
B uerſæ eſſent propoſitæ. Nollem ita inter-
rogari, qua in re conſiſtat iuſtificatio ho-
minis, ſed pluribus quæſtionibus ordinate
propoſitis, particulatim percontari de ſin-
gulis, quæ circa hoc cadunt in controuer-
ſiam, vt verbi gratia: An ſola nos fides in
Chriſtum iuſtificet. An ſi non ſola, tamen
præcipue. An magis charitas dei ac proxi-
mi, & quæ ex hac proficiſcuntur opera. An
nihil horum, ſed vna dei in Chriſto, atque
eius iuſtitia nos iuſtificantis gratia. Quæ
dũ ita ordinate & diſtincte proponuntur,
lucẽ maximã intelligendę clariſsime veri-
tati ingerunt. Nam negari non poteſt, quin
vna dei in Chriſto nos iuſtificet gratia & mi
ſericordia, vt de iuſtificatione & iuſtitia no
ſtra cõrã deo loquamur ꝓprie. Nam cũ iu-
ſtitia propria, q̃ ex nobis & operibus noſtris
eſt, ſimus vacui, in Chriſto neceſſe eſt vt no
ſtram coram deo quæramus iuſtitiam. Ipſe
enim vnus eſt iuſtitia & ſanctificatio no-
ſtra. Quod ſi eſt, iam palam eſt, nec fidem,
nec charitatem, nec quæ ex his proficiſcun
tur opera, eo modo, hoc eſt, proprie, eſſe iu-
ſtificationem aut iuſtitiam noſtram coram
deo, nec nos vere iuſtificare, ſed miſericor-
diter & gratioſe nobis imputari à deo ad
iuſtitiam. Quemadmodum clariſsimis ver
bis affirmat Apoſtolus, qui demonſtratu-
rus non iuſtificari hominem ex operibus, C
ſed ex vna dei gratia in Chriſto Ieſu, eiuſ-
que ſanguine, in quo ſolo propiciatore no
bis propoſito, docet ponendam nobis iu-
ſtificationis noſtræ fiduciam, hoc ipſum
veteris ſcripturæ autoritate de Abraham
comprobat: nempe quod ipſe crediderit
quidem deo, non tamen eo ipſo iuſtifica-
tus ſit, ſed quod hoc illi gratioſe ad iuſti-
tiam imputatum ſit. Quid enim, inquit, di-
cit ſcriptura? Credidit Abraham deo, &
reputatum eſt illi ad iuſtitiã. Si hoc ipſum,
deo credere, illi gratioſe imputatum ſit ad
iuſtitiã, ergo non erat iuſtitia & iuſtificatio
eius. Nã ſi opus, aut illud, aut qualecunq;
aliud, ſit noſtra iuſtitia aut iuſtificatio corã
deo, nõ imputatur operanti merces iuſtitię
gratioſe, ſicut nec illa eſſet gratiæ, ſed con
tra plane ſe habere demonſtrat ſcriptura,
nẽpe iuſtificationẽ noſtri non cõſiſtere in
noſtro opere, etiãſi fidei illud ſit, ſed in dei
miſericordia, & gratuita imputatione ad
iuſtitiam, ſecundum, inquit, propoſitum
gratiæ dei. Sicut & Dauid dicit beatitudi-
nem hominis, cui deus accepto fert iuſti-
tiam ſine operibus. Beati quorum remiſſæ
ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt pec-
cata. Beatus vir cui non imputauit domi-
nus peccatum. Iuſtitia ergo noſtra, in vna D
dei nobis Chriſto Ieſu ignoſcentis conſi-
ſtit gratia & miſericordia: qua nobis etiam
fidem ipſam, tametſi iuſtitia non ſit, grati-
oſe & miſericorditer ad iuſtitiam impu-
tat. In hunc modum cum ex ordine & for
ma propoſitarum quæſtionum facile con
ſtet, nec fidem, nec charitatem, nec vlla o-
pera noſtra vere proprieq; coram deo iuſti
ficare nos, ſubſequitur deinceps hoc quæ-
ſtionum genus: An ſicut fides, ita & chari-
tas, ad iuſtificationem ſit neceſſaria, tamet-
ſi non iuſtificent nos. An iuſtificationi hæc
quam illa, ſit vicinior, coniunctior & ab ea
inſeparabilior, an vero contra. Quæ qui-
dem quæſtiones hoc ordine & forma pro-
poſitæ, ex diuinis ſcripturis & luculenter
& facile reſolui poſsint. Libet adhuc alte-
rum huius exercitationis exemplũ propo-
nere, quo clarius intelligas, vt velim circa
cõtrouerſias ſingulas, diſponi quæſtiones
eiuſmodi, & quam vim ad clariſsime inue-
niendam veritatem obtineant. Affirma-
mus nos in euchariſtia poſt conſecrationẽ
eſſe veritatem Chriſti corporis & ſangui-
nis: & permanere in eadem, quandiu per-
manent panis illę & vini ſpecies. Primum,
nobiſcum confitentur aduerſarij, at ſecun
dum pernegant, nolentes permanere veri-
tatem

A tatem corporis &. ſanguinis Chriſti in euchariſtia ſeruata & repoſita. Circa hanc ergo controuerſiam, luculenter & facile explicandam, proponendæ ſunt quæſtiones iſtiuſmodi: An circa eandem, in partem vtram aut alteram; quicquam ſtatuere ac certo definire poſsimus, quod non definiuit certa ſcripturæ, aut eccleſiaſtici conſenſus, aut principalis cathedræ autoritas? Deinde, num certum ſit, poſt conſecrationem aliquandiu in euchariſtia permanere veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia. Imo etiam hoc certum ſit (ſi modo verum eſt, Chriſti fideles vere ſumere corpus & ſanguinem Chriſti in euchariſtia) an ex aliquo principiorum, quæ prima quæſtio opponit, definire poſsint, quamdiu, & quouſq; ibi maneant, & quando primum illic eſſe deſinant. Iſtiuſmodi quæſtionibus ita inexplicabiliter conſtringuntur aduerſarij, vt non habeant, quod contra poſsint hiſcere; & tam euidenter traducitur auditoribus temeraria eorum cæcaq; temeritas, vt palpari pene digitis valeat. Ad quam formam & modum quæſtionum, quæ nũc in religione controuertuntur, vniuerſa à doctis, qui ingenio valent, & certa methodo ſingula explicare poſſunt, ſi reducta fuerint, multum illis & lucis & compendij illatum crediderim, ſi publica diſceptatione, pro audientium varie de eiſdem ſentientium, tamen ad veritatem adhuc affectorum, vtilitate pertractandæ adhuc forent. Et quoniam inter controuertentes, quo vtiliter procederet diſceptatio, vt in principijs quibuſdam conueniat, neceſſe eſt: hic quoque ſtabilita ante oporteret certa quædam, in quibus conuenirent, principia: vt ex illis omnes deinceps vtrinq; rationes ducerentur. Scripturarum autoritatem agnoſcit quidem pars vtraq; ſed eæ, quod haud difficulter accommodari detorqueriq; poſsint ad diuerſas, imo pugnantes ſententias, ad propoſitum negocium per ſe ſatis efficaces non ſunt. Quare iiſdem etiam aliud principij genus neceſſario adiungendum eſt, nempe communis per orbem catholicę eccleſiæ, orthodoxorumq; omniũ ab initio ad nos patrum conſona vnaq; ſentẽtia. Quæ cum diuinis ſcripturis conſentiens, certam in quacunque propoſita de religione controuerſia veritatem, efficaciter irrefragabiliterq; demonſtrat.

In hoc quoq; principium pars vtraque conuenit, cum iactet vtraq; à ſe ſtare conſenſum catholicæ eccleſiæ. Nec difficulter, vt volunt aduerſarij, imo facile atq; euidenter hic demonſtrari conuincią; conſenſus poteſt, primum in particularibus, ex quibus illa vna magnaq; integratur, per orbem Chriſtianum eccleſijs ante natum Lutherum, & excitatas præſentes controuerſias. Deinde ex orthodoxorũ ſanctorumq; patrũ monumentis ante nos ad ipſum vſq; religionis initium: vt ex quibus conſtet facile, quid de ſingulis ſancti orthodoxique epiſcopi, ſuccedentibus ſibi continuo ſeculis, velut communem, certam, orthodoxamq; doctrinam docuerint ſibi commiſſas toto orbe Chriſti eccleſias. Qui dum idem aliquot docuiſſe inueniuntur & conſonum, non ſolum ſibi, ſed & ei, quam adhuc cernimus in eccleſijs omnibus, antequam per Lutherum excitata & introducta hæc ſunt diſsidia, communi ſententiæ & fidei, quid habeat vere catholicæ per orbem eccleſię cõmunis fides & ſentẽtia, hoc pacto irrefragabiliter demonſtratum eſt. C

Nec hic vllis cauillis aut ſubterfugijs locus eſt, quo minus hoc principio efficaciter concludantur aduerſarij. Nihil prodeſt illorum cõmentum de inuiſibili electorũ ſanctorumq; aut vera eccleſia. Hoc enim certum prorſus indubitatumq; eſt, vno cõſenſu ſentire vere catholicã per orbem eccleſiam, quicquid inueniuntur ſancti orthodoxiq; eccleſiarum præſules ab initio, toto orbe terrarum, ſuccedentibus ſibi ſeculis, magno conſenſu, velut certam ſalutis doctrinam docuiſſe commiſſos ſibi fideles populos, & ab illis ad nos idem immutatumq; perduraſſe. Hoc nemo dubitabit, nemo ibit inficias, etiam aduerſariorum omnium, niſi ſi qui forte obcæcati pertinacia pluſquam diabolica, in reprobũ ſenſum dati ſint. Quos tamen & ipſos nec ſui ſecreto quibus mens prorſus auerſa à veritate non eſt. Et quoniam ex his duobus principijs vniuerſæ, quæ nunc in religionem introductæ ſunt, controuerſiæ efficaciter atq; irrefragabiliter explicari mihi poſſe videntur, nec quicquam præter hoc proferri, in quod, velut certum, pars vtraq; conſentiat, ad veritatem clare demonſtrandã per ſingulas, in publica, de qua agimus, diſceptatione eiuſmodi, magnum meo quidem iudicio compẽdium fuerit, ſi delectis concertatoribus, niſi ex iiſdem vniuerſas ſuas rationes breuiter & clare deducere liceat. Hæc ſunt Chriſtiane Lector, quæ ego de ratione conciliandæ, reparandę, & conſeruandæ in religione vnitatis & concordiæ mihi videbantur. Quæ vt publicarem, D

&

A & tibi communicarem, primum coegit me ille Buceri libellus, quo culpam omnem non ſarcitæ concordię, à ſe ſuisq; transfert in alios. Itaq; volebam omnibus palam facere, quinam ſint autores incentoresq; huius in religione diſsidij: quantum illi mali inuexerint in eccleſiam, quo merito odio & execratione digni ſint, quo illi animo ad concordiam affecti ſint & fuerint. Quæ cauſa, cur hactenus tentata ad eam omnia, in contrarium potius reciderunt. Deinde, quo & alijs anſam darem diligentius cogitandi de vera ratione conciliandę concordiæ. Quæ vt nobis aliquando reddatur, inſtantiſsime orandus pijs omnibus Chriſtus eſt, vt ſuum ſpiritum, veræ humilitatis, pacis, vnitatis & concordiæ autorem inter nos mittat, philautiam illam arrogantis ſuperbique animi & aduerſus eccleſiæ autoritatem ſe efferentis, omnibus detrahat: omnes doceat humiliter ſapere in his, quæ ad fidem, religionem, diuinarumque ſcripturarum germanum intellectum pertinent, nihil de ſuo ingenio præſumere, nihil ſingulariter aut priuatim ſapere, ſed religionis habenis intellectum captiuare, & ſubmittere maiorum noſtrorum, B virorum ſanctorum & orthodoxorum, & religioſæ ſocietatis conſonę ſententiæ: eiuſdem ſocietatis vnitatem & concordiam diligenter ſectari: eius communibus legibus libenter ſubiectos viuere: eius ſacris magiſtratibus, à Chriſto, apoſtolis apoſtolicisq; viris eodem autore Chriſto, doctoreque eius ſpiritu, in eadem conſtitutis, diligenter obedire: non ſuperbe erga eoſdem ſe efferre, nec eorum autoritatem contemnere: quemque ſuam ſtationem in eccleſia attente obſeruare: officio ſatisfacere, nemini nem inuadere partes alterius: mutuam infirmitatem ferre, ad quorum præſertim correctionem ea non pertinet. Breuiter in omnibus nos gerere vt diſcipulos Illius, qui humilitatis & mitis cordis ſe nobis exemplum præbuit. Ita enim mox reſtitutam videre erit ſanctam in religione concordiam. Vale in Chriſto, & hos conatus noſtros boni conſule.

FINIS.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno M. D. LXXII.



52

FINE




ARNOLD BIRCKMAN

RESTAURO DEL LIBRO di LELLI GIUSEPPE

10 OTT. 1971